

Jn. H. Mc

1879.



Revd. George Williams.

kt-xx

Peter Karney,
Cambridge
July 1939.

Bel Ethn
£45.10

☞ On the history of this volume, see Walter F. Hook, Lives of the Abp of Cantuar (London 1872) vol. IX, p. 505 seq., and p. 516. in my library. SW. 26.VII.1976.

193



G. Vertue Sculp. Lond. 1729.

MATTHAEUS PARKER

Archiepiscopus Cantuariensis.

Nat: Aug: 6. 1504. NORWICI.

Denat: Maij 17. 1575. LAMETHÆ.

MATTHAEI PARKER

CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI

DE

ANTIQUITATE BRITANNICAE ECCLESIAE

ET

PRIVILEGIIS ECCLESIAE CANTUARIENSIS

CUM

ARCHIEPISCOPIS EJUSDEM LXX.

E XXI exemplarium 1572 excuſorum,

Sibique mutuo ſorte plane ſingulari diſcrepantium,

COLLATIONE,

Integra nunc primum numeriſque abſoluta omnibus HISTORIA.

RECENSENTE

Ad ſcriptorum veterum, chartarum, ac archivorum LAMETHAE MSS, fidem

ACCURANTEQUE

SAMUELE DRAKE

S.T.P.

Coll. DIV. JOHAN. EVANG. CANT. Soc.

Rect. de TREETON agro EBOR.

ADJECTIS

ANNOTATIONIBUS, indice locupletiſſimo, tabuliſque PRAESULARIBUS,

Antiſtitum ſeriem Anglicanorum novam omnino atque dilucidam complectentibus.

Acceſſerunt e quibuſdam editionis 1572 codicibus

Fuſior AUGUSTINI vita & Academiae hiſtoria CANTEBRIGIENSIS.

LONDINI

TYPIS GULIELMI BOWYER MDCCXXIX. - 1729 -

Proſtant vaenales apud CHR. BATEMAN area AEDIS PAULINAE auſtrali.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI

AC

DOMINO DOMINO

GULIELMO

PROVIDENTIA DIVINA

CANTUARIENSI ARCHIEPISCOPO

TOTIUS ANGLIAE PRIMATI.



LAMETHAE nata redit Lametham ad archipraesulem patronum ab auctore profecta archipraesule historia: Ubi lucem primo atque diem conspexerat, ibi nunc praesidium splendoremque petitura: Ubi magnum olim rei antiquariae conservatorem reliquerat, ibi summum jam judicem salutatura.

EGREGIAE optimi antistitis lucubrationi nihil auspicatius contigisse poterat, laetius nihil, quam ut amplitudinis vestrae munita nomine auctoritateque prodeat; ut, miro rerum exitu, fautorem sortiatur

tur Matthaeus, poſt longa evoluta tempora, Gulielmum; dignitate ac faſtigio aequalem; moribus, ſtudiis, eruditione, omni virtutum laude, parem ſimillimumque ſui. Hinc dubius paternitati veſtrae accedit liber, incertus omnino animique pendens, an novum jam Lamethae dominum compellet, an veterem plane agnoſcat.

Alia etiam felicitate cumulatur deſideratiſſima haec hiſtoria: iſta ut rerum conditione, ea tempeſtate, praelo exeat, quae ad coercendas diluendaſque pontificiorum calumnias accommoda ſit imprimis ſummeque opportuna. Illuſtri enim hoc opere e codicibus 1572 excuſis, quorum nonnulli ipſius ſunt Matthaei manu caſtigati, emiſſo omnes ſane, quas de primaria editione nuper injecerint, ſuſpiciones abſterſas jam, ſi quae pontificiis pudori reverentia, ſi quis ſit modeſtiae honos, reſtinctaſque demum ſentiemus.

In tuenda naſcentis Reformationis provehendaque diſciplina, multa tulit, egregia ſcripſit, majora praeſtitit celeberrimus praeſul Matthaeus Parker, eccleſiae Anglicanae ſtator: Unde quicquid a tanto profectum viro evigilatumque ſit, id omne & amplitudinis veſtrae complexu fovendum, & judicio ornandum ego ſanciendumque facile ſperarem: Verum hanc, quam paternitati veſtrae defero hodie, hiſtoriam magnarum variarumque rerum ſerie inſtructam, multis ingenii luminibus, multa arte diſtinctam, geſta deceſſorum Cantuariae tuorum graviter,

viter, ornate, dilucide enarrantem, patrocinio clientelaeque tuae, non tam auctoris nomen, quam ipſa operis ratio inſtitutumque conciliabunt.

Caeterum, has Tibi Matthaei vigilias majorem adhuc in modum commendabit paparum, legatorum, nunciorum, a primordiis ad ipſum Romanae exitum tyrannidis interitumque tradita hic atque accurate deducta hiſtoria: Quae reliquo orbi gravis ſaepenumero fuerat ac acerba, miſerae Angliae plane incubuit, faſtuoſa pontificis Romani vis: Immanes hic excitabat tragoedias, ingentes agebat praedas, tiara cinctus expilator: Plumbeo anathemate percuſſi reges, praeſules, plebs univerſa: Vaticani Jovis fragore turbatae res noſtrae omnes tumultuque permiſtae. Papales has coruſcationes, iras minacis Romae diplomaticas, luctuoſamque proſtratae Angliae direptionem, ſtylo eſt eruditiſſimus auctor noſter erecto, incitato indignanteque perſecutus: Quaeſtuoſum ac vafrum Romanae nuncium cathedrae trajicientem excipit, graſſantem populantemque inſequitur, ad litus plenis egredientem ſarcinis deducit; eamque hic pontificiae ſervitutis ſiſtit imaginem exprimitque, ut contra impotentem Romanae ſedis dominatum nec tutius hac una Matthaei lucubratione, nec obſirmatius extet praeſidium, niſi quod praeſtant tuae, munimentumque.

Praeclarus hic, a ſaeculo exeunte ſexto ductus, antiſtitum ordo progreditur: qualem certe, anna-

libus reipublicae Christianae tabulisque exploratis, nusquam cernimus: Ut enim magnis olim CANTUARIENSIS cathedra excelsisque elucebat privilegiis; sic hac una in re alterum quasi ampli oremque gessit primatum; quod, si praesulum suorum pietatem, si eruditionem, si prudentiam spectemus, caeteras universo orbe metropoles longe superaverit: Eadem nominis celebritate, eadem virtutis praestantia tituloque diu insignienda, si diu Te illustretur incolumi.

SUM

PATERNITATI VESTRAE

omni obsequio

devinctissimus

VIII Id. Januar.
MDCCXXIX.

SAMUEL DRAKE.

AD

NOVISSIMAM EDITIONEM

PRAEFATIO.

Consilium *in instruenda hac accurandaque editione meum satis ea, quae annotationibus praemonenda censui, edocebunt: Missa itaque hoc ad alia nobis transeundum. Singulari profecto nascendi sorte in lucem prodiit haec* Cantuariensium Antistitum *historia: primariae enim, anni* 1572, *editionis codices mutili omnes & inchoati: quod huic deest, altero leges; quod hoc habetur, illo vice versa desiderabis: Rem novam plane & inauditam narro; Codicem ego omnibus modis absolutum, e numero supra vicenarium, reperi nusquam.*

Mirae *hujus discrepantiae rationem si quaeras, facilis est & expedita: Egregium hunc librum prolixis laboribus evigilatum, sumptibus excusum* Lamethae *suis, amicis tantum, ea erat optimi praesulis modestia, non publicae luci vivo se permissum, domi conclusit eruditissimus auctor; ut quoties ab arduis ecclesiae regnique negotiis sibi licuerit, eundem, addendo, detrahendo, expoliendo, illustret indies emendetque.*

Evenit *hinc, ut cum codex quispiam e manu auctoris ac tutela exierit, hunc inter reliquosque nondum custodia solutos, praelumque multis in locis denuo subituros, necessario ingens intersit diversitas: Alii hinc brevem, fusiorem alii, Augustini vitam exhibent; alii multiformem illam Gregorii Augustinique historiam complectuntur, reliqui eandem non agnoscunt: Alii in* Matthaeo, *alii in Polo, exeunt; hic mancum denique ipsum* Matthaeum *& hiantem, locupletiorem ille uberioremque praefert.*

Excusum *Londini anno* 1572 *tradit praemissus libro titulus: Rectius dixerit* Lamethae: *verum hoc* Matthaeus *modestia sua ineluctabili dissimulavit:* Lamethae *enim typothetarum, sculptorum, etiam bibliopegarum, ingentem aluit familiam vir miro in rem literariam studio: Horum plures non ante* 1573 *luce donati; alii non nisi volvente anno* 1574 *emissi: res enim, quae in haec tempora incidunt, memoriae hi literisque consignant: quod e laudata viri disertissimi Johannis Caii historia satis constat: Rerum ordinem modumque saepenumero mutavit eruditissimus praesul; nunquam aut annum ille aut titulum.*

 In

PRAEFATIO.

In *paranda editione nostra mihi plane constitutum ea primariae editionis exemplaria duces sequi, quae serius e* Matthaei *museo prodiisse claris & luculentis rationibus deprehenderim. Duo ipsa* Matthaei *manu castigata a Thoma Rawlinson, viro in conquirendis selectioribus libris solertissimo plane felicissimoque, mutuo accepi: In his quandoque occurrunt schedae eluendis libris emaculandisque destinatae, ipsa pericula typographica: ad quarum manu exaratas emendationes reliqui codices impressi exiguntur. Haec mea fide erudito orbi confirmo. Si cuiquam hac de re oriatur suspicio, exeuntem ille Agelnothi vitam mediamque Roberti, si placet, consulat: Hi plane gemini codices e Rawlinsoniana in Harleianam, ut fertur, migrarunt bibliothecam.*

Exortum *nuper vidimus scriptorem* * *Gallicum, qui ingenio in suspiciones prono, in animum sibi induxit veteres hos anni* 1572 *codices non eo fuisse, quem praefert titulus, anno excusos; verum longo postea intervallo fictos omnino, ac ingenti in orbem literarium fraude emersos. Immo vero ulterius contendit, idque tam certum esse, quam quod certissimum, statuit, librum hunc non nisi annis quadraginta post* 1572 *elapsis, scilicet non ante* 1612, *a scriptore usquam, sive reformato, sive pontificio, laudari: Haec quam sint a veritate alienissima, satis, quae sequuntur, indicabunt.*

1611. Johannes Stowe, *rectius dixerim, Johannes Barcham, in vita Johannis Angliae regis testem appellat* Matthaeum *in Huberto archiepiscopo* Parkerum.

1610. Johannes Picardus, *Normannus, in Gulielmi Neubrigensis editione ad illustrandum monachum suum multa e* Matthaeo Parkero, *ubi de Anselmo agitur, ac praeclara traducit.*

1610. Eodem *anno Johannes Seldenus* Matthaeum Parkerum *disertis verbis in fidem ac testimonium lectori sistit.*

1607. Bryanus Twyne Matthaei Cantuariensis *historiam saepius memorat, in eamque stylo insurgit satis protervo.*

1607. Vir *clarissimus Henricus Spelmannus de hac Cantuariensium archiepiscoporum historia diserte loquitur; memoriaeque tradit* Matthaei *hanc* Cantuariensis *tempore conscriptam.*

1606. Johannes *iterum Seldenus in Analectis.*

1605. Prodit *Hanoviae hujus historiae editio, ab antiquo exemplari, sed admodum mutilo omniumque, quae evolvi ego, longe pessimo desumpta.*

* Nullité des ordinations Anglicanes: Par le R. P. Michel Le Quien, Professeur en Theologie, &c. T. I. p. 411. A Paris MDCCXXV.

Domi-

z

PRAEFATIO.

Dominicus Baudius *literis ad virum celeberrimum Jacobum Thuanum Londino* Parisios *miſſis ſextus eſt hac de re & illuſtris teſtis advocandus: "Libri, inquit, de quibus per literas ad me ſcripſiſti, magna ex parte "hic non reperiuntur: Barlamum de poteſtate PP. D. Exlegatus de Boiſ-"ſiſſe nactus eſt pridem; eum Tibi muneri deſtinat. —— Vitae* Cantu-"ariensium *archiepiſcoporum omnes decollarunt, ut veteri verbo feſtinans "utar: Edita ſunt duntaxat* Quinquaginta *exemplaria." Solus hic primariae editionis numerum deſignat Baudius: Fruſtra hoc apud noſtrates jam quaeras: Horum extant hodie viginti duo: reliqui aut privatis ſcriniis deliteſcunt, aut incendiis forte ſunt abſumpti, aut fanatica & pontificia rabie perierunt.* 1603.

A Baudio *ad Buddenum progredimur in ſua Gulielmi Wainfleet, epiſcopi Winton. ac collegii Magdalenae Oxon. fundatoris munificentiſſimi, hiſtoria.* 1602.

Buddeno *adjiciendus, aetate par, Franciſcus Godwinus in praeſulum Anglicanorum catalogo; qui quam multa in hiſtoriam ſuam e* Parkeriana *transfuderit, nemini, qui utramque evolvit, ignotum.* 1602.

Hinc *conſcendimus annum* 1589 *illuſtre Cujacii nomen in fidem patrociniumque ex ipſa* Gallia *evocaturi: "Et hoc Ricardi, Archiep. Cantuar. "vitium refert auctor hiſtoriae archiepiſcoporum* Cantuariensium, *in me-"dium adducto iſto capite —— Sunt multa in eo auctore praeclara: no-"men ejus ignoratur, & liber tantum extat in Anglia; unde accerſitur: & "accerſitus eſt a me magno pretio."* 1589.

Exurgit *jam vir celeberrimus Gulielmus Camdenus graviſſimum dicturus & luculentum teſtimonium: "Duas autem, inquit, nunc habet An-"glia provincias; archiepiſcopos item duos, Cantuarienſem nimirum to-"tius Angliae primatem & metropolitanum, & Eboracenſem: Quibus "ſubſunt* xxv *epiſcopi, Cantuarienſi* xxii, *Eboracenſi tres reliqui. Qui "vero ſunt hi epiſcopatus cum comitatibus, ſive dioeceſibus, quas nunc ob-"tinent, optimus ille & reverendiſſimus Pater* Matthaeus Parkerus, *"archiepiſcopus Cantuarienſis, antiquitatis & optimarum literarum pa-"tronus ſumme ſtudioſus, his* Suis *verbis oſtendit:" Mox ea omnia, quae* p. 29. l. 16. *ad* l. 44. *jam cernis, in Britanniam ſuam diſertis verbis traducit.* 1586.

Neque *vero in Camdeno ſiſtendum: altius aliquanto aſſurgamus: Multa enim Franciſcus Thynne in ſuum archiepiſcoporum Cantuarienſium, uti etiam cancellariorum Angliae cardinaliumque, catalogum, hiſtoriae a Raphaele Hollinſhead contextae interjectum, ex hac* Matthaei *lucubratione deſumpſit: quod palam ille ac iteratis verbis profitetur.* 1585.

A Fran-

PRAEFATIO.

1583. *A* Francisco Thynne *ad annum poſt* 1572 *undecimum provehimur: ibique hiſtoricum Walliae celeberrimum Davidem Powelum ſi conſulamus, clara de hac* Matthaei Cantuariensis *lucubratione veſtigia reperiemus.*

1575. Extat *bibliotheca Cottoniana hujus hiſtoriae codex egregius; qui Ricardum Fitz-Alan, nobiliſſimum Arundeliae comitem, dominum olim agnovit: Ad frontem libri propria comitis manu apponuntur:* “*Ex dono* “ Mathei Cantuariensis *archiepiſcopi:*” *ſubjecto in majorem rei fidem nomine,* Arundell. *Haec non ultra annum* 1575, *eodem ſcilicet, quo* Matthaeus *bonorum omnium triſti deſiderio eſt extinctus, rejeci: Quanquam rationi minus conſuetudinique convenit, tanti nominis ac faſtigii virum tam ſero fuiſſe ac importuno munere donatum.*

1574. Hinc *ſi annum ſuperiorem aſcendamus; non caſu laudatam hanc hiſtoriam ac ad praeſtandam fidem in medium adductam; ſed &* Matthaei † *vitam in ſermonem Anglicanum, animo plane fanatico ac impotenti, iracundia & calumniis pleno, transfuſam conſpiciemus. Annum jam primariae editionis pene natalitium attigimus; ortumque hiſtoriae hujus, ducibus claris & eruditis auctoribus, exploravimus. Vidimus eandem a reformatis, pontificiis, domeſticis, exteris, Anglis, Batavis,* Gallis, *in teſtimonium fidemque, ſupra annum* 1612, *ſaepenumero prolatam; ſumma tandem diligentia a ſummis in republica literaria viris quaeſitam. An caeca haec jam ſit hiſtoria, ac non niſi quadrageſimo poſt* 1572 *anno in lucem e latibulo diemque egreſſa, an illa demum* Matthaei *vita, ſtylo temerata impio ſane ac maledico, ſedente Cantuariae* Matthaeo, Tenebrarum * *ſit, ut audax idem praecepſque tradit, opuſculum, ſtatuat aequus atque dijudicet lector: Dixerim potius atra illum nube obductum, totum caligine circumfuſum, ut noſtris in rebus hoſpitem plane, ſic patriis etiam peregrinum.*

De *auctore hujus hiſtoriae ante Johannem Seldenum litem nullibi motam legimus; Powelus, Camdenus, Fr. Thynne, alii,* Matthaeum *uno ore agnoſcunt: Hi quo propiores ad* Matthaei *tempora, eo teſtes longe profecto locupletiores. Ipſe Seldenus, annis* 1606 & 1610, *laudat hanc profertque ſub* Matthaei *nomine hiſtoriam: Cum, poſtea judicium hac in re ſuum aut mutaverit ille, aut diſſimulaverit; id nullo indicio, fide nulla, nullo patrocinio, adductis prodit. Niſi cognitam plane perſpectamque haberemus mentem Seldeni & ingenium, unde hoc ſibi in animum induxerit,*

erit,

† The Life off the 70th Archbiſhopp off Canterbury preſently Sittinge Engliſhed, and to be added to the 69 lately Sett forth in Latin. This numbre off ſeventy is ſo compleat a number as it is great pitie ther ſhold be one more: but that as Auguſtin was the firſt, ſo Mathew might be the laſt. Imprinted M. D. LXXIIII.

* Oeuvre des tenebres. P. Le Quien. Addit. T. I. p. 11.

erit, ne conjectura quidem assequi potuimus: Verum his rite perpensis clariora fortasse omnia evadent ac aliquanto luculentiora.

1. ERAT *Seldenus acri, si quisquam alius, in ecclesiasticos viros animo, in praesularem ordinem iniquissimo: Celeberrimam hanc historiam* EPISCOPO *deberi moleste tulit; hoc aegrae ejus ac sanciae menti mirum in modum displicuit: Maluit ille universos ecclesiae Anglicanae praesules, avaros, desides, ignavos, reipublicae graves, quibusque nec voluntas utilissimum hoc opus elucubrandi nec facultas fuerit, censeri. Hi mores, hoc ingenium, proniorem redderent Seldenum, ut ab archiepiscopo ad amanuensem, ab ecclesiastico viro ad saecularem, tanti operis laudem traduceret.*

2. ALIA *etiam praesto est sententiae Seldenianae ratio: Nova erat ac plane inaudita: Quanto studio, cultu, amore hujusmodi opiniones aluit fovitque fastuosus in re literaria arbiter, ignotum nemini. Mira certe Seldeno inerat & omnifaria prope eruditio; ingentes animi dotes; at immani hae superbia arrogantiaque conjunctae: Uno ut omnia verbo complectar; is erat, in quem ab antiquo desumpta haec scriptore imprimis convenient:* Gravarique videbatur de omni re sentire & dicere, quod aut solus non dixerit aut primus.

VERUM *litem de auctore hanc diremit omnem atque praescidit ipsius* MATTHAEI, *quam hic subjeci, epistola*: Eam ego manu* MATTHAEI *propria exaratam e bibliotheca Cantebrigiae Benedictina descripsi, ac Latino sermone, ut orbi magis innotescat erudito, donavi.*

" LIBRUM de ANTECESSORIBUS CANTUARIENSIBUS MEUM, huncque de " academia alterum, nolui adhuc in vulgus emittendos; concredito u- " troque atque istis tantum permisso, qui de iis, quae ibi SCRIPSERAM " EGO, statuerent: quam nostram hanc cautelam, in rebus praesertim " historicis tractandis, omnino adhibendam duxi: *Quia plus vident* " *oculi, quam oculus.* Quum itaque SCRIPTA haec MEA cum veteribus " monumentis chartisque vestris summa diligentia contuleris; gra- " tam profecto tu mihi operam atque optatam praestitisti. Si quae a- " lia

* I did of purpose keep back MY book of my *Canterbury* predecessors, and this book of the university; communicating the same to such, as should probably allow, or disallow that, which I should set down: which prudence I think very necessary in matters of story: *Quia plus vident oculi, quam oculus:* And therefore I accept well your diligence for comparing my writings with your records. And if you espie any more such, signifie

" lia minus recte tradita deprehendes; de his me certiorem facias vehe-
" menter peto: Libros enim meos, antequam publica donentur luce,
" ad fidem historiae exigendos praeloque iterum, ubi erratur, subjici-
" endos constitui. Quae sane me ratio plurimum monuit, ut tibi de
" historico Westmonasteriensi huc transmittendo rescriberem: Quem
" mox emendatiorem accipies.

UNICUM *restat jam monendum: Tabulas Chronicas, seu* PRAESULARES, *studio a me curisque haud exiguis elaboratas subjeci; ut quoties, de Roffensi, exempli gratia, Cicestrensi, Wigorniensi, episcopis, nullo apposito praenomine, quod in evolvenda hac historia saepius animadverti, mentio inciderit, lectorem hae pendentem animi haerentemque statim expediant; simulque novo plane, accurato atque dilucido sedium in Anglia Episcopalium conspectu aucta prodeat haec historia: Quam sexcentis fere locis abstersam a me castigatamque reipublicae sisto literariae.*

---

signifie them unto me: For I purpose, before I do evulgate my books, to suffer them to be expended, and to be printed again, where they be faulty; which was the principal cause to send to you again for the book of *Westminster*; which I will return corrected.



PRAEFATIO.



MNIBUS *laetam jucundamque veterum rerum & antiquitatis memoriam, quam hiſtoriam appellamus, fuiſſe, hinc clare perſpicueque cernimus: Quod cum caeterae artes & diſciplinae, quarum cognitione ſive ad vitae, ſive ingenii, ſive morum, ſive religionis, cultum ducuntur homines, abſtruſam aliquam & reconditam ſcientiam continentes, a paucioribus iiſque doctis ac induſtriis perceptae & exploratae ſunt; haec una popularis & pervulgata, omnibuſque indoctis pariter atque doctis facilis ac communis, ad magnum vitae inſtituendae atque degendae fructum, hominique inſitam cognoſcendi voluptatem, antiquitatem poſteris ſola repraeſentat. Quae quanquam ſua familiaritate atque copia alliciat ad ſe non excultos ſolum, ſed agreſtes atque rudes; ut quibus neque otium, nec ingenii facultas ad illa caeterarum artium intima indaganda concedatur, in hac rerum a majoribus geſtarum recordatione atque luce conquieſcant, eaque imperiti, perinde ac intelligentiores valde, multoque etiam ſaepe magis, delectentur; multum tamen ſemper intereſt, quantum commoditatis atque fructus docti ex hiſtoriis, magis quam indocti, percipiant. Nam, dum hi heroum & magnatum caſus varios domi militiaeque admirantur; dum clades & calamitates exercituum, rerumpublicarum everſiones, civitatum vaſtationes, rerum mutationem, bella, incendia, naufragia, atque horum omnium varietatem, inconſtantiam & atrocitatem magna delectatione affecti & attoniti ſtupent; neque aliam utilitatem optant, aut ineſſe putant hiſtoriae; quo quidque conſilio geſtum, quo auctore & ſuaſore inceptum, in quem exitum ac eventum progreſſum, quibus modis ad finem deductum quidque ſit, nunquam animadvertunt: Quae ſane viris doctis atque prudentibus, qui in rebus inutilibus, aut ad neceſſarium vitae uſum non ſpectantibus, operam ſuam nunquam poſuere, maxima ſemper fuit hiſtorias ſcribendi atque legendi cauſa: Ut ex antecedentium & praeteritarum rerum ſcientia, quid praeſentibus atque ſecuturis uſu futurum ſit, cernere ac perſpicere poſſint.*

PRAEFATIO.

VERUM *non minor ſaepe eſt hiſtorias ſcribentium, quam legentium, culpa. Ut enim legentes non alium plerumque fructum quam inanem voluptatem vel cognoſcendi, vel eadem rurſus commemorandi atque oſtentandi imperite atque inutiliter capiunt: ſic ſcriptores, cum non ad veritatem fidemque rerum geſtarum exquiſite, ſed ad commentitias vulgoque ſparſas fabulas ſine delectu libere profuſeque, loquuntur; laboris inutilis ſtudiique ſtulti popularem laudem ut iniquam mercedem fortaſſe conſequuntur; ſed de humana vita peſſime meriti poſteritatem avita cognitione, tanquam legitima haereditate, fraudant. Deinde, ſi gratiae aut ſimultatis alicujus ſuſpicio in ſcribente appareat, ut aut falſum dicere audeat, aut verum non audeat, tota tollitur & lex & fides ab hiſtoria. Ex his vitioſis hiſtoriarum ſcriptoribns proximi atque peſſimi ſunt hi, qui partium, quae ſemper tam bello quam pace ſunt, odio ducti ea, quae vitio verti aut nullo aut pertenui poſſunt, omni oratione exaggerant; quae vero maxima laude digna ſunt in his, quos factioſi improbabant, aut ſummo ſilentio, aut tacita detrectatione praetereunt. Hos ſingularum aetatum ſcriptores tam varios poſteritas tandem mendaces olſecit & exiſtimavit.*

ITAQUE *hi perennem laudem retinuerunt, optimeque in ea re de genere humano mereri putantur, qui, omiſſis illis nugis atque fabulis, quibus pueriles atque aniles animi poſſunt incendi, veritati ſoli explicandae & illuſtrandae ſtuduerunt: Nam, ut in aliis artibus magnus eſt induſtriae laborique locus; ſic in hiſtoria ſincere & accurate deſcribenda. Si quis enim Thucydidem Graecum, aut e Latinis Caeſarem & Salluſtium, qui res a ſe aut ſuis temporibus geſtas, quarum certiſſimam cognitionem habere poterant, tradidere, diligenter legerit; reperiet quanta ſedulitate veritatem exquiſierint: deinde quam plano fidelique ſermone eandem expreſſerint. Qui vero in remotiſſimam antiquitatem reſpexerunt, & ex ea eruere ac ad ſuos transferre conabantur ea, quae fide digna & ſuis temporibus opportuna, & poſteris tanquam haeredibus relinquenda ac patefacienda ſunt; eorum ſane ut virtus atque opera major, ſic laus debet eſſe celebrior. Nam Herodotus Graecus, ne quid antiquitatis omiſiſſe videretur, omnia ſine delectu congeſſit; quorumque pleraque non ab antiquis ſcriptis, ſed a vulgi fabulis accepit: Qui, quanquam oratione concinnus ſit atque elegans, eorum tamen, qui ſane & incorrupte judicant, avertit ab illa tam coacervata & referta narrationum multitudine fidem: Et quanquam a quibuſdam, quod videtur affectaſſe, hiſtoriae pater dicatur; ab aliis tamen fabularum pater merito dictus eſt. Quae delectationis habeant tantum, quantum ſcriptor volet, verbiſque, ſententiis, omnique orationis apparatu adjuventur; auctoritatem tamen nullam debemus neque fidem commentitiis rebus adjungere. At Livius Latinus veteribus rerum Romanarum ſcriptis ab origine repetitis, rectoque & accurato judicio perpenſis atque comparatis, edidit hiſtoriam dominio ac imperio Romano dignam: In qua nihil eſt fabuloſum, quod auctoritate ac teſtimonio careat, aut quod aequabili & veriſimili narratione non videatur ex ſe legenti fidem gignere. Quae tam diſerta & luculenta rerum anteactarum expreſſa veritas ſi rebuſpublicis ad belli paciſque adminiſtrationem, & ad mundani imperii diuturnitatem atque conſervationem*

multum

multum valere existimetur; quo tandem nos animo studioque incitati esse debemus, ad earum rerum veritatem atque falsitatem indagandam, quae in ecclesia Dei, tanquam divino regno & imperio, summi ejus imperatoris nutu, aut ab Antichristo ejusdem praedone ac invasore gesta, esse perhibentur?

NAMQUE, *ut reliquarum artium scientia sine divina inutilis ac nulla putanda est; sic humanos tantum evextus atque casus, rerum vero divinarum statum, a quo illi dependent, non expendere, supina quaedam est negligentia & indigna Christianis. Ut cum omnia a majoribus nostris domi militiaeve gesta digna sint cognitu; tum ea maxime, quibus aut firma stetit, aut vacillans fluctuabatur, ecclesia. Ex quibus intelligemus quando Dominus Jesus veritate & luce fulgens, sua eam illustraverit; quando rursus tanquam nebulis obducto sole ab oculis ecclesiae tectus, serpens ille antiquus sese insinuaverit; quibusque artibus atque dolis potentiam suis acquisierit; tum patefacta iterum veritate, quae luctae & concertationes in utriusque membris de principatu institutae fuerint; quae in carne, quae vero in Dei Spiritu succubuerint atque praevaluerint. Quo quidem in genere Eusebium, Socratem & Sozomenum, qui Apostolorum vestigia sequuti ea aetati nostrae literis conservarunt, quae proximis Apostolorum saeculis acta gestaque fuerunt, item Gregoram, Zonaram, ac Nicephorum, qui Orientalium patriarcharum praefecturas, deinde Platinam atque Sylvium, qui Romanorum pontificum vitas, descripserunt, ejusque generis permultos, qui externa nobis scriptis referunt, non modo laudamus, sed admiramur atque suspicimus. Sed plerumque, quod dolendum est, cum in externis minusque saepe necessariis nos totos conteramus, literisque atque otio fastidiose abutamur; quae in nostra republica atque ecclesia domi a primordio gesta sunt, magnopere scire non avemus. In quo uno nos ne dignos quidem hac perbeata omnique divina largitione affluenti insula indicamus; quod dum in alienis regnis sumus curiosi, quae domi geruntur semper ignoramus; perinde ac patresfamilias servique indiligentiores, qui, quae a vicinis fiunt, sedulo explorant remque suam domi negligunt. Nam, si quis nostram gentem cum externis conferat; reperiet eam, etsi minutam & exiguam, vicina regna ditione multo latiora omni virtute antecessisse: Res enim bellicas & multitudine proeliorum, & acri dimicatione cum hostibus, crebrisque victoriis partis fortius feliciusque gessimus, remque publicam melioribus administravimus & institutis & legibus. Jam vero si, quod est praesentis instituti, de ecclesiae institutione atque disciplina agere quisquam volet, eam sentiet, ut illa sane tenebrosa errorumque plena tulerunt tempora, nec accuratius descriptam, nec severius cultam in quacunque provincia, quam in Anglia, fuisse; ut causa nulla sit, cur in alienis, magis quam in nostris, cognoscendis laboraremus.*

ATQUE *hoc in loco veterum hujus regni monumentorum, sive negligentia, sive invidia interierint & extincta pene sint, interitum atque vastitatem deplorare jure possumus. Namque si, quod multi probabiliter satis existimant, dum inclytus rex* HENRICUS OCTAVUS *quibusdam ad id designatis eruditis viris Anglicanae antiquitatis indagationem & lustrationem*

commisisset; & antiquissimorum codicum manuscriptorum in coenobiis demolitis conditorum acervos atque cumulos permisisset; ut ex ea copia delectum haberent, & ad hujus insulae historiam sincere describendam, ea quae opportuna maxime viderentur, sumerent; illique, quae cum summo judicio expendere debuissent, leviter atque perfunctorie multitudine ipsa librorum confusi & perturbati transegerunt; aut malitia & rerum nostrarum invidia, quod de Peregrino * *quodam atque* Italo, *qui eas satis prolixe ac latine attigit, a suis in eo munere collegis dictum atque scriptum fuit, eadem aut corruperunt, aut penitus deleverunt; quibus diris execrandum est, ut tam illustris atque splendidae gentis vetustas in tantam socordiam pravitatemque incideret? Et tamen divino quodam beneficio nuper evenit, ut quemadmodum illa quondam multitudo atque copia, quorundam desidia, quorundam vero malitia atque detrectatione, consumpta pene ac dissipata sit; sic, quae jam exstat veterum scriptorum nostrorum paucitas, magna sedulitate, multisque sumptibus conquisita, & non modo ex obscuris bibliothecis atque latebris, sed ex pharmacopolarum officinis caeterisque vilioribus peneque culinariis locis, ita enim incuria & invidia priorum temporum, ut Æsopica gemma ab ignaro & ventri prono gallo spernebatur, abjecta peneque deleta fuerunt, eruta & conservata homines industrios & amantes patriae ita ad navandam in reipublicae suae historia operam excitarit; ut sine peregrinis & alienigenis ipsi αὐτόχθονες rerum hic antiquitus gestarum genuinam atque propriam, nec aliunde sumptam aut mutuatam, edant historiam. Quibus de causis magnam sane gratiam debemus his, qui in tanta antiquitatis nostrae jactura ipsoque naufragio eas tamen in fluctibus nantes reliquias collegerant; quibus ad rerum nostrarum memoriam, tanquam ad portum, integri salvique perduci possumus. Ac nobis quidem propositum est Britannicae Ecclesiae, ejusque antiquissimae a primis ejus, ut ita dicam, incunabulis originem explicare; tum eam hostilibus incursionibus multis saeculis depressam & occultam, & a Gregorio papa in novam formam* Augustini *adventu commutatam, ad haec nostra tempora deducere. Quam quidem historiam etsi tot celebres in Anglia episcopales sedes permultis praeclaris monumentis possunt illustrare; duae tamen existunt prae caeteris magis nobilitatae,* Cantuariensis *nempe &* Eboracensis *metropoles: Quarum utraque rerum suarum atque archiepiscoporum scriptores invenit: illa Stobaeum quendam, haec Gervasium & Stephanum Byrchingtonum, monachos Cantuarienses, atque Radulphum de Diceto, Paulinae ecclesiae Londinensis decanum. Qui tamen neque archiepiscopos neque res eorum temporibus in ecclesiis gestas tam plene tractarunt atque persecuti sunt; ut lectori rerum copiam aut temporum ordinem desideranti possint satisfacere. Tum Gervasius & Radulphus ultra Hubertum Archiepiscopum, qui Johanne regnante mortuus est, non progrediuntur; Stephanus autem in Gulielmo Courteney desinit; ut eadem copiosius & accuratius & ad nostra tempora aptius retexenda atque trahenda esse videantur.*

Et *quoniam* Cantuariensis Ecclesia *ditione major, actis clarior, om-*

* Polydoro Vergilio.

nique

nique amplitudine excellentior caeteris in Anglia sit ecclesiis; nam & EBORACENSIS *in provinciae ecclesiaeque administratione plerumque hanc sequuta & imitata est; nec ulla alia ecclesia, quid in ecclesiasticis totius Angliae rebus, singulis aetatibus atque saeculis decretum, mutatum, sancitum abrogatumque sit, sicut haec commemorare potest; eam potissimum explicandam duximus: ut perspiciatur quibus Satanae dolis atque technis, Antichristi illius, nempe horrendae usucaptae Romanae potentiae, servitus ingenuitatem christianam invasit in Anglia; quomodoque rursus in primaevam suam libertatem veteremque natalium splendorem, orta atque apprehensa luce evangelii, sese iterum recepit atque vindicavit.*

RES *est itaque his nostris temporibus, quibus profligatis Satanae tenebris illuxit Dominus, cognitu scita atque opportuna* CANTUARIENSIUM *archiepiscoporum ordine a primordio hucusque ducta successio: Quam ex variis antiquis sumptam & delibatam scriptoribus tam apte atque concinne hic compositam & cohaerentem vides; ut unius potius scriptoris series, quam ex multis decerptae auctoritates & sententiae videri possint. Antiquitatis tamen tanta a nobis ratio habita est; ut singula pene loca pro certiore testimonii fide auctores suos in margine designent: Ac verbis praeterea illis plerumque usi sumus, quibus veteres illi scriptores suorum temporum mores actionesque expresserunt. Quae a nobis consulto quidem ideo facta sunt; ne, cum pontificiorum flagitia tam insigniter saepe ab ipsis monachis & antiquis scriptoribus notata & deprehensa sunt; eadem a nobis ficta seu depravata quisquam comminiscatur: Tum ne quacunque in re ab illorum mente & sententia videri possimus recessisse. Cujus quidem rei rationem, potius quam cujusquam ornatus aut elegantiae, habuisse nobis convenit; qui non ornandae, sed pure simpliciterque explicandae, veritati studemus. Id si assequamur, harumque rerum tot saeculis abditarum historiam ad nostrorum hominum notitiam traducamus; eum laborum fructum, quem expetimus & speramus, videbimur accepisse. Tantum enim abest, ut gloriolam auramve popularem sectemur; ut invidorum etiam obtrectatorumque voculas, quae optima quaeque lacerare solent, aequo animo perferamus. Nam, si qui ita affecti sunt, ut eos rerum novitas aut vetustatis tractatio laedat, aut labores alieni videantur eis ingrati pariantque fastidium, his opus nostrum, ex omni Anglicana antiquitate collectum ac nonnullo studio lucubratum, scriptum non esse censemus. Sunt enim duo hominum genera, quorum iniqua, temeraria, judicia non formidamus, sed contemnimus: Unum eorum, qui uni soli studio addicti atque contenti caetera non modo negligunt, sed carpunt, reprehendunt, ac penitus etiam saepe damnant: alterum eorum, qui in omni quidem literarum genere versari atque permisceri gaudent; sed dum caeteris intelligentiores peritioresque haberi & existimari velint, alienae industriae laudem tollere aut detrahere student: Illi canibus comparandi sunt, qui ignotis semper latrant; hi porcis, qui ea prius conculcant ac luto coenoque involvunt, quae mox avide devorant. Utrumque sane perniciosum genus hominum, & a literatorum coetu consuetudineque abigendum.*

NAM,

PRAEFATIO.

NAM, *si omnis humanitas vitaeque cultus elegantior expoliri magis literis studiisque existimetur; quam parum in literis profecisse videantur aliis, quicquid de se existiment, hi, qui non modo tam inhumani, sed etiam agrestes sunt atque barbari, ut alienam sedulitatem exprobrent, inventaque reprehendant? De quibusdam enim, qui rebus novis ita student, ut omnia perturbari atque permisceri cupiant, nec alia, quam quae ipsi pariunt, dogmata a quoquam probari velint, ne dicamus quicquam gravius, quam censoria castigatione, magis quam verborum correptione, opus esse: Qui tumore ac fastidio, si velint, tabescant: Nos in hoc suscepto labore pietati veritatique, non hominum rumoribus, obsequuti, nullius sive blando atque ficto allecti, sive iniquo & criminoso sermone deterriti, quicquid diuturna vetustissimorum hujus regni monumentorum lucubratione consequi atque indagare potuimus, ad omnium judicium, tanquam publicum discrimen, subeundum in apertam tandem lucem emisimus. In quo benignos candidosque lectores, de duobus, haud secus atque convenit, existimare petimus: Primum, quod* CANTUARIENSIS *ecclesiae dignitatem, eam quam & temporis diuturnitas & principum concessiones & ipsa jura tribuunt, tueamur atque defendamus: Alterum, quod ipsorum archiepiscoporum etsi non minus vitia, quam recte facta, exponamus; non idcirco tamen magis lectores ab illius dignitate abhorreant: Nam, ut Caius Suetonius Tranquillus, qui duodecim primorum Caesarum vitas eadem libertate descripsisse dicitur, qua ipsi vixerunt, in quibus multa nefanda facinora commemoravit, piis lectoribus inducere animum non potest, ut imperia atque monarchias, quae ad humani generis utilitatem & salutem, etsi a malis saepe administrentur, a Deo constitutae sunt, evertant aut contemnant: sic ea, quae de* ARCHIEPISCOPIS CANTUARIENSIBUS *scripsimus, in quibus male perperamque fecerunt, cum jure reprehendant, abalienare tamen nullius boni animum a tam utili atque necessaria archiepiscopatum in ecclesia regenda dignitate, ullo modo debent. Et tamen, ut cunctis ipsisque adeo invidis & malevolis, quaecunque evomere possunt, uno dicto respondeamus: si papalis illa dominatio ac potentia, quam caecitate magis & superstitione, quam contumacia, tuebantur & colebant, abfuisset; nullos aut in rebus dijudicandis prudentiores, aut ab omni luxu continentiores, aut in tota vita moderatiores magisque frugi & in pauperes beneficos, & quotiescumque rempublicam capessebant, regibus atque regno utiliores, quam* CANTUARIENSES ARCHIEPISCOPOS *plerumque fuisse sentient. Illa autem papalis usurpatio, quae tum instar Divini Numinis ab omnibus observabatur, eos communi magis temporum vitio, quis enim tum fere vixit quem illa caecitas non infatuavit, quam sua propria aut peculiari culpa, adversos esse saepe fecit regibus, multaque alia perpetrare, quae tum putabantur pia, jam profligata caligine, manifestantur impia. Id itaque uni hominum generi praecipue verti vitio non debet, quod perinde omnes occupavit; nec privatim singulis, sed communiter accidit universis.*

TU

PRAEFATIO.

TU *vero, pie candideque Lector, eum, quem ſine livore & detrectatione oportet, ex hac lucubratione fructum percipe: Cujus tota laus* EI *tribuenda eſt, qui eadem vigilantia & ſedulitate, qua ſingula, quae ad chriſtianam gerendam eccleſiam ſunt neceſſaria, rimatur atque colligit, etiam in iſtius ſedis antiquitatem penitus retroſpexit; noſque peregrinantes ac errantes ad certiſſimam rerum noſtrarum fidem atque veritatem amanter iterum reduxit domum:* CUI *ut ad tam ſanctas & ſalubres dominico gregi vigilias & excubias agendas longaeva vita ſupereſſe poſſit, ipſaque demum aeternitas concedatur; bonorum omnium aſſiduis votis interpellandus eſt ille magnus gregis Paſtor, Dominus Jeſus: cujus eſt cum Patre atque Paracleto una & immenſa atque infinita majeſtas.*



ACADEMIAE
HISTORIA
CANTEBRIGIENSIS.

De Scholarum Collegiorumque in Academia Cantebrigienſi Patronis atque Fundatoribus.

QUONIAM nonnulli de poſteris bene mereri cupidi, Cantebrigienſis Academiae, necnon ſcholarum, atque ſingulorum in ea Collegiorum, ſtatum, originem, patronos atque fundatores magna quidem ſedulitate inquirentes, typis ea, quae conſequi & explorare poterant, nuper divulgarunt: Quorum opera & induſtria etſi laude digna ſit; tamen, quia veterum quorundam monumentorum teſtimoniis forte deſtituti, incertis & a vulgo acceptis conjecturis, potius quam veris aut probabilibus rationibus niti videntur: Operaepretium erit eiſdem de rebus ex indubitatae fidei ſcriptoribus & archivis dilucidius aliquid certiuſque proferre: Non ut aliorum laboribus, quod a nobis abſit, aliquid detrahatur; ſed ut earum rerum, quarum indagare cupiunt veritatem, tam ſibi quam his, ad quorum cognitionem eam transferri cupiunt, certitudo cognoſcatur.

CANTEBRIGIA a Cante, Grante, ſive Cantebro, praeterlabente fluvio nomen ſortita, a Britannis, veteribus hujus regni incolis Caerȝrant appellata eſt: Quo vetuſto nomine declaratur in ea quondam muro cinctam fuiſſe civitatem; ut Henricus Huntingdonenſis & alii ſcriptores affirmant. Bonarum autem literarum aſylum, & doctorum hominum Univerſitas regnante Gurguntio Belini regis filio eſſe coepit, annis ante Chriſtum in carne mundo oſtenſum, quingentis triginta novem, ut Johannes Lidgate teſtatur in Scala Mundi: Aliis placet octingentis ſeptuaginta & quinque: Eamque, ut quidam autumant, Hiſpanus Canteber viris in philoſophia & aſtronomia doctis, ab Athenienſi Academia omnium humanarum artium procreatrice & parente huc traductis, replevit & ornavit. A cujus viri nomine priorem urbis appellationem, in eam quae jam eſt, immutatam fuiſſe nonnulli putant; poſteaque tam reges Angliae, quam pontifices Romani immunitatibus, privilegiis, juribuſque multis eandem auxerunt & confirmarunt; ut ex Johannis viceſimi ſecundi papae bulla, in qua, intercedente Edwardo ſecundo rege, anno regni ſui undecimo, generale omnium artium & ſcientiarum ſtudium Cantebrigiae in perpetuum ſtabilivit, luculenter cernimus; ut Petrus de Ickham Cantuarienſis eccleſiae quondam monachus ſcribit. Et longe ante Edwardum tertium Gulielmus Normannus hujus regni victor atque triumphator, cum ex duobus ſuis filiis Gulielmum regno, Henricum ſacerdotio, in Anglia praeficere ſtatuiſſet, hunc in Cantebrigienſi Academia in illis ſeptem notis liberalibus ac ingenuis artibus primo inſtituendum curavit; ut Thomas Rudburne diſertiſſime affirmat, & Robertus Fabian in ſuis Hiſtoriarum Concordantiis refert. Lelandus item affirmat eum librum ſcripſiſſe de legibus, quas Henricianas nominabant;

Hen. Huntin.

Joh. Lidgate. Beverlac. Beda.

Florentius in ſuo Florario lib. 4. cap. 16. & in Scala Mundi.

Petrus de Ickham Mon. Cant.


Matth. Paris. in chro. min. Rich. Ciceſtrenſis. W. Malmeſb.

qui liber adhuc extat videndus integer & incorruptus: Deinde Lutetiam, ut in exteris quoque Academiis ea, quae cognitu digna eſſent, perciperet, miſit. [Thom. Gray in Scala Chronicon.] Eum pater adoleſcentem, quia literis acriter deditus fuit, "Beau-clerke" i. e. pulchrum clericum, appellavit, ut refert Thomas Gray in ea hiſtoria, quam Gallice ſcripſit, & Scalam Chronicon appellavit; quem ad Epiſcopa um aliquem promovere in animo habuit. Sed cum Lutetiae aliquot annorum ſtudium in literis utiliter poſuiſſet, ibidemque ſcholas rexiſſet; patre atque fratre mortuis ad regni gubernacula capienda revocatus eſt, anno Domini 1100. [Richardus Ciceſtren.] ut Richardus Ciceſtrenſis ſcribit. Quae tanta prudentia, magnanimitate juſtitiaque geſſit; ut Leo ille juſtitiae fuiſſe exiſtimabatur: [Merlinus.] De quo diu ante Merlinus praedixerat. Verum haec nobilis Academia, ſive Danorum quondam hoſtiliumque incurſionum vi, ſive civilium & inteſtinorum tumultuum direptionibus, ſive archivis antiquis negligentia ac incuria perditis, de municipii ſeu incorporationis ſuae jure docere parum potuit; [Hiſtoria Jorenallenſis.] donec, inſignis Henrici octavi regis benevolentia, partim rectoria de Burwell Academiae annexa & impropriata eſſet, partim illuſtriſſimae noſtrae reginae ELIZABETHAE, in parliamentis annis regni ſui decimo tertio & decimo quarto celebratis, beneficio, non modo municipii jus obtentum; ſed omnia privilegia juraque priora ab anterioribus principibus pontificibuſque conceſſa, rata & corroborata ſunt, cum nova illius decreti confirmatione; ne ſcilicet vel hoſpitii regii proviſores, vel alii obſonatores, annonam aut victualia intra quintum ab Academia lapidem exportarent. Verum de origine, antiquitate, ſtatu, aedificiis, caeteriſque tam Academiam quam urbem Cantebrigienſem tangentibus, conſulat lector magiſtrum Johannem Caium clariſſimum medicum, collegii Gonevilli atque Caii nuper magiſtrum, in libris ſuis de antiquitate & hiſtoria Cantebrigienſi a praelo nuper divulgatis; a quibus copioſe ſumere poteſt, quae ex permultis veteribus monumentis ad utramque ſunt referenda.



Scholarum

Scholarum publicarum extructio.



SCHOLAE non, ut quidam autumant, ſimul & ab uno conditae ſunt; ſed diverſos authores & varias, antequam perfectae eſſent, temporum intercapedines habuerunt. Nam, cum academicis viſum eſſet divae Mariae dedicatum templum, quod eſt Academiae, augere magnitudine; cepit eos una deſiderium has, quas jam cernimus, ſcholas forma quadrata condere. Itaque & ſuis ſumptibus & ope nobilium implorata, utramque tam templi quam ſcholarum aedificationem aggreſſi ſunt; ac utriſque extruendis oeconomos ſeu luſtratores praefecerunt; qui ut boni frugique patresfamilias & eas, quas acceperunt pecunias, utiliter elocarunt, & ut diligentes procuratores a multis impetrarunt, ut tam vivi donationibus, quam in teſtamentis morientes legatis atque fidei commiſſis ad eos uſus liberaliter multa largirentur. Quorum patronorum teſtamenta in archivis extant, eorumque largitiones in tabulis, quae in regentium ſynedrio quondam appendebantur, ſeorſim deſcribebantur; ut ex antiquis Academiae monumentis colligi poteſt. Ac primum de Theologica ſchola dicendum eſt, quomodo extructa & abſoluta fuerit. Ea enim prima extitit illius quadratae ſtructurae pars inchoata quidem multorum in Academia ſtudentium ſuorumque amicorum ſumptibus ac labore, & ad ſuperiorem pene tabulationem perducta: Sed paucis annis intermiſſa, quoniam ope caruerunt; etſi a Roberto Thorpe ſeniore milite aliquantulum adjuti ſunt. In Statut. An. 1472.

Is Angliae cancellarius fuit, vitaque ſubito functus eſt, circiter annum Domini 1372. & in teſtamento, cujus extat in archivis Gulielmi Wittleſey quondam Cantuarienſis Archiepiſcopi exemplar, fol. 126. Johannem Knyvet militem, Richardum Treton, Johannem Harleſton clericos, ac Johannem Breton laicum inſtituit haeredes. Ex his haeredibus, ſeu ut jam vocant executoribus, Richardus Treton, qui tum temporis praefectorum collegii Corporis Chriſti Cantebrigiae ordine ſecundus fuit, ex antedicti teſtatoris bonis tam laicis quam clericis multa variis in locis cum cohaeredum ſuorum conſenſu donavit; de quibus in archivis jam diſſoluti monaſterii ſancti Albani aliqua mentio fit: Nam & illi monaſterio pro operibus quibuſdam in eo perfectis, ſepties viginti marcas, teſte Albanenſi hiſtoria, conceſſit: Collegioque ſuo Corporis Chriſti praedicto centum marcas donari procuravit. Ac omnes quidem illi co-executores cum animadvertiſſent, qua animi charitate & benevolentia teſtator in academicos affectus eſſet, toti Univerſitati & ſingulis collegiis tam extructis quam inceptis, unicuique quadraginta marcas largiti ſunt; de quibus ex Univerſitatis monumentis ſeu tabulariis, certius conſtare poteſt. Ac non diu poſt hunc Robertum Thorpe vita functum, obiit etiam Gulielmus Thorpe miles, circiter annum Domini 1398. ejuſque teſtamentum in archivis Tho. Arundel Cantuar. quondam Archiepiſcopi extat. Cujus executores exemplo ac memoria

Ex regiſtro W. Wittleſey fol. 126.

Hiſtoria Albanenſis.

Ex regiſtro ejuſdem coenobii fol. 219.

memoria Roberti Thorpe, ſuorumque haeredum in Academiam munificentia commoti ſunt incitatique; Et ad defunctorum memoriam conſervandam, & ad ſtudentium in Academia commodum, gratiſſimum ſe facturos exiſtimabant; ſi imperfectam illam ſcholam theologicam abſolverent atque ad eam, qua jam eſt, formam perducerent. Itaque convenerunt, ut duae annuae celebres mortuorum exequiae, unae pro Gulielmo Thorpe milite menſe Maii, alterae menſe Novembris pro domina Gratia ejus conjuge, in Academia celebrarentur; de qua conventione atque pacto Eudo de la Zouche Academiae cancellarius, adhibito regentium & non regentium conſenſu, inſtrumentum confecit publicum, quod & hodie extat. Ita ſchola theologica cum area tota, ſubſelliis inferioribus, & doctoris Cathedra, ſuperiori item contignatione, ac utriuſque pavimentis, & inter duo ſynedria, quae regentium ac non regentium domus dicuntur, ſeparatione, porticu quoque a ſolo & fundamentis extructa, & ſuper eam caverna & interiori receſſu, vitreis feneſtris, omnibuſque praeter orientales murales minas aliis, ut jam cernimus, tota per cohaeredes praedictos ad finem perducta eſt, anno 1400. De hoc autem Gulielmo Thorpe, quoniam ejus mentio facta jam eſt, dubitari poteſt an pater fuerit Edmundi Thorpe etiam militis; qui in manerio ſuo de Aſhwelthorpe juxta Wimundam prope Norwicum civitatem obiit, anno Domini 1417. & anno Henrici quinti quinto; ut ex archivis Henrici Chicheley conſtat fol. 314. Sed ſive filius, ſive haeres alterius iſte fuerit, conſanguineum ſaltem fuiſſe eſt veriſimillimum; cum in teſtamento ſuo Gallico duobus nepotibus ſuis Oſmundo & Johanni ex fratre ſuo Roberto Thorpe & Matilda priori ejus conjuge genitis, utrique centum marcas legaverit. Imitatus eſt etiam illius in teſtamento ſuo condendo pietatem; in quo archidiacono, qui tum fuit, Norvicenſi, rectori ejus parochiae, in qua manerium ſuum de Maſſingham ſitum erat, & oppidanis ſupradicti manerii de Aſhwelthorp annuas decem libras perpetuas, veſtimentaque & libros, quae in ſacelli ſui uſum paraverat, multiſque locis religioſis, ac Norvicenſis civitatis incolis, multa legavit: Terras autem & maneria multa, cujuſmodi in eo comitatu poſſidebat plurima, in duabus tabulis teſtamentariis Latine & Gallice conſcriptis, haerede maſculo deficiente, in quo familiae nomen retineretur, duabus filiabus ſuis, ſcilicet Johannae de Clifton & Iſabellae Tiltey, & iis, qui de corporibus earum ſint legitime procreandi, conceſſit.

VERUM ut ad propoſitum revertamur: Cum jam ſchola theologica & ſacellum eſſent abſoluta; ad ſcholam philoſophicam, ampliſſimamque bibliothecam extruendam operam admoverunt; quae in ſolo partim Academiae proprio, perquiſito de domino Gulielmo Hull priore ſancti Johannis de Jeruſalem in Anglia, partim Nigelli de Thornton in medicina doctoris, partim ex horto hoſpitii ſanctae Mariae, pro quo annuum redditum duorum ſolidorum collegio Corporis Chriſti poſtea perſolverunt, exaedificatae ſunt; ut ex inſtrumentis inter Academiam & collegium praedictum indentatis cernere licet. Ex quibus etiam colligi poteſt, quae fuerint philoſophicae ſcholae metae ſeu fines; ac illius horti ſolum, viam regiam communiter dictam "Scole lanes", orientem verſus contingere. Antea enim tam magiſtrorum quam caeterorum, qui in artibus verſabantur, publicae diſputationes atque ſophiſmata in ſchola quadam perexigua, quae quondam in horto collegii jam Gonvilli atque Caii ſita fuit, habebantur. Eam autem

tunc



Academiæ Cantebrigiensis Arma.
Altitudo XXXI. Ped.
AREA scholar. Cantebrigiensium } Long: -70 Lat: -47
A. Bibliotheca Academiæ.
B. Scholæ parvæ Academiæ.
C. Sacell. { Regentiũ / non regeñ } dom. } Long. 67. Lati. 28.
D. Schola { Theolog. / Hebraica } Long. 67. Latitudo. 28
E. Schola { Civilis. / Græca / Rhetorica } Long. 68. Lati. 24 Ped. 10 unc:
F. Schola. Logica. { Longitudo. 68. Lati. 24.
G. H. Schola { Theolog. Regis / Philosophica } Long. 67. Lati. 28.
Altitud. XVI. Ped. III. unc.
Fenestra Orientalis Scholæ. H.
Fenestra Orien. Scholæ. D.
Portæ lati. VII. ped. II unc.
Portæ longi: XI ped.

tunc ſcholam conductam tenuerunt, quam antea Johannes quidam de Goldcorn earum aedium inquilinus locavit. Sed cum illa nova ſchola philoſophica cum ſuperiore majore bibliotheca extructae fuiſſent; eorum, qui in artibus diſputare conſueverunt, coetus in eam ductus atque tranſlatus fuit. Poſtea decreto Laurentii Dunelmenſis Epiſcopi Academiae tum cancellarii, cum omnium in publico conventu conſenſu, anno Domini 1458 proviſum fuit tam de illis ſcholis perficiendis, quam Terentiana quondam ſchola, in qua jam juris civilis lectiones & diſputationes fiunt; necnon ut inferiores dialecticae ſcholae perficerentur. In quo decreto doctorem Gray, & doctorem Heywood, & doctorem Stoel oeconomos ſtatuerunt. Illa autem eorum, qui juri operam dabant, ſumptibus: Haec vero communi totius Academiae contributione perfecta eſt circa annum Domini 1474.

PRAETEREA Thomas Rotheram, qui primo Roffenſis, deinde Lincolnienſis Epiſcopus ad extremum Eboracenſis Archiepiſcopus, necnon Edwardi regis quarti & etiam Academiae cancellarius fuit, opera doctoris Stoel collegii ſancti Petri ſocii & Alani Sempre lictoris ſeu bedelli, quos ad id praefecit, minoris illius bibliothecae, quae nunc ſcholarum, nunc Eboracenſis Archiepiſcopi, bibliotheca communiter dicta eſt, extruendae author fuit; ſub qua etiam minores ſcholae, quae Parvae appellantur, collectis per Academiam viritim nummis aedificabantur ſub anno Domini 1470. In altera harum ſcholarum artium magiſtri ordinarie legere conſueverunt ab hora octava ad nonam matutinam; & quaeſtiones, quas ex lectionibus excerpſiſſent, in ſchola philoſophica proponere ac in utramque partem diſſerendo diſquirere. Ille vero jam locus procancellarii tribunal factus eſt. Portae autem ſcholarum a Thoma Rotheram antedicto, cum Epiſcopus eſſet Lincolnienſis fabricatae ſunt. In bibliotheca autem, tam Rotheramus cancellarius, quam Cuthbertus Tonſtallus nuper Dunelmenſis Epiſcopus permultos veteres Graecos ſcriptores, quos Roma atque tranſmarinis locis in Angliam traduxerunt, reponebant. Quo etiam tempore, ut ex chronicis communibus conſtat, Johannes Tybetoft, proximus ſucceſſor Humfredi ducis, comes Wigornienſis nonnullos ſe utrique Academiae daturum libros eſt pollicitus: Sed, cum anno 1470. menſe Novembri decreto parliamenti poſt reſtitutionem Henrici ſexti ob laeſam majeſtatem capite plecteretur; quod promiſiſſet, praeſtare non potuit: Et corpus ejus Londini apud fratres dictos praedicatores inhumatum eſt; ut ex quibuſdam chronicis & archivis Oxonienſibus conſtat. Alii etiam acceſſere deinde ſuperioribus benefactores: Humfredus dux Gloceſtriae 13 l. 6 s. 8 d. comes Oxonienſis, cujus ſacellanus Thomas Rotheram quondam fuerat, 10 l. commemorantur conceſſiſſe. His adjuncta eſt Henrici regis ſeptimi ſuaeque matris dominae Margaretae, & doctoris Barrowe rotulorum quondam cuſtodis & archidiaconi Colceſtriae, prius collegii Buckinghamiae, deinde aulae regalis ſocii, munificentia. Ac nuperrime Johannes Mear bedellus, tunc de Academia multis nominibus optime meritus, quinquaginta libras amplius ad plumbi, quo ſcholae conteguntur, refectionem dedit: Tum etiam aliorum benefactorum donationes acceſſerunt. Itaque ex hac illuſtrium virorum aliorumque largitorum diverſis temporibus liberalitate & beneficentia, tam ſcholarum quam templi ſtructura perfecta eſt. Interioris autem areae pavimenta ſumptibus Johannis

Seintwary nuper collegii Corporis Christi focii jacta funt; qui anno Domini 1503. templo aedificando cum aliis praeficiebatur; quod una cum magno interftitio inter chorum & templum divae Mariae, anno Domini 1521. perfectum eft. Et quidem ante Henrici tertii regis tempora neque extructa collegia, nec certi proventus annui ad alendos in hofpitiis fcholares conceffi fuerunt; etfi literarum quidam patroni & fcholares in Academiam grati aedes quafdam atque redditus emptos & acquifitos Academiae donaverint. Sed hoc tempore quaedam collegia initia fua acceperunt; quorum patroni incorporationis atque Manus Mortuae jura a regibus ad ea ftabilienda impetrarunt; cum antea tam qui artibus liberalibus, quam qui caeteris fcientiis ftuduerunt, fcholares in aulis & hofpitiis ab oppidanis conductis habitarent: Quorum redditus ne fupra modum excrefceret, ftatuto Academiae decretum fuit; ut quotannis aedium a fcholaribus conductarum aeftimando redditui cenfores crearentur: Hi Taxatores dicti funt; qui primo conjunctis fibi quotannis aliquot oppidanis eas aulas & hofpitia luftrabant, & conductionis aequum modum rationemque ftatuebant; donec paulatim emptione, ad ufus fcholarium in perpetuum acquifita & collegiis quibufdam annexa & affignata fuerunt. Sed ea quidem hofpitia, atque aulae, poftquam collegiorum numerus a variis, ut dicemus, patronis auctus effet, & fcholares ad ea aulis & hofpitiis defertis confluxiffent; quia nullus jam ufus nullaque neceffitas ea requirebat, cumque caduca & ruinofa effe coepiffent; partim collegiis quibufdam conceffa, partim oppidanis, caeterifque divendita & abalienata funt. Dum autem fteterunt, magna fcholarium multitudine frequentabantur; qui ante collegia condita fuis aut neceffariorum fumptibus, non e collegiorum vectigalibus, alebantur. At in his quidem divae Mariae, Bernardi, Thomae Auguftinique hofpitiis, quae ab his, qui liberalibus artibus operam dabant, incolebantur, duodecim, viginti, atque triginta Regentes, praeter Non-Regentium & aliorum fcholarium numerum plerumque extiterunt. Quae autem juris ftudiofis hofpitia deftinata fuerunt, ut diverforium Paulinum, Nicolai, Clementis & Hovini hofpitium, octoginta aut centum fcholaribus pene fingula complebantur. Plures etiam, quos hofpitia continere non poterant, conductis ab oppidanis domiciliis & coenaculis utebantur. Ea vero diverforia, aulae & hofpitia, quibus in locis Cantebrigienfis oppidi fita fuerunt, hic fummatim defcripfimus.



Hofpitiorum

Hospitiorum, Aularum, ac Diversoriorum veterum in Academia Cantebrigiensi situs ac mutatio.

Artistae.



AEC tria conjuncta & ab Henrico octavo rege in unum sanctae Trinitati dedicati collegii corpus deducta & translata sunt.

Aula Regia, Domus S. Michaelis: Hospitium de Phiswike.

Ex austro domum sancti Michaelis, ex aquilone aulam regiam respexit, & in platea molendinari situm, atque tanquam colonia Michaelis domus, fuit.

Hospitium S. Gregorii.

Adjunctum Michaelis domui, & e regione adversae portae aulae Gonvilli stabat.

Hospitium de Garret.

E regione templi sanctae Mariae, & anguli altioris plateae ad aquilonem & occidentem adversi situm, jurisque collegii Corporis Christi proprium fuit.

Hospitium S. Mariae.

Inter sancti Augustini & Plotti, ut dicitur, angiportus in Benedictina parochia ad collegium Regale, cujus juris fuit, positum est.

Hospitium S. Augustini.

In alta platea, & interiori jam parte collegii Corporis Christi stetit, pertinuitque ad collegium Reginale.

Hospitium S. Bernardi.

Situm est ex adversa parte aulae Pembrochianae, cujus possessionis fuit, versus austrum in platea Trompingtonensi.

Hospitium S. Thomae.

Inter coemeterium ecclesiae sancti Botulphi & sacellum aulae Pembrochianae collocatum fuit, via publica interjecta.

Hospitium S. Botulphi.

Juristae.

Adjunctum hospitio de Garret versus aulam Trinitatis fuit.

Hospitium Hovini.

Stetit e regione ultimae sive extremae partis fori, & ad collegium Reginae pertinuit.

Hospitium S. Pauli.

Situm in alta platea temploque Clementi dedicato ad austrum positum fuit.

Hospitium S. Clementis.

Quondam enim hospitium quoddam vetustissimum ad finem illius angiportus, qui Harleston nuncupatur, extructum est.

E regione coemeterii templi Trinitati dedicati positum fuit versus orientem, & ad aulam Trinitatis pertinuit.

Hospitium S. Trinitatis.

Ex orientali parte plateae praedicatorum situm fuit, & ad aquilonem fratrum praedicatorum coenobium respexit; pertinuit ad collegium Reginale.

Hospitium S. Nicolai.

In alta platea in sancti Michaelis parochia positum; sed nuper a Radulpho Bikkerdik oppidano Cantebrigiensi acquisitum est.

Hospitium de Burden.

Aliud item antiquitus hospitium ultra ecclesiam fratrum praedicatorum collocatum est: Quod una cum aliis quibusdam hospitiis & domibus in collegia translatis ipsa antiquitate atque oblivione jam obsoletum est.


De

De Ciſtis Academiae.

Sciendum autem eſt unam eſſe publicam Academiae ciſtam; in qua ſigillum commune, & vetera Academiae monumenta reconduntur: Haec tribus clavibus, una in procancellarii, altera in ſenioris procuratoris, tertia in junioris cuſtodia quotannis reſervatis, quoties opus fuerit, claudi atque reſerari ſolet. Interioris autem clauſi in domo Non-Regentium & ſcholarum omnium claves ſemper penes procancellarium eſſe debent. Sed & aliae a variis patronis fabricatae ciſtae; in quibus ſingulorum munificentia collecti nummi, quoties ad eorum indigentiam, qui mutuo ſibi credi petunt, cautionibus datis, expromuntur: Majori numero, ad quatuor jam redactae; alias ſeorſim declaratae peculiaribus legibus atque pecuniarum ſummis ſtatutae, & a novis quotannis cuſtodibus ſervatae ſunt. Harum prima ab ejus patronis Feum & Neal dicta eſt: Hujus ſumma 305 l. 19 s. 8 d. Secunda Richardo Billingforth & Thomae Bourchier nuncupata; cujus ſumma in 255 l. 10 s. 6 d. conſiſtit, a duobus patronis, Thoma Bourchier Archiepiſcopo quondam Cantuarienſi & magiſtro Richardo Billingforth collegii Corporis Chriſti quondam cuſtode erecta eſt; quorum ille vivus 100 l. donavit, moriens 20 l. in teſtamento legavit, ipſamque ciſtam condidit: Hic 100 l. dedit; reliqua ſumma aliorum beneficentia atque liberalitate acceſſit: Tertia Trinitatis ciſta dicitur; quam Gulielmus Bateman Norvicenſis quondam Epiſcopus & aulae Trinitatis fundator erexit; cujus ſumma eſt 79 l. 5 s. 6 d. Quarta & ultima Darlington & Exeter appellatur; continetque 159 l. 14 s. 2 d. De his autem ciſtis alibi latius dictum eſt.




Collegium S. Petri. 1284.



Aula de Clare. 1326.




Aula de Pembrok. 1343.



Collegiũ Corp. Christi. 1344.




Aula S. Trinitatis. 1346.




Sigillum Academiæ.



Colleg. Gon. et Caij 1347




Collegium Regale. 1441.



Collegium Reginale. 1446.




Aula S. Katharinæ. 1475.




Sigillum Cancellarij.



Collegium Jesu. 1496.




Collegium Christi. 1505.




Collegium Magdalenæ. 1519.



Collegiũ S. Trinitatis. 1546.



Collegium S. Johannis. 1510.



De Collegiorum Cantebrigienſium origine atque fundatoribus.

Domus Sancti Petri.



Iversoria atque hoſpitia, quibus antiquitus ſcholares uſi ſunt, erectis in eum, ut nunc cernimus, modum atque numerum collegiis, fuiſſe deſuetudine relicta atque deſerta diximus. Ex collegiis autem primum & antiquiſſimum fuit illud, quod Domus ſancti Petri nuncupatur; quod Hugo de Balſham quondam ſupprior, deinde Epiſcopus, Elienſis ex duobus veteribus hoſpitiis ad fratres de Poenitentia & Jeſu Chriſti in Trumpingtonenſi platea extra portas Cantebrigienſes ſpectantibus condidit. Hugo autem de Balſham decimus ordine Epiſcopus Elienſis Gulielmo de Kilkenny nono ejuſdem eccleſiae Epiſcopo hac occaſione ſucceſſit anno Domini 1256. Gulielmus a Bonifacio, patria Sabaudienſi, ſed Cantuarienſi Archiepiſcopo, extra regnum Beleſini conſecratus eſt; quod Cantuarienſis provinciae Epiſcopos, & conventum maxime Cantuarienſem irritavit; quia praeter jus & exemplum tum fuerit, ut Epiſcopus aliquis extra regnum, niſi ab Epiſcopo Romano, ſacrationem caperet. In qua altercatione atque offenſione Praelatorum Gulielmus haud ita diu, uno ſcilicet anno, quinque menſibus & duobus diebus tantum ſuperſtes fuit. Eo vero mortuo Hugo de Balſham ſupprior ab Elienſibus monachis electus eſt; quae electio cum a rege & Archiepiſcopo repudiaretur; Hugo Romam ad Alexandrum quartum papam provocavit, ab eoque muneribus ſacrationem impetravit. Poſtea reverſus in Angliam unus ex his Epiſcopis fuit; qui excommunicatione ſanxerunt, ne quis in Magnam Chartam & ſtatuta Foreſtarum committeret; ſeditque in eccleſia Elienſi annis octo ſupra viginti octo menſibus quatuor diebus; obiit anno Domini 1286 Dodingtoniae, anno Edwardi primi regis decimo quarto: Collegium autem divo Petro nuncupatum, quod quatuor ante annis inchoaverat, perfecit anno Domini 1284. annoque Edwardi primi duodecimo. In cujus prima inſtitutione magiſtrum ſeu praepoſitum cum quatuordecim ſociis & duobus bibliorum lectoribus ordinavit; quem numerum ratione cenſus annualis collegii, & caritatis victualium, augeri vel minui voluit. Hunc Simon de Monte Acuto ordine decimus ſeptimus Elienſis Epiſcopus ſequutus vetera ab Hugone collegio data jura abrogavit, atque nova condidit, anno 1338. Inſuper liberalis patronus rectorias de Hynton, Triplow & Chewel, aliaque collegio praedia donavit; quibus deinceps ab aliis ſequutis patronis alia adjecta ſunt. In hoc Petri collegio inpraeſentiarum ex collegii vectigalibus ſuſtentantur magiſter, duodecim ſocii, quinque lectores bibliorum, octo indigentiores ſcholares, praeter inferiores collegii miniſtros atque famulos numero ſex. Reliquos ſtudioſorum in eo collegio numerus, qui propriis aut neceſſariorum ſumptibus aluntur, eſt ſexaginta trium; qui cum his, qui a collegio ſalariati ſunt, conjunctus efficit nonaginta quinque.

Ex Cat. Epiſc. Elien.

Ex Statutis.

Gervaſius in Mappa Mundi.

Catalogus Epiſcoporum & ex diplom. regio.

Magistri Collegii S. Petri.

1290 Gerard. de Hoo.	1381 Th. Wormenhale	1473 Jo. Warkeworth.
1330 Rob. de Winwick	1381 Joh. Newton.	1500 Tho. Denham.
1338 R. de Mildenhale.	1397 Gul. Cavendiſh.	Hen. Horneby.
1339 Rog. de la Goter.	1397 Jo. de Bottleſham	1517 Gul. Burgoyne.
1349 Rad. Holbeche.	1400 T. de Caſtr. Bern.	1522 Joh. Edmonds.
1349 Gul. Wittleſey.	1425 Joh. Holbroke.	1544 Rad. Ainſworth.
1351 Ri. de Wiſebeche.	1453 Tho. Lane.	1553 Andr. Perne.

AULA DE CLARE.



HAEC aula Univerſitatis aula primo dicta eſt, a Richardo Badew ſcholarium atque ſtudentium ibidem cancellario conſtructa, anno 1326. regnique Edwardi ſecundi regis decimo nono; quam paulo poſt Gualterus Thaxted primus ejus magiſter magnitudine auxit; deinde in ejus fundationem, conſentiente etiam Richardo Badew, dominae Elizabethae de Burgo, Gilberti Clare comitis Claudioceſtriae filiae, quae poſtea haeres & comitiſſa Clare fuit, ultro ceſſit. Illa itaque hanc aulam a Richardo Badew & Gualtero Thaxſted ſibi traditam perficiendam ſuſcepit, illique nomen aulae de Clare dedit; poſteaque ope atque licentia Edwardi regis tertii eam plene abſolvit. Sed diu poſt Richardus Claudioceſtriae dux Edwardi quarti regis frater, qui regnum tyrannide triennio occupavit, illius aulae primo fundatae & extructae jus ac titulum, tanquam a majoribus ſuis acceptum ſibique haereditarium, tempore Willielmi Wilfleti quondam decani de Stoke, noni ejuſdem magiſtri vendicavit: Magno ſane collegii bono; quia ſociorum atque ſcholarium numerum auxit, ſtatuitque ut magiſter, duodecim ſocii, quatuor diſcipuli, & ſex indigentiores ſcholares ex collegii proventibus alerentur. Sed aliorum deinceps liberalitate, ac nuperrime acquiſitione viri de literis bene meriti Edwardi Leedes legum doctoris, magiſter, duodecim ſocii & quadraginta ſcholares jam in literis ibi ſuſtentantur.

MAGISTRI AULAE DE CLARE.

1338 Gual. Thaxted.
Ra. Kerdington.
1384 Joh. Dunwiche.
Joh. Chatereſſe.
1412 Gul. Radewinter.
Gul. Wymble.
Guliel. Gull.
1443 Gul. Millington.
Guliel. Wilflete.
Tho. Stoile.
1489 Rich. Stubbs.
1496 Gabr. Silveſter.
1506 Gul. Wodrofe.
1514 Edm. Natureſſe.
1530 Johan. Crayford.
1539 Row. Swynborn.
1549 Johan. Madew.
1557 Tho. Bayley.
155$\frac{8}{9}$ Edw. Leedes.
1571 Tho. Bynge.



Aula Pembrochiana.

Domina Maria de Valentia, filia domini Guidonis comitis de Sancto Paulo in Gallia, uxor domini Adomari de Valentia comitis de Pembroke, a rege Edwardo tertio consanguineo suo impetravit, ut Cantebrigiae collegium fundare sibi liceret: Quod cum extruxisset; aulam Mariae de Valentia in Eliensi dioecesi appellavit, anno Domini 1343. regnique Edwardi tertii decimo septimo. Solum autem, in quo hanc aulam aedificavit, cum duobus tribusve vicinis tenementis antea acquisivit; etsi dies in suae concessionis instrumento appositus sit decimus Decembris anno 1347. Haec nobilis fundatrix Maria obiit postea decimo septimo Aprilis anno Domini 1377. Foemina fuit exempli singularis; nam adhuc vivens ad honorem Dei, & ad decorem domus ejus, ita in necessitatibus pauperum expendit bona sua; ut ipsis ducibus exemplar bonorum operum praemonstret: Moriens vero omnem substantiam suam vel servientibus qui ei famulati sunt, vel diversis Ecclesiis sive pauperibus erogavit: Quae dedit ecclesiae sancti Albani imaginem argenteam deauratam, ut tunc putabatur, opus pietate plenum, &c. Eadem virginum monasterium, quod quatuor milliaribus Cantebrigia aberat, ac Denneiae coenobium dicebatur, condidit; in eoque mortua inhumari voluit. Tumba ejus ex Lydio lapide, qui **Black Touche** vulgo dicitur, inter duos choros sanctimonialium scilicet & alterum chorum saecularium media atque interjecta, egregie constructa est. Dum viveret, ut hi Pembrochiani socii sorores suas in illo coenobio degentes suis consiliis visitarent, statuto cavit. Custos autem & scholares ejus aulae a Clemente sexto papa, qui illius collegii jura confirmavit, sub bulla impetrarunt; ut ecclesias parochiales tres vel quatuor sibi ab aliquo Angliae Episcopo aduniri procurare posse liceret. Ac primum a Radulpho Londinensi Episcopo ecclesiam de Saxthorp Norvicensis dioecesis appropriari obtinuerunt anno Domini 1352. Postea vero idem custos & socii precibus obtinuerunt in anno 1360. ab Innocentio sexto papa, ut Michael Londinensis Episcopus rectoriam de Tylneye virtute prioris a Clemente papa concessae bullae suis usibus imperpetuum annecti & adjungi confirmaret. Hanc rectoriam, quae in Norvicensi dioecesi sita est, Laurentius Booth Eboracensis Archiepiscopus, ut custodis & sociorum modica augeret stipendia, concessit. Maria autem de Valentia de sociorum atque scholarium numero sic statuit; ut custos unus sit & socii majores viginti quatuor & socii, quos vocant minores, sex; quamvis custodis sociorumque majorum arbitrio eam rem ex annuo collegii censu moderandam permisit. Nuper vero ad scholarium numerum augendum Thomas Wattes sacrae theologiae professor praedia viginti libris annuis aestimata huic aulae donavit.

Ex Arch.

In historia majori.

In Historia continuat. Ranulphi Cestren. in anno 1377.

Ex diplomate pontificio.

Magistri Aulae Pembrochianae.

1343 Tho. Bingham.	1450 Laurent. Booth.	1537 Geor. Folbery.
1373 Rob. Thorpe.	1480 Tho. Rotheram.	1540 Nic. Ridley.
1389 Rich. Morrice.	1488 Geo. Fitz-Hugh.	1553 Johan. Young.
1400 Joh. Tinmew.	1505 Rog. Leyborne.	1559 Edm. Grindall.
1411 Joh. Sudbury.	1507 Richardus Fox.	1562 Matth. Hutton.
1428 Joh. Langton.	1518 Rob. Shirton.	1567 Joh. Whitgifte.
1448 Hug. Damlette.	1534 Rob. Swynborn.	1567 Johan. Yonge.



Collegium Corporis Christi.



HOC collegium anno Domini 1342. regnique Edwardi tertii decimo ſexto a ſenioribus atque fratribus Gildae ſeu ſocietatis Corporis Chriſti, poſtquam ea de re diu deliberaſſent, in eo quo nunc ſitum eſt ſolo, angiportui quod Luthborn nuncupant adjacente inchoatum eſt: ſolum autem ipſum in tenementa diverſa atque hortos diviſum varios tunc dominos habuit; ejuſque partem Dominici fratres, partem Academia, partem albi canonici obtinuerunt. Collegium vero cum ſuis aedificiis eo citius abſolutum eſt, quod alterius Gildae ſive ſocietatis, nempe ſanctae Mariae, fratres operam etiam ſuam adjunxerunt anno Domini 1344. Itaque conſilium una ceperunt, ſtatutaque de ejus collegii regimine condiderunt; in quibus certus ſociorum ſcholariumve numerus ſtatutus non eſt, ſed relicta poſteris ex collegii facultatibus eum definire poteſtas. Ac Thomam de Eltyſleye clericum in legibus baccalaureum, Lamethae quondam rectorem, Johannis Stratford Cantuarienſis Archiepiſcopi ſacellanum, primum hujus incorporationis cuſtodem ſeu magiſtrum crearunt; qui a Thoma de L'iſle decimo octavo Elienſi Epiſcopo, primo ſuae conſecrationis anno; primorum ſtatutorum confirmationem impetravit. Hic Thomas de L'iſle Elienſis Epiſcopus ex nigrorum fratrum grege, a Clemente ſexto papa proviſionis ſuae uſurpatae praetextu, invito Edwardo tertio rege & re-
Tho. Walſ. pugnantibus monachis Elienſibus, qui Alanum ſuum priorem, quem rex approbaverat, a papa repulſum elegiſſent, aſſumptus eſt. Cujuſmodi etiam proviſionis ſpecie Johannem Crandene, qui Alanum praeceſſit, idem papa rejecit; quod cum rex atque proceres indigne tuliſſent, eorum juſtas offenſiones in ſe concitavit Thomas, qui electionis & regis jure ſpreto Epiſcopatum accepit a papa. Cujus vitae, quae tragoediae inſtar fuit, reliqua perſequi, quia in hac compendioſa narratione commode non poſſu-
Ex Cat. Epiſc. Elien. mus, lectorem, ſi volet, ad Elienſium Epiſcoporum catalogum relegamus. Ibi reperiet quanta animi aegritudine, cum multas moleſtias toleraſſet, Avinione in papali curia, poſtquam ſeptendecim pene annis ſediſſet, obiit. Sed, diu antequam deceſſit, collegii praedicti ſtatuta iterum confirmavit, anno ſuae conſecrationis octavo 1352. Quae etiam anno ſequenti iterum recognita & perfecta fuerunt. Atque hoc anno cuſtos atque ſocii Henricum Derbiae ac Lancaſtriae comitem ad obtinendam a rege Manus Mortuae facultatem patronum ſuum elegerunt: Qua impetrata multa praedia atque tenementa in oppido Cantebrigienſi in perpetuum collegio acquiſiverunt; adeo ut ex archivis conſtet eos dimidiam oppidi partem haereditario jure poſſediſſe; de tertia ſane parte aliqui non ambigendum eſſe teſtantur. Henricus autem Derbiae & Lancaſtriae comes eorum patronus, in feſto Pentecoſtes anno viceſimo quinto Edwardi tertii in parliamento Weſtmonaſterii celebrato, primus dux Lancaſtrenſis creatus eſt. Ac deinde ab his fratribus ejus ſocietatis ſenior, quem aldermannum Gildae ſuae vocabant,

cabant, electus eſt: Quo facto viceſimo primo die Martii in feſto ſancti Benedicti praedicta ſtatuta iterum recognovit atque confirmavit; non ducatus ſui Lancaſtrenſis proprio, ſed uſitato illius ſocietatis Senioris ſigillo, necnon cuſtodis ſive magiſtri, duorumque collegii ſociorum vel ſcholarium communita; quibus etiam tam illius gildae ſeu ſocietatis, quam Univerſitatis, atque Epiſcopi & capituli Elienſis appoſita ſigilla fuerunt. Quae quidem adhuc extant in eo collegio inſtrumenta; quanquam oppidani Cantebrigienſes quarto anno regni Richardi ſecundi ſeditioſo tumultu in collegium irruentes permulta ejus vetera ſcripta atque monumenta flammis deleverunt; quemadmodum in quadam ad ejus rei memoriam in Academiae libris ſcripta narratione patet. In prima hujus collegii inſtitutione magiſter cum duobus tantum ſociis, uno bibliorum lectore ſive promo, atque coco inſtituebantur: Poſtea vero ſociorum atque ſcholarium numerus crevit; primo Thomae Cantebrigienſis, qui in equeſtri ordine fuit, ejuſque patris Johannis Cantebrigienſis munificentia, qui domum ſuam, quam Lapideam Aulam ſive Stone halle appellavit, collegio conceſſit. Deinde aliorum patronorum liberalitate accedente ad octo ſociorum & trium lectorum numerum perventum eſt. Qui numerus, antequam rex inclytus Edwardus ſextus Cantebrigienſem Academiam viſitaſſet, auctus non eſt; tum vero ſex ſcholares ſuperioribus additi, multaque collegii aedificia mutata & ampliata ſunt. Ac nuper novorum patronorum beneficio ita adjuti ſunt; ut magiſter, duodecim ſocii, ac viginti ſeptem ſcholares cum illo trium lectorum numero, & ſex inferiores miniſtri, ibi ſtipendiis alantur. Studentes praeterea, qui ex ſuis ſumptibus vivunt, ſunt quinquaginta quatuor; & ſic utriuſque numerus conflat nonaginta tres.

MAGISTRI COLLEGII CORPORIS CHRISTI.

1352 Tho. Eltiſley, in Decret. Bac.
1376 Richardus Treton, Th. B.
1379 Johannes Kynne, A. M.
1389 Johannes Neketon, Th. D.
1400 Rich. Billingforth, Th. D.
1432 Johan. Titeſhall, Th. D.
1443 Johan. Botewright, Th. D.
1473 Gualt. Smith, Th. B.
1477 Sim. Grene, Th. B.
1487 Tho. Coſin, Th. D.
1515 Johan. Ediman, Th. B.
1516 Pet. Nobis, Th. D.
1523 Guliel. Sowde, Th. B.
1544 Matt. Parker, Th. D.
1553 Lauren. Maptyde, Th. D.
1557 Johannes Porye, Th. D.
1569 Thomas Aldriche, A. M.





Aula Trinitatis.



Oc collegium primo ſtudioſorum hoſpitium fuit; & a Johanne Crandene priore olim Elienſi acquiſitum; ut monachi Elienſes ibi ſtudiis in Academia vacarent, regnante tum Edwardo tertio, & Simone de Monte Acuto decimo ſeptimo Elienſi Epiſcopo. Poſtea Gulielmus Bateman Norvicenſis Epiſcopus idem hoſpitium ab Elienſibus monachis rectoriarum quarundam permutatione accepit; extruxitque in ejus ſolo collegium ſanctae Trinitati Norvicenſi dedicatum anno Domini 1347. regnique Edwardi tertii viceſimo primo: Idemque ciſtam, ut diximus, cum centum libris Academiae donavit. At vero, antequam erectae ſcholae fuiſſent, hae ciſtae in coenobio Alborum fratrum & in templo beatae Mariae majori collocabantur atque ſervabantur. Gulielmus autem Bateman

Ex diplomate pontificio.

Norvicenſis Epiſcopus a Clemente ſexto papa proviſionis titulo creatus eſt, poſt mortem Antonii Becke ſui praeceſſoris anno Domini 1344. anteaque, teſte Thoma Walſingham, "fuit auditor papalis palatii ſatis famoſus":

Tho. Walſ. Rob. Fabian.

Eodemque tempore Clemens papa pleroſque, ſimul ac vacaſſent, in Anglia Epiſcopatus providendo contulit: Quod cum rex aequo animo ferre non poterat, edidit in parliamento contra Provisiones ſtatutum. Sed Gulielmus Bateman Epiſcopatum papali authoritate ingreſſus, abbatiam ſancti Edmundi de Bury viſitare conatus eſt. Cui abbas & conventus acriter reſtiterunt, propoſueruntque gravamina novem, quibus ab ejus juriſdictione declinabant; immunitates quoque atque privilegia, quae a regibus Romaniſque pontificibus acceperunt, quibuſque a viſitationis externae authoritate tuti & ſecuri ſint, produxerunt; in quibus unum ab Hardecanuto conceſ-

Ex libris Johan. Anglici Hiſtoriae aureae, c. 49.

ſum extabat in hanc ſententiam: "Ut, ſi quis poſteriorum has libertates "infringere conaretur, ſubjaceret excommunicationi, &c. Et inſuper regio "fiſco triginta auri talenta perſolvat"; quae cum monachi regi nota feciſſent atque allegaſſent, is ſtatim decrevit, ne de caetero Epiſcopus contra decreta praedeceſſorum ſuorum regum Angliae monaſterium ſancti Edmundi inquietaret. Verum Epiſcopus authoritati ſuae praefidens atque papa fretus, cum a rege traditas ſibi a milite literas accepiſſet; commotus militem latorem literarum per totam Norvicenſem dioeceſim excommunicavit. Cujus rei indignitate accenſus rex eum ſuis temporalibus mulctavit, & condemnatus eſt Epiſcopus per juratos patriae, coram juſticiariis domi-

Joh. Angl.

ni regis apud Weſtmonaſterium in triginta talentis auri regi ſolvendis, virtute chartae regis Hardecanuti praedicti. Quae ſumma ſe extendit ad tria millia librarum; videlicet de quolibet talento centum libras. Hac afflictus Epiſcopus poena abbatem & monachos ſancti Edmundi tam domi quam foris coram papa multis modis vexare non deſtitit; donec ad inſtantiam regis &c, promiſiſſet in praeſentia procuratorum, notariorum & aliorum multorum; quod de caetero non exigeret ab abbate & conventu ſancti Edmundi aliquod ſubſidium, nec exhibitionem privilegiorum ſuorum, &c. Et ſic temporalia ſua recepit, & concordati ſunt Epiſcopus & abbas; more

tamen,

tamen, inquit author, ſophiſtico & verbali: Nam Epiſcopus occultò retento dolore ad papam profectus; quod iter ſuſcepturum ſe dixit ob negotia quaedam regia: Simulque familiarem quondam Romae ſuum Stephanum, jam papam Innocentium ſextum dictum, qui multos cardinales creavit, inviſere ſe velle ſimulavit. Quae tamen aſtutia a caeteris non percepta monachos, qui ſui affligendi atque perſequendi cauſa profectum eum olfecerunt, non latebat. Cum autem ille magna pompa intraſſet coram ſummo pontifice, a cardinalibus gratanter receptus eſt; ſperans omnia ſibi ad vota ſuccedere, infra paucos dies adventus ſui ad curiam, morte ſubita praeoccupatus obiit Avinione in feſto Epiphaniae anno 1354. *Ex Regiſt. Sim. Iſlippe, fol. 333. Arch. Cant.* Et tamen, antequam ad papam proficiſceretur, eccleſiam ſuam cathedralem Norvicenſem magna cum laude viſitavit: Injunctioneſque viginti octo, quae quidem adhuc extant, promulgavit. Collegio autem Cantebrigiae ſuo rectorias has aduniri ad magiſtri, ſociorum & ſcholarium ſuſtentationem, & Archiepiſcopi Cantuarienſis Simonis Iſlippe ſigillo in perpetuum confirmari, procuravit: *Ex regiſtro Iſlippe, f. 78.* Videlicet Briſton, Kimberley, Berningham, Wooddalling, Couling & Stalling in Norvicenſi dioeceſi. Ipſe autem, cum profeſſor juris eſſet, collegium ſuum juris ſtudioſis conſecravit. Cumque magiſtrum, viginti ſocios & tres ſcholares primo inſtituiſſet; morte immatura abductus magiſtrum cum tribus tantum ſociis tribuſque ſcholaribus reliquit: Quorum numerus caeterorum deinceps patronorum beneficio ita auctus eſt; ut hodie magiſter, decem ſocii, totidem ſcholares, quinque inferiores miniſtri ad victum quotidianum ſtipendia capiant: Cujus etiam aedificia elegantiora atque latiora Henricus Harvey, legum doctor, magiſter ibidem ſuis nuper ſumptibus effecit.

MAGISTRI AULAE TRINITATIS.

1350 Rob. de Stratton.	1457 Sim. Thornton.	1520 Rob. Larke.
1355 Ad. Wykemore.	1471 Guliel. Dalling.	1525 Steph. Gardiner.
1384 Rob. Braunch.	1502 Edw. Shouldam.	1549 Gualt. Haddon.
1413 Hen. Wells.	1505 Johan. Wright.	1552 Gul. Mowſe.
1429 Marm. Lumley.	1512 Gualt. Huke.	1560 Henr. Harvey.
1443 Sim. Dalling.		



COLLEGIUM

Collegium Gonevilli atque Caii.



EDMUNDUS de Gonvill, quondam rector Terringtonenſis parochiae in Norfolcia, duo tenementa inter angiportum de Ludburn & coemiterium Botulphi Cantebrigiae ſita ad alendos in ſtudiis ſcholares comparavit: Quorum unum Academiae, appellatum "longus introitus", alterum prioratus hoſpitalis ſancti Johannis fuit, viceſimo octavo Januarii anno 1347 regnique Edwardi tertii viceſimo primo. Idemque a rege licentiam impetravit, ut collegium condere & viginti ſcolares in eo ad literarum ſtudia exhibere in perpetuum poſſit. Quod anno ſequenti, qui fuit 1348. feria ſcilicet Pentecoſtes, ut ex ſtatutis ejus liquet, inchoavit, atque aulam Gonevill appellavit. Tum ſtatutis editis, quae ſuo atque cancellarii ſigillo confirmavit, Johannem Colton, Terringtonenſis eccleſiae in Norfolcia rectorem, ejus aulae primum magiſtrum ordinavit; ac vita illico decedens cum illa, quae inſtituiſſet, peragere non potuit, commiſit ea Willielmi Bateman Epiſcopi Norvicenſis, qui Trinitatis aulam extruxit, fidei; cui grandem ad id pecuniam reliquit. Epiſcopus autem Norvicenſis, ut hanc aulam ſuae vicinam collocaret ac ab eo angiportu deduceret, cum magiſtro ſociiſque collegii Corporis Chriſti egit; & cum conſenſu ſeniorum atque fratrum utriuſque ſocietatis ſeu gildae, quae, ut diximus, in eo collegio anno Domini 1344. unitae ſunt, domum ſeu aulam ſuam Lapideam, in cujus ſolo Gonevilli atque Caii collegium nunc ſitum eſt, de qua in collegii Corporis Chriſti erectione antea diximus, pro Gonevilli aula ſibi proxima, quod nunc adverſum eſt ejus collegii praedium, permutarent. Qua permutatione facta magiſter ac ſcholares in aula, quam Gonevillus paravit, poſiti, ad alteram a Norvicenſi Epiſcopo permutationem requiſitam, tranſlato ſecum atque deducto primi fundatoris nomine commigrarunt anno Domini 1353. Etſi Norvicenſis Epiſcopus, cum eam aulam ad locum, quem Henney vocant, ubi nunc poſita eſt, tranſtuliſſet, aulam Annunciationis beatae Mariae appellavit; & illius permutationis conditio una fuit, ut jus patronatus rectoriae ſancti Botulphi Cantebrigiae a domina Maria Pembrochiae comitiſſa emptione collegio Corporis Chriſti acquirerent. Qua conditione mortuo deinde Norvicenſi Epiſcopo non impleta, magna in jure controverſia inter eos ac magiſtrum ſocioſque Corporis Chriſti diu agitata eſt; tandemque ſic compoſita, ut aula Gonvilli quadraginta marcas collegio Corporis Chriſti ſolveret. Ita cum, primo patrono mortuo, in ea penuria fuiſſet ea aula, ut ad magiſtrum & tres ſocios ſuſtinendos vix ſatis competens ſuppeditaretur redditus; magiſtro & duobus ſociis de ſuo praeter aulae ſtipendia largitus eſt; ipſeque, cum in vivis eſſet, duas exiguas appropriatas eccleſias acquiſivit; quas poſtea magiſter & ſocii collegii praedicti a Bonifacio nono papa confirmari impetrarunt anno 1390. Sed prius jus patronatus per magiſtrum

ſtrum ſive cuſtodem & ſocios acquiſitum fuit. Deinceps vero Juliano Hoſtienſi Epiſcopo intercedente, ab Alexandro ſexto papa quaſdam duras ſtatutorum clauſulas ab Epiſcopo Norvicenſi interpoſitas benigniori interpretatione remitti atque moderari impetrarunt anno 1501. Ex diplom. pontific. Quod etiam diſpenſatione Sixti quarti anno 1481. ante conceſſum eſt. Et quanquam a Benedicto undecimo papa ſancitum eſt, ut omnes Benedictini monachi in uno dictae Academiae collegio ſive aula in ſtudiis ſimul verſarentur, anno 1300; tamen Norvicenſibus ejus ordinis monachis indultum eſt, ut in hac aula, quam Willielmus Bateman Epiſcopus Annunciationi beatae Mariae dedicavit, ſtudere poſſint. Cum autem ejus aulae proventus ſeptuaginta marcas non exceſſerat anno 1393; Ex Archivis. ideoque a Bonifacio nono ratione eorum, quorum permultos in artibus, theologia, medicina ac utroque jure in ea tum aula ſtuduiſſe dixerunt, petiiſſent; ut ſua facultate atque venia liceat eis unam terrae acram, ad quam jus patronatus rectoriae de Matſall Magna pertinuit, emere, eamque terrae acram cum jure patronatus, cujus tum Epiſcopus Elienſis in capitis tenura dominus fuit, poſſidere & ad ſociorum ſcholariumque ſuorum ſuſtentationem impropriare atque transferre; ea lege, ut rectoria praedicta quadraginta marcas annui cenſus Ex diplom. pontific. non excederet, & vicario in eadem rectoria perpetuo triginta annuas marcas concederent; Bonifacius Richardo Lichfeldenſi atque Coventrenſi tum Epiſcopo in ſcriptis mandavit; ut eorum petitione perpenſa, ſi ratione niteretur, petitam rectoriam aulae confirmaret: Id quod ex papae mandato perfecit; ut ex ejus literis ſigillo corroboratis apparet. Nunc vero ab aliis patronis multum adjuti atque aucti ſunt; ſumma praeſertim magiſtri Johannis Caii in medicina doctoris ope atque liberalitate: Qui & aedificiis multo latioribus extructis eam ornavit, & pluribus maneriis praediiſque acquiſitis ita dilatavit; ut nova fundatio cenſeatur collegiumque Gonevilli atque Caii nuncupetur. Ejus acceſſione tres ſocii & viginti ſcholares prioribus, qui decem ſocii totidemque ſcholares fuerunt, adjuncti ſunt; praeter quos atque quinque inferiores miniſtros triginta quatuor ſunt ſtudentes. Ita ſtudentium numerus eſt octoginta novem. Sciendum eſt autem, quod cum Gulielmus Bateman Norvicenſis Epiſcopus magnum tenementum in longe aliam formam commutaſſet, atque aulam nomine Gonevilli primi fundatoris pene abſolviſſet; Gulielmus quidam Phyſwike unus lictorum ſive bedellorum Academiae ſuas, in quibus tunc habitavit, aedes aulae de Gonville dedit per chartam: Quas poſtea magiſter & ſocii, qui tunc fuerunt, in ſcholarium hoſpitium tranſtulerunt; ſtatimque anno Domini 1393 hoſpitium Phyſwike nuncupabatur; ſtatutumque erat, ut ex collegio quotannis unus principalis deſignaretur, & ex hoſpitio alter; qui ſcholaribus ibi ſtudentibus & praeeſſent & praelegerent: Et quia numerus ſtudentium copioſior erat, quam ut in aula praedicta recipi commode poſſent, hoſpitium praedictum adjunxerunt. Ex ejuſque hoſpitii redditu, qui trium fuit quotannis librarum, exequias atque funerum ex more pontificio ſacra praedicto Gulielmo ſuiſque neceſſariis in feſto ſanctorum Fabiani atque Sebaſtiani, a praedictis magiſtro atque ſociis quotannis, aliqua diſtributione decreta, celebrari peragique voluerunt. Hujus autem Phyſwike hoſpitii aedificia ſacerdos quidam, qui tum rectoriam de Tichewell poſſedit, ſuis ſumptibus fecit latiora: Idemque in ſua parochia in his praediis, quae dictae aulae pro-

pria fuerunt, varia coenacula conſtruxit; in quae tam ex aula quam ex hoſpitio recipere ſe ſocii ſcholareſque poſſint, ſi peſtis aut alicujus morbi gravioris contagio in Academia vigeret. Petierunt inſuper magiſter atque ſocii ab Alexandro papa; ut ejus hoſpitii ſcholares in ſuo ſacello ad ſacrorum celebrationem & ſacramentorum perceptionem ſuoſque mortuos ſepeliendos, conducto aliquo ſaeculari vel regulari clerico, accedere papali licentia poſſint.


Ex diplomate pontificio.

MAGISTRI COLLEGII DE GONEVILL. 10

1348 Johannes Colton.
Gulielmus Rougham.
Richardus Pulham.
1412 Johannes Somerſham.
1423 Johannes Rykinghale.
1426 Thomas Attwood.
1467 Thomas Boleyne.
1472 Edmundus Sherife.
1475 Henricus Cotteſly.
1483 Johannes Barlye.
1503 Edmundus Stubbes.
1514 Gulielm. Buckenham.
1536 Johannes Skippe.
1540 Johannes Sturmin.
1552 Thomas Bacon.
1559 Johannes Caius.



Collegium Regis.

ENRICUS ſextus hoc collegium anno Domini 1441 ſuique regni viceſimo erexit, illudque collegium ſancti Nicolai Cantebrigiae appellavit; ſed praeſide ſeu gubernatore ac duodecim tantum ſociis ſeu ſcholaribus implevit. Biennio vero poſt ejus nomen immutavit, & Regale ſanctae Mariae ſanctique Nicolai collegium deinceps appellari voluit: Tum praepoſitum, ſeptuaginta ſocios ſeu ſcholares, decem preſbyteros, ſex clericos, ſexdecim choriſtas in eo ordinavit. Ex quibus preſbyteros, clericos atque choriſtas rem divinam in choro aſſidue celebrare voluit; eorumque ſic choro deſervientium numerum quacunque inopia contigente permanere, nec quocunque modo imminui, juſſit. Sed Edwardus quartus poſtea rex, qui Henricum regno movit, eaque quae is inſtituerat diſſolvere atque labefactare ſtuduit, ab hoc magnifico regalique collegio omnia, quibus illud Henricus donaverat, praedia juraque detraxit. Poſtea tamen redditus quingentarum marcarum annuarum reſtituit; ſocioſque ac ſcholares compulit, ut ſe fundatorem agnoſcerent, omniaque ſcripta & inſtrumenta ſuo nomine firmarent atque ederent. Huic deinde regi Henricus ſeptimus ſucceſſit; qui egregium illud ſacellum ab Henrico ſexto inchoatum omnibus rebus praeterquam vitro, ſtallis, in choro, & interſtitio, quod **The Roode lofte** nuncupant, marmoreiſque pavimentis pene abſolvit; quae Henrici octavi regis ſumptibus perfecta ſunt. Sed, ut plerique autumant, feneſtrae vitreae ex FINE quodam per breve DE PRAEMUNIRE deperdito per Richardum Nix Norvicenſem Epiſcopum erectae ſunt. Antequam vero hoc ſacellum extructum eſt; ſocii, ſcholares, atque chorus in aliud ſacellum collegio adjunctum ad ſacra celebranda quotidie convenere: Quod poſtea vetuſtate ruinaque abſumptum eſt. Cum Henricus octavus rex hos ſumptus in ſacello feciſſet; literis ad ſocios ſcriptis impetravit, ut Edwardum Fox ſacrae theologiae profeſſorem, eleemoſynarium ſuum, eligerent: Quem poſtea ad externas Italiae Germaniaeque Academias, ad exquirendas earum de cauſa ſua cum domina Katharina matrimoniali ſententias, oratorem miſit, reverſumque Herefordenſem creavit Epiſcopum.

Ex Archivis Regis.

Magistri Collegii Regalis.

1443 Gul. Millington.	1501 Joh. Argentine.	1548 Johan. Cheke.
1446 Joh. Chedworth.	1507 Rich. Hutton.	1553 Rich. Atkinſon.
1452 Rob. Woodlarke	1509 R. Aycomplaynt	1556 Rob. Braſſey.
1479 Gualt. Field	1528 Edwardus Foxe.	1558 Phil. Baker.
1499 Joh. Daggett.	1538 Georgius Day.	1569 Rogerus Goade.

Collegium Reginae.



A Margareta Henrici ſexti regis conjuge, quae a Johanne Stafford Archiepiſcopo Cantuarienſi regina coronata eſt, originem appellationemque accepit viceſimo primo Auguſti anno Domini 1446. regnique Henrici ſexti viceſimo quinto: Eademque Manus Mortuae veniam ut annuus centum librarum cenſus eidem collegio acquiri poſſit, impetravit anno 1448. Deinde Andreas Ducket hoſpitii ſancti Bernardi principalis, atque rector eccleſiae parochialis ſancti Botulphi in Cantebrigia, ſua aliorumque ope & pecuniis a majore & municipibus Cantebrigienſibus, necnon a Johanne Moris armigero, qui Trumpingtoniae tunc habitavit, ab aliiſque nonnullis emit quaedam tenementa; in quibus aream collegii nunc extructam, inter publicum fluvium & altam plateam, quae Trumpingtonenſis dicitur, ad orientem ſolem collocavit. Deinde alium in ſua parochia fundum, quem "anſerum viridarium" appellabant, ex quo pomarium poſtea confectum eſt, ab eodem majore & municipibus acquiſivit: Quae ſingula empta praedia atque tenementa Henrico regi ſexto donavit. Is ea rurſus eidem ad collegium extruendum reddidit. Itaque hic Andreas Ducket primus collegii reginalis magiſter quatuor tunc ſolis adjunctis ſibi ſociis fuit: Vivuſque dicta praedia atque tenementa, aliaque permulta, ipſumque Bernardi hoſpitium ad collegium tranſtulit, & interceſſionibus crebris, Henrico ſexto & Edwardo quarto regibus, ab his proceribus, duce Clarentiae, domina Cecilia duciſſa Eboraci, duce Gloceſtriae Annaque duciſſa, Edwardo Sariſburiae comite, Matilda comitiſſa Oxfordiae, aliiſque ad ejus collegii uſum varia dona impetravit; morienſque eidem permulta legavit. Sed, cum amoto Henrico ſexto & Edwardo quarto regnum gerente, hujus collegii opus a domina Margareta Henrici ſexti conjuge incoeptum intermitteretur; domina Elizabetha Edwardi quarti conjunx, pietate & operis dignitate mota illud abſolvit anno Domini 1465. regni Edwardi quarti quinto, viceſimo quinto Martii. Ac decennio poſt, qui fuit annus Domini 1475 nova ſtatuta condidit; in quibus Andream Ducket iterum ejus collegii magiſtrum inſtituit. Illud nomini ſanctae Trinitatis, ſanctae Margaretae, & ſancti Bernardi dedicavit; juſſitque, ut in perpetuum Collegium Reginae nuncuparetur.

Magistri Collegii Reginalis.

1448 Andr. Ducket.	1524 Tho. Forman.	1555 Tho. Peacocke.
1484 Th. Wilkinſon.	1526 Gul. Franckling.	1559 Gu. May reſtitut.
1505 Johannes Fyſher.	1528 Simon Heynes.	1560 Johan. Stokys.
1507 Ro. Beckinſhawe	1537 Gulielm. Maye.	1568 Gul. Chaderton.
1510 Johan. Jennings.	1553 Gulielm. Glyn.	

Aula S. Catharinae.



10 Magister Robertus Woodlarke sacrae Theologiae professor, Regalis collegii praepositus & Academiae Cantebrigiensis cancellarius, ut ex Henrici sexti regis charta duodecimo Aprilis anno regni sui tricesimo septimo liquet, hanc aulam in platea Molendinari condidit; eique duo tenementa adjecit, quae ab Edwardo Carleolensi Episcopo collegii sancti Michaelis tum praefecto comparavit. Haec aula ab Edwardo quarto rege anno Domini 1475. regnique sui decimo quinto, decimo sexto die mensis Augusti charta publica confirmata est. Quam cum Robertus Woodlarke suis tantum, non aliunde petitis aut imploratis opibus, absolvisset; eam magistro tribusque sociis instruxit, aulamque sanctae Catharinae virginis appellavit. Cujus mediam imaginem in alabastro insculptam ac vitro inclusam pro porta posuit.

Magistri Aulae S. Catharinae.

1480 Rich. Roche.
Joh. Tapton.
1503 Joh. Wardall.
1507 Rich. Balderston.
Tho. Green.
1543 Regin. Baynbryg.
1549 Edwyn Sandys.
Edm. Cosin.
Joh. Maye.





Collegium Jesu.



Ohannes Alcock Epiſcoporum Elienſium ordine viceſimus octavus Alexandro ſexto papae retulit abbatiſſam ſanctimonialium Radegondae ordinis ſancti Benedicti haud pie caſteque vixiſſe; eaque decedente abbatiam ad ruinam paratam, & a virginibus ordinem deſerentibus deſolatam fuiſſe, anno Domini 1496. Itaque papalis conceſſionis, quam impetravit, authoritate eam in ſacellanorum atque ſcholarium ibidem in literis, beneficiis per ſe impropriandis, alendorum uſum & collegium convertit atque tranſtulit: Poſteaque Julius ſecundus papa, inſtante Henrico rege ſeptimo, eam ſuppreſſionem & commutationem nova ratihabitione confirmavit anno Domini 1506. quia diu ante Innocentius ſecundus papa quarto ſui pontificatus anno rectoriam ſancti Clementis Cantebrigiae huic Radegondae coenobio impropriatam conceſſit anno Domini 1133. regni vero Henrici primi regis triceſimo tertio Nigellique Epiſcoporum Elienſium ſecundi primo. Poſteaque Lucius tertius papa anno Domini 1183. ſuique pontificatus ſecundo, illius abbatiae prioriſſam atque moniales cum omnibus ſuis terris, praediis, & poſſeſſionibus in ſuum patrocinium ſuſcepit. Sed cum collegium inſtitutum fuiſſet; Johannes Alcock Elienſis Epiſcopus id ex magiſtro, ſex ſociis atque ſex pueris conſtare ordinavit. Deinde ejus collegii facultates auctae ſunt primo liberalitate Roberti Reade militis, qui communem Cereviſiariam domum ponti Cantebrigienſi vicinam ei donavit; morienſque doctoris Capon, & magiſtri Bland executorum ſuorum fidei commiſit; & cum doctore Gardinero ordinavit de publicorum Academiae in philoſophia, dialectica, & Publio Terentio praelectorum ſtipendiis; ut eorum ſingulis quatuor librae annuae perſolvantur: Deinde domino Eccleſton ludimagiſtro grammatices ſalarium conſtituit: Poſtremo a doctore Royſton ſacrae theologiae profeſſore, & Roberto Fuller legum doctore multi ſocii ſcholareſque additi ſunt.

Ex diplomate pontificio.

Magistri Collegii Jesu.

1497 Gul. Chubbes.
1506 Jo. Eccleſton.
1515 Tho. Alcock.
1516 Gulielm. Capon.
1546 Joh. Royſton.
1551 Edw. Pierrepoint.
1553 Jo. Fuller.
1559 Tho. Redman.
1560 Tho. Gaſcoign.
1562 Joh. Lakin.
1563 Tho. Ithell.

Collegium Christi.



HENRICUS ſextus rex hoc collegium, quod prius hoſpitium fuit & Domus Dei vocabatur, ad juvenes in Grammatica aliiſque liberalibus ſcientiis inſtituendos fundavit: Illudque uno gubernatore, quem procuratorem appellavit, quatuorque ſcholaribus ſive ſociis inſtruxit; quibus etiam publicis ſuis literis ſtatuta ſua condendi ſuumque numerum ad ſexaginta augendi poteſtatem conceſſit. Sed cum, Henrico ſexto dejecto regnoque ab Edwardo quarto ſuſcepto, multa, quae is inſtituiſſet, perturbata & labefactata eſſent, hoc etiam pium inſtitutum ceſſavit; donec Henricus ſeptimus regnum, interfecto tyranno, capeſſens animadvertiſſet, quam infeliciter jacuiſſent ea, quae Henricus ſextus ſumma pietate incoepiſſet. Itaque hoc collegium integerrimae matronae Margaretae matri ſuae, Derbiae atque Richmondiae comitiſſae, charta ſua publica commiſit, ut ſuo arbitrio id commutaret; nec grammaticis ſolum, ſed philoſophis atque theologis repleret; ita, ut deinceps non amplius Domus Dei, ſed Collegium Chriſti, nuncuparetur. Illa itaque id nova & elegantiori ſtructura fabricavit, in eoque magiſtrum ſeu cuſtodem & ſexaginta ſcholares locavit; veteribuſque ſtatutis ſublatis conſilio Johannis Fiſheri Roffenſis Epiſcopi nova condidit; ut ex regia charta edita anno Domini 1505 anno regni ſui viceſimo conſtat. Primus poſt hanc transformationem collegii hujus magiſter fuit Johannes Syckling, quondam collegii Corporis Chriſti ſocius, annoque Domini 1492. procuratoris munus cum Johanne Walle collega ſuo geſſit; poſteaque anno Domini 1501. cum in Chriſti collegio eſſet, cum altero collega magiſtro Patenſon, ſecundo procurator fuit. Domina Margareta pia nobiliſque fundatrix a Julio ſecundo papa impetravit, ut hoc a ſe tam magnifice extructum collegium ſua authoritate ſtabiliret.

Ex diplomate pontificio.

Magistri Collegii Christi.

1506 Joh. Syckling.
1507 Rich. Wyot.
1510 Tho. Thompſon.
1517 Joh. Watſon.
1531 Hen. Lockwood.
1549 Ric. Wilkes.
1553 Cuthb. Scott.
1557 Gul. Taylor.
1559 Edm. Hawford.



Collegium S. Johannis Evang.



Aec domus antiquitus canonicorum religioſorum hoſpitale a Nigello Elienſium Epiſcoporum ſecundo, anno Domini 1134. regnique Henrici primi trigeſimo quarto inſtitutum eſt. Nigellus autem ex omnibus regni Praelatis regi chariſſimus habebatur; ideoque eum & regni theſaurarium, & caeteris Praelatis poſtpoſitis ſolum Elienſem Epiſcopum eſſe voluit: Itaque Epiſcoporum Elienſium hic ſecundus, primuſque conjugatus, fuit. Hoſpitale autem illud cum terris ſuis atque poſſeſſionibus ab Innocentio quarto papa, anno Domini 1250 ſuique pontificatus octavo, priore atque fratribus domus ſancti Johannis Evangeliſtae Cantebrigiae, qui ibi profeſſi ex regula & inſtituto ſancti Auguſtini vivebant, deprecantibus denuo ſtabilitum eſt. Ab ipſis etiam regibus haec religioſorum domus valde dilecta videri poſſit; quia ex eorum chartis & Academiae archivis jam extantibus cernimus, multas poenas in leges de victualium pretio rationeque commiſſas, & a judicibus irrogatas, huic hoſpitali conceſſas fuiſſe. In quo ſtatu atque nomine hoſpitalis fratrum ſancti Johannis Evangeliſtae, uſque ad annum Domini 1510, regnique inclytiſſimi regis Henrici octavi ſecundum permanſit: Quo quidem tempore ad ſummam ruinam, inopiam paucitatemque redacta peneque deſolata fuit: Nam ex florenti quondam copioſoque numero prior cum duobus tantum fratribus ſuperfuit; bonaque mobilia & immobilia ita conſumpta & extenuata fuerunt, ut ex centum quadraginta annui cenſus libris, quibus ab Epiſcopo quondam Elienſi donati eſſent, uno decennio triginta tantum reliqua fuerint: Tum domus ipſa haud procul a ruina & praecipitio abfuit; ut ne centum libris refici & ab occaſu ſervari poſſit. Itaque anno primo Henrici octavi, tam rex quam Richardus Fox Wintonienſis & Johannes Fiſher Roffenſis Epiſcopi, Carolus Somerſet dominus Herbert, Thomas Lovel, Henricus Marney, & Johannes St. John milites, Henricus Horneby & Hugo Aſheton clerici, executores teſtamenti clariſſimae matronae dominae Margaretae Derbiae & Richmondiae comitiſſae, Henrici octavi aviae & Henrici ſeptimi matris, quae morte ſublata, cum ea quae ad collegii ſancti Johannis diruto prioratu erectionem & confirmationem animo pio regioque propoſuerat, perficere viva non poterat relictis ad ea copioſe bonis executorum atque neceſſariorum fidei commiſit, a Julio ſecundo papa impetrarunt; ut extincto & diſſoluto prioratu collegium Johanni Evangeliſtae dicatum erigeretur: Cui & ea praedia poſſeſſioneſque, quae prioratus fuerant, adjungerentur, & magiſter praeficeretur, & quinquaginta ſocii ac ſcholares in artibus atque theologia perpetuo verſarentur. Deinde collegio atque ſodalitio conſtituto, cum Henricus octavus, priores atque fratres prioratuum de Bromhall & Higham ob cauſas juſtas & legitimas ſuaque crimina & demerita, coram Roffenſi, Sariſbu-

Ex Catal. Epiſc. Elienſ.

Ex diplomate pontificio.

Ex diplomate pontificio.

Bale Centur. undecima, p. 72.

Sariſburienſi & Norvicenſi Praeſulibus deducta ac probata expuliſſet; & tam prioratus praedictos quam praedia ad eoſdem ſpectantia tanquam commiſſa & forisfacta fiſco ſuo adjudicaſſet, anno Domini 1524. regnique ſui decimo quinto; magiſter atque ſocii a rege & Clemente papa illos depreſſos & diſſolutos prioratus cum ſuis pertinentiis huic collegio transferri & in perpetuum ſtabiliri impetrarunt. Ex eo tempore multorum aliorum patronorum addita liberalitas adeo collegii facultates auxit; ut magiſtrum, unum & quinquaginta ſocios, ſeptuaginta octo ſcholares, in literarum ſtudiis exhibere poſſint, praeter octo famulos ſeu miniſtros; ac praeter hos centum & unum ſupra triginta penſionarios amplitudine ſua collegium continet. Numerus in eo ſtudentium ducenti ſeptuaginta tres.

MAGISTRI COLLEGII SANCTI JOHANNIS.

1511 Robertus Shorton.
1516 Alanus Piercy.
1518 Nicolaus Metcalf.
1537 Georgius Day.
1538 Johannes Taylor.
1546 Gulielmus Bill.
1551 Thomas Leaver.
1553 Thomas Watſon.
1554 Georgius Bullock.
1559 Jacobus Pilkington.
1561 Leonardus Pilkington.
1564 Ricardus Longworth.
1569 Nicolaus Shepherde.
1574 Johannes Still.



Collegium S. M. Magdalenae.



HOC primo hoſpitium ſive aula monachorum ex diverſis mo-
naſteriis, praeſertim Benedictini ordinis, idque ex inſtituto
Benedicti papae undecimi, anno 1300, ad Academiam con- 10
fluentium inſtituebatur. Sed Edwardus dux Buckinghamiae,
poſtquam eo duabus vel tribus noctibus divertiſſet, annis
Domini 1512, 1514, a monachalis hoſpitii ſpecie ad ſtudioſorum collegi-
um id traduxit, aulamque ſatis egregiam ibi conſtruxit; reliqua vero, quae
voluiſſet, morte conſilia ſua antevertente, non perfecit. Unum autem at-
que alterum ex illis quadratis lateribus a monachis extructum eſt; in qui-
bus, cum ad Academiam acceſſerunt, pro ſuo loco atque gradu cameras
habuerunt. Ex hac Buckinghamenſis ducis inſtitutione profectus eſt tan-
quam ex primitiis Robertus Reade miles, Angliae poſtea juſtitiarius, de
quo inter collegii Jeſu patronos ſupra mentionem fecimus; qui etiam ſo-
cius fuit aulae Regalis, & lectiones philoſophiae, dialecticae atque Teren-
tii ordinarias, aſſignatis praelectoribus ſtipendiis, inſtituit. Poſt hos ſe-
quutus eſt dominus Thomas Audeley de Walden, regni quondam can-
cellarius; qui ejus collegii patrocinium ac perfectam fundationem ſuſce-
pit: Inſtituitque magiſtrum atque octo ſocios, ut ex conventione ſua data
tertio Aprilis anno trigeſimo quarto Henrici octavi conſtat: Cujus mors
collegii incommodo contigit.

Magistri Collegii beatae M. Magdalenae.

1544 Rob. Evans.
1553 Rich. Car.
1559 Rog. Kelke.



Collegium

Collegium Trinitatis.



NCLYTUS Henricus octavus rex huic collegio nomen dedit anno Domini 1546 regnique ſui trigeſimo octavo, eoque ultimo; quod ex tribus ſcholarium gymnaſiis atque receptaculis, aula Regis ab Edwardo tertio condita, domo Michaelis, & Phyſwiki de quo antea diximus hoſpitio, conjunctis & coacervatis, in unius collegii corpus redegit: in eodemque inſtituit magiſtrum, ſexaginta ſocios, ſeptuaginta duos ſcholares, quatuor ſacellanos, quindecim menſarios, & viginti quatuor alendos ex perpetua eleemoſyna; deinde eidem nomen indidit ſanctae & individuae Trinitatis: Regalis ſane ac ſe digna fundatio. Sed cum is uberrima & optimo jure praedia ad hanc eximiam fundationem deſignaſſet; hi, quorum haec res fidei commiſſa fuit, eadem ingenti collegii damno atque detrimento cum rectoriis impropriatis permutarunt. Quoniam autem hoc collegium ex tribus copulatum & conjunctum eſſe diximus; quae ac cujuſmodi ea fuerunt paucis dicamus. Ac primum de Phyſwiki hoſpitio in collegio Gonvilli & Caii antea diximus: De reliquis duobus intelligendum eſt,

EDWARDUM tertium regem ſcholaribus Cantebrigienſibus condidiſſe aulam, quam Regiam nuncupavit, anno Domini 1334, regnique ſui octavo; quam ut ſtabiliret, ad Benedictum duodecimum papam his verbis ſcripſit: "Collegium triginta duorum ſcholarium, aptorum ad proficiendum in ſtudio in Univerſitate Cantebrigienſi, quae in horto militantis eccleſiae multos protulit palmites fructuoſos, ordinavimus & fundavimus jam de novo; quod per unum cuſtodem providum diſpoſuimus gubernari: pro quorum ſuſtentatione poſſeſſiones certas una cum jure patronatus eccleſiae ſancti Petri Northampton Lincolnienſis dioeceſis ipſis dedimus intuitu charitatis, & plures dare proponimus Deo duce". Et hactenus verba epiſtolae.

Ex regiſtro epiſtolarum Oxon, p. 314.

DEINDE anno Domini 1440 & regni Henrici ſexti decimo octavo magiſter atque ſocii hujus aulae Regiae, regis ipſius interceſſione, ab Eugenio quarto papa impetraverunt annexionem rectoriae de Cheſterton in Cantebrigienſi comitatu: Quae rectoria antea connexa jure pontificio fuit monaſterio Vercellenſi, ac Willielmo Epiſcopo Mediolanenſi per pontificem maximum commendata; cujus Epiſcopus ab eodem Eugenio papa, ut ſupra commemoravimus, Epiſcopatu ſuo amotus eſt; quia Baſileenſi generali concilio, poſtquam Ferrariam tranſlatum fuit, attentior erat, "& quia errore Amadei imbutus eſt", &c. Hic poſtea papa Felix dicebatur. Sed illa Cheſtertonenſis rectoria annui cenſus ejuſque aequiſſimi ſexaginta ſeptem librarum ſterlingorum aeſtimabatur, quae illis conceſſa fuit. Eadem aula aliorum patronorum beneficio aucta, Regali tamen nomine retento, diu permanſit; ejuſque magiſter atque ſocii a rege ſub privato ſigillo ſemper uſque ad tranſlationem deſignati ſunt.

Ex archivis cancellariae apoſtolicae.

DOMUM Michaelis Hervicus de Stanton presbyter, ſcaccarii Edwardi ſecundi regis Baro, in platea Molendinari, inſtitutis in ea magiſtro, duodecim ſociis, tribuſque bibliorum lectoribus & quibuſdam inferioribus miniſtris,

In Catalogo. Epiſc. Elien.

Ex diplomate pontificio.

Ex diplomate pontificio.

miniſtris condidit. Quam ut erigeret, ab eodem rege licentiam impetravit; deinde erectam a Johanne Hotham Elienſium Epiſcoporum decimo ſexto, qui anno Domini 1316 conſecratus eſt, ſub ſuo & conventus Elienſis ſigillis confirmari procuravit anno Domini 1324 & Edwardi ſecundi decimo octavo. Cujus uſibus certarum rectoriarum fructus atque patronatus, aliaque permulta praedia adjunxit; poſtea vero magiſter atque ſocii communi ſupplicatione ſe, domum ſuam, ſuaque omnia protectioni atque patrocinio Bonifacii noni papae, anno Domini 1403. ſuique pontificatus decimo quarto ſubjecerunt: A quo emendi atque acquirendi ſuae ſocietati, praediaque ſua locandi & ad firmam laicis perinde atque clericis dimittendi licentiam, tum exemptionis jura, ut ab omnibus viſitationibus, congregationibus, ſynodis ac capitulis, quibus alii ſcholares tenerentur, immunes eſſent atque liberi, obtinuerunt. Itaque hoc ex omnibus, quae in Cantebrigienſi Academia ſunt, auguſtiſſimum atque maximum Trinitatis collegium ex illis, ut diximus, tribus fundationibus conjunctum & compoſitum, tum acceſſione regiae donationis auctum & locupletatum, fuit. Deinde, cum regina Maria anno Domini 1553 regnique ſui primo, eo amore atque ſtudio, quo bonas literas proſequuta eſt, praedia trecentarum amplius librarum annuarum Cantebrigienſi Academiae conceſſiſſet, cujuſmodi etiam liberalitate Oxonienſem Academiam affecit; Johannes Chriſtopherſonus, qui tunc ejus collegii magiſter fuit, in conficiendis ejus regiae donationis inſtrumentis, cum ab Academia ad reginam mitteretur, utraſque defraudavit; eaque praedia, quae totius Academiae regina communia eſſe voluit, hujus collegii propria & peculiaria effecit.

MAGISTRI COLLEGII SANCTAE TRINITATIS.

1546 Johannes Redman.
1551 Gulielmus Bill.
1553 Johannes Chriſtopherſon.
1561 Robertus Beaumont.
1567 Johannes Whitgifte.

ATQUE haec de Academiae, ſcholarum, collegiorumque inſtitutione ac origine compendioſo atque tenui orationis filo perſtrinximus: Quae in lucem emiſimus, ne acceptorum a tot patronis beneficiorum recordatio ingrata oblivione periret. Quod vitium etſi late patet & eſt in multis; noſtram tamen Academiam omnis cultioris diſciplinae ac inſtitutionis parentem, cujuſque alumni ſumus, ab eo prorſus vendicare ſtuduimus. In quo aliorum laboribus atque laudi, quibus locum perinde atque noſtris relinqui aequum cenſemus, nullo modo praejudicari volumus; quin liberum cuique ſit ea, quae utiliter proferre poſſit, explicare: Nos enim ea, quae in veteribus monumentis abſtruſa & recondita pleroſque latebant, ad communem cognitionem deprompſimus, temporis rationi atque opportunitati obſecuti; ne ſi labentibus annis, quod in pleriſque hujus regni monumentis turpiter ſane accidiſſe cernimus, aut funditus interirent, aut in aliorum manus, qui non adeo conſervandae atque illuſtrandae Cantebrigienſis Academiae famae atque dignitati favent, pervenirent, his etiam, quae nos attulimus, poſteritas fraudaretur. Tu itaque, candide lector, ſine faſtu & invidia laboribus noſtris aequo animo fruere atque vale.

Haec

Haec omnia munimenta ad annum Domini 1548, *praeter paucula quaedam, habuit Academia Cantebrigienſis, partim in ciſtis ſuis ſub ſigillis, partim ſcripta in regiſtris; praecipue in magno* NIGRO LIBRO *pergamenae. Et caveant Procancellarii & Procuratores, ne iſta pereant: Vel, quae impoſterum obvenient, nova negligentius omittantur: Sed ut a regiſtrario ſuo deinceps in archivis exſcribantur.*

INDULTA REGUM.

HENRICI TERTII.

1 MPRIMIS, quod domus ſcholarium per duos magiſtros & burgenſes ad hoc deputatos taxare poterunt de quinquennio in quinquennium.

2 Item, de aldermannis adjungendis Majori, de taxatione panis: De piſtoribus, regratariis, vino, cereviſia, & mundatione vicorum.

3 Item, quod vicecomes juvabit cancellarium ad reprimendum tranſgreſſores, cum fuerit requiſitus.

4 Item, quod non fiant torneamenta per quinque milliaria in circuitu Cantebrigiae.

5 Item, de mulieribus publicis ejiciendis.

EDWARDI PRIMI.

1 IMPRIMIS, una magna charta confirmationis quinque privilegiorum per patrem ſuum prius conceſſorum.

2 Item, confirmatio chartae de requirendo vicecomite in defectu Majorum.

3 Item, quod ad requiſitionem magiſtrorum vicecancellarius faciat proclamari, & reſiſtat, ne fiant torneamenta per quinque milliaria.

4 Item, una conceſſio "dum placet", quod ſcholares poterunt laicos convenire coram cancellario in cauſis perſonalibus.

5 Item, quod victualia regratariorum foriſfacta aſſignentur hoſpitali ſancti Johannis.

EDWARDI SECUNDI.

1 IMPRIMIS, magna charta confirmationis privilegiorum a ſuis progenitoribus prius conceſſorum.

2 Item, quod vicecancellarius faciat proclamari, ne fiant haſtiludia.

3 Item, quod vicecomes capiat malefactores ad requiſitionem cancellarii.

4 Item, quod victualia forisfacta aſſignentur hoſpitali ſancti Johannis.

5 Item, una protectio pro tuitione ſcholarium & ſuorum privilegiorum.

6 Item, alia charta magna confirmationis privilegiorum prius conceſſorum.

7 Item, quod tranſgreſſores in clericos capiantur & incarcerentur, donec fuerit ſatisfactum; & quod in caſtro poſſint incarcerari.

8 Item, quod publicae mulieres poſt proclamationem per tres dies inventae incarcerentur.

9 Item, breve directum certis judicibus ad inquirendum de tranſgreſſoribus contra libertates Univerſitatis.

10 Item, quod ſcholaris poſſit laicum coram cancellario convenire, regia prohibitione non obſtante.

EDWARDI TERTII.

1 IMPRIMIS, quod malefactores capiantur per vicecomitem, ſi a cancellario requiratur.

2 Item, duae magnae confirmationes privilegiorum ante conceſſorum.

3 Item, de mulieribus publicis ejiciendis: Et ſunt dupliciter.

4 Item, quod clerici poſſunt laicos coram cancellario convenire.

5 Item, quod victualia regratariorum forisfacta hoſpitali ſancti Johannis aſſignata ſunt.

6 Item, una protectio ſcholarium & ſuorum privilegiorum.

7 Item, alia protectio ſuper eodem, ſed ſub alia data.

8 Item, charta, quod Major faciat aſſaiam panis, &c. quoties per cancellarium fuerit requiſitus.

9 Item, quod cancellarius recipiat juramenta Majorum, ballivorum & aldermannorum.

10 Item, licentia appropriandi eccleſiam quadraginta librarum Univerſitati: Et habetur dupliciter.

11 Item, charta facta domino Claydon, quod cancellarius propter incarcerationes non inquietetur.

12 Item, quod incarcerati per cancellarium non liberentur propter brevia regia.

13 Item, quod magiſtri in cauſis civilibus extra Univerſitatem in " curiam chriſtianitatis " non evocentur.

14 Item, quod cancellarius cognoſcat in omnibus cauſis ſcholarium, mahemio & felonia exceptis.

15 Item, unum breve patens notificans Univerſitati, quod poſt concordiam inter aulam de Clare & aulam Regiam, rex vult quod Univerſitas gaudeat ſuis privilegiis, ſicut antea uſa eſt & gaviſa.

RICHARDI SECUNDI.

1 IMPRIMIS, magna charta confirmationis omnium privilegiorum.

2 Item, quod victualia forisfacta aſſignentur hoſpitali ſancti Johannis.

3 Item, quod cancellarius ſolus & in ſolidum habeat aſſiſam & correctionem victualium.

4 Item, quod Major & vicecomes intendant cancellario in correctionibus.

5 Item, breve patens ad inquirendum de deſtructione munimentorum Univerſitatis per oppidanos & de inſurrectione eorum.

6 Item, commiſſio de audiendo eos, & augendo ſummam feodi eorum, & de terminando contemptus contra dominum regem illatos: Actum in parliamento.

7 Item, de modo vendendi vinum de Rupellâ, Oſſey, & Hiſpania.

8 Item, quod cancellarius habeat cognitionem omnium placitorum, ubi ſcholaris, vel ſerviens ſcholarium, fuerit altera pars, mahemio & felonia tantum exceptis.

9 Item, patens datum Nottinghamiae ad recipiendum decem marcas de firma Univerſitatis.

10 Item, quod Major & ballivi intendant cancellario ſuper executione ſuorum privilegiorum.

11 Item, declaratio de buſhell, demi-buſhell, & peck, & quod eorum proficua pertinent ad cancellarium; & quod cancellarius ſummonere poſſit homines de villa Cantebrigienſi & ſuburbiis ejuſdem per ſuos miniſtros, ad praeſentandum per eorum ſacramentum de forſtallatoribus, regratariis, & aliis; & punire non venientes.

12 Item, breve patens, quod Major & ballivi non intromittant ſe de buſhell.

13 Item, charta de falſis ponderibus & menſuris in nundinis Sturbrigienſibus.

14 Item, quod Major & ballivi non impediant victualiarios ſub poena centum librarum.

15 Item, breve, quod officialis curiae Cantuarienſis non mittat citationes aut inhibitiones ad impediendum proceſſus in curia Cantebrigiae, &c. Et habetur triplicatum.

16 Item, quod candelae & focalia pro victualibus computantur.

17 Item, una protectio ad quinquennium pro ſcholaribus & eorum rebus.

18 Item, breve de fimis, fimariis, & aliis ſordibus amovendis.

19 Item, commiſſio ad inquirendum, ſi habentes aſſiſam victualium mercandizent in eiſdem.

20 Item, duae chartae de puniendo oppidanos propter inſolentiam eorum graſſantium & comburentium chartas Academiae & collegii Corporis Chriſti.

21 Item, quod ſcholares per laicos indictati non capiantur uſque ad proximum parliamentum.

22 Item, de mundatione foſſae domini regis.

23 Item, quod Epiſcopus Elienſis non mittat citationes ad impediendum proceſſus in curia Cantebrigienſi.

24 Item,

24 Item, quod ſcholares indictati non capiantur ante proximum parliamentum.

25 Item, quod vicecomes aſſiſtat cancellario in incarcerando malefactores, in defectu Majoris.

26 Item, breve patens rationem quaerens, quid Univerſitati videatur in materia ſchiſmatis.

27 Item, licentia pro graduatis ad providendum in curia Romana, non obſtante.

28 Item, quod de cuſtodibus hoſpitiorum ſcholarium nihil exigatur ad regis ſubſidium.

29 Item, literae patentes de tribus ſtationariis.

30 Item, breve regium de parliamento tento * Cantebrigiae, & de convocatione facienda in eccleſia beatae Mariae ibidem, anno duodecimo regis.

* In ſtatutis impreſſis corrupte dicitur, Cantuariae, cum eſſet Cantebrigiae.

31 Item, citatio eodem anno Wilhelmi Courteney Archiepiſcopi Cantuarienſis ad villam de Romney in Cantio.

HENRICI QUARTI.

1 IMPRIMIS, magna confirmatio omnium privilegiorum.

2 Item, patens datum Nottinghamiae ad percipiendum decem marcas de firma Univerſitatis.

3 Item, breve & patens directum vicecomiti ad recipiendum impriſonandos ad mandatum cancellarii: Et de deciſione omnium cauſarum, ubi ſcholaris fuerit altera pars, mahemio & felonia exceptis; ubi tenentur vicecomes, Major, & ballivi recipere, cuſtodire debite, & deliberare tranſgreſſores ad mandatum cancellarii, &c.

4 Item, breve de non moleſtando cancellarium in materia de buſhell.

5 Item, breve de admittendo Fratrem ad opponendum poſt Boydon.

HENRICI QUINTI.

1 IMPRIMIS, breve de obſervando certificatorium in habitubus baccalaureorum.

2 Item, aliud breve, quod legiſtae obediant ſtatuto noviter edito de moderamine habituum baccalaureorum ſub poena mille librarum.

3 Item, aliud, quod legiſtae ſcholis intendant, & bedello perſolvant.

4 Item, aliud, quod vicecomes & Major aſſiſtant pro pace obſervanda.

5 Item, aliud, ad capiendum Strangguis, Alnewick, & alios.

6 Item, aliud, ad certificandum de juriſtis ſcholas non exercentibus, nec collectam ſolventibus.

7 Item, breve patens, quo percontatur Univerſitatem rex, quid ſibi in materia ſchiſmatis videatur.

HENRICI SEXTI.

1 IMPRIMIS, magna confirmatio omnium privilegiorum.

2 Item, pardonatio contra PRAEMUNIRE.

3 Item, litera patens pro mundatione viarum, & mulieribus publicis ejiciendis.

EDWARDI QUARTI.

1 IMPRIMIS, magna confirmatio omnium privilegiorum, per Edwardum quartum.

2 Item, charta de victualibus, vaſis ſcrutandis, & de piſcibus in eiſdem impactandis.

HENRICI SEPTIMI.

1 IMPRIMIS, confirmatio cujuſdam literae patentis Henrici ſexti pro mundatione viarum, & mulieribus publicis ejiciendis, cum pluribus aliis rebus.

2 Item, confirmatio actus parliamenti de numero lagenarum in buttis, cadis, & ſemicadis piſcium.

HENRICI OCTAVI.

1 IMPRIMIS, magna confirmatio omnium privilegiorum Cantebrigiae.

2 Item, charta conceſſa Univerſitati pro decimis & primitiis.

3 Item, charta de appropriatione rectoriae de Burwell.

4 Item, charta confirmationis villae Cantebrigiae.

5 Item, charta magna de feriis de Sturbridge facta oppidanis, ſalvis privilegiis Academiae.

EDWARDI SEXTI.

1 HIC Edwardus viſitationem fecit Cantebrigiae anno tertio regni ſui, & anno Domini 1549. & de novo edidit ſtatuta.

2 Item, confirmavit omnia privilegia Cantebrigiae per literas ſuas.

MARIAE REGINAE.

1 HAEC regina cum Philippo rege annis tertio & quarto fecit in parliamento ſtatutum; quod nullus proviſor accipiat victualia infra quinque milliaria Cantebrigiae & Oxoniae, cap. 15.

2 Item, anno tertio & quarto ejuſdem regis & reginae, & anno Domini 1557. decimo nono Maii, cardinalis Polus viſitationem ſuam fecit in Academia authoritate papali, & recognovit ſtatuta Academiae, & rejecit ſtatuta regis Edwardi.

ELIZABETHAE REGINAE.

1 VISITAVIT Cantebrigiam primo anno regni ſui, & condidit nova ſtatuta, & ea rurſus renovavit anno regni ſui duodecimo.

2 Item, renovavit quaedam privilegia, & dedit nova per chartam ſuam, ſcilicet:

Summa chartae.

IMPRIMIS, de incarceratione & cuſtodia laicorum & clericorum in gravibus laeſionibus, juxta chartam Henrici tertii, anno regni ſui viceſimo ſecundo & Edwardi tertii anno decimo.

Item, quod liceat cancellario, &c. ſupervidere incarceratos & modum incarcerationis eorundem, & defectum vel exceſſum incarcerationis corrigere, quoties neceſſe foret.

Item, quod Major, ballivi, burgenſes, & caeteri miniſtri non recuſabunt accipere & cuſtodire quaſcunque perſonas ad carceres per cancellarium, aut ſuum deputatum, miſſas; nec eas liberabunt abſque mandato dicti cancellarii aut deputati ſui.

Item, quod cancellarius, aut ejus locum tenens, habeat cognitionem omnium placitorum, contractuum, debitorum, injuriarum, & tranſgreſſionum contra pacem in villa & ſuburbiis factorum, exceptis mahemio & & felonia; ubi magiſter, ſcholaris, vel ſerviens ſcholaris, aut communis miniſter Univerſitatis, unus partium fuerit.

Item, quod licebit cancellario, &c. facere inquiſitionem de tranſgreſſionibus praedictis, & inde executionem facere in villa & ſuburbiis ad placitum, ſecundum conſuetudines uſitatas.

Item, quod curia dicti cancellarii de placitis ſit curia de Recordo.

Item, quod determinet cancellarius de omnibus placitis & tranſgreſſionibus praedictis, & partes delinquentes & defendentes compellat, ut compareant, vel per amerciamenta vel impriſonamenta.

Item, quod habet cancellarius poteſtatem compellendi partes convictas de placitis praedictis; ut ſatisfaciant de omnibus unde convicti ſunt.

Item, quod juſtitiarii ad placita, & juſtitiarii de banco, & alii judices, dicto cancellario de placitis praedictis allocationem facient, abſque aliquo impedimento.

Item, quod nullus juſtitiarius, judex, vicecomes, Major, &c. de placitis illis ſe intromittat, nec partem ad reſpondendum coram ipſis ponat; ſed quod pars illa coram cancellario inde ſolummodo juſtificetur & puniatur.

Item, quod quamvis cancellarius, &c. hactenus uſi non ſunt privilegiis per progenitores noſtros conceſſis, aut iſtis noſtris privilegiis; de caetero tamen ea plene habeant, teneant, & utantur.

Item, pardonatio uſus vel abuſus quarumcunque libertatum, &c. cum poenis & poenalitatibus.

Item, quod nullus ſcholaris in poſterum compellatur coram juſtitiariis noſtris ad monſtrationes hominum pro guerra, nec compellatur aliquid contribuere de hujuſmodi expenſis.

Item, quod nullus ſerviens vel miniſter noſter capiat aliquem equum alicujus ſcholaris, ſtudentis, miniſtri, aut ſervientis dictae Univerſitatis; &, ſi fecerit, reſiſtere licebit.

Item, quod proviſores & pullarii infra quinque milliaria victualia non capiant.

Item, quod cancellarius habeat officium clerici mercatus in villa & ſuburbiis, & nundinis tentis apud Barnewell & Sturbridge & ſuburbiis earundem.

Item, quod poteſtatem habet cancellarius inquirendi & cognoſcendi de omnibus forſtallatoribus, regratariis, &c. in villa Cantebrigiae & ſuburbiis ejuſdem, ac ſuper his punitionem faciendi ſecundum leges & conſuetudines ſuas.

Item, quod habet poteſtatem dictus cancellarius capiendi & comburendi piſces & carnes inſalubres ſecundum ſuam diſcretionem, &c. reſiſtentes vero impriſonare.

Item, quod habet cancellarius omnia victualia forisfacta per quaſcunque leges vel ſtatuta regni, & fines & amerciamenta pro venditione hujuſmodi victualium in Cantebrigia & ſuburbiis & feriis praedictis.

Item, quod licebit cancellario facere ſcrutinium & inquiſitionem de publicis mulieribus vagabundis, & aliis perſonis ſuſpectis, tam in die, quam in nocte, & de malo ſuſpectos punire tam infra Cantebrigiam quam ſuburbia ejuſdem,

Item, quod Major, ballivi, &c. auxiliantes ſint, ſi fuerint requiſiti, dicto cancellario in inquiſitione praedicta, ſub poena contemptus.

Item, quod habet authoritatem cancellarius eligendi & emittendi ſingulis annis duodecim praedicatores ſub ſigillo Univerſitatis juxta conſuetudinem ſuam laudabilem, antehac ibidem uſitatam, ac privilegia in ea parte indulta.

Item, quod ſi aliquis ſcholaris &c. indictatus per gentes laicas de aliquibus inſurrectionibus, feloniis, murderiis, &c. fuerit, & vigore ejuſdem indictamenti impriſonatus vel arreſtatus infra comitatum vel villam Cantebrigiae fuerit; tunc, ſi cancellarius ipſum ſic arreſtatum vendicare voluerit, ipſe, in cujus cuſtodia impriſonatus exiſtit, corpus ejuſdem impriſonati ſeneſchallo Univerſitatis, ſi habilis fuerit, ſub poena ducentarum librarum tradet.

Item, quod dictus arreſtatus vel impriſonatus coram dicto ſeneſchallo ſtet pro verificatione dicti indictamenti, &c. & quod dictus ſeneſchallus faciat proceſſus vicecomiti Cantebrigiae & bedellis Univerſitatis pro hominibus ſummonendis, ut compareant coram dicto ſeneſchallo ad faciendum inquiſitionem de dicta felonia vel inſurrectionibus, &c.

Item, quod ſi hujuſmodi arreſtatus allegaverit ſe fore clericum; ſeneſchallus ipſum ordinario vel deputato ſuo liberari faciat, ſi convictus fuerit.

Item, quod Major & ballivi cuſtodiant hujuſmodi impriſonatum vel arreſtatum ad mandatum ſeneſchalli, donec contrarium ab eodem acceperit.

Item, quod omnes ſcholares, &c. permanentes in dicta Univerſitate, villa, & ſuburbiis, immunes ſint & exonerati ab omnibus ſubſidiis, releviis, & exactionibus, &c. ſalvo nobis ſemper annuo redditu decem librarum pro aſſiſa panis, &c.

Item, quod ſuburbia ſive praecinctus dictae Univerſitatis ſit & ſe extendat per unum milliare Anglicum ejuſdem villae circumquaque in perpetuum.

Item, quod praedictus cancellarius, &c. habeat & teneat omnia & ſingula libertates & privilegia infra ſuburbia dictae Univerſitatis in perpetuum, tam in noſtra abſentia quam praeſentia, &c.

In cujus rei teſtimonium, &c. Teſte meipſa, apud Weſtmonaſterium viceſimo ſecundo die Aprilis, anno regni noſtri tertio.

Per breve de privato ſigillo & de data praedicta, authoritate parliamenti.

SCIENDUM eſt; quod in parliamento tento apud Weſtmonaſterium anno reginae ELIZABETHAE decimo tertio & iterum in parliamento tento ibidem anno reginae ELIZABETHAE decimo quarto: viz. dicto anno decimo tertio ſtatutum eſt pro incorporatione utriuſque Academiae: Et in anno decimo quarto confirmata & rata ſunt omnia privilegia in Academiis Cantebrigiae & Oxoniae, per AUTHORITATEM PARLIAMENTI in poſterum.

COMPOSITIONES, INDENTURAE, &c.



COMPOSITIO inter Univerſitatem & oppidum per arbitratores, &c.

Compoſitio inter Univerſitatem & collegium Regale.

Compoſitio inter Univerſitatem & aulam de Pembroke, tempore Edwardi tertii.

Compoſitio inter collegium Regale & aulam ſanctae Trinitatis de Norwico.

Duo privilegia per Epiſcopum Elienſem.

Confirmatio privilegiorum per Epiſcopum Elienſem.

Compoſitio inter cancellarium, &c. & archidiaconum Elienſem.

Compoſitio, quod procuratores congregare poſſunt in defectu cancellarii.

Indentura magiſtri Barrow de exequiis celebrandis pro ducentis quadraginta libris erogatis Univerſitati ad aedificationem templi beatae Mariae.

Item, decreta ſcaccarii pro lectione fundata per dominam Margaretam.

Item, pro praedicatore ejuſdem dominae Margaretae.

Item, pro viginti ſolidis de Barnewell per compoſitionem.

Item, publica quaedam inſtrumenta, & articuli de Academia.

Item, ſtatutum ciſtae magiſtri Richardi Billingforth, quondam magiſtri collegii Corporis Chriſti.

Item, exemplar ſtatutorum aulae ſanctae Trinitatis de Norwico.

Item, indulta quaedam pontificia, ut in Libro Nigro.

Item, ordinatio Roberti Reade militis de lectione trium lectionum in ſcholis publicis.

Item, indentura inter Academiam & executores Johannis Mere bedelli, de duobus tenementis in parochia ſancti Benedicti Cantebrigiae, cum ordinatione in commemoratione ejuſdem.

In cuſtodia procancellarii, qui fuerit pro tempore.

Item, vetus Liber magnus Niger in pergamena de cauſis, &c. Academiae.

Item, Liber Niger in charta, dictus "Liber de ratiociniis procuratorum".

Item, liber chartaceus, in quo ſcribuntur literae Academiae, & ad Academiam.

Item, liber chartaceus, in quo continentur multa ad Academiam ſpectantia; in quo continetur ordinatio pro matriculatione, &c.

Item, inſtrumentum de appropriatione rectoriae de Burwell cum Indenturis ejuſdem: Et cum quodam ſcripto de reſolvenda pecunia mutuata ex quatuor ciſtis majoribus.

Item, hiſtoria, quam fecit Nicolaus Cantelowe, ſive Cantelupus, praepoſitus Gloverniae, de origine Academiae Cantebrigienſis ſcripta 1441.

Item, hiſtoriola, quomodo oppidani anno 1380 & regis Richardi ſecundi quarto invaſerunt collegium Corporis Chriſti, & chartas ejus collegii cum aliis chartis de privilegiis Univerſitatis combuſſerunt; quae cauſa fuit, cur Richardus ſecundus tot chartas novas Academiae conceſſit.

Particulae,

Particulae, quae Cantebrigienſis Academiae magiſtratibus ac miniſtris conſervandae ſucceſſive traduntur.

Memorandum, quod magiſtri Pierſon & Ebden procuratores exeuntes magiſtratu tradiderunt magiſtro Standiſhe atque Coney procuratoribus ſequentibus has ſequentes particulas:

Imprimis magiſtro Standiſh tria armorum paria, quae "Jackes" appellantur, duas galeolas & librum procuratorium ſtatutorum.

Item, magiſtro Coney tria ſimiliter armorum paria, & alterum librum procuratorium.

Item, ulnam aeneam legitimae Anglicanae menſurae quam "le ſtandard" appellant.

Item, menſuras aeneas, pottell, quart, & pint nuncupatas.

Item, pondera aenea quatuor, videlicet duorum ponderum, quatuor, quinque atque ſex ponderum.

Item, pondus aeneum librans quartam partem centeſimi.

Item, duo grandia pondera plumbea.

Item, ſigillum aeneum, quo ulnae ad menſurandum licitae ac permiſſae ſignantur.

Item, duae characterae ſive impreſſurae, quibus pondera atque pocula cum litera H notantur.

Item, librum, qui ordinem proceſſus in tenenda curia, quam "leet" appellant, indicat.

Ac praeter eam ſupellectilem, quae ſuperius commemoratur, ſunt & haec ſequentia Univerſitatis utenſilia ſervata in Academia Cantebrigienſi, viz.

Modius aeneus cum lignea ſindula.	Duo alia ſigilla ad ſignandos modios.
Menſura aenea, dicta le Gallon.	Duo paria magnarum trutinarum.
Menſura minor aenea dicta le Pint.	Duo paria imperfecta ponderum.
Duo ſigilla ad ſignanda dolia.	

Ad haec Robertus Horne Wintonienſis Epiſcopus aenea haec pondera regiis inſignibus impreſſa Univerſitati donavit, anno Domini 1574. viz.

Æneum pondus centum lib.	Aliud quatuordecim lib.	Aliud quatuor lib.
Aliud viginti octo.	Aliud ſeptem lib.	Aliud duarum lib.

Aliud unius librae in minora pondera diſſectum; & ad aurum trutinandum par ponderum quatuor librarum.

Memorandum, quod Matthaeus Stokes Academiae Cantebrigienſis regiſtrarius & ejuſdem unus bedellorum recepit de executoribus Johannis Mere, nuper bedelli Academiae praedictae, hos libros ſequentes, ſemper per eum ſervandos & ſucceſſores ſuos in uſum Academiae.

Imprimis, librum pro matriculatione, ligatum in tecto chartaceo, incipientem anno Domini 1544.

Item, librum de gratiis, ligatum in tecto pergamenae, incipientem anno Domini 1501.

Item, alium librum de gratiis, ligat. in tecto ligneo, incipientem A.D. 1547.

Item, librum teſtamentorum ligat. in pergamena, incipientem A. D. 1501.

Item, alium librum teſtamentorum de novo ligatum in pergamena, incipientem A. D. 1557.

K Item,

Item, veterem librum procuratorium in tecto ligneo.

Item, veterem librum de rationibus procuratorum ligatum in pergamena, incipientem A. D. 1554.

Item, alium librum de rationibus procuratorum ligatum in tecto ligneo incipientem A. D. 1488.

Item, librum actorum de novo ligatum in pergamena incipientem A. 1556.

Item, librum rerum memorabilium in tecto ligneo incipientem A. D. 1548.

Item, librum parvum in tecto chartaceo exprimentem ordinem comitiorum.

Item, exemplaria diverſorum teſtamentorum cum inventariis & variis obligationibus eorundem, pro ſecuritate cancellarii & procancellarii, &c.

Item, exemplaria literarum miſſarum a quibuſdam juſtitiariis, de quibuſdam villis infra quinque milliaria Cantebrigiae.

MEMORAND. etiam quod anno 1574. reverendiſſimus pater MATTHAEUS Archiepiſc. Cant. fieri fecit novam plateam, Univerſitatis plateam impoſterum nuncupandam, cujus ſolum antea ad diverſa collegia ſpectabat. Ille vero, quo publicarum ſcholarum aſpectus haberetur commodior, ſolum illud a variis collegiis emit, ac in plateae formam pavimentis ſtratae redegit; tum muros ex utraque viae parte lateritios e regione ſcholarum & ad mediam uſque plateam lapide quadrato faſtigiatos poſuit. Ad extremum & viam & muros Academiae ad exhibendum ſcholarum tranſeuntibus evidentiorem aſpectum, oppidanorum prius aedibus intercluſum, donavit; ejuſque donationis extat ſub ſuo chirographo inſtrumentum confectum.

QUOD beneficium ne tempore periret, magiſtrum & ſocios collegii Corporis Chriſti eorumque ſucceſſores aſtrinxit in perpetuum, ut plateam atque muros, quoties opus eſſet, repararent; & etiam libros, quos in centum voluminibus ligari fecit ac bibliothecae Academiae publicae donavit, quotannis reficerent. Qui quidem libri hujuſmodi ſunt:

Libri impreſſi typis. XXV. } omnes catenati.
Libri ſcripti hiſtorici. XXV. }
Scriptores in vetus Teſtamentum. XXV.
Scriptores in novum Teſtamentum. XXV.

QUAE quidem centum volumina, centum ad minus authores continentia, ſigillatim, ut deinceps ſequitur, exprimuntur.

EXPEDIT etiam, officioque noſtro, qui Cantebrigiae ſtuduimus ibique gradus ſuſcepimus, ſummopere eſt conſentaneum, eorum memoriam, qui variis donis de Academia hoc anno 1574. bene meriti ſunt, ad honorem Dei, qui eorum ad hoc animos excitavit, aliorumque exemplum recolere atque celebrare.

PRIMUM itaque D. Nic. Bacon miles, magni Angliae ſigilli cuſtos, communi Academiae bibliothecae permultos de ſeptem notis liberalibus ſcientiis Graec. & Latin. ſcriptores donavit, numero C. prout infra commemorantur.

TUM honoratiſſimus vir D. Gul. Cecilius miles, baro de Burleigh, ejuſdem Univerſitatis cancellarius Angliaeque theſaurarius ad Univerſitatis praedictae uſum multos in jure canonico & civili, ac in medicina, Graecos, Latinoſque ſcriptores deſtinavit, numero quorum deinceps ſequetur catalogus.

REVERENDUS etiam in Chriſto pater Jacobus Pilkington Dunelmenſis Epiſcopus multos Graecos & Latinos authores typis excuſos Academiae conceſſit, numero octodecim, quorum nomina ſequuntur.

POST hunc reverendiſſimus in Chriſto pater, Robertus Horne Wintonienſis Epiſcopus, Academiae bibliothecae quinquaginta duos in ſacra theologia ſcriptores donavit, qui ſeorſim deinceps nominantur.

Matthaeus

Matthaeus Cantuarienſis Archiepiſcopus dedit Academiae Cantebrigienſi in bibliotheca ſua communi ſervandos hos libros ſequentes, anno Domini 1574.

1 REGISTRUM chronicarum, cum imaginibus pictis, in fol. maximo, incipiens ab Adamo, & finiens in anno 8 Hen. VII. viz. 12 Julii, anno 1493. Continet folia 326.

Biblia Plantini in 8 Vol.

2 PRIMUS tomus continet biblia ſacra cum Chaldaica paraphraſi Graece, & tribus tranſlationibus Latinis. Continet pag. 784.

3 Secundus tomus a Joſhua ad Eſdram, continet pag. 942.

4 TERTIUS tomus ab Eſdra ad prophetas, continet pag. 809.

5 QUARTUS tomus a prophetis, ad novum Teſtamentum, continet pag. 1062.

6 QUINTUS tomus novum Teſtamentum Syraice, Chaldaice, Graece, cum duabus Latinis tranſlationibus, continet pag. 1094.

7 SEXTUS liber vetus Teſtamentum interlineatum. Hebraice & Latine, & novum Teſtamentum interlineatum Graece & Latine, continet pag. 799.

8 SEPTIMUS liber, Lexicon Graecum, grammatica Syriaca, Chaldaica, dictionarium Syrochaldaicum, continet pag. 590.

9 OCTAVUS, theſaurus Hebraicae linguae, cum grammatica & diverſis miſcellaneis, ut in prima pag. libri, continet pag. 611.

10 BIBLIA Latina ex verſione Seb. Caſtalionis, continent pag. 1768.

11 NOVUM teſtamentum Hebraice & Syriace per Immanuelem Tremellium, cum grammatica Syriaca, impreſſum per H. Stephanum, continet fol. 760.

12 CONCORDANTIAE majores librorum utriuſque Teſtamenti.

13 EVANGELIA 4. Saxonice bis, in quarto. Et uterque cont. pag. 418.

15 SCHOLIA Graeca ſuper epiſtolas, Acta Apoſtolorum & Apocalypſim. Continet pag. 1037.

16 EUSEBIUS cum vita Conſtantini Imp. Socratis ſcholaſtici, Theodoriti Epiſcopi Cyrenſis, collectaneorum ex Theodoro, Hermii Sozomeni, Evagrii ſcholaſtici, omnes Graece impreſſi, Lutetiae Pariſiorum ex officina R. Stephani regiis typis, Anno 1544. Continet fol. 357. & 185.

17 GESNERI hiſt. de animalibus depict. cont. pa. 1104. Ult. f. 6. in fine de additionibus & caſtigationibus.

18 GESNERI hiſtoria de piſcibus depictis, continet pag. 1297.

19 GESNERI hiſtor. de Avibus depictis, continet pag. 779. & ultra pag. 27. de appendice hiſtoriae.

20 GESNERI bibliotheca continet p. 184. cum Johanne Bale, de ſcriptoribus Angl. Continet pag. 992.

21 HISTORIA Matthaei Paris, incipiens ab Guliel. Conqueſtore, & finiens in anno 56 Hen. III. ſcil. anno 1271. Continet pag. 1388.

22 HISTORIA Matthaei Weſtm. incipiens ab Adamo, ad 15 annum Edw. I. viz. anno Dom. 1307. Cum quibuſdam rebus de Academia Cantebrigienſi. Continet pag. 978.

23 AELFREDI regis res geſtae, cum hiſtoria brevi Thomae de Walſingham & Ypodigmate Neuſtriae. Continet pag. 742.

DE antiquit. & hiſt. Cant. in 4. bis, & uterque cont. pag. 586.

Libri

Libri ſcripti in pergamena.

1 COLETUS de duobus Evangeliſtis, folio maximo. Continet pag. 690.

2 EVANGELIA quatuor Saxonice. Continet paginas ſcriptas 403.

3 BEDAE hiſtoria Britannica Saxon. verſa per Aluredum. Continet paginas ſcriptas 193.

4 PSALTERIUM cum expoſitione, in charta Graece. Continet paginas 641.

5 LIBRI Paralipomenon 1. & 2. Hypomneſticon Joſephi, teſtamentum duodecim Patriarcharum Graece. Continet pag. 520.

6 PASTORALIA Gregorii Saxon. Continet paginas 286.

7 PHOTIUS in epiſtolas Graece. Continet pag. 339.

8 HOMILIAE quaedam Chryſoſtomi Graece. Continet paginas 290.

9 HOMILIAE diverſae 34 Saxon. Continet pag. 609.

10 GENESIS cum Homiliis 51. Saxonice. Continet paginas 450.

11 EUSEBIUS cum hiſtoria Hieronymi, Proſperi, Sigiſberti, R. Abbatis, Huntingdonenſis ad Warinum. Continet pag. 364.

12 DOCTRINALE antiquitatum eccleſiae per Thomam Walden. Libri 4. Continet paginas 690.

13 DE Sacramentis ejuſdem Thomae Walden. Continet paginas 628.

14 EPISTOLARUM pontificum, & Canonum pars prima. Continet pag. 520.

15 Epiſtolarum ſimilium, pars ſecunda. Continet paginas cum priori parte 1506.

16 POLYCHRONICON ſive Ranulphus Ceſtrenſis. Continet pag. 316.

17 MEMORIALE hiſtoriarum incipiens a Julio Caeſare, & finiens in anno Domini 1321. Edwardi ſecundi 14. Continet pag. 622.

18 SPECULUM hiſtoriale de geſtis regum Angliae. Continet pag. 518.

19 CHRONICA Abindoniae per R. Giſburnum. Continet fol. 256.

20 GERVASII Dorobernenſis hiſtoria. Continet fol. 193.

21 GILDAS, Beda, Nennius, Simeon Dunelmenſis de ſancto Cuthberto, de Hagulſtadenſi eccleſia, Giraldus Cambrenſis, Galfridus de Fontibus, &c. Continet pag. 642.

22 GULIELMUS Malmeſbury de pontificibus cum novella hiſtoria. Itinerarium regis Rich. I. Et hiſtoria Galfridi Monumetenſis. Continet pag. 460.

23 GRAMMATICA, & hiſtoria Angliae, Saxon. Continet pag. 220.

24 GULIELMUS Malmeſbury de regibus, cum hiſtoria H. Huntingdonenſis. Continet pag. 410.

25 MARTIANUS Minaeus, de ſeptem artibus liberalibus. Continet paginas 208.

Scriptores in vetus Testamentum.

1 JOhannes Calvinus in quinque libros Moysis.
2 Munster. primus liber bibliorum.
3 Munster. duo libri bibliorum.
4 Pellican. tom. 1, 2.
5 Pellican. tom. 3, 4.
6 Pellican. tom. 5. / Torsarii paraphrasis in omnes prophetas.
7 Pellican. index. / Marlorati thes. } bibliorum.
8 Borrhaeus in quinque libros Moysis. / Martyr in Genesim.
9 Luther in Genesim. tom. 6.
10 Musculus in Genesim. / Gallasius in Exodum.
11 Zieglerus in Gen. & Exod. / Brentius in Levitic. & Exod. / Brentius in lib. Josuae.
12 Martyr in Judicum. / Brentius in Judicum & Ruth.
13 Brentius / Martyr } in 1. lib. Sam.
14 Bucerus in Psalterium, Judicum, & Sophoniam. / Marloratus in Psalterium & Cantica.
15 Martyr in lib. Regum, cum supplemento Wolfii.
16 Strigelius in libros Samuelis, Regum, & Paralipom. / Lavaterus in Paralipom. / Lavaterus in Hester.
17 Wulfius in secundum Esdrae & primum Nehemiae. / Borrhaeus in Job & Ecclesiast.
18 Mercerus / Oecolampadius } in Job. / Lavaterus in Proverbia. / Mercerus in Proverbia, in Ecclesiasten & Cantica.
19 Musculus in Psalterium.
20 Oecolampadius in omnes prophetas majores.
21 Bullingerus / Calvinus } in Esaiam.
22 Borrhaeus in Esaiam & Apocalypsim. / Calvinus in duodecim prophetas minores.
23 Calvinus in Hieremiam & Lamentationes. / Lavaterus in Ezechielem.
24 Zuinglius in Hieremiam. / Calvinus / Bullingerus } in Danielem.
25 Gualterus in duodecim prophetas minores.

Scriptores in novum Testamentum.

1 CAlvini institutio. / Musculi loci communes.
2 Theodor. Beza in novum Testamentum Graece & Latine bis.
3 Erasmi annotationes in novum Testamentum.
4 Erasmi paraphrasis in novum Testamentum.
5 Calvini harmonia in quatuor evangelia. / Bucerus in quatuor evangelia.
6 R. Stephanus in tria evangelia. / Zuinglius in quatuor evangelia.
7 Musculus in Matthaeum.
8 Brentius in Matthaeum. / Calvinus in Acta.
9 Gualterus in Marcum. / Brentius in Johannem.
10 Brentius in Lucam, duae partes.
11 Gualterus in Lucam.
12 Musculus in Johannem.
13 Brentius / Gualterus } in Acta.
14 G. Major in epistolas Pauli.
15 Hemingius in omnes epistolas Pauli & Canonicas.
16 Calvinus in omnes epistolas Pauli & Canonicas. / Bullingerus in Apocalypsin.

17 Bullingerus in omnes epistolas cum Canonicis.

18 {Martyr / Bucer} ad Romanos.

19 {Musculus / Gualterus} ad Rom. / Zuinglius in epistolas aliquot.

20 Gualterus in priorem & posteriorem ad Corinth.

21 Musculus in utramque ad Corinthios. / Brentius ad Galatas, Philipp. & Philemona.

22 Musculus ad Galatas, Ephesios, Philippen. Coloss. Thessal. ambas, 1. ad Timoth. / Bucerus ad Ephesios.

23 {Lutherus / Melancthon} in quosdam veteris Test. & in aliquot novi.

24 P. Galatinus de arcanis & difficilioribus locis veteris Test. / Procopius in Octateuchum.

25 De Martyribus {J. Foxe. / H. Pantaleon.}

Ex dono D. Nic. Bacon, equitis aurati, & magni sigilli Angliae custodis.

Cypriani Leovitii ephemerides.
Claudii Ptolemaei opera praeter geographiam.
Cl. Ptolemaei magnae constructiones.
C. Julius Hyginus & Aratus.
Luminarium & planetarum motuum tabulae per Prugnerum & Purb.
Hieronymus Cardanus de astrorum judiciis.
Schoneri opera mathemat.
Nic. Copernicus de revolutione orbis coelestis.
Cyprianus Leovitius de elevatione poli.
Jo. Regiomontanus de tabulis directionum.
Erasmi Reinholdi tabulae Prutenicae.
————— tabulae directionum.
Philoponus in Aristot. posterior. &c. Lat.
Ortelii theatrum orbis.
Cl. Ptolemaei tab. geograph. Graec.
Munsteri cosmographia.
Strabonis geographia.
Dominici Marii Nigri geographia.
Commentarius in Lucium Florum, Solinum, &c.
Cl. Ptolemaei geographia, Lat. 1541.
Musica Glareani.
Musica Aristoxeni & Ptolemaei.
Georgii Vallae Placentini tomus primus.
————— tomus secundus.
Rami Arithmetica.
Ramus in artes liberales.
Philoponus in Rhetoricam Aristot. Graec.
Archimedis opera Graeco-Lat.
Sextus Empiricus adversus mathematicos.
Albertus Durerus & Hieronymus Cardanus.
Euclides, Graeco-Lat.
Apollonius, Archimedes & Proclus.
Alhazeni & Vitellionis optica.
Sebastianus Serlius de architectura.
Regiomontanus de triangulis.
Icones Gesneri de animalibus, piscibus, &c. tribus voluminibus.
Aristotelis opera, Graec.
Aristotelis opera, Lat.
Platonis opera, Graec.
Platonis opera, Lat.
Plutarchi ethic. Lat.
Plutarchi vitae, Lat.
Plutarchi vitae, Graec.
Plutarchi ethic. Graec.
Senecae opera.
Opera Boethii.
Plotinus de rebus Philosoph.
Caii Plinii Secundi naturalis historia.
Hier. Cardanus de subtilitate.
Scaliger adversus Cardanum.
Hier. Cardanus de somniis.

Cice-

Ciceronis opera, tomus primus & ſecundus.
————————tomus tertius & quartus.
Demoſthenes Graeco-Lat. cum commentario Ulpiani.
Demoſthenes Graeco-Lat. & Aeſchines, cum commentario Ulpiani, & annotationibus Wolphii.
Iſocrates Graeco-Lat. cum annotationibus Wolphii.
Philoponus in Ariſtotelem, Graec.
Pachymerius in Ariſtotelem.
Niphus in Ariſtotelem, in priora, poſteriora, & topica.
Niphus in Ariſtotelis phyſica, & de coelo & mundo.
Scegkius Ariſtotelis organ.
Niphus in metaphyſica Ariſtotelis, & parva naturalia.
Alex. Aphrodiſeus Philoponus in priora Ariſtotelis, & Jo. Grammaticus in phyſica & metaphyſica.
Euſtratius & alii in Ariſtot. ethica.
Alex. Aphrodiſeus de prima philoſophia Ariſtotelis.
Aphrodiſeus in priora reſolutoria Ariſtotelis.
Lud. Buccaferreus in phyſica.
Simplicius in Ariſtotelem.
Aug. Buccius de anima.
Scaliger de plantis.
Geſner de animalibus.
Lexicon Graec. Grammat. Hebraica.
Theſaurus linguae Latinae, tomus primus & ſecundus.
———————————— tomus tertius & quartus.
Theſaurus linguae Graecae per Henricum Stephanum.
Ejuſdem tomus ſecundus.
Ejuſdem tomus tertius & quartus.
Appendix theſauri ejuſdem.
Gloſſaria duo, Graeco-lat. & Latino-graec.
Theſaurus Cooperi.
Homerus & alii poetae.
Eraſmi adagia.
Ariſtophanis comoediae.
Euſtathius in Iliad. Homeri.
Euſtathius in Odyſſea Homeri.
Gilberti Cognati opera.
Angeli Politiani opera.
Laurentii Vallae opera.
Sophoclis tragoediae cum commentario.
Ant. Rod. Cevalerii rudimenta Hebraica.
Clenardi Grammatica cum Anteſignano.
Lillii & Deſpauterii Grammatica.
Lexicon Hebraic.
Gerſonus, tomus primus & ſecundus.
———— tomus tertius & quartus.
Nicephorus.
Cajetanus in novum Teſtamentum.
Petrus Lombardus ſuper epiſtolas Pauli.
Faber in Pſalmos.
Pſalterium Saxon. & Lat.

❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁

Ex dono reverendi in Chriſto patris Roberti Horne, epiſcopi Wintonienſis.

Biblia Iſidori Brixiani.
Auguſtini tomus primus & ſecundus.
Auguſtini tomus tertius & quartus.
———— tomus quintus, ſextus & ſeptimus.
———— tomus octavus & nonus.
————tomus decimus cum indice ejuſdem Auguſtini.
Hieronymi tomus primus & ſecundus.
———— tomus tertius, quartus, & quintus.
———— tomus ſextus, ſeptimus, & octavus.
Chryſoſtomi pars prima, Graec.
———— pars ſecunda.
Chryſoſtomi tomus primus, Lat.
———— tomus ſecundus & tertius.
————tomus quartus.
————tomus quintus.

Atha-

Athanaſius & Hilarius.
Divi Ambroſii tomus primus, ſecundus & tertius.
———————— tomus quartus & quintus.
Tertullianus.
Origenes.
Baſilius magnus.
Baſilius magnus, Gregorius Nazianzen. Graec.
Gregorius Nazian. Lat. & Epiphanius Graec.
Cyprianus & Epiphanius.
Gregorius Nyſſenus, Angelomus, Clemens Alexandrinus. *
Cyrillus.
Proſperi opera, & Nicephori hiſtoria.
Clementis recognitiones, Leo primus & nonus.
Juſtinus & Eucherius.
Joſephus Graec. & Juſtinus Graec.
Gregorius magnus.
Theophylactus Graeco-Lat.
Damaſcenus & Caſſianus.
Bernardus.
Lactantius, & Pici Mirandulae pars prima.
Pici Mirandulae pars ſecunda.
Theodoretus, tomus prior, cum theolog. Graec.
——————— tomus alter, & Irenaeus.
Philo, Graeco-Lat.
Bedae tomus primus, ſecundus, & tertius.
——— tomus quartus & quintus.
——— tomus ſextus, ſeptimus & octavus.
Ludovicus Vives, tomus primus & ſecundus.
AEneas Sylvius.
Dionyſius Areopagita, & Ignatius.
Antidotum contra haereſes, & ſententiae theol. Graeco-Lat.
Orthodoxographia patrum.
Nic. de Cuſa, tomus primus, ſecundus, & tertius.
Decretum Ivonis.
Suidas Graece.

Ex dono reverendi in Chriſto patris, Jacobi Pilkinton, epiſcopi Dunelmenſis.

Titi Livii hiſtoria.
Euſebius & caeteri ſcriptores eccleſiaſtici.
Xenophon Graeco-Lat.
Diodorus Siculus Graec.
Herodotus Graeco-Lat.
Appianus Graec.
Joſephus Graec.
Joſephus Lat.
Suidas Graec.
Chronicon Funccii
Guicciardini hiſtoria.
Goltzius de vita Caeſaris, & Numiſmat.
Chronicon Volaterrani.
Platina de vitis pontificum.
Chronicon Naucleri tomus primus.
—————————— tomus ſecundus.
AEneas Sylvius.
*Alfrici homil. Saxon.

CATALOGUS


ET ERVNT REGES NVTRICII TVI
ET REGINÆ EORVM NVTRICES TVÆ. } ESAI. 49.
FORTITVDE
Non me pudet Euãgelij Christi;
virtus enim Dei est ad salu-
tem omni credenti. Rom. 1.
GOD
SAVE
QUEEN
BEATI QVI AVDIVNT VERBVM DEI
ET CVSTODIVNT ILLVD. LVC. 11.

CATALOGUS
CANCELLARIORUM,
PROCANCELLARIORUM,
PROCURATORUM,

AC EORUM

Qui in ACADEMIA *CANTEBRIGIENSI*
ad gradum DOCTORATUS aſpiraverunt:

ET

NUMERUS

Omnium GRADUATORUM

Ab anno DOMINI MD & anno HENRICI VII 15

Uſque ad annum MDLXXI

Et annum Dominae ELIZABETHAE Angliae Reginae 14.

An. Dom. 1500.

SUMMUS episcopus RICHARDUS



CANCELL. Dunelmen. FOXE.


Procancellarius	D. Jo. Smythe.	
Procuratores	Wilton. Beckinſall.	
D. theologiae	Mawe. Ruthall. Woodbridge. Campe. Bower. Cutler. Morwell. Fynche.	
D. juris	Mulliners. Edmunds.	canon.
	Gyne. Scroope.	civil.
D. medicinae	Harridans.	

Bacchalaurei artium	7.
Magiſtri artium	12.
Bacchalaurei theologiae	5.
Bacchalaurei legum	3.
Magiſtri grammatices	1.

D. theol. Oxon. incorp.	Mayhue.
D. juris Oxon. incorp.	Will. Warham. Herrington. Machell.

1501.

SUMMUS epiſcopus RICHARDUS



CANCELL. Winton. FOXE.

Procancellarius	D. Henr. Babington. D. Joh. Fiſher.
Procuratores	Sycling. Patinſon.
D. Theologiae.	Coſin. Fiſher. Burton. Underwood. Beaumond. Lovermere. Coddingham.


Bacchalaurei artium	29.
Magiſtri artium	23.
Bacchalaurei theologiae	10.
Bacchalaurei legum	13.
Magiſtri grammatices	4.

D. juris incorp.	Morgan	canon.
	Jackſon	civil.

Hoc anno facta compoſitio inter Academiam & oppidum, undecimo Julii, anno decimo ſeptimo Henrici ſeptimi, per Johannem Fiſher, unum Juſtitiariorum de communi Banco, Humfridum Conninſby, & Thomam Frowick, ſervientes regi ad legem, arbitratores.

1502.

Summus Theolog. Georgius Cancell. Doctor Fitzhugh.



Procancell. D. Fisher.

Procurat. { Wiott. Balderston.

D. theolog. { Redman. Fitzwilliam. Geffray. Lowde. Hadam. Stokes. Tunnis.

Bac. art. 23.
Ma. art. 27.
Bac. th. 14.
Bac. LL. 18.
M. gram. 3.

D. jur. civ. { Hannibal. Perte.

1503.

Summus Episcopus Thomas Cancell. Dunelm. Routhall.



Procancell. D. Fitzwilliam.

Procurat. { Edeman. Hutchin.

D. theolog. { Talbot. Briget.

D. juris { Mason. Kauntrell. Tidworth. } canon. { Bonde. Thatcher. } incorp. { Mason. Machell. } civil.


D. medic. Christopherson.

Bac. medic. Barckley.

Bac. art. 34.
Ma. art. 22.
Bac. theo. 8.
Bac. leg. 29.
Ma. gram. 1.

1504.

Summus Episcopus Johannes Cancell. Roffen. Fisher.



Procancell. D. Knight.

Procurat. { Gening. Woodroofe.

D. theolog. { Bolton. Argentine. Morgan.

D. jur. civ. Tollet.

D. musices. Fayrfax.

Bac. art. 26.
Mag. art. 19.
Bac. the. 18.
Bac. leg. 18.

1505.

Procanc. D. Smyth.

Procurat. { Cutler. Watson.

D. theolog. { Coren. Water. Golam. Leisbury. Bolans. Whiting.

D. jur. can. incorp. { Middleton. Lane. Denton.

Bac. art. 24.
Mag. art. 17.
Bac. the. 11.
Bac. leg. 25.

1506.

Procancell. Rich. Burton.

Procurat. { Lambart. Page. — Bac. art. 32. Mag. art. 18. Bac. theol. 7. Bac. leg. 6.

D. theolog. { Eccleston. Robson.

Henricus septimus rex hoc anno venit Cantebrigiam; qui dedit ad fabricam ecclesiae beatae Mariae quadraginta libras, & Academiae centum marcas.

Concessa erat hoc anno domino Erasmo Roterodamo facultas incipiendi in theologia Cantebrigiae.

1507.

Procancell. D. Eccleston.

Procurat. { Natteres. Swayne.

D. theolog. { Wyott. Bekingshaw. Aycomplaint. Thompson. Coren. Stubbes. Woodroofe. Buckenham. Burgyon. Skalles. Metcalfe. Chapils.

Bac. art. 26. Mag. art. 25. Bac. theol. 8. Bac. leg. 18. Ma. gram. 3.

Doct. juris { Lovell. Burgh. } canon. { Shefeilde. Rayne. } civil.

D. medic. { Morgan. Hall.

D. musices. Cowpar.

1508.

Procancell. D. Robson.

Procurat. { Philippe. Picard.

D. theolog. Springwell.

D. jur. can. Conyers.

Bac. art. 42. Mag. art. 17. Bac. theol. 1. Bac. leg. 5. Bac. mus. 1.

1509.

Procancell. D. Buckenham.

Procurat. { Nicolson. Bykardicke

D. theolog. { Treman. Edeman. Genin.

Bac. art. 46. Mag. art. 18. Bac. theol. 5. Bac. leg. 12.

1510.

Procancell. D. Buckenham

Procurat. { Capon. Brighouse.

D. theolog. { Fawne. Jullys. Brigges. Call. Pyckering.

Bac. art. 31. Ma. art. 14. Ba. theol. 8. Bac. leg. 11.

1511.

Procancell. Tho. Thompson.

Procurat. { Sampson. Scotte.

D. medic. { Joley. Mansfeilde.

Bac. art. 42. Mag. art. 29. Bac. theol. 5. Bac. leg. 16. Ma. gram. 1.

1512.

Procancell.	D. Thompſon.	
Procurat.	Thompſon. Ducket.	
D.theolog. incorp.	Shirton. Grene. Miles. Beverley. Burton. Wilcockes.	Bac. art. 44. Mag.art.26. Ba.theol.11. Bac. leg. 22.
D. juris.	Raynes. Barrey. Burrel. Witt. Gregory. Wolman. Cappe.	canon.
	Smyth. Sneyde.	civil.

1513.

Procancell.	D. Fawne.	
Procurat.	Standbanke. Chaundeler.	Bac. art. 32. Mag. art. 21. Bac.theol. 5. Bac. leg. 16.
D. theolog.	Warner. Drayton. Reps, monach.	
	Joachim. Duſſing.	incorp.
D. jur. civ.	Rich. Sampſon.	

1514.

Procancell.	D. Fawne.	Bac. art. 52. Mag.art.27. Bac.theol.4. Bac. leg. 7.
Procurat.	Colingwoode. Maiſter.	
D.theolog.	Senuo. Cudver.	fratres.
	Atclyffe. Holdon.	incorp.
D. jur. civ.	Pellis.	

1515.

Procancell.	D. Eccleſton.	
Procurat.	Nores. Marten.	Bac. art. 42. Mag.art.25. Ba.theo. 10. Bac. leg. 10. Bac.gram. 1.
D.theolog.	Salcot, monach. Ro. Dodington. Jo. Codenham.	
D. jur. civ.	Breton.	

Hoc anno Johannes Fisher, epiſcopus Roffenſis, electus erat Academiae Cantebrigienſis Cancellarius pro termino vitae.

1516.

Procancell.	D. Eccleſton.	
Procurat.	Cutting. Goodricke.	Bac. art. 36. Mag.art. 14. Bac.theol. 8. Bac. leg. 13. Bac.gram. 2. Bac. Muſ. 1.
D.theolog.	Nateres.	
D. jur. can.	Harriſon. Ayſhewell. Mownforde.	

Procan-

1517.

Procancell. D. Duffing.

Procurat. { Bolton. Baynbrige.

D. theolog. { Capon. Stackehouſe. Rob. Tomſon. Watſon. Jo. Weſt. Sampeſon. Aſheley. Overton. Nich. Morley. Swynborne. Mackarell. — Bac. art. 43. Mag. art. 29. Bac. the. 13. Bac. leg. 14. Bac. muſ. 2. Ma. gram. 3. — Mackarell incorp.

D. juris. { Thimbleby. Shefielde. } canon. { Michell. Barrowe. } civil.

1518.

Procancell. D. Nateres.

Procurat. { Copinger. Latham.

D. theolog. { Tho. Stevens. Ridley. Jo. Venetus. Grenowe. Swaine. — Bac. art. 43. Mag. art. 29. Bac. the. 13. Bac. leg. 14.

D. jur. civ. { Tetworthe. Carre.

D. medic. W. Butts.

1519.

Procancell. D. Watſon.

Procurat. { Cockes. Aſhe.

D. theolog. { Nobys. Swelington. Whitcops. — Bac. art. 41. Mag. art. 13. Bac. theol. 4. Bac. leg. 11.

D. juris. { Sam. Breton. } canon. Rivett. civil.

1520.

Procancell. D. Watſon.

Procurat. { Cheſwright. Smith.

D. theolog. { Geninges. Jo. Richard. Jo. Edmundes. W. Lambart. Humfride. Grover. H. Bullocke. Walden. Rayſton. Tompſon. Milling. — Bac. art. 38. Mag. art. 26. Bac. the. 11. Bac. leg. 26. — Tompſon frater. Milling incorp.

D. jur. can. { Quarton. Lee. Topcliffe. Taylor. Sampſon. Edeine. Burbanke. } incorp.

Hoc anno cardinalis Wolſey venit Cantebrigiam.

I

1521.

Procancell. D. Nateres.

Procurat. { Dennye. Medow.

D.theolog. { Elman. Cooke. Thixtill. Struddle. Leonard.

Bac. art. 31. Mag.art.23. Bac. the. 20. Bac. leg. 19.

D. juris { Hampton. Gardiner. } canon. civil.

Hoc anno regina venit Cantebrigiam.

Libri Lutheri, & aliorum ejus farinae, hoc anno combusti.

1522.

Procancell. D. Stackhouse.

Procurat. { Franke. Craforde.

D.theolog. { Bollom. Greene. Filoo. Cockes. Preston. Anglicus. Duffeilde. Denham. White.

Bac. art. 26. Mag.art. 21. Bac. theol. 5. Bac. leg. 7.

Doct. juris { St. Gardiner. Mace. Strangeways. } canon.
Clyffe. civil.

1523.

Procanc. D. Edmundes.

Procurat. { Rowley. Stafforde.

D.theolog. { Adison. Sharpe. Marshall. Patenson. Barnes. Stokes.

Bac. art. 40. Mag. art. 22. Bac. the. 19. Bac. leg. 6.

D. juris. { Glocester. Cliffe. } canon. civil.

Rex Henricus VIII. hoc anno venit Cantebrigiam.

1524.

Procancell. D. Greene.

Procurat. { Dente. Brigenden.

D.theolog. { Forman. Stanley. Croke. Hale. Wigan.

Bac. art. 46. Mag. art. 22.

D. jur. can. { Dowlman. Wilson.

1525.

Procancell. D. Bullocke.

Procurat. { Aldrige. Maxwell.

Bac. art. 40. Mag.art. 28. Bac. th. 12. Bac. leg. 9.

Non est inauguratus ullus doctor hoc anno.

1526.

Procancell.	D. Nateres.	
Procurat.	Streteye. Brigges.	
D. theolog.	Crome. Hartwell. Downes. Cranmer. Lord, abbas Ingworth. Sherewode.	Bac. art. 40. Mag. art. 25. Bac. the. 11. Bac. leg. 13. Ba. leg. civ. 3.
D. juris.	Northe.	canon.
	Hynmer. Rivett.	civil.

1527.

Procancell.	D. Nateres.	
Procurat.	Duplacke. Harwode.	Bac. art. 42. Mag. art. 23. Bac. theol. 2.
D. theolog.	Senocke. Brinkeley.	Bac. leg. 3. Ba. leg. civ. 3.
D. medic.	Tho. Wendy.	incorp.

1528.

Procancell.	D. Edmundes.	
Procurat.	Shafto. Hutton.	
D. theolog.	Buckmaster. Sponer. Artwicke. Boston. Gyles.	Bac. art. 32. Mag. art. 21. Bac. theol. 5. Bac. leg. 14.
D. juris	Hymner. Smith.	canon.
	Thirleby.	civil.
D. medic.	Brassie.	

1529.

Procancell.	D. Edmundes.	
Procurat.	Smith. Bruer.	Bac. art. 16. Mag. art. 20. Bac. theol. 6.
D. theolog.	Aspis.	Bac. leg. 5. Mag. gra. 2.
D. juris.	Totche.	canon.
	W. Dussing. Palmes. G. Blythe. Daking.	civil.
D. medic.	Dav. Edwardes.	

1530.

Procancell.	D. Buckmaster.	
Procurat.	Swynborn. Blythe.	Bac. art. 40. Mag. art. 26. Bac. theol. 1.
D. theol.	Hobson. Sneyde.	Bac. leg. 14.
D. jur. can.	Bekingsall. Thirleby. Lane.	

1531.

Procancell.	D. Watson.	
Procurat.	Linsey. Wilson.	
D. theolog.	Tho. Bawgh. Sim. Haynes. Hen. Lockwode. R. Buckenham. Rob. Ellis.	Bac. art. 37. Mag. art. 8. Bac. theol. 5. Bac. leg. 15.
D. jur. civ.	W. Maye. Lygh.	
D. medic.	Tho. Harwode.	

1532.

Procancell. D. Watſon.

Procurat. Blythe. Maſterman.

D. theolog. Cronkarde. Grenewode. Barrington. Brandeſbye.

Bac. art. 28.
Mag. art. 17.
Bac. the. 10.
Bac. leg. 11.

D. jur. civ. Thetworthe. Aſpelande.

D. medic. P. Rutlande. Hen. Walker.

1533.

Procancell. D. Haynes.

Procurat. Cake. Tayler.

D. theolog. Nic. Shaxton. Rob. Bennet. Jo. Barret.

Bac. art. 43.
Mag. art. 28.
Bac. the. 15.
Bac. leg. 12.

D. juris. Towneſend. canon. Rokeſbye. civil.

1534.

Summus Cancell. Thomas Cromwell poſtea com. Eſſexiae.

Procancell. D. Haynes.

Procurat. Nic. Ridley. Wilkes.

D. theolog. Hillyarde. Holbeche.

Bac. art. 43.
Mag. art. 26.
Bac. the. 11.
Bac. leg. 11.
Bac. muſ. 1.

D. jur. civ. Row. Taylor. Rob. Okinges.

D. medic. Tho. Bill. incorp.

1535.

Procanc. M. Craforde.

Procurat. Hen. Mallet. Jo. Madew.

D. theolog. Jo. Skippe. Rog. Daliſon. Jo. Craforde. Nich. Hethe. Rich. Barkwey. Fra. Mallet. Rod. Bradforth.

Bac. art. 33.
Mag. art. 19.
Bac. the. 10.
Bac. LL. 17.

D. jur. civ. Eliſaeus Price.

Procan-

1536.

Procancell. D. Craforde.

Procurat. { Ainſworth. / Saunders.

Bac. art. 30. Mag.art. 17. Bac.the. 10.

D. theol. { Jo. Elmer. / Tho. Diſſe. / Geor. Browne. incorp.

1537.

Procancell. D. Mallet.

Procurat. { Joliffe. / Stokes.

D.theolog. { Holgate { epiſc. / Land. / Champion. / George Day. / Rich. Cox. / Jo. Gough. / Jo. Redman. / Jo. Hardiman.

Bac. art. 38. Mag.art. 26. Bac. the. 17. Bac. leg. 13.

1538.

Procancell. D. Daye.

Procurat. { Standiſhe. / Cobbe.

Bac. art. 43. Mag.art. 19. Bac.theol. 5. Bac. leg. 5. Bac.med. 2.

D.theolog. { Thixtell. / MAT. PARKER. / Jo. Taylor.

D. medic. Rob. Huicke.

1539.

SUMMUS CANCELL. Epiſcopus Winton. STEPHANUS GARDYNER.

Procancell. D. Buckmaſter.

Procurat. { Gylpin. / Sanderſon.

Bac. art. 35. Mag. art. 27. Bac.theol. 7. Bac. leg. 8.

D. theolog. { Buckley. / Babthorppe.

D. jur. civ. { Chr. Nevinſon. / Galf. Glyn.

1540.

Procanc. D. Buckmaſter.

Procurat. { Ainſworth. / Langdale.

Bac. art. 42. Mag. art. 20. Bac. the. 4. Bac. leg. 3. Bac. med. 3. Bac. gram. 1.

D.theolog. { Rich. Vowell. / Tho. Tedman. / Nich. Ridley.

D. jur. civ. Ber. Sandeford.

D. medic. Hen. Standeſby.

1541.

Procancell.	D. Mallet.		
Procurat.	Pulley. / Umfrey.		Bac. art. 30. Mag. art. 31. Bac. theol. 5. Bac. leg. 6.
D. theolog.	Lancel. Ridley.		
D. jur. civ.	Edmund Stuart. / Pierpoynt.	incorp.	
D. medic.	Argentine.		

1542.

Procancell.	D. Standishe.		Bac. art. 49. Mag. art. 19. Bac. theol. 4. Bac. leg. 9. Bac. med. 2.
Procurat.	Bisell. / West.		
D. jur. civ.	Tho. Smith. / Rich. Standishe.	incorp.	
D. medic.	Jo. Walker.	incorp.	

1543.

Procancell.	D. Edmundes.		
Procurat.	Si. Brigges. / Ed. Sandys.		Bac. art. 33. Mag. art. 27. Bac. the. 17. Bac. leg. 5.
D. jur. civ.	Humf. Busby. / Hen. Harvy.		
D. medic.	Jo. Hatcher. / St. Caslegges. / Blythe.	incorp.	

1544.

Procancell.	D. Smith.		
Procurat.	Cumberforth. / Wakelynge.		
D. theolog.	Jo. Seton. / W. Glyn. / W. Carter. / Skete.		Bac. art. 36. Mag. art. 39. Bac. th. 16. Bac. leg. 4.
D. jur. civ.	Jo. Clarke.		

1545.


Procancell.	D. PARKER.	
Procurat.	Rayner. / Barker.	Bac. art. 39. Mag. art. 30. Bac. theol. 8. Bac. leg. 3.
D. theolog.	Rich. Atkinson.	
D. medic.	Rob. Recorde.	
D. musices.	Chr. Tye.	

1546.

Procancell.	D. Madew.	
Procurat.	Cosyn. / Bagot.	Bac. art. 16. Mag. art. 23. Bac. the. 13. Bac. leg. 2.
D. theolog.	Jo. Madew.	
D. medic.	Balth. Gwersye.	

1547.

SUMMUS CANCELLARDUS



EDWARDUS Dux de SOMERSET.

Procancell. D. Madew.

Procurat.	Barker. Perne.	
D. theolog.	Bill.	Bac. art. 35.
	Sy. Brigges.	Mag. art. 18.
	AEgid. Ayre.	Bac. the. 9.
	Tonge.	Bac. leg. 1.
	Jo. Poynet.	
	Scotte.	
D. jur. civ.	Rich. Farley.	

1548.

Procancell.	D. PARKER.	
Procurat.	Burman. Karlehill.	Bac. art. 29. Mag. art. 15.
D. theolog.	Tho. Davis.	Bac. the. 7.
D. medic.	Rob. Pickering.	

1549.

Procancell.	D. Bill.	
Procurat.	Grindall. Gasquoyne.	Bac. art. 30. Mag. art. 26.
D. theolog.	Sandys. Clabroke.	Bac. the. 14. Bac. leg. 2.
D. jur. civ.	Gual. Haddon.	

1550.

Procancell.	D. Haddon.	
Procurat.	Bullocke. Baker.	Bac. art. 32. Mag. art. 8.
D. theolog.	Martin. Bucerus	Bac. the. 1.

1551.

SUMMUS CANCELLARIUS



JOHANNES NORTHUMBRIÆ Dux.

Procancell.	D. Madew.	Bac. art. 26. Mag. art. 17.
Procurat.	Peerson. Ebden.	Bac. theol. 9.

Non est ullius facultatis doctor aliquis hoc anno inauguratus.

Primo die Martii hujus anni obiit Cantebrigiae MARTINUS BUCERUS, & sepultus est in choro beatae Mariae Magnae.

1552.

Procancell.	D. Perne.	
Procurat.	Standishe. Conye.	Bac. art. 37. Mag. art. 17.
D. theolog.	And. Perne.	Bac. theol. 4.
D. jur. civ.	Grif. Trygan. W. Mowse.	
D. medic.	Lancton.	

1553.

SUMMUS Episcopus STEPHANUS CANCELL. Winton. GARDYNER.

Procancell. D. Sandsy.

Procurat. { Hawforde. Yale & Robinson.

D. theolog. Jo. Yonge.

D. jur. civ. Steph. Neyunson

D. medic. { Standishe. Patricke.

Bac. art. 42.
Mag. art. 22.
Bac. the. 3.
Bac. leg. 3.

1554.

Procanc. D. Yonge.

Procurat. { Gardyner. Barleye.

D. theolog. { Watson. Langdale. Segiswicke. Fawcet.

Bac. art. 48.
Mag. art. 19.
Bac. the. 16.
Bac. LL.

1555.

SUMMUS Arch. REGINALDUS CARDI- CANCELL. Cant. POLE NALIS.

Procancell. { D. Glyn. D. Scot.

Procurat. { Balye. Garthe.

D. theolog. { Bayne { Episcop. Lich. & Coven. } per gratiam. Weston. } incorp.

D. jur. civ. Mich. Dunning.

D. medic. { Frier. Bownde.

Bac. art. 43.
Mag. art. 33.
Bac. theol. 5.
Bac. leg. 4.

1556.

Procancell. { D. Scot { Episc. Cestr.

Procurat. { Boys. Gwyn.

D. jur. can. Hug. Gryffyn.

Bac. art. 37.
Mag. art. 27.
Bac. theol. 6.

1557.

Procancell. D. Perne.

Procurat. { Robinson. Glyn.

D. theolog. { Brassey. Heskins. Bullocke. Beaumount. Ormanet. Henr. Cole. } incorp.

D. jur. civ. { Mytche. Yale.

Bac. art. 27.
Mag. art. 24.
Bac. theol. 4.
Bac. leg. 5.
Bac. med. 1.

Hoc anno, Februarii sexto, ossa MARTINI BUCERI, & PAULI FAGII, exhumata & combusta Cantebrigiae.

Procan-

1558.

SUMMUS CANCELL. WILLIELMUS CECYL Miles.

Procancell.	D. Rob. Braſſey.	Bac. art. 41.
		Mag. art. 22.
Procurat.	Goldyng.	Bac. the. 1.
	Daye.	Bac. leg. 1.
D. jur. civ.	Fuller.	
D. medic.	Caius.	incorp.
	Carre.	
	Herde.	

1559.

Procancell.	D. Edm. Coſyn.	
	D. Jo. Porye.	
Procurat.	Smythe.	Bac. art. 28.
	Bell.	Mag. art. 22.
		Bac. theol. 1.
D. theolog.	Porye.	
	Horne.	
D. jur. civ.	N. Bullyngham.	
D. medic.	Glyn.	
	Hare.	

1560.

Procanc.	D. And. Perne.	
Procurat.	Dodyngton.	Bac. art. 60.
	Fuller.	Mag. art. 20.
		Bac. the. 6.
D. jur. civ.	Gaſcoyne.	
	Drurye.	
	Gwynne.	
D. medic.	Lorkyn.	

1561.

Procancell.	D. Hen. Harvey.	Bac. art. 53.
		Mag. art. 31.
Procurat.	Girlyngton.	Bac. theol. 9.
	Cowell.	Bac. leg. 1.
		Bac. muſ. 1.
D. jur. civ.	Georg. Ackworthe.	

Hoc anno domina regina noſtra ELIZABETHA nova conceſſit privilegia.

1562.

Procanc.	D. Phil. Baker.	
Procurat.	Maiſter.	Bac. art. 51.
	Blythe.	Mag. art. 20.
		Bac. theol. 8.
D. theolog.	Baker.	Bac. leg. 3.
D. jur. civ.	Fyrthe.	
	Threekyl.	
	Valent. Dale.	incorp.
D. medic.	Boyton.	

1563.

Procancell.	D. Fran. Newton.	Bac. art. 80.
		Mag. art. 44.
Procurat.	Oxenbridge.	Bac. the. 4.
	Igulden.	Bac. leg. 7.
D. theolog.	Newton.	per gratiam.
	Berkeley (Epiſc. Bath. Well.)	per gratiam.
	Coverdale.	incorp.
D. jur. civ.	Ithell.	
D. medic.	Lee.	

1564.

Procancell. D. Hawforde.

Procurat. { Curteys. Worley.

D. theolog. { Hawforde. Leon. Pilkyngton. Beaumont. Grindall { Epifc. Lond. } per gratiam. Stokes. Goodman. Kelke. Mey. Ebden. Cole. Gul. Latymer. Scambler { Epif. Petr. } per gratiam.

Bac. art. 71.
Mag. art. 39.
Bac. theol. 4.
Bac. leg. 2.

D. medic. { Walker. Coldwell.

Hoc anno, Augufti quinto, domina regina ELIZABETHA venit Cantebrigiam; & decimo Augufti admiffi funt in ordinem magiftrorum in artibus,

Tho. Howarde, dux Norfolke.
Tho. Ratcliffe, dominus Fitzwalter, comes Suffexiae.
Amb. Dudley, comes Warwic.
Edm. Veer, comes Oxon.
Ed. Manors, comes Rutland.
Rob. Dudley, comes Leiceftr.
Ed. Clynton, fummus admirallus.
W. Howard, magnus camerarius.
H. Carew, dominus Hunfden.
W. Cecyl miles, fecretarius.
Fran. Knollys miles, vicecamerar.
Thomas Heneage.
Joannes Afheley.
Rich. Barthew.
W. Cooke.
Ed. Cooke.
} armigeri.
} per gratiam.

1565.

Procancell. D. Beaumont.

Procurat. { Byng. Clarke.

D. theolog. Hutton.

Bac. art. 85.
Mag. art. 27.
Bac. the. 7.

1566.

Procancell. D. Stokes.

Procurat. { Byng. Prefton.

D. theolog. { Robinfon. Rufhe.

D. medic. Butler.

Bac. art. 86.
Mag. art. 46.
Bac. theol. 1.
Bac. leg. 2.

1567.

Procancell. { D. Beaumont. Rog. Kelke.

Procurat. { Sheppard. Dering.

D. theolog. { Adam Loftus. Longworth. Whitgift. Spencer.

Bac. art. 86.
Mag. art. 45.
Bac. the. 3.
Bac. leg. 1.

D. jur. civ. Rowland.

D. medic. { Smith. Warde. Shereman. Reynoldes.

Procan-

1568.

Procancell. D. Longworth.

Procurat. { Lyndley. / D'Awbeney. } — Bac. art. 118. Mag. art. 59. Bac. theol. 4. Bac. leg. 2. Bac. med. 1.

D. jur. civ. { Maiſter. / Ellys. }

D. medic. Barneſdale.

1569.

Procancell. D. Young.

Procurat. { Wells. / Rokerey. / Lewyn. } — Bac. art. 86. Mag. art. 62. Bac. the. 22. Bac. leg. 2. Pra. Chir. 1.

D. theolog. { Young. / Curteys. / Chaderton. / Walker. / Gardiner. / Laur. Humphrey Oxon. incorp. }

D. jur. civ. { Worley. / Leeds. / Randall. / Hammond. / Clarke. / Bryſley. }

D. medic. { Volpe. / Gylbert. }

1570.

Procancell. D. Meye.

Procurat. { Aldriche. / Sherwood. }

D. theolog. { Wattes. / Lakyn. / Freke. } — Bac. art. 114. Mag. art. 55. Bac. the. 14. Bac. leg. 4. Pra. med. 1.

D. jur. civ. { Bynge. / Byſhop. }

D. medic. Barrow.

{ Cevalerius D. theologiæ. / Row Mag. artium. } incorp.

1571.

Procancell. D. Whitgift.

Procurat. { Byngham. / Belott. } — Bac. art. 113. Mag. art. 71. Pra. med. 1.

D. jur. civ. Gybſon.

D. medic. Lakes.

{ Pole. / Sabell. } incorp.

Cooptatus eſt in ordinem magiſtrorum artium, trigeſimo Martii, in plena congregatione,

Dominus Wilhelmus marchio Northamton, ordinis garterii miles. } per gratiam.

Eodem anno, trigeſimo Auguſti, cooptati ſunt in ordinem magiſtrorum artium,

Dominus Edwardus, comes Hertforde.
Dominus Thomas Buckhurſt.
Georgius Carew miles.
Carolus Howard miles.
Thomas Cecyl armiger. } per gratiam.

Tho. Wilſon reginæ ſupplicum libellorum magiſter, D. legum.
Rich. Maſter D. medicinae, D. reginae ELIZABETH medicus. } incorp.

Sept. 27. anno 1571. Reverendus in Chriſto pater dominus Thomas epiſcopus Lincolniae, D. D. Oxon. incorp.

Hoc anno magiſtri in art. reſpondent in theologia in comitiis; quod memoria hominum nunquam antea contigit.

1572.			1573.		
Procancell.	D. Rog. Kelke.		Procancell.	D. Tho. Bynge.	
Procurat.	Beacon. Purifoy.	Bac. art. 85. Mag. art. 61.	Procurat.	Allein. Tracy.	Bac. art. 120.
D. theolog.	Fulke.	Bac. the. 8.	D. jur. civ.	Barth. Clerke. Tho. Creake.	Mag. art. 63. Bac. theol. 8.
D. jur. civ.	Bingham.		D. medic.	Wilkinſon.	
Pra. Med.	Butler.		Pract. med.	Barwick. Dodinge.	

Octob. 26. conceditur magiſtro Willielmo Butler, ut ſtudium ſex annorum in medicina, poſtquam rexerit in artibus, ſufficiat ei ad practicandum in eadem. Praeſentatus per D. Ward, Decemb. 16.

Nullus doctor in theologia hoc anno. Gul. Redman, Bac. Theol. Col. Trin. reſpondit in comitiis.

Barth. Clarke, vir doctus & diſertus, ſcripſit Fidelem Servum, &c. Tranſtulit Caſtilionis Aulicum ex Italico in Latinum.



EPISCOPI

EPISCOPI ex ACADEMIA CANTEBRIGIENSI, qui ab anno Chriſti 1500. uſque ad annum 1571. principi & regno ſervierunt.

EX PROVINCIA CANTUARIENSI.

SEDES.	NOMINA.	GRAD.	A. D.
Cantuar.	T.Langton.elect.	Th.D.	1500
	Henr. Dene.	Th.D.	1501
	Tho. Cranmer.	Th.D.	1532
	MATTH. PARKER.	Th.D.	1559
Londin.	T. Savage.	LL.D.	1500
	Cuth. Tonſtall.	LL.D.	1522
	Nicolas Ridley.	Th.D.	1549
	Edm. Grindall.	Th.D.	1559
	Edwin Sandys.	Th.D.	1570
Winton.	Tho. Langton.	LL.D.	
	Rich. Foxe.	Th.D.	1501
	Steph. Gardiner.	LL.D.	1534
	John Poynet.	Th.D.	1551
	Robertus Horne.	Th.D.	1560
Lincoln.	Tho. Rotheram.	LL.D.	
	H.Holbech.conf.	Th.D.	1547
	Joh. Taylor.	Th.D.	1552
	Tho. Watſon.	Th.D.	1557
	Nic. Bullingham.	LL.D.	1559
Sariſbur.	Tho. Langton.	LL.D.	
	Henr. Dene.	Th.D.	1500
	Nich. Shaxton.	Th.D.	1535
	Joh. Salcot, alias Capon.	Th.D.	1539
	Edm. Gueſt.	Th.D.	1571
Wigorn.	Hugo Latymer.	Th.D.	1535
	Nich. Heath.	Th.D.	1543
	Edwin Sandys.	Th.D.	1559
	Nic. Bullingham.	LL.D.	1570
Roffen.	Tho. Rotheram.	LL.D.	
	Tho. Savage.	LL.D.	
	Joh. Fiſher.	Th.D.	1504
	Joh. Hilſey.	Th.D.	1535
	Nich. Heath.	Th.D.	1540
	Henr. Holbech.	Th.D.	1544
	Nicolas Ridley.	Th.D.	1547
	Joh. Poynet.	Th.D.	1550
	Joh. Scorie.	Th.B.	1551
	Edm.Allen. elect.	Th.B.	1559
	Edm. Gueſt.	Th.D.	1559
	Edm. Freak.	Th.D.	1571

SEDES.	NOMINA.	GRAD.	A. D.
Norwic.	Will. Reppes.	Th.D.	1536
	Tho. Thirleby.	LL.D.	1550
	Joh. Hopton.	Th.D.	1553
Elyen.	Joh. Alcock.	LL.D.	1500
	Rich. Redman.	Th.D.	1501
	Jacobus Stanley.	Th.D.	1506
	Nicolaus Weſt.	Th.D.	1515
	N.Hawkins elect.	LL.D.	1534
	Tho. Goodrich.	Th.D.	1534
	Tho. Thirleby.	LL.D.	1554
	Rich. Cox.	Th.D.	1559
Hereford.	Car. Booth.	Th.D.	1516
	Ed. Fox.	Th.D.	1535
	Joh. Skyppe.	Th.D.	1539
	Joh. Scorie.	Th. B.	1559
Coventr. & Lichf.	Galf. Blithe.	LL.D.	1503
	Rol. Leigh.	LL.D.	1534
	Rich. Sampſon.	LL.D.	1542
	Rad. Bayne.	Th.D.	1555
Ciceſtren.	Edw. Story.	Th.D.	1502
	Rich. Fitzjames.	LL.D.	1503
	Rich. Sampſon.	LL.D.	1536
	George Day.	Th.D.	1543
	John. Scory.	Th. B.	1552
	J.Chriſtopherſon	Th.D.	1557
	Rich. Curteys.	Th.D.	1570
Bathon. & Wellen.	Rich. Fox.	Th.D.	
	Joh. Clark.	Th.D.	1523
	W. Knight.	LL.D.	1541
	Gilb. Berkeley.	Th. B.	1559
Exon.	Rich. Fox.	Th.D.	
	Rich. Redman.	Th.D.	
	Hugo Oldham.	Th.D.	1504
	Milo Coverdale.	Th.D.	1551
	Will. Alley.	Th.D.	1560
Meneven.	Tho. Langton.	Th.D.	
	Edw. Vaughan.		1509
	Rob. Farrar.	Th. B.	1548
Aſaph.	Rich. Redman.	Th.D.	
	Edm. Birkhead.	Th.D.	1513
	Henr. Standiſh.	Th.D.	1518
	Rob. Warton.	Th. B.	1536
	Th. Davis.	LL.B.	1559

Ex Provincia Cantuariensi.

Landav.	Rob. Holgate.	Th. B.	1537
	Anth. Kytchin.	Th.D.	1545
Bangor.	Henr. Dene.	Th.D.	1500
	Joh. Salcot, alias Capon.	Th.D.	1534
	Joh. Bird.	Th.D.	1539
	Will. Glyn.	Th.D.	1555
	Nich. Robinson.	Th.D.	1566
Westm.	Tho. Thirleby.	LL.D.	1540
Petriburg.	Joh. Chamber.	Th. B.	1541
	Edm. Scambler.	Th. B.	1560
Glocestr.	Rich. Cheyney.	Th. B.	1562
Bristol.	Rich. Cheyney.	Th. B.	1562
	commendatarius.		
Oxon.			

Ex Provincia Eboracensi.

Eborac.	Tho. Rotheram.	LL.D.	1500
	Tho. Savage.	LL.D.	1501
	Rob. Holgate.	Th.D.	1544
	Nich. Heathe.	Th.D.	1553
	Will. May elect.	LL.D.	1559
	Edm. Grindall.	Th.D.	1570
Dunelm.	Rich. Fox.	Th.D.	1502
	Tho. Routhall.	LL.D.	1509
	Cuthb. Tonstall.	LL.D.	1529
	Jac. Pilkington.	Th. B.	1561
Carliol.	Edw. Story.	Th.D.	
	Rog. Leyburn.	Th.D.	1503
	Rob. Aldrich.	Th.D.	1537
Cestren.	Joh. Bird.	Th.D.	1541
	Cuthb. Scot.	Th.D.	1555

Episcopi Hibernici.

Geor. Browne, Archiep. Dublin. 1535.
Adam Loftus, Arch. Dublin. 1561.
Joh. Bale, Episcopus Offoriensis, 1553.

Praeter eos, qui ante Episcopatus suos susceptos, incorporati sunt Cant. & ultra Suffraganeos, qui erant de Academia.

PROVISIONES & EMPTIONES

Anno Domini 1295. circa inthronizationem ROBERTI Archiepiſcopi.

DE Frumento, liv quarteria, prec. quarter. v s. viii d.	xv l. vi s.
De ſimila pura, & pro operatione le wafers,	xx s.
De vino rubeo, vi dolia, prec. dol. iv l.	xxiv l.
De vino claret iv dol. prec. dol. lxxiii s. iv d.	xiv l. xiii s. iv d.
De vino albo elect. unum dol.	iii l. vi s. viii d.
De vino albo pro coquina, unum dol.	iii lib.
De Malveſey, i but.	iv l.
De Oſſey, i pipe.	iii l.
De vino de Reane, ii almes.	xxvi s. viii d.
De cerviſia Londini, iv dol.	vi li.
De cerviſia Cant. vi dol. prec. dol. xxv s.	vii l. xs.
De cerviſia Ang. bere, xx dol. prec. dol. xxiii s. iv d.	xxiii l. vi s. viii d.
De ſpeciebus in groſſ. ſimul cum le Sokettes.	xxxiii l.
De cera operat. & diverſ. luminar. iii c l. le c l. xlvi s. viii d.	vii l.
De candel. albis. liv dd. le dd. xv d.	iv l.
De panno lineo & canvas, vi c uln. le uln. v d.	xiv. l. x s.
De lynge iii c, prec. c iii l.	ix l.
De coddes vi c, le c xxvi s. viii d.	viii l.
De ſalmon ſalſ. vii barrel, le bar. xxviii s.	ix l. xvi s.
De ſalmon recent. xl. prec. cap. vii s.	xiv l.
De halec. alb. xiv barrel, le bar. viii s.	v l. xii s.
De halec rub. xx cades, le cade iv s. viii d.	iv l. xiii s. iv d.
De ſturgion ſalſ. v barel, le bar. xxx s.	vii l. x s.
De anguil. ſalſ. ii barel, le bar. xlvi s. viii d.	iv l. xiii s. iv d.
De anguil. recent. vi c. prec. c xl s.	xii l.
De welkes, viii M. prec. M v s.	xl s.
De pykes v c, le c. v l.	xxv l.
De tenches cccc. prec. c iii l. vi s. viii d.	xiii l. vi s. viii d.
De carpes c. prec. capit. xvi d.	vi l. xiii s. iv. d.
De breames DCCC. prec. c xl s.	xvi l.
De lampreys ſalſ. ii barel. le bar. xx s.	xl s.
De lampreys recent lxxx. prec. cap. xxii d.	vii l. vi s. viii d.
De lamprons recent. MCCCC.	prec. in groſs. lii s.
De congre ſalſ. cxxiv. prec. cap. iii s.	xviii l. xii s.
De roches groſſ. cc. prec. c. iii s. iv d.	vi s. viii d.
De ſeales & porpoſs.	prec. in groſs. xxvi s. viii d.
De pophyns vi dd. le dd. iv s.	xxiv s.
De piſcibus mar. xxiv ſeames, le ſeame xi s. iv d.	xiii l. xii s.
De ſale alb. & groſs. iii quart. le quart. x s.	xxx s.
De oleo rape ii barel. le bar. xxxvi s. viii d.	iii l. xiii s. iv d.
De oleo olivae v. lagen. prec. lagen. ii s.	x s.
De melle i barel.	prec. xliii s.

De


De ſinap. in groſs.	xiii s. iv d.
De vino acri i hogſh.	viii s.
De vergez i pipe.	xvi s.
De carbonibus cc quarter.	prec. v l.
De talſhide & fagot ii M.	prec. liii s. iv d.
De conductione D garniſh. vaſ. electr. capient. pro le garniſh. x d.	xx l. xvi s. viii d.
De vaſ. ligneis lx dd. prec. dd. viii d.	xl s.
De ciphis lig. alb. iii M.	prec. v l.
De ollis terreis lxii dd.	prec. iii l. ii s.
In cariagio ſtauri per terram & aquam.	xlii l.
In ſtipendiis cocorum Londini, & aliorum.	xxiii l. vi s. viii d.
In regard. heraldorum armorum, le trumpets, & aliorum mimorum, &c.	xx l.
In pictura throni & operatione de ſotilties in ſaccharo & cera.	xvi l.
In expenſ. neceſſariis, una cum regard. datis diverſis perſonis venientibus, cum diverſ. exhenniis.	x l.

Summ. D. xiii l. iii s.


Ultra compoſitionem cum duce pro feodis ſuis, & regardis expenſ. circa famulos ſuos, & ultra diaetam ſuam per tres dies in maneriis archiepiſc. & ultra conductionem lectorum, &c. Ultra ea, quae miſſa ſunt a Londino, & conductionem vaſorum coquinariorum praeter ſua propria. Et recompenſationem vaſorum electri, id eſt, iv garniſh. ii dd. & vii peces deperditor. & xviii peces northen. ruſſetes; & alias multas proviſiones de ſuo, &c.

M. D. that A.D. 1295. Gilbert of Clare, earle of Glouceſter, receyved his whole fee of Robert of Winchelſey, archbiſhop as by compoſition, for his Stewardſhip and Butlerſhip: and the ſaid Gilbert receyved of Walter archbiſhop for his fee by compoſition two hundred markes: and Hugh of Awdley earle of Glouceſter receyved of John Stratford archbiſhop one hundred markes: and the earle of Stafford, lord of the caſtle of Tunbridge, was at the intronization of Simon of Sudbury archbiſhop, and received for his fee forty marks, and a cuppe of ſilver gylt.

M. D. That there was hired for the furniture of the intronization of William Warham, beſydes his ſylver garniſhes, in pewter, fyve hundred garniſhe: whereof was loſt, and recompenſed, foure garniſhe, two dozen, and ſeven peces.



DE VETUSTATE Britannicae Ecclesiae TESTIMONIA.



RACTATURI de Cantuariensibus Archiepiscopis, qui *Dorovernenses* antiquitus dicti sunt: quia totius Anglicanae Ecclesiae Primates & Metropolitani fuerunt, commodissimum faciemus, si primam Christianae Ecclesiae originem, & institutionem in Insula Britannica, ex antiquissimis Patrum scriptorumque testimoniis, tanquam altius ducto hujus utilissimae narrationis principio, declaraverimus. Qua diligentius perpensa & explorata, reperiemus non modó pervetustam eam fuisse, sed etiam ab ipso primum per Apostolos propagato per orbem Evangelio, non a Romana sede, ut Pontificii contendunt, & plerique imperite autumant, & initia duxisse, & accepisse incrementa. Gildas enim antiquissimus inter eos, qui fide digni sunt, Britannicarum rerum scriptor, tradit Britannos jam inde ab ortu Evangelii Christianam suscepisse fidem. Tum Origenes, qui proximis fuit post Apostolos saeculis, testatur Britanniam in Christianam consentire religionem. Hom. 4. in Ezech. Et cum hoc Tertullianus antiquissimus Ecclesiae pater, in Judaeos scribens de gentibus Christianam fidem amplexis, meminit Britannorum. Tertull. in Judaeos. Cujus haec sunt

diſerta verba: "In quem alium univerſae gentes crediderunt, niſi in Chri- " ſtum, qui jam venit? Cui enim & aliae gentes, Parthi, Medi, &c. ut " jam Getulorum varietates, Maurorum multi fines, Hiſpaniarum om- " nes termini, Galliarum diverſae nationes, & Britannorum inacceſſa " Romanis loca," &c. Huic aetati finitimus Athanaſius, mentionem de his faciens nationibus, quæ ad Sardicum concilium conveniſſent, "In

In Apolog. 2. contra Arianos.

" magno, inquit, Sardico concilio, noſtram innocentiam plures quam " trecenti Epiſcopi ſuis calculis comprobarunt: qui ex multis provinciis, " AEgypti, Libyae, Pentapoleos, &c. Hiſpaniarum, Galliarum, Britan- " niarum, eo ſe ad concilium contulerant." Huc accedit Arelatenſis ſecun-

Concil. Tomo I.

di concilii authoritas, in quo diſerte exprimitur, "*Reſtitutum* quen- " dam Londinenſem Epiſcopum ei concilio e Britannia vocatum inter- " fuiſſe, ejuſdemque decretis ſubſcripſiſſe." Ad extremum in Eccleſiaſti- ca Nicephori hiſtoria extat ejuſdem Athanaſii ad Jovinianum Imperato-

Caliſti. lib. 10. cap. 42.

rem Epiſtola, in qua ſcribit: "Illud ſcito, Chriſtianiſſime Auguſte, a " ſaeculo hanc eſſe praedicatam fidem, & hanc ipſam profeſſos eſſe, qui " Nicaeae convenere patres, ac etiamnum ſuffragiis ſuis eam compro- " bare omnes, quae paſſim ſunt, Eccleſias, in Hiſpania, & Britannia, & " Gallia, & Germania. Omnium enim earum quas recenſuimus, com- " perta nobis eſt ſententia, quod ab eis Epiſtolas habeamus." Ex quibus manifeſto conſtat authoritatibus, non modo Chriſtianam fidem primis illis temporibus a Britannis receptam, ſed Eccleſiam inſtitutam, & Epiſcopis, ſinguliſque miniſtrorum ordinibus diſtinctam, longe ante Auguſtini a Gregorio miſſi huc adventum fuiſſe. Quod ſi quis tanquam moturus nobis controverſiam, citata teſtimonia ad eam Britanniam referat, quae jam Galliae provincia, inter Normanniam & Guaſconiam interjecta eſt; perpendat Tertullianum de Britannia Romanis inacceſſa loqui, ſicut hoc verſu Virgilium:

Et penitus toto diviſos orbe Britannos.

Itemque Senecam Latinum Tragicum:

Cuique Britanni terga dedere,
Ducibus noſtris ante ignoti.

Lib. 8. Com. de bello Gall. ab Hirtio conſcript.

Illa enim Galliae regio, inter Normanniam & Guaſconiam in altum Oceanum porrecta, a Julio Caeſare Armorica nuncupata, adventu Fabii tunc quibuſdam Romanis legionibus a Caeſare praefecti, poſt multos Gallorum motus, in Romanam deditionem, ſicut reliqua Gallia penitus ceſſit & conquievit. Nec ante Britannia dicta eſt, quam a Britannis veteribus hujus regni incolis, patriam deſerentibus, Armoriciſque inde ejectis & deturbatis occupata, eorum novo incolatu ſic nominata fuit, An. Dom. 596. trecentis amplius poſt praedictos patres annis. Cujus rei certiſſimum habemus hodiernum argumentum, quod illi Gallobritanni, veteris Britannici ſermonis Wallis ſeu Cambris Britannorum in hac Inſula reſiduis uſitati, verba atque idioma adhuc adeo retinent, ut ab his facile intelligantur. Praeterea nec *Reſtitutus* Londinenſis Epiſcopus in Arelatenſi concilio nuper commemoratus ex illa Britannia eſſe potuit: Ut nemini dubium ſit, illam de Gallicana Britannia dubitationem a Ponti-

Pontificiis inculcatam, esse manifestam fraudisque plenam calumniam. Sed singularum in illa priori Britannica Ecclesia rerum gestarum memoria prodita nobis atque conservata non est. Haec autem, quae de vetustate ejus diximus, & domesticis atque nostris, & externis testimoniis ac monumentis satis comprobantur.

****

Quis primo Christi doctrinam tradidit in hac Insula.

POSTQUAM ab ipsis Ecclesiae incunabulis hanc Insulam in fide Christiana fuisse instructam luculenter breviterque exposuimus, videamus a quo doctore primum instituta sit: tum quomodo una semper crevit, nec avulsa penitus defecit unquam, etsi multis erroribus ab hostilibus incursionibus, Romanaque sede huc traductis, tardius saepe corrupta, sed divina veritate iterum recepta ocius recreata semper fuit. Ac primum Paulum ipsum gentium doctorem, cum aliis gentibus, tum nominatim Britannis Evangelium nunciasse post priorem suam Romae incarcerationem, & Theodoretus, & Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus affirmant. Lib. 9. de curand. Graecorum affect. Hoc autem quod Pontificii incredibile atque adeo impossibile statuunt, cum vero cohaeret maxime. Quanquam enim ipse ad hanc Insulam profectus non sit, tamen Claudiae Rufinae nobilissimae Britannae, & Graecis Latinisque literis instructae Christianam religionem suasisse hinc perspicuum est. Multos enim nobiles Britannos Romam Neronis tempore ductos captivos jussu Neronis tyranni testatur Cornelius Tacitus. Haec autem Claudia nomen a Claudio Caesare accepit, post cujus huc adventum, nobiles Britanni amici & confoederati Populo Romano, haeredibus liberisque suis Romana nomina imponebant. Deinde eadem Claudia Rufo ex Hetrusca nobilitate insigni equiti Romano, tum Tribuno militum, deinde Senatorio nupta, a marito Claudia Rufina dicta est. Rufus sectae Stoicae Philosophus ob clementiam morumque mansuetudinem, atque ingenuitatem & verecundiam tanquam natura inditam Pudens dictus est. Qui gravitate & modestia sua adigebat Martialem illum lascivum & amatorium Poetam, veteri sibi necessitudine familiarem, calamo plura reformare. Itaque Martialis tam hunc Pudentem Rufum ab humanitate, pietate, eruditione, & eloquentia, quam Claudiam Britannam ejus conjugem a forma, foecunditate, fide conjugali, doctrina, linguis & literis laudat. De qua haec conscripsit carmina.

Claudia coeruleis cum sit Ruffina Britannis
Edita, cur Latiae pectora plebis habet?
Quale decus formae? Romanam credere matres
Italides possunt, Atthides esse suam.
Dii bene, quod sancto peperit foecunda marito,
Quot sperat generos, quotque puella nurus.
Sic placeat superis, ut conjuge gaudeat uno
Et semper natis gaudeat illa tribus.

Eadem

Eadem, Martialis ad virum ſuum Rufum ſaepius accedentis carmina ad Britannos Latinae linguae cupidos, cum ipſa Romae eſſet, tanquam Xenia mittere conſuevit. De quo idem Martialis:

Dicitur & noſtros cantare Britannia verſus.

Sed poſtea accepta praedicatione divina, tam Pudentem Rufum Senatorem Romanum, quam Claudiam ſuam conjugem totamque ſuam familiam, Chriſti fidem amplexos testatur Volaterranus. Pauli autem non Petri fuiſſe diſcipulos, non modo tempus & locus concordant, ſed ipſius Gentium Apoſtoli poſterior ad Timotheum Epiſtola, cuivis niſi pertinaci manifeſtiſſime declarat: Quia Timotheum condiſcipulum ſuum ſalutari a Paulo voluerunt. Unde Paulus:

Lib. 18.

Salutant te Eubulus, & Pudens, & Linus, & Claudia, & fratres omnes.

Hanc itaque jam ad Chriſtum converſam, non minus eſt veriſimile Chriſtiana dogmata ad Britannos miſiſſe ſuos, quam ante acceptam fidem Epigrammata Martialis. Nec veriſimile ſolum ſed verum judicandum eſt, in tam nobili familia fuiſſe cum Claudia gentiles ſuos Britannos qui una baptiſati fuerunt, a quibus Evangelii ignicula per totam gentem Britannam diſperſa, viritim ad multos pervenerunt. Haec res ſive veritas ſit, ſive in re tanta veritatis indagatio atque conjectura, videmus tamen quibus nitatur adminiculis, ut multo certior exiſtimari debeat, quam illa fictio Pontificia, ſuis legationibus fuiſſe primo inchoatam in Britannia Chriſtianam fidem. Philippus enim Apoſtolus, qui in Galliam venit, & Evangelii praedicatione plures ad fidem vertit abluitque baptiſmate, cum de Britannia modico freto ſeparata Inſula accepiſſet, a qua Druidum ſuperſtitio manabat in Galliam, delegit ex ſuorum ſociorum numero duodecim: quibus Joſephum Arimathienſem, qui Dominum Chriſtum ſepulchro condidit, praefecit. Qui cum in Britanniam appuliſſent, fidem Chriſti forti pectore praedicabant, An. Dom. 63. Quorum praedicatione etſi Rex Arviragus cum proceribus ſuis ab inveterata Druidum religione abduci noluit; tamen & tam longinquae peregrinationis, & modeſtiae, morumque manſuetudinis eorum opinione permotus, petentibus illis quandam Inſulam, in regionis ſuae finibus poſitam, horridam illam tunc quidem & incultam, ſylviſque, rubis, ac paludibus circumſeptam, ab incolis *Inſuvitrim* nuncupatam, habitandam & colendam conceſſit. Ac deinde alii duo reges, hujus exemplo, & Joſephi ſociorumque pietate vitaeque integritate adducti, *ſingulis illis duodecim, ſingulas terrae hidas ex gentis more ſic dictas, dederunt & confirmarunt.* Unde & duodecim hidarum nomen adhuc retinent. In hac autem Inſula divino admonitu templum a Joſepho, & ſociis extructum referunt. De qua Auguſtinus a Papa Gregorio huc miſſus, primuſque, ut mox patebit, Dorovernenſis, ſeu Cantuarienſis Archiepiſcopus, ſic ſcribit, “Eſt, inquit, “in confinio Occidentalis Britanniae, quaedam regalis Inſula, “antiquo vocabulo Glaſcon nuncupata, latis locorum dimenſa finibus, “piſcoſis aquis, ſtagneis circundata fluminibus, & plurimis humanae “indigentiae uſibus apta, ſacriſque, quod maximum eſt, dedicata mu-“neribus. In ea ſiquidem primi Catholicae legis neophytae, Eccleſiam “nulla

Freculphus Lib. 2. cap. 4.

Johannes Anglicus

" nulla hominum arte constructam, ut ferunt, imo humanae saluti a Deo " paratam repererunt:" Haec Augustinus. Sed locus ipse, postquam Josephus & socii excesserunt e vita, aliquot interjectis annis, ab incolis desertus, in solitudinem, sed templo remanente, mutatus, Lucii Regis temporibus, hoc casu iterum repertus, & a Christianis denuo occupatus est. Phaganus & Deruvianus, Eleutherii Papae ad Lucium Britanniae Regem legati, de quibus in sequenti narratione dicetur, de hac Josephi sociorumque in Britannia olim habitatione, aliquid Romae percipientes, locum ipsum sedulo perquirebant, singulisque Britanniae regionibus lustratis, tandem dictam Avaloniam Insulam, tanquam solitudinem & desertum penetrantes, penitusque rimantes, Ecclesiam illam quam vicini incolae a Christi discipulis quondam extructam, & in humanam salutem conditam asserebant, invenerunt. Quibus, aliisque manifestis signis ac indiciis facile intellexerunt, eam ipsam fuisse Josephi, sociorumque in Britannia habitationem, de qua Romae acceperunt. Neque enim a veritate alienum esse potest, Josephum, perinde ac alios Apostolos ac discipulos, per totum orbem sparsos, quid singulis in regionibus pro Christo effecissent, quidve sive adversi, sive commodi sensissent, per nuncios ac literas certiores fecisse collegas suos, tam Romae, quam Hierosolymis, aliisque in locis: aut Eleutherii legatos indagare voluisse ea loca, quae a Christianis prius culta Romae ex antiquis scriptis acceperunt. In hoc itaque loco praefati legati, novem annorum moram fecerunt, ubi tam res a Josepho pro fide Christiana gestas, quam memoratam historiam de Josephi sociorumque appulsu, regia concessione, templi aedificatione, aliisque nonnullis ex antiquis scriptis acceperunt; quorum memoria ad ipsum Augustinum Romanum, sicuti diximus, deducta, ab eoque prodita est, ne quis suspicetur hoc fabulosum, aut a recenti authore traditum, temere jam emissum, sed ab ipsa origine petitum, & ab antiquissimis scriptoribus se invicem succedentibus, ad nostram aetatem & notitiam pervenisse.

Alii Simonem Zelotem in Britanniam venisse, & Evangelium primum nunciasse, referunt: Quorum utrumque verum esse potest. Nam Josephi socii non nominantur, inter quos fuisse Simonem est verisimile. Josephus itaque de quo certior est fides, sua & sociorum praedicatione, dilatavit per hanc Insulam Evangelium, ut permultos conversos & baptismate inundatos permeans, & traductum tandem ad Regem ipsum pervenit: Qui Josepho & sociis modicam tellurem, mille circiter passus ab Wellio oppido sejunctam, in quo olim nobile coenobium Monasticae familiae Benedictini ordinis extructum fuit, & adhuc extat templum magnificum, colendam & habitandam concessit. Huic loco nomen Glasconia in Avaloniae solitudine, Britannice dicta ẏnẏr. i. Pomorum Insula: nam *Aüal* Pomum, ẏnẏr Insulam Britanno sermone significat. Hic Josephus toto reliquae vitae spatio consedit, & Ecclesiae fundamenta in hac Insula primus jecit: ibique moriens, anno Christi 76. sepultus est. Ex hac prima Evangelii satione, reliquiae quaedam ad Lucii regis tempora permanserunt: Quae Evangelium latens atque conditum rursus ipso Rege authore, ut mox patebit, divulgarunt. Sub Claudio autem Caesare Evangelii lucernam primum in Britannia voce Josephi accensam testatur Georgius Major.

Niceph. lib. 2. cap. 40. hist. domest. Jo. Capgrav. in Catal. sanct. Angliae.

Quando & quomodo Rex Britanniae Lucius Evangelio credens baptizatus fuit.

UCIUS itaque Coilli Britanniae Regis, pietate omnique virtute inſignis principis, unicus filius ad paternam laudem ſua praeſtantia accedens, Pius, & alter Coillus merito dictus, ſceptrum regium anno poſt Chriſti adventum 179. coepit, idque 12. annis tenuit. Hujus temporibus cum edicto Romano de abolenda Druidum ſuperſtitione e provinciis cavebatur, coepit de religione, & vero Dei cultu, cujus perſtudioſus fuit, in primis deliberare. Erat haec Druidum diſciplina, antiquitus in Britannia reperta, atque inde tranſlata in Galliam. Qui non modo ſacrificiis praefuerunt, ſed de omnibus publicis privatiſque controverſiis conſtituebant. Et ſi quis eorum decretis non obtemperaviſſet, ſtatim ſacrificiis interdicebant, quae poena fuit apud eos graviſſima. Namque hujuſmodi interdicti, impiorum ac ſceleratorum numero habebantur, a quibus omnes diſcedebant, eorumque congreſſum conſortiumque vitabant. Druides autem neque bello interfuerunt, nec tributa pendebant, ſed multis privilegiis & immunitatibus, magnum juventutis numerum ad diſciplinam perdiſcendam movebant. Docebant animas non interire, ſed a corpore in corpus, ut Pythagoras affirmabat, migrare, tum de coeli ac ſyderum motu, de mundi magnitudine, rerum natura, de vi ac poteſtate ſuorum Deorum diſputabant. Inter quos Mercurium tanquam omnium artium inventorem, viarum ac itinerum ducem, & ad quaeſtum mercaturamque vim maximam habentem, potiſſimum colebant. De Jove, Apolline, & Marte, reliquiſque eandem cum caeteris gentibus opinionem habebant: eorum vero doctrina non literis mandata, ſed memoriae fuit, ne aut in vulgus proferretur, aut literarum fiducia juventus, quae eam perdiſcebat, diligentiam, memoriamve remitteret.

Ex Commen. Caeſaris.

Erat eodem tempore Lucius & Romanorum fautor, & Marco Antonino Vero Caeſari ſumma benevolentia, ac familiaritate conjunctus. Cujus authoritate & decreto, cum profliganda eſſet tantae authoritatis religio, quae omnium memoriam ſuperabat: Luciuſque de Chriſtiana religione accepiſſet, quae nondum authoritate regia publicata, ſed viritim per multos privatos ſerpſit ac progreſſa eſt: diuque incertus & dubius animi, etſi Chriſtum nunciantibus tacita, ut videtur, fide tandem aſſenſus eſt, non tamen a ſuis domeſticis & popularibus, ac infimae & abjectae conditionis hominibus more Judaeorum, quorum infirmos animos ſimplicitas Chriſtiana offendebat: ſed ſolennioribus & Regiae celſitudini, ut ipſe putabat, dignioribus ſacris initiari in fide voluit. Cumque cognoviſſet, non ſolum Adrianum Antoninumque Pium, aequiſſimos Caeſares, edicto ſuo caviſſe, ne amplius in Chriſtianos religionis ergo tantis ſuppliciis animadverteretur, verumetiam complures nobiles Romanos eandem fidem a Pontifice Romano accepiſſe, eorumque exemplo Chriſtianum nomen in ſingulas provincias ſparſum & diſſeminatum fuiſſe, ſtatuit in eadem fide

de

de ſub Eleutherio tunc Romano Pontifice inaugurari. Ad quem illuſtres & facundos viros Elvanum Avalonium, & Meduinum Belgam, per quos a Druidum, ad Chriſti fidem traductus eſt, cum literis & mandatis legavit. In quibus petiit, ut ad ſe jam doctrina Chriſtiana imbutum nuncios ac legatos, a quibus baptiſmate lavaretur, mitteret: quique una deferrent Romanas leges, quibus religionis, & Reipublicae ſtatum in regno ſuo deſcriberet, atque ſtabiliret. Sed Eleutherius Pius Epiſcopus, divino potius verbo propagando, quam ſuae famae illuſtrandae ſtudens, ſummo affectus gaudio, ob tantum Regem Chriſto lucrifactum, ſuam operam inanem & ſupervacaneam, in eo quod poſtulabatur, judicavit. Sed neque Britannicae converſionis laudem ſibi aſcripſit aut vendicavit, ſed Regi reſcripſit, maximam cepiſſe ſe ex ejus in Chriſti fide voluptatem. Leges autem Romanas ab eo deſideratas, non eſſe Chriſtianae Reipublicae neceſſarias, in quibus permulta ſancirentur a Chriſtianis non ſervanda. Neque egere eum in legibus condendis authoritate aut opera ſua, qui utramque haberet paginam Veteris & Novi Teſtamenti, ex quibus adhibito procerum concilio, ſanctas & omni vitio carentes leges ſumere poſſit: tum authoritate non aliena ſed ſua fulciretur, qui in ſuo regno Dei vicarius eſſet, ejuſque potentiam populo ſuo repraeſentaret. Cujus Epiſtola quia tam rara & auguſta eſt, totam ſeriem inſeramus.

Haec epiſtola communiter habetur inter leges divi Edwardi.

“ Petiſtis a nobis leges Romanas & Caeſaris vobis tranſmitti, quibus
“ in regno Britanniae uti voluiſtis. Leges Romanas & Caeſaris ſemper
“ reprobare poſſumus: Legem Dei nequaquam. Suſcepiſtis enim nuper
“ miſeratione divina, in regno Britanniae legem & fidem Chriſti.
“ Habetis penes vos in regno utramque paginam: ex illis Dei gratia per
“ concilium regni veſtri ſume legem, & per illam Dei patientia, ve-
“ ſtrum reges Britanniae regnum. Vicarius vero Dei eſtis in regno
“ juxta prophetam Regem: Domini eſt terra, & plenitudo ejus orbis
“ terrarum, & univerſi qui inhabitant in eo: Et rurſum juxta prophe-
“ tam Regem: Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem: propterea
“ unxit te Deus tuus oleo laetitiae, prae conſortibus tuis. Et rurſum
“ juxta prophetam regem: Deus judicium tuum, &c. Non enim ju-
“ dicium neque juſtitiam Caeſaris: Filii enim regis gentes Chriſtianae, &
“ populi regni ſunt, qui ſub veſtra protectione & pace & regno degant,
“ & conſiſtant, juxta Evangelium: Quemadmodum gallina congregat
“ pullos ſub alis, &c. Gentes vero regni Britanniae, & populi, veſtri
“ ſunt, & quos diviſos debetis in unum ad concordiam & pacem, & ad
“ fidem, & ad legem Chriſti, & ad ſanctam Eccleſiam congregare, re-
“ vocare, fovere, manutenere, protegere, regere, ut poſſitis cum eo
“ regnare in aeternum, cujus vicarius eſtis in regno praedicto, qui cum
“ Patre, & Filio, &c.

Cum his reſponſis reverſi Elvanus & Meduinus; tamen a quibus Lucius baptizatus ſit, in dubio eſt. Sunt enim qui ab Elvano & Meduino, propriis ad Eleutherium oratoribus jam cum ſuperiori reſponſo reverſis, baptizatum Lucium eſſe ſcribunt. Ex quibus Elvanus ex illo paludoſo Joſephi diſcipulorum & ſucceſſorum in Avalonia collegio profectus, quique prima illa Evangelii ſemina a Joſepho conſita, per latiores Britanniae agros diſſeminaverat, ab Eleutherio Epiſcopus creatus eſt. Alter ille Meduinus Belgius, qui ſacrae ſcientiae eloquentiam, & Britannici ſermonis copiam & facultatem adjunxerat, Britannicae gentis doctor, qui non in Jo. Capgrav

certo

certo aliquo & deſignato loco, ſed ubique per totam Inſulam, fidem in Chriſto praedicaret, ab eodem Eleutherio inſtitutus eſt. Alii referunt Phaganum & Deruvianum Romanos, Elvano & Meduino, ab eodem Eleutherio, viros & in ſacris literis & in adminiſtranda Eccleſia peritos, tanquam συνεργοὺς, ſeu cooperarios adhibitos, quorum induſtria & ſcientia tanto operi perficiundo, quod in extirpando Druidum vetuſto illo, & penitus Britannis inſito ac innato errore, tum in ſancienda Chriſtianae religionis diſciplina poneretur, eſſet neceſſaria. A quibus Lucius, apud quem tum νεόφυτον, ſuae gentis in re tanta parum valebat authoritas, more ac ritu Romano baptizatus eſt. Nec eſt diſſimile, quin Elvanus & Meduinus, qui omni cura atque ſtudio propenſi, ut ad Evangelium Regem ſuum allicerent, ei morem gererent ac indulgerent, ut a Romanis, quibus tantum & gratiae & authoritatis conceſſit, quod illorum ope ad imperium Britannicum evectus ſit, potius quam a ſuis baptizaretur, ne eum ab inſtituto alienarent. Itaque ut concedamus a Romanis baptizatum Lucium, quorum tunc fama, non principatu & dominatu, ſed crebro Martyrio & conſtantia, ac ſincera fidei diſciplina, per totum Chriſtianum orbem celeberrima fuit; in hoc tamen omnia quorumcunque ſcriptorum teſtimonia conſentiunt & conſpirant, Lucium Chriſtianam fidem prius a ſuis intellexiſſe, antequam Romani Pontificis operam imploraverat: Quaeque, ipſo Eleutherio teſte, Regi Chriſti vicario, divinas paginas, & doctorum ac ſanctorum virorum copiam domi habenti non fuit neceſſaria, etſi jucunda ſibi, utpote quibus Romani tam gratioſi eſſent, ac utilis ad perficiendum id, quod in religione inſtituit, videri poſſit. Hoc igitur modo baptizatus, fideque Chriſtiana firmatus & corroboratus Lucius, tam ſuos Elvanum atque Meduinum, quam Romanos Phaganum & Deruvianum in concilium adhibuit. Et primum exploſa Druidum omni diſciplina, Chriſtianos doctores ad illuſtrandum Evangelium per totam Inſulam Druidum loco praefecit: tum ſynagogas & templa falſorum deorum quos Druides colebant, & ipſa delubra in Chriſtianas Eccleſias convertebat, quas doctis & piis verbi miniſtris replebat: ad extremum, loco Flaminum Epiſcopatus viginti octo ordinavit, eoſdemque in tres provincias, quarum Metropoleis in tribus celeberrimis regni civitatibus collocavit, diſtinxit. Prima fuit Londinenſis provincia, quae Loegriae & Cornubiae finibus continebatur. Secunda Eboracenſis, quae Northumbriae, Deirae, Albaniaeque fuit praefecta. Tertia provincia in Cambria fuit, cujus praefectura in urbe Legionum conſedebat. Lucius autem non ſuae tantum, ſed externis, finitimiſque gentibus in Chriſti fide inſtituendis magnam operam dabat. Divinis enim rebus ſic in Britannia compoſitis, exercitum in Galliam eduxit, ut eam gentem non ſibi ſed Chriſto ſubjugaret. Ubi cum Duces ſui bellica tractarent officia, ipſe in Evangelio praedicando aſſiduus fuit. Ejuſque ſoror Emerita, tanto Evangelii flagravit ardore, ut pro Chriſtiana fide ipſa Martyrium paſſa ſit. Hoc itaque modo Chriſtiana religio, in Britanniam a Joſepho primum inducta, ſub Lucio regali potentia publice recepta, ſingulis miniſtrorum ordinibus diſtincta, ab Epiſcopis gubernata & fulta fuit; cuique ſic inſtituendae ipſius tantum Lucii Regis, non aliena, aut Romani Pontificis authoritas, ſed modicum inde auxilium, petitum magis & deſideratum, quam neceſſarium acceſſit. Quod tam divinum ac immenſum beneficium, tanquam divina quaedam praerogativa huic Inſulae

ſulae

ſulae coelitus conceſſa exiſtimari debet. Quod ex omnibus gentibus haec Evangelium, deletis ſuperſtitioſis ritibus, primum publice ac integre profeſſa eſt: A qua profeſſione, ut proximo loco declarabimus, deinceps nunquam deflexit.

Britannos Chriſti fidem amplexos nunquam poſtea deſciviſſe ad veteres gentium errores. Ne cum Auguſtinus Junior in Inſulam veniret. Quoſdam etiam ex Anglis ante Auguſtini adventum religionem Chriſti percepiſſe.



ILLA itaque Pontificiorum inanis laudis de Britannica gente per ſe converſa arrogatio, & fide propria caret, & permultis antiquiſſimis argumentis, ipſiſque adeo ſuis refellitur. Quod enim Innocentius in Epiſtola quadam contendit omnes Africanas & occidentales Eccleſias, vel a Petro, vel ab ejus & ſucceſſorum ſuorum diſcipulis in Chriſto fuiſſe generatas, praeterquam quod hoc ineptum & falſum arguunt Maidelburgenſis authores hiſtoriae, & oſtentationis ac gloriolae, mundanaeque acquirendae potentiae ſpe, potius quam a veritate profectum: ex ipſis indubitatae fidei ſcripturis certum eſt, Paulum illum gentium doctorem, negaſſe ſe a Petro vocatum aut miſſum, qui etiam occidentales Eccleſias, & Hiſpaniam ipſam ab oriente remotiſſimam peragravit: Ipſeque teſtatur Evangelium per eum ad omnes gentes perveniſſe. Praeterea nec Philippus, Joſephus, aut Simon Zelotes a Petro fidem acceperunt, ſed ab ipſo Domino: A quibus Evangelica luce primum illuſtratam Britanniam ſupra commemoravimus.

Huic ſanctae ſemperque obſervandae ſcripturarum auctoritati accedant & hiſtoriarum Eccleſiaſticarum authores. Sulpicius Severus, qui non modo hunc noſtrum Romanum, ſed illum integerrimum patrem Auguſtinum Afrum anteceſſit, cum de occidentalibus Epiſcopis ad Ariminenſe concilium ipſius Imperatoris atque etiam de ſtatu Eccleſiaſtico non modico, ſed de Arianiſmo, qui totum ſuum imperium perturbavit, qui ſe ab illa haereſi disjunxerant, convocatis, meminit Britannos etiam Epiſcopos interfuiſſe. E quibus tres, nihil enim reticendum eſt veri, ludibrio habebantur caeteris occidentalibus Epiſcopis, quod cum illi ex promiſſa Imperatoris largitione ſe alere in illo concilio ſuis opibus freti recuſabant, iſti inopes a fiſco neceſſaria hauriebant. Hoc, author in Britannis Epiſcopis contra occidentalium Epiſcoporum cenſuram, laudi humanae vertit, quod ut quondam Socrates ex Athenienſi Prytaneo ali ſe dignum putabat, ſic illi ex publico promiſſo fiſco, potius quam ex ſingulorum indulgentia, quae viris authoritatem habere debentibus ſemper fuit contemptui, neceſſitatem ſuam ſublevabant. Huic adjiciamus Gennadii Catalogum illuſtrium virorum, qui refert Xyſti urbis Romae Epiſcopi, qui ante Auguſtinum fuit, tempore, quendam Faſtidium Britanniarum, ſic enim ejus verba ſunt, Epiſcopum, ſcripſiſſe ad Fatalem quendam de vita Chriſtiana librum unum, & alium de viduitate ſervan-

Sulpicius Severus. Lib. 2. Hiſt. Sacrae. fol. 255.

da ſana, & Deo digna doctrina. Ad hanc autem Pontificiorum opinionem minuendam non externis ſolum, ſed domeſticis exemplis ac teſtimoniis abundamus. Quorſum enim ſpectat illius integerrimi, doctiſſimique Gildae Britanni tam acris & vehemens in ſui temporis cleros invectio, quem paulo ante Auguſtini illius Romani adventum claruiſſe [Roff. hiſtor.] conſtat? Quid illa de Theono, & Thadioco Londonienſi ac Eboracenſi Archiepiſcopis, poſt patriam a Saxonibus occupatam, & Chriſtianitatem [Matt. Weſt. & alii.] turbatam, ſedes ſuas deſerentibus, & in Cambriam atque Cornubiam profugientibus, crebra in hiſtoriis mentio? Quid, quod eodem teſtimo-[Roff. hiſtor.]nio confirmatur? cum barbara gens Saxonum pagana ſuperſtitione caecata totam Chriſtianitatem delere contenderat; tamen Chriſtianam fidem ſub Lucio acceptam, tam in aquilonari quam in illa Inſulae parte, quam Britanni ſuis ſedibus pulſi tenebant, integram viguiſſe: Quae etiam, [Beda.] Beda teſte, in tranquillitate & pace, uſque ad Diocletiani tempora permanſit per totam Inſulam integra. In quibus crudeli inſectatione vexata, Albanus, Amphibalus, Aaron & Julius, ſancti ac Evangelii praedicatione conſpicui viri, eodem Beda referente, Martyrio candidati fue-[Eutrop. lib. 10. Trip. hiſt. lib. 9. cap. 20. & 21. Paul. Diacon. lib. 2. in vit. Gratiani Imperator.]re. Deinde Conſtantinus ille Magnus, qui omnium Caeſarum primus per orbem Romani Imperii Chriſtianam fidem imperiali authoritate propagavit, ex Helena matre Chriſtiana & Britanna natus eſt, & Maximus, qui interfecto Imperatore Gratiano in Imperium crudeliter & tyrannice invaſit, poſteaque a Theodoſio primo victus fuit, Chriſtianum exercitum e Britannia duxit in Galliam. Praeterea, eodem Beda authore, Arianae ſectae furor in Britannica Eccleſia ſaevit, quae paulo poſt hinc ejecta & exploſa fuit; catholica fide reſervata. Quid item, quod de Conano Armoricae rege pagano, Chriſtianas puellas vi abducente, ſu-[Roff. hiſtor. Matth. Weſt.]iſque ad ſuſcipiendam prolem concedente, traditum eſt? Quae tamen reſtiterunt, nec Paganis Chriſto non fidentibus corporis ſui copiam facere voluerunt. Quid de Conſtante Monacho e Monaſterio Amphibali, quod Ventanae in Britannia fuit, Conſtantino Regi ſucceſſuro extracto? Quid de Germani in Britanniam adventu, ad Pelagianiſmum primo delendum, deinde eodem renovato prorſus extirpandum, a quo etiam, & a Lupo, Britanni a Scotis atque Pictis armis petiti, adjuti atque vindicati ſunt.

Cujus rei ut rectius intelligatur, paulo altius ducenda ratio eſt. *Reſtitutum* quendam Londinenſem Epiſcopum ante diximus Gallicano cuidam concilio interfuiſſe, & aſſenſum ejus decretis adhibuiſſe: Quod Chriſtiana religio, ut videtur, firmioribus tunc in Britannia ſtetit, quam in Gallia viribus, quo magis expetebant Galli, ut ſuis quoque in religione decretis, Britanni alicujus Epiſcopi conſenſus & authoritas accederet. Cum itaque Pelagiana haereſis, per Agricolam quendam Pelagii diſcipulum, in Britanniam illata eſſet, latiuſque ſerpſiſſet, Britanni Guitelino jamdudum mortuo, etſi doctore carerent, qui tam averſam ab acceptis in Chriſti fide inſtitutis diſciplinam refelleret, tamen fidem nullis ſuaſionibus aut argumentis victi deſerebant: ſed moti illa ſui Archiepiſcopi *Reſtituti* ad Gallicana concilia firmanda accerſiti, recenti memoria, hujus etiam ſpiritualis belli extinguendi auxilium mutuum a Gallicanis Epiſcopis viciſſim implorabant. Itaque cleri Synodus a Britannis implorata decrevit in Gallia, Germanum Antiſſiodorenſem, & Lupum Trecaſſinum Epiſcopos, viros fide ac virtute divina pollentes, tum ſermone facundos, & in

& in diſſerendo acres, ad Britannos mittendos, ut huic Pelagianae hae-
reſi tum naſcenti, divino verbo reſiſterent. Qui Synodo parentes, na-
vigatione huc perducti, Verolamii populi clerique conventum ſtatuunt:
Quo immenſa populi multitudo cum conjugibus & liberis undique con-
currit: tanta tum Britannis inerat Chriſtianae fidei firmiter retinendae
cupiditas; utque ipſius Hiſtoriographi verbis utar, “ Aſtabant, inquit, Petrus de
“ partes diſpari conditione diſſimiles: Inde divina fides: hinc humana Yckham.
“ praeſumptio: hinc pietas, inde ſuperbia: hinc Chriſtus, inde Pela-
“ gius author omnis pravitatis. Primo in loco beatiſſimi ſacerdotes co-
“ piam diſputandi adverſariis praebuerunt, qui ſola nuditate verborum
“ diu inaniter & aures occuparunt & tempora. Deinde Antiſtites ve-
“ nerandi, torrentes eloquii ſui cum Apoſtolicis & Evangelicis imbribus
“ perfuderunt. Miſcebatur ſermo proprius cum divino, & aſſertiones
“ moleſtiſſimas lectionum teſtimonia ſequebantur. Convincitur vanitas,
“ & perfidia confutatur: ita ut ad ſingulas verborum objectiones, er-
“ raſſe ſe, dum nequit reſpondere, fateatur. Populus arbiter vix ma-
“ nus continet, judicium cum clamore teſtatur. Poſt hunc diem ita ex
“ animis omnium ſuaſio iniqua deleta eſt, ut Sacerdotum doctrinam ſi-
“ tientibus deſideriis ſectarentur.” Quibus peractis Epiſcopi ad Gallica-
nas ſuas ſedes, Britannis eorum opera a Pelagianiſmo vindicatis, & in
Evangelio firmatis reverſi ſunt.

Magnum eſt etiam Britannorum perfectae in Chriſtum fidei argumen-
tum, illa expoſtulatio & querela, qua in Vortigernum ſuum regem ve-
hementer egerunt: quod Hengiſti infidelis filiam matrimonio ſibi junxiſ-
ſet: Quare infenſi proceres, Vortigerno Regia poteſtate abdicato,
Vortimerum ejus filium regem creabant. Hic potitus regno, Chriſtia-
nas Eccleſias paterno vitio lapſas ac demolitas reſtauravit, verbique mi-
niſtros in ſummo precio habuit. Huic tam ordine quam aetate proxi-
mus Aurelius, ad reparandas Eccleſias totius cleri habuit conventum:
Et cum inter hunc, & Hengiſtum iniretur pro fide praelium & Hengi-
ſtus captus eſſet, Aurelius ab Heldano Claudio Ceſtrenſi Epiſcopo con-
cilium de eo trucidando accepit. Tum Octa ab eodem Aurelio obſeſſus,
in ſuam deditionem & potentiam his verbis ſe tradidit: Victi ſunt dii
mei, Deumque tuum regnare credo. Tum tam feliciter geſto bello,
pace parta, ad Eccleſiam animum vertens, Sampſonem Eboracenſem, &
Dubritium in urbe Legionum Epiſcopos creavit. Deinde Arthurus Rex
Chriſtianus, Sampſone a Saxonibus ejecto, capellanum ſuum Pyramum,
Dubritioque mortuo, Tremoricum eorum loco conſtituit. Quid quod
Aurelius ex veneno per medicum interfectus, ab Epiſcopis & Abbatibus,
non tam regali & ſplendido, quam Chriſtiano more ſepultus eſt Anno
Domini 437. His accedunt quod fertur de Uterpendragone, populi ſi- 437.
mul ac cleri conventu creato, & Paſchatis feſtum honore debito cele-
brante Anno Domini 498. Tum de Saxonum furore Chriſtianas Eccleſias 498.
vaſtantium, 511. De Uterpendragone Chriſtiano ritu ſepulto, deque 511.
Arthuro ejus filio, poſt patris obitum, Rege a Dubritio, Epiſcopis &
magnatibus, pari modo ſacrato, Anno 516. Qui Scotorum & Pictorum 516.
Epiſcopis, in Inſula Stagni, & lacus Lomnudi obſeſſis, illis cum lacry-
mis petentibus, delictorum poenam remiſit, & in gratiam ac miſericor-
diam accepit, 522. Tum de Gwenhwyuare regina, quae Arthurum 522.
metuens ad Monaſterium monialium Julii Martyris, in urbem Legionum
confugit,

541. confugit, in eoque religionis habitum ſuſcepit, 541. Et ante haec Conſtantinus duos Medredi filios interemit, unum Ventanae, in Eccleſia ſancti Amphibali juxta altare, alterum coenobio quodam Londinenſi vi
543. ereptum, Anno 543. Nec praetereundum eſt de Columbano illo claro
566. Scoto in Britanniam veniente, Anno 566. Deque ſeptem Britannis Epiſcopis: qui ad concilium ab Auguſtino vocatum convenerunt: nec de 2100 Chriſtianis Philoſophis in Banchorenſi coenobio victum & veſtitum propria induſtria, ex divi Pauli inſtituto quaerentibus. Quae tot tantaque Presbyterorum, Monachorum, Praeſulum, Epiſcoporum, Eccleſiarum, coenobiorum, ſediumque vetuſta nomina, quae quovis ſaeculo extiterunt, etſi praetermittantur, tamen futuri temporis, ipſius Auguſtini aetate, eorumque qui eum ſequuti ſunt, recordatio ſatis probat Evangelium, quod primis illis Apoſtolorum temporibus in Britannia nunciatum, non modo ſemper retentum firmiter, ſed ſingulis ſaeculis auctum & dilatatum creviſſe. Quodque ne ab ipſis Saxonibus ſupra modum ſaevientibus extingui poterat: ſed eos ipſos, a quibus vehementiſſime oppugnatum fuit, tandem divino inſtinctu, & ſuaſione fideque ſui cepit. Ethelbertus enim Cantii Rex, cum ad eum ab eodem Auguſtino veniſſent legati nunciatum, veniſſe jam Auguſtinum una cum aliis Roma, eique ac ſuo populo, de Chriſto optimum ferre nuncium, “ Fama, in-
Beda. “ quit, ad me hujus Chriſtianae religionis pervenit: ex gente enim Fran- “ corum uxorem duxi Bertam, ex Chriſtianis parentibus ipſam Chriſtia- “ nam, quae mihi a parentibus his conditionibus data eſt, ut ritum fi- “ dei ac religionis Chriſtianae, cum Epiſcopo Lybhardo ejus adjutore “ inviolatam retinere liceat.” Praeterea permultos rege sAngloſaxones in Chriſtiana fide inſtitutos, non ab Auguſtino aut ejus ſucceſſoribus, ſed ante adventum illorum exiſtimandum eſt, niſi non noſtris ſolum, ſed externis & Germanorum hiſtoriis fidem pariter detrahamus. Namque
Munſterus. refert Munſterus, Anno Domini 601. veniſſe ex Anglia virum quendam inſignem, regio ſtemmate natum, dictum Offonem, qui trajecto Rheno in votis habuit ſtabilire fidem Chriſti, quamque ad rem primus jecit Monaſterii Schutternenſis fundamenta. Multos autem Saxones reges Of-
Beda. fas dictos, ex noſtris liquet monumentis. Sed ex ipſo Beda veriſimillimum eſt hunc Offam Athelfridi Regis Berniciorum filium fuiſſe, qui ex
Lib. 18. Acia Ellae Regis Deirorum filia ſeptem filios genuerat: Eanfridum, Oſwaldum, Oſwinum, Oſkacum, Oſwidum, Oſam, & noſtrum de quo tractamus Offam. Nam & tempora non diſcrepant, & regio in qua natus eſt, pene e regione oſtii fluminis Rheni, quod illum trajeciſſe Munſterus ſcribit, poſita eſt. Chriſtianam autem doctrinam a Columbano vel ejus diſcipulis accepit: quod etiam ex aliis Bedae verbis colligi poteſt. “ Toto, inquit, tempore, quo regnavit Edwinus, filii praefati “ regis Edelfridi, qui ante eum regnaverat, cum magna nobilium ju- “ ventute apud Scotos ſive Pictos exulabant. Itaque ad doctrinam Sco- “ torum catechizati, & baptiſmatis gratia ſunt recreati.” Haec Beda. Sed Auguſtinum Romanas potius conſuetudines ac ceremonias, ne dicam ſuperſtitiones induxiſſe, & ad Papalem illum dominatum in Anglia obtinendum ſe callide inſinuaſſe, & Anglicanas Eccleſias ex Romanis ritibus inſtituiſſe, potius quam Evangelium praedicaſſe, ſatis conſtat.

Sub Lucio enim Rege, ut antea diximus, in tribus Britanniae provinciis, Loëgria, Albania, atque Cambria, tres Metropoleis inſtitutae ſunt.

Quarum

Quarum Albanenſis ſeptem Epiſcopis praefuit: in Cambria Legionenſis, ad Meneviam tranſlata poſtea totidem: in Loëgria autem Londinenſis, quoniam ea provincia major & nobilior Inſulae pars fuit, quatuordecim dioeceſes regebat. Chriſtiana itaque religio e Loëgrenſi, atque fere ex Albanenſi provincia, per Angloſaxones pulſa & deturbata, in Cambria retenta, & primis illis Chriſtianis ritibus ab Aſianis ſeu orientalibus Eccleſiis per Lucium regem acceptis, adhuc publice culta fuit. Dioeceſes autem Cambriae hae fuerunt, Henefortenſis, Tavenſis, Paternenſis, Banchorenſis, Elvienſis, Wiccenſis, ac Morganenſis. Cum quibus in primo ad ſe convocato cleri concilio, quod Wigorniae habebatur, de Romanae ſedis vetuſtate & authoritate, de Petri ſucceſſione, de Pontificis in reliquas Chriſtianas Eccleſias principatu, & ut Romano more baptizarent, praedicarent, ac paſcha celebrarent, pluribus egit Auguſtinus. In quo concilio Dionotus quidam Britannus Banchorenſis coenobiarcha, vir doctrina & eloquio celebris, graviter, & docte de non approbanda apud eos Romanorum authoritate diſputabat, fortiterque tuebatur Menevenſis Epiſcopi in illa provincia ratam juriſdictionem: libroſque perdoctos ſcripſit, unum de conſervandis eorum ritibus, alterum defenſorium ſedis Menevenſis, aſſerens, non eſſe tutum aut commodum Britannis ab uſitatis in religione ceremoniis recedere, vel Romanorum faſtum ſuſtinere; eoque magis, quod nondum Cambri Angloſaxonibus parebant. In quo omne Auguſtini inſtitutum & conſilium verſabatur, ut Anglis Britannos, & Romanae Eccleſiae Anglicanam, ſuaeque juriſdictioni Menevenſem provinciam ſubjiceret: Quod & Lelandus antiquitatis indagator ſatis ſedulus teſtatur. Debuerat, inquit, Gregorius admonuiſſe Saxones gen- *Lelandus.* tem perfidam, ut ſi ſincere Chriſtianiſmum admittere vellent, Britanniae imperium, quod contra ſacramentum militiae per tyrannidem occupaverant, juſtis dominis ac poſſeſſoribus reſtituerent. Auguſtinus enim, quod Dionotus perſentit, praetextu fidei, gentem advenam in alieno confir- *Dionotus.* mavit imperio, ut ſuam & Romanam juriſdictionem dilataret. Longe diſſimilis Palladio, tunc Scotorum Apoſtolo, qui Conſtantinum eorum *Palladius.* regem, teſte Polydoro, multis precibus hortatus eſt, ne gentem Saxonum impiam contra Britannos Chriſtianos armis juvaret. Itaque quae in cantu, proceſſione, ſuffragiis, adorationibus, miſſis, templis, ſanctorum nominibus appellandis, & hujuſmodi Romanis ſuperſtitioſis ceremoniis, in ea Synodo decernere voluit Auguſtinus, a Britannis qui in Menevenſi provincia, a Saxonibus, & ſe & religionem tuebantur, rejecta fuerunt. Inter quos vigebat Chriſtianitas, quae ſub Eleutherio publice inſtituta *Galf. Monumet. lib. 8. cap. 4.* nunquam poſtea defecit: ut in Auguſtini vita fuſius deinceps declarabimus.



Quorundam Londinenſium Archiepiſcoporum nomina, & res geſtae.

ONDINENSES Epiſcopos Britannorum temporibus & multos fuiſſe, & doctrina, pietate, ac prudentia inſignes, ex his paucis quos adhuc ex monumentis noſtris habemus, intelligere licet. Nam & *Reſtitutum* Londinenſem Epiſcopum adiiſſe Arelatenſem in Galliis Synodum, in eoque ſubſcripſiſſe antea diximus: Qui, ut ex aliorum ſcriptis diſcimus, cum Hilario Pictavienſi Epiſcopo conjugato familiaris, & ipſe conjugatus fuit. Hunc ſequutus quidam Guitelinus Londinenſis Metropolitanus, cujus praeter caeteros ſingularis in fide conſtantia, in patriam pietas, & in re gerenda ſolertia, literis prodenda atque illuſtranda eſt. Cum enim ob crebras hoſtiles & barbaras incurſiones Romani tributum Britannis remittere, quam aſſiduam opem ferre maluiſſent: hic omni veneratione dignus pater, patriam quam a Romanis deſertam & hoſtibus expoſitam vidit, & Chriſtiana conſolatione roboravit atque animavit, & re ipſa juvit; nec a fide Chriſtiana, nec a patriae charitate, periculis procelliſque unquam ſeparatus: & ad implorandum auxilium ad minoris Britanniae ſeu Armoricae regem profecturus: Durate, inquit ſuis, ac in fide Chriſtiana perſiſtite. Ipſum invocate, ne in his periculis deficiatis, ſed animo forti, conſtanti, & alacri, fidem, libertatem, & patriam ab hoſtibus, Pictis & Scotis, Inſulam aſſidue & incontinenter infeſtantibus vindicetis. Poſtea in Armoricam profectus, egit cum Epiſcopis illius regionis ſuis confratribus de vicino Britannorum ſuorum periculo, ad eos celeriter quoque perventuro, ſi opem maturam non attulerint. Regnabat tunc in Armorica Aldroenus, rex a Conano quartus, qui perſpecta viri gravitate & prudentia, illum in honore maximo habuit. A quo rege Epiſcopus auxilium interiturae patriae cum luctu & gemitibus ſupplex petiit, & ut, barbaris Deoque inviſis expulſis, ipſe populum regnumque Britannicum ad ſuum imperium poteſtatemque reduceret. Cui rex expetiiſſe ſe quondam illud Britanniae regnum reſpondit: nunc autem tantis calamitatibus afflictum, ſibi ſuiſque proceribus eſſe ſpretum & contemptum. Verumtamen quoniam majores ſui eam Inſulam quondam tenuiſſent, fratrem ſuum Conſtantinum illuc cum duobus militum millibus claſſe tranſmiſſurum, ut ſi divina ope hoſtes repelleret, diademate regio inſigniretur, & glorioſe partum honorifica pace poſſideret. Cui Epiſcopus & ſummas gratias egit; & vocato Conſtantino viro militiae ſcientiſſimo: Vincit, inquit, Chriſtus, Chriſtus regnat, Chriſtus imperat: adſit ergo Chriſtus Regi Britanniae. Ecce defenſio noſtra, ecce ſpes & gaudium noſtrum perpetuum. Claſſe itaque parata trajecit in Britanniam cum Conſtantino & militibus Epiſcopus, ad Totoneſii portum appulſus. Quorum adventu cognito, Britanni in latibulis & ſpeluncis hoſtium formidine, multis & refertis agminibus concluſi erumpunt: ad Conſtantinum & Epiſcopum ſuum concurrunt, junctiſque copiis in hoſtes barbaros & impios ſaevo impetu feruntur.

Alex. Eſſeb. Anno 436.

tur.

tur. Quibus ex Inſula tota ejectis & profligatis tam beati viri opera, in fide Chriſtiana & patriis ſedibus una permanſerunt. Hoc etiam tempore tributum Romanis antea penſitatum ſolvi amplius deſiit. Parta victoria Conſtantinus Ciceſtriae, quae Britannico ſermone Caep Cei appellatur, apud populum pro concione laudatur, & rex Britanniae decernitur: conjunxque ei ex nobili Romanorum proſapia procreata, & ſub Guitelino ſanctiſſimo Epiſcopo educata, ac in fide Chriſtiana inſtituta datur. Ex qua tres inclytos filios, Conſtantem, Aurelium Ambroſianum, & Uterpendragonem, tam in fide Chriſtiana, quam humana virtute ſtrenuos generavit. Conſtantem primogenitum in ordine monachali educandum in Eccleſia Amphibali Wintoniae poſuit. Aurelium & Uterpendragonem ſancto Epiſcopo Guitelino educandos commiſit. Ac poſtquam decennio feliciter Britannis imperaſſet Conſtantinus, a quodam Picto ſervulo ſuo, eodemque proditore, quem in colloquium quoddam privatum in quodam virgulto adhibuit, eſt interemptus. Eodemque tempore, & integerrimus praeſul Guitelinus optime de patria meritus obiit: Britannia paſtore ſimul & Rege deſtituta. Hinc poſt belli motus ſedatos, inter regni proceres de imperio orta contentio eſt. Nam regis Conſtantini filii poſt Guitelini mortem, in Armoricam miſſi ſunt, quique ob teneram aetatem regnare, aut partes ſuas tueri non poterant. In illa itaque civili diſcordia Vortigernus quidam Geviſeorum conſul, potiundi poſtea regni ſpe, Conſtantem Regis primogenitum, jam monachum, e coenobio extractum, Londinum adductum, & populo oſtenſum, vix ſuffragante populo, magna cum feſtinatione regem creat. Et pari temeritate, mortuo Guitelino, nec praeſente aliquo Epiſcopo, ipſe propriis manibus Epiſcopi vice, Conſtantis capiti coronam imprimebat. Deinde adoleſcenti incauto inſidias ſtruens, regni theſaurum in ſuam cuſtodiam dari procurabat, eique ſuaſit, ut Pictis potius quam Britannis ſe dies noctesque tueretur ac defenderet. Itaque centum Picti ad perpetrandam illam fraudem, quam Vortigernus in regem meditabatur, parati, ad corporis tuitionem conſtituti ſunt. Horum omnium gratiam cum muneribus & blanditiis collegiſſet Vortigernus, quadam die, cum largius in aula regis potaviſſent, ſimulavit ſe e Britannia diſceſſurum, quod annuus ei reditus, quo quinquaginta militibus ſtipendia provideret, non ſupereſſet. Quo audito, Picti Regis cuſtodes jam poti: Monachum, inquiunt, iſtum trucidemus, ut Vortigernus regno potiatur: & impetu in regem ſubito facto, eoque interfecto, Vortigerno diadema detulerunt. At Vortigernus, ut lacrymis proditionem ſimularet, prorupit in fletum, & Londinenſibus, ubi hoc ſcelus commiſſum eſt, convocatis, Pictos proditores capite punit. Et callide paulatim defleto ſuo ſcelere, tandem coronam ſibi impoſuit; ſed quorumcunque principum malitiam ac tyrannidem ſuperavit, & quicquid flagitioſum fuit, & pietati virtutique maxime adverſum perpetravit: Quorum omnium facinorum poenas in ſenectute ſubiit, cum ob Hengiſti Pagani filiam nuptam regno a proceribus ejectus eſt.

Vortigerni nequitia.

Atque haec de Guitelino Londinenſi Archiepiſcopo, ob ſumma in patriam merita celebrando viro dicta ſint. Poſt Guitelinum ſedit Voadinus Londinenſis Archiepiſcopus, idque, ut eſt credibile, nullo interjecto, qui Anno Domini 436. occiſus eſt. Tum Glroceſtrenſis quidam Epiſcopus, nomine Theonus, a ſede Gloceſtrenſi in Epiſcopum Londinenſem tranſlatus

Hect.Boetius.

Galfrid. Monumet. in chronog.

flatus est; Anno gratiae 553. An vero hic alius sit ab eo Theono Episcopo Londinensi, de quo hanc mentionem facit libri Roffensis author, qui cum Thadioco Eboracensi, & reliquis clericis atque Britannis patriam a Saxonibus occupatam deserens, in Walliam atque Cornubiam secessit, Anno Christi 586. non definimus.

De Episcopalium Sedium origine, mutatione, & majoritate in Anglia.

ELETA Druidum disciplina, Flaminibusque explosis: viginti octo Episcopatus tribus Metropoliticis provinciis distinctos in Britannia sub Lucio rege constitutos antea diximus. Metropoleis autem in tribus celeberrimis regni urbibus, Londini, Eboraci, & in urbe Legionum collocabantur. Reliqui vero Episcopi celebriores locos quasi consulto vitabant, & in humilioribus magisque solitariis, orationi, contemplationique divinae congruis, sedes suas statuerunt. Quod eo est verisimilius, etsi nec res ipsa, nec historia id probaret, quod Druides ipsi, quorum loca Episcopi occupabant, sub robustioribus arboribus & quercubus, ad eruenda daemonum oracula latitabant: unde ἀπὸ τῆς δρυὸς, quod quercum significat, Druides appellabantur. Tum Saxonum adventu, & religio & Episcoporum sedes deturbatae clandestina & occulta loca quaerebant. Sed aliquas mutationes tam in incolatu, quam in potestate & imperio, ex casibus eventisque varie sequutis, singulas pene sensisse certissima est historia. Ac primo de Metropolitanis sedibus varietate nonnulla mutatis dicamus, ab urbe Legionum, quae etsi minima, tamen in Christiana religione constantissime diutissimeque permansit, ordientes. A Lucio enim ad Arthuri regis tempora duravit: tumque sub Episcopo Davide Meneviam migravit: ubi postquam plures sedissent Archiepiscopi, tandem flava peste, quae Ictericia dicebatur, in Cambria fervente, Sampson Archiepiscopus, sumpto secum pallio, Armoricam adiit, & Dolensi sedi praesedit. Post hunc 24. Episcopi, pallio ob inscitiam, paupertatem vel contemptum Romanorum rituum carentes Meneviae sedebant: qui ab illius gentis Episcopis sacrabantur, eosque etiam ut suos suffraganeos consecrare soliti sunt, nulla Cantuariensi, aut cuicunque alteri Ecclesiae professa juratave subjectione, usque ad Richardi primi, vel, ut alii volunt, Henrici primi imperium, qui primus Cambrenses Episcopos urgebat ad parendum Cantuariensi Archiepiscopo, tanquam Primati: quod tunc inceptum, postea Henrico tertio regnante, Bonifacius Cantuariensis Archiepiscopus, legatione per singulas cathedrales Ecclesias Cambriae fungens, sive cum gratia impetravit, sive legatina vi imperavit atque perfecit. Hinc constat Cambrenses Ecclesias in Cantuariensis Metropolis ditionem per Augustini coactionem nondum venisse, sed longe post finitas inter Cantuariensem & Eboracensem Archiepiscopum, de provinciarum, & jurisdictionis magnitudine controversias.

Roff. histor.

Druides unde.

Girald. Cambrensis.

Chron. Jorenallensis.

Rog. Hoveden.

Proximo

Proximo loco de Londinensi disseramus: Haec usque ad Augustini primi Cantuariensis Archiepiscopi tempora ab ipsa Lucii institutione Metropolitanam dignitatem, etsi ob Saxonum metum & potentiam extra conspectum lucemque vulgi, clam semper retinuit annis amplius trecentis. Ecclesia autem ejusdem Cathedralis usque ad aedificationem templi Paulini, quod Ethelbertus Saxonum Rex extruxit, fuit ea quae jam est in monte frumentario, qui **Cornhill**, seu **Cornwell** vulgariter appellatur, Ecclesia Sancti Petri parochialis; ut ex historiola in eadem conservata liquet. Sed Augustinus dignitatem Metropolitanam Cantuariae statuit, sive Ethelberti Cantiorum Regis & hospitis sui gratia, sive quia Londonia tunc regis Ethelberti non erat, sed Seberti nepotis sui, sive ea charitate & benevolentia, qua ipsos Cantios se ad eos appulsum tam benigne excipientes est prosequutus: sive quod Cantium fuit tunc prima & praecipua Britanniae provincia, cujus regis ditioni caeteri reges parebant: Nam Cantiani ex antiqua probitatis praerogativa primam in exercitu obtinent aciem, ut innata sibi ferocitate militumque copia primos hostium conatus elidant; eaque forma caeteri Angli praelati Cantuariensi Ecclesiae parent. Etsi Londini pallium acceperit Augustinus, et ei primatus ab Ethelberto rege assignatus, nec Gregorio ipso contradicente, & a succedentibus coëpiscopis ista praerogativa palam stabilita fuit: Ad quam rem certius perpendendam tam ipsius Gregorii, quam aliquot istorum Romanorum pontificum, testimonia proferenda sunt. Quae valeant qua possunt authoritate; antiquitate pari valent, qua sunt permulta hodierno usu salubriter retenta. Neque enim, ut ait Jureconsultus, omnium rerum quae a majoribus gestae sunt, rationem possumus reddere; ita enim pleraque ex his, quae salubriter constituta sunt, subverterentur facillime. Sed contra calumniantes ostendamus optimis ac commodissimis rationibus, ac sine cujuscunque episcopalis sedis injuria, Metropolitanam dignitatem Cantuariae primo locatam fuisse.

Walter. Coventren.

Gervasius in mappa mundi.

Reverendissimo & sanctissimo fratri Augustino coepiscopo Gregorius servus servorum Dei.

In Registro Gregorii.

"CUM certum sit pro omnipotenti Deo laborantibus ineffabilia aeterni regni praemia reservari: nobis tamen necesse est eis honorum beneficia tribuere, ut in spiritualis operis studio ex remuneratione valeant multiplicius insudare. Et quia nova Anglorum Ecclesia, ad omnipotentis Dei gratiam, eodem Domino largiente & te laborante, perducta est; usum tibi pallii in ea ad sola missarum solennia agenda concedimus; ita ut per loca singula duodecim Episcopos ordines, qui tuae subjaceant ditioni; quatenus Londinensis civitatis Episcopus semper in posterum a Synodo propria debeat consecrari, atque honoris pallium ab hac sancta & Apostolica, cui Deo authore deservio, sede percipiat. Ad Eboracum vero civitatem volumus te Episcopum mittere, quem ipse judicaveris ordinare: ita duntaxat, ut si eadem civitas cum finitimis locis

“ verbum Dei receperit, ipſe quoque duodecim Epiſcopos ordinet, & Metropolitani honore perfruatur: Quia ei quoque, ſi vita comes fuerit, pallium tribuere Domino favente diſponimus; quem tamen tuae fraternitatis volumus diſpoſitioni ſubjacere: Poſt obitum vero tuum ita Epiſcopis, quos ordinaverit, praeſit, ut Londinenſis Epiſcopi nullo modo ditioni ſubjaceat. Sit vero inter Londinenſis & Eboracenſis civitatis Epiſcopos in poſterum honoris iſta diſtinctio; ut ipſe prior habeatur, qui prius fuerit ordinatus. Communi autem conſilio, concordi actione, quae ſunt pro Chriſti zelo agenda, diſponant unanimiter, recte ſentiant, & ea quae ſenſerint, non ſibimet diſcrepando perficiant. Tua ergo fraternitas non ſolum eos Epiſcopos quos ordinaverit, nec hos tantummodo qui Eboraci per Epiſcopum fuerint ordinati, ſed etiam omnes Britanniae ſacerdotes, habeat, Domino Deo noſtro Jeſu Chriſto authore, ſubjectos: quatenus ex lingua & vita tuae ſanctitatis recte credendi, & bene vivendi normam percipiant: atque officium ſuum fide ac moribus exequentes ad coeleſtia, cum Dominus voluerit, regna pertingant. Deus te incolumem cuſtodiat, Reverendiſſime frater. Data 10. die Kal. Junii, imperante domino noſtro Mauricio Tiberio piiſſimo Auguſto anno 19. poſt conſulatum ejuſdem Domini anno 18. indictione 4.” Miſſae ſunt hae literae per Mellitum.

Libro Epiſt. Greg. 12. cap. 15.

Sed licet pallium Londinum ad eum a Gregorio miſſum ſit, viderique poſſit Gregorium de Metropoli Londini tenenda cogitaſſe; Auguſtinus tamen conſilio, ad hoc quod facere ſenſerat, meditato, ab Etherio Arelatenſi Epiſcopo, a quo ſacratus fuit, neque Londinenſis, neque Cantuarienſis Archiepiſcopus, ſed univerſali nomine ANGLORUM EPISCOPUS creabatur, ut liberum ſibi ſit, in quacunque vellet regni regione ſedem ſuam collocare. Itaque praedictis rationibus motus, & ſive Ethelberto, ſive Cantiis obſequutus, Archiepiſcopatus obſoleta inſignia Londino traduxit Cantuariam. Id quod a Merlino vaticinio praedictum quidam aſſerunt his verbis: “Dignitas Londoniae adornabit Doroberniam.” Quam ut firmaret, vivus, ut in vita ejus dicitur, Laurentium ſucceſſorem conſtituit, ne Metropoliticae ſedis mutatio eveniret. Sed nec duodenario Epiſcoporum numero a Gregorio praeſcripto, nec majoritate in Eboracenſem alteram Metropolim, durante Auguſtini vita, Cantuarienſis ſedes contenta fuit: Quin, Auguſtino ſolum indultam, authoritatem ad poſteros ſucceſſuroſque propagare, ditionemque Cantuarienſem ultra fines a Gregorio conſtitutos dilatare ſtudens, ſuam provinciam & Cambriae dioeceſi, & locupletiori cultiorique Inſulae parte ornavit, ac Eboracenſem Borealibus magiſque incultis finibus concluſit, ac a ſua ſeparavit. Qua quidem in re etſi tam celeberrimae Londinenſi civitati, quam Eboracenſi provinciae, contra mentem fortaſſis Gregorii, ut quibuſdam placet, injuria primo facta videri poſſit; tamen illa authoritas, quae tunc arrogata & uſurpata videbatur, poſtea tam regiis in Anglia decretis, quam papalibus reſcriptis, cum penes illos fuiſſet Eccleſiaſticarum rerum poteſtas, ita corroborata & firmata fuit, ut jamdiu ſine omni controverſia in certum judicatumque tranſierit.

ANGLORUM EPISCOPUS.

Matth. Weſt.

Galfrid. Monumetenſis.

Gervaſius Tiburienſis in Otiis imperialibus, cap. 39.

Sed

Sed ne iniquis conjecturis a veritate ad ſuſpiciones torqueatur hiſtoria, aequius eſt exiſtimare Auguſtinum ne praeter Gregorii voluntatem atque mentem Cantuariae potius quam Londini ſedem ſuam inſtituiſſe. Etſi enim Gregorius primis illis ad Auguſtinum literis quibus pallium miſerit, loci atque gentis ignarus, duarum tantum civitatum Londini ſcilicet & Eboraci, quae celeberrimae putabantur, meminerit; fuit tamen eodem tempore Ethelbertus Cantii rex omnium Angliae regum potentiſſimus, utpote qui imperii ſui fines ad Humbrum fluvium propagare curaverat: tum ipſa Cantuaria juriſdictione ampliſſima, ad quam reliquae Angliae gentes Juris habendi cauſa maxime confluebant: ipſeque Ethelbertus ad fidem converſus non modo Auguſtinienſe coenobium Cantuariae, & eccleſiam Roffenſem, ſed Londini Paulinam eccleſiam primus condidit. Quibus rebus motus Gregorius cum auctum Evangelium inter Anglos ab Ethelberto & Cantuarienſibus intellexerat, non praeſcriptam prius rationem Auguſtino ſervandam, ſed rem ſuo arbitrio tam in hac quam in omnibus cauſis eccleſiaſticis moderandam relinquit. Id quod ex Gregorianis reſponſis ad undecim Auguſtini quaeſtiones intelligi poteſt.

Reſponſio Gregorii Papae ad tertiam interrogationem Auguſtini.

" NOVIT fraternitas tua Romanae Eccleſiae conſuetudinem: in
" qua ſe meminit enutritam. Sed mihi placet ut ſive in
" Romana, ſive in Gallicanorum, ſeu in qualibet Eccleſia
" aliquid inveniſti quod plus omnipotenti Deo poſſit placere,
" ſolicite eligas: & in Anglorum Eccleſia, quae adhuc ad fidem nova
" eſt, inſtitutione praecipua quae de multis Eccleſiis colligere potuiſti, in-
" fundas exempla. Non enim pro locis res, ſed pro bonis rebus loca
" amanda ſunt. Ex ſingulis ergo quibuſcunque Eccleſiis, quae pia,
" quae religioſa, quae recta ſunt, elige: & haec quaſi in faſciculum col-
" lecta apud Anglorum mentes in conſuetudinem depone.

Hunc Pontifices Romani qui proxime ſequuti ſunt, ſedem metropolitanam ita Cantuariae confirmarunt, ut ab ea divelli nefas eſſe decreverunt. Namque ad Ethelbertum primo, deinde ad Juſtum Cantuarienſem Archiepiſcopum, qui tertius fuit ab Auguſtino, Bonifacius Papa ſcribens non modo affirmat, Metropolim ab ipſo Gregorio ſub Auguſtino Cantuariae fuiſſe inſtitutam, ſed ſub anathematis & gehennalis mortis poena praecepit, ne a quoquam illac alio transferatur, ut ex ipſis literis hic inſertis apparet.

Literae

Literae Bonifacii quinti Papae, ad Ethelbertum Regem, & Juſtum Cantuarienſem Archiepiſcopum, &c.

W. Malmſb. “Domino excellentiſſimo atque praecellentiſſimo filio, regi Ethelberto Bonifacius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dum Chriſtianitatis veſtrae integritas ita circa conditoris ſui cultum excreverit, ut longe lateque reſplendeat, & in omni mundo annunciata veſtra Deo dignae operationis augmenta referat, innumeras largitori omnium bonorum grates Deo exſolvimus: qui nos de excelſo proſpexit, & in tanto virtutum culmine erexit. Quapropter, glorioſe fili, quod ab apoſtolica ſede per coëpiſcopum noſtrum Mellitum poſtulaſti, libenti animo concedimus; id eſt, ut veſtra benignitas in monaſterio in Dorobernenſi civitate conſtituto, quod ſanctus doctor veſter Auguſtinus beatae memoriae Gregorii diſcipulus ſancti Salvatoris nomini conſecravit; cui ad praeſens praeeſſe dignoſcitur dilectiſſimus frater noſter Laurentius; licenter per omnia monachorum regulariter viventium habitationem ſtatuat: apoſtolica auctoritate decernentes, ut ipſi veſtrae ſalutis praedicatores monachi monachorum gregem ſibi aſſocient, & eorum vitam ſanctitatum moribus exornent. Quae noſtra decreta ſi quis ſucceſſorum noſtrorum, ſive Regum, ſive Epiſcoporum, Clericorum, ſeu Laicorum, irrita facere tentaverit, a principe Apoſtolorum Petro, & a cunctis ſucceſſoribus ſuis anathematis vinculo ſubjaceat, quoadusque quod temerario auſu peregit, Deo placita ſatisfactione poeniteat, & hujus inquietudinis veram emendationem faciat. In Chriſto valeas Domine fili.” Miſſa per manum Melliti Epiſcopi Londinenſis. Anno Dominicae incarnationis DCXV.

“Dilectiſſimo fratri Juſto Bonifacius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Suſceptis veſtrae dilectionis apicibus, in quibus reperimus inter alia plurimos ex gentilibus ibidem degentibus, Deo omnipotente & Domino noſtro Jeſu Chriſto auxiliante, converſos, maxime autem in partibus Cantii ad veri Dei noſtri fidem veſtris laboribus eſſe perductos, valde gratulati ſumus. Edbaldi quoque regis animum ad veſtrae agnitionis viam eſſe correctum, Dominum omnipotentem in id laudavimus, qui ſui nominis ſacramentum, veſtrique laborum fructum non deſeruit, ſicut ipſe praedicatoribus Evangelii veraciter repromiſit: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vitae uſque ad conſummationem ſaeculi. Multa eſt clementia apud Dominum, multa eſt in vobis demonſtrata, cum aperiantur corda barbararum gentium ad ſuſcipiendum praedicationis veſtrae ſingulare myſterium. Ut enim proficerent, veſtris meritis eſt eorum ſalvatio procurata, Domino dicente: Qui perſeveraverit in finem, hic ſalvus erit. Cognovi ſiquidem in veſtris

“ ſyllabis

“ ſyllabis ut ſanctae recordationis praedeceſſor noſter Gregorius conſtituit Auguſtino & omnibus ſucceſſoribus ſuis in poſterum metropolitanam & primitivam ſedem in civitate Dorobernia, ubi caput totius gentis Anglorum a diebus Paganorum habetur. At vero nunc per revelationem Jeſu Chriſti, qui eſt origo & caput chriſtianitatis, eadem civitas exaltatur, & orthodoxa fides quae eſt radix nobiliſſima ibidem collocatur, ut ex illa ſegete uberrimum fructum boni operis ad pabulum coeleſtis patriae omnes inſulani metere queant. O quam felix illa civitas, quae meruit in ſe Chriſtum habitatorem habere! Felix illa civitas & tota gens, cum illas ſuperna miſericordia viſitare non dedignata ſit, quos ante mundi creationem praedeſtinaverat ſibi ſociare. Quare abſit ab omni chriſtiano ut ex illa civitate Dorobernia aliquid minuatur aut in aliud mutetur, nunc vel futuris temporibus, quae a praedeceſſore Domino Papa Gregorio ſtatuta ſunt, quomodo res humanae quaſſentur. Sed magis ex auctoritate beati Petri Apoſtolorum principis id ipſum praecipientes firmamus, ut in Dorobernia civitate ſemper in poſterum metropolitanus totius Britanniae locus habeatur; omneſque provinciae regni Anglorum praefati loci metropolitanae Eccleſiae ſubjiciantur, immutilata & perpetua ſtabilitate decrevimus. Hanc autem Eccleſiam, utpote ſpecialiter conſiſtentem ſub poteſtate & tuitione ſanctae Romanae Eccleſiae, ſi quis conatus fuerit imminuere, eique de conceſſae poteſtatis jure quicquam abſtulerit, auferat eum omnipotens Dominus de libro vitae ſuae, ſciatque ſe ſub anathematis vinculis eſſe innodatum. Deus te incolumem cuſtodiat, reverende frater.”

Poſt hunc Honorius Papa Honorio Cantuarienſi Archiepiſcopo ſcripſit, ut in civitate Dorobernia, metropolitanus locus & honor Archiepiſcopatus, & caput omnium Eccleſiarum Anglorum ſemper in poſterum habeatur, & a nulla perſona per aliquam malam ſuaſionem in alium locum mutetur. Juſtus autem cum Paulinum Eboracenſem Archiepiſcopum ordinavit, ejus ſedem Eboracenſem Cantuarienſi Metropoli ſubjecit. “ Sicut, inquit, Cantium ſubjicitur Romae, quod ex ea fidem accepit: ita Eboracum ſubjicitur Cantuariae, quae eo praedicatores miſit. Sicut igitur Cantuariae ſedes prima fuit in fide, ita prima ſit in honore.” Quam dignitatem atque praeeminentiam Cantuarienſis Metropolis ſeptem deinceps Romani Pontifices, cum Cantuarienſes Archiepiſcopos confirmarent, tanquam ab ipſo Gregorio acceptam, primoque inſtitutam renovarunt: Ut ſi quis hanc rem altius conſideraverit, ne receſſiſſe quidem Auguſtinum a Gregorii praeſcripto judicabit, ſed ipſum Gregorium, mutato poſtea conſilio, quid e re maxime ſit Anglicanae Eccleſiae Auguſtini judicio permiſiſſe. Itaque Auguſtinus libera ſibi facta a Gregorio poteſtate Angliam ſuo arbitrio judicioque in religione inſtituere, hujus loci commoditatem ſequutus, quae & cultu urbanior, & ſuis ſuaſionibus propenſior, & rebus geſtis clarior, & exteris viciniſque nationibus notior fuit; tum ab ipſo Ethelberto rege tanta munificentia magnificentiaque allectus, Cantuarienſis Archiepiſcopus potius quam Londinenſis dici voluit. Nec minus amicitiae atque neceſſitudini, quam ipſi antiquitati & origini tantum honorem videtur de-

Radulphus de Diceto 15. Epiſt.

tuliſſe, ut in gente atque civitate, quam primo inſtituit atque convertit, totius provinciae Metropolis tanquam oraculum ſtatuatur.

Verba ipſius Gervaſii, in prologo ſuo de Archiepiſcopis Cantuarienſibus.



N his autem quae praedicta ſunt tria mihi videntur eſſe notanda: videlicet qua de cauſa Sanctus Gregorius voluerit ut Archiepiſcopus Arelatenſis Auguſtinum Anglorum ſacraret Epiſcopum, cum tot inpraeſentiarum ſint Archiepiſcopi Angliae viciniores. Forte tunc temporis tot Epiſcopi non fuerunt; vel creſcente paulatim Eccleſia crevit & gloria, ut Epiſcopos in Archiepiſcopos temporis intervallo Romana commutaret Eccleſia. Cur autem in Anglia tres Archiepiſcopos inſtituerit, ſcilicet Cantuarienſem, Londonienſem & Eboracenſem, ut ſinguli ſuos numero duodecim haberent ſuffraganeos, res in propatulo eſt. Aut enim error erat ſcriptoris velociter ſcribentis, ut nomina tranſponeret civitatum, aut exiſtimavit Gregorius, licet Sancti Spiritus eſſet ſacrarium, ut civitates in Anglia nobiliſſimae ab invicem aequali diſtarent proportione, & Cantuarienſis eſſet in capite, Eboracum in fine, Londonia vero in meditullio terrae: Statum itaque ſciens Auguſtini, ſitum vero terrae neſciens, de tribus Archiepiſcopis inſtituendis ſcripſit, ut ſupra dictum eſt. Attamen omnia ipſius Auguſtini ſuppoſuit diſpoſitioni. Cum Cantuarienſis Archiepiſcopus duodecim haberet ſuffraganeos, ubinam Londinenſis ſuos duodecim reperire poterit, certe nuſquam competenter apparet. Idcirco diſpoſitioni divinae cuncta ſuppoſita debent eſſe. Praeterea notandum eſt, qua ratione nitantur qui dicunt & ſcribunt beatum Gregorium pallia miſiſſe tribus Archiepiſcopis, Cantuarienſi ſcilicet Auguſtino qui ſedit annis ſexdecim, & Laurentio qui poſt Auguſtinum ſedit annis quinque, Mellito quoque qui ſimiliter ſedit annis quinque, qui conjuncti faciunt annos viginti ſex; cum ipſe Gregorius non ſederit niſi annis tredecim, menſibus ſex & diebus decem: quae cum ſimul omnia cohaerere non poſſunt, unam & ſolam perpendo rationem, quam etiam in ſcriptis vidi, licet non authenticis, & a ſenioribus audivi, videlicet quod Papa Gregorius tria pallia miſerit Auguſtino auctoritate Romanae Eccleſiae pro loco & tempore Cantuarienſi, Londinenſi & Eboracenſi Eccleſiae tradenda, ſiquidem praedictae civitates cum finitimis locis verbum Dei reciperent; quod quia compleri non poterit, & interim Sanctus Gregorius migravit ad Dominum, primum pallium habuit Auguſtinus, quod ei poſt obitum conſepultum eſt. Secundum Laurentius Auguſtini ſucceſſor primus. Tertium vero Mellitus qui Laurentio ſucceſſit. Juſto enim, qui quartus erat in ordine, Bonifacium Papam legimus pallium miſiſſe, anno triceſimo poſtquam Auguſtinus in Angliam miſſus eſt. Hactenus Gervaſius.

Ac Auguſtinum omnia ſuo modo in Anglia ſtatuendi a Gregorio poteſtatem adeptum, haec etiam impulit cauſa, cur Cantuariae metropolitanam ſedem collocarit: Quod Cantii, quos primo lucrifeciſſet, humanitate urbanitateque caeteras Anglorum gentes ſuperare, & in vitae cultu atque moribus non multum a vicinis Gallis, qui politia elegantiaque Anglos anteibant, differre, ipſius Julii Caeſaris teſtimonio perhibentur.

Lib. 5. de bello Gall.

Quodque

Quodque ab his Augustinus tam humaniter tractatus locum imposito susceptoque suo religionis in Anglia negotio sibi & successuris, qui peregrini & Itali diu fuerunt, tutum atque commodum delegisset. Londinenses autem & Insulae pene mediterraneos, & in alterius regni finibus, nempe Essexiae tum positos, tardiusque ad fidem conversos, necessitate magis quam voluntate reliquisse: eoque consilio Cantuariae sedisse, quod una cum suis, Ethelberti Regis & Cantiorum conjuncta necessitudine, ire ac redire tutius faciliusque potuisset, magis quam ut in maritimo, ac viciniori Insulae loco, Papae seu cuiquam in tumultibus intestinis adesset, opemve ferret, aut expectaret. Verum eo fuit Cantuariensis sedis authoritas magis consolidata, quod cum Offa Merciorum Rex Lamberto Archiepiscopo & Cantuariensibus infestus, annuente Adriano tum Pontifice Romano, fortasse muneribus ad id corrupto, Metropolim Cantuariae diminutam, in urbe sui regni mediterranea, quae Lichfeldia nuncupatur, sub Aldulpho Archiepiscopo & Primate constituisset: postea sub Kenulpho rege in Merciorum regno Offa succedente, iterum Cantuariae restituta est, omniaque quae fecisset Offa ad nihilum redacta, viribusque juris carentia, à Leone tunc Pontifice pronunciata sunt: ut ex utriusque tam Kenulphi, quam Leonis scriptis & rescriptis literis, in Athelardi Cantuariensis Archiepiscopi vita inferius recitatis, liquido constare potest. Tum authoritati Cantuariensi tuendae atque stabiliendae accesserunt crebrae inter Metropolitanos luctae & controversiae, in quibus Cantuariensis vel provocantes vel reluctantes semper vicit atque superavit. Metropolis autem Eboraci constituta, cui Albania subjecta fuit, etsi ab illa sede nunquam dimota & avulsa sit, tamen haec Insula in duo tantum regna, Angliam scilicet & Scotiam divisa, deficiente Albania, quae suae provinciae & alterius regni pars maxima fuit, minuta valde & perexigua, si ad Cantuariam referatur, existimari potest. Qua re permoti illius sedis Archiepiscopi repetebant crebro aliquas dioeceses, ut Wigorniensem atque Lincolniensem, quibus obtentis in magnitudine provinciae Cantuariensibus Archiepiscopis pene pares esse poterant: & aequipollentem a Gregorio constitutam Eboracensem cum Cantuariensi jurisdictionem obtinerent: utque a sua Synodo, suaque provincia, perinde ac Cantuarienses Archiepiscopi sacrarentur: nec subjectionem quocunque modo Archiepiscopis Cantuariensibus ulla lege promitterent, aut jurarent. In quibus omnibus litibus atque controversiis, ut suis locis opportunius demonstrabitur, Eboracenses Archiepiscopi Cantuariensis potentia, cujus plerumque fuit & Angliae regibus, & Romanis Pontificibus, ipsa vicinitate & origine sedis suae quasi conjuncta, major authoritas, causa sua victi ceciderunt: ut non tam ex prima institutione, quam ex sequuta contentione, in qua principes atque pontifices semper Cantuariae primas detulerunt, Cantuariensis provincia magnitudinem & potentiam suam acquisivisse judicatur. Sub Lanfranco enim, ut in ejus vita patebit, & Gulielmi consilio, qui armis & victoria regnum obtinuit, & pontificum variis rescriptis, haec inter Cantuariensem & Eboracensem Archiepiscopos toties redintegrata contentio, sic pacata, & ad concordiam redacta est; ut provinciarum fines Humbro flumine statuerentur, & ut in omnibus divinum cultum tangentibus decretis ac negotiis, Eboracensis provincia subdatur Cantuariensi: & ut Eboracensis Archiepiscopus cum suo clero, concilio a Cantuariensi Archiepiscopo indicto atque congregato intersit. Deinde ut Eboracensis

W. Malmsb. Lib. i. de Pont. cap. 4.

ſis Archiepiſcopus cum ſuis ſuffraganeis, ſacratum Cantuarienſem Archiepiſcopum, Cantuariam, vel ad alium ejus provinciae deſignatum locum accedant, & ut Eboracenſes Archiepiſcopi conſecrandi per Archiepiſcopum Cantuarienſem Cantuariae, vel in Cantuarienſi provincia conſecrentur. Ad extremum, ut utrique Metropolitano ſuus honos, diſtinctus tamen tribuatur: Cantuarienſis Archiepiſcopus totius Angliae primas: Eboracenſis vero Angliae primas edicto nuncupatus. Haec lis, etſi ita compoſita fuerit, poſtea tamen quorundam Archiepiſcoporum Eboracenſium renovata fuit importunitate, qui victi cauſa ceciderunt. Ex Eadmero. Nec deſunt, qui Archiepiſcopum Eboracenſem quendam Thomam, ſuffraganei vice, in conſecratione Sampſon Wigornienſis Epiſcopi, ſub Anſelmo functum fuiſſe ſcribant. Ita & majoritatem, & provinciae magnitudinem, Cantuarienſis ſedes omni jure firmatam tot annis occupavit, & Eboracenſem ad boreales fines relegavit, & ad ſubjectionem redegit. Eboracenſis autem ſedes quanquam a conſtituto primum loco Ranulph. Ceſt. non migravit, ejus tamen authoritas quaſi ſopita triginta annis ceſſavit. Edwinus enim Rex, qui Adelbertam filiam Adelberti Regis Cantuariae uxorem duxit, poſtquam eum Paulinus; qui poſt appulſum Auguſtini cum quadraginta ſociis in Angliam miſſus eſt a Pontifice, etiam cum duodecim aliis Clericis, in auxilium Auguſtino; cum Eboracenſi civitate, & adjacente provincia, ad Chriſti fidem converterat, hoſtili manu a Ceadwalla Britonum, & Poeanda Merciorum regibus infeſtatus, bello periit. Cujus morte rebus turbatis, Paulinus tunc Eboracenſis Archiepiſcopus ab Auguſtino inſtitutus & conſecratus receſſit, navigioque Cantuariam cum Adelberta Regina, ſumpto ſecum pallio profugit: ubi perhumaniter ab Honorio tunc Cantuarienſi Archiepiſcopo acceptus, Roffenſi dioeceſi praeficitur: non victus inopia, ut perperam ex vaniſſima conjectura colligit Polydorus, ſed ipſa vi, & temporum magis quam rerum neceſſitate Archiepiſcopalem ſedem deſerens. Perinde enim dicere poterat Reginam Adelbertam, non neceſſitate ſed paupertate fugiſſe. Eo itaque abſente vacavit ſedes, donec Egbertus Epiſcopus frater Regis, Pontificali authoritate pallium recuperaviſſet: Annoque poſt Paulini diſceſſum triceſimo Ulfridus in Eboracenſi ſede inſtitutus eſt.

Nunc metropoliticis mutationibus & dignitatibus expoſitis, inferiores Epiſcopatus in utraque provincia ſecundum earum varietates & mutationes percurramus. Ante Auguſtini adventum, vaſtatas a Saxonibus in Eboracenſi & Londinenſi provinciis Epiſcopales ſedes, una cum religione ejecta exiſtimare convenit. Ideoque de Cambriae ſedibus Epiſcopalibus, quae fidem retinuerunt, & notior & certior eſt hiſtoria; cujus provinciae Epiſcopatus ſupra commemoravimus. Ad caeterarum notitiam & intelligentiam hoc ordine perveniemus. Sciendum eſt Britannis in Walliam, Cornubiam, & Galliam actis, Anglos atque Saxones potitam a ſe Inſulae partem, in ſeptem regna diviſiſſe. Quorum primum, occiduam Inſulae regionem, hos comitatus, Southamtonam, Berceriam, Wilceriam, Dorceſtrenſem, Somerſetenſem, Surrenſem, Devonienſem, & Cornubiam continens, Weſtſaxonia vocabatur. Secundum ab auſtralibus Saxonibus, Southſaxonia, ſeu Southſexia dicta, illum comitatum, partemque Surrae tenebat. Tertium regnum Cantii finibus continebatur. Quartum ab orientalibus, Eſtſaxonia nuncupata, Londinum, Mid-

dleſexiam,

dleſexiam, Eſſexiam, ac Hertfordenſis partem comprehendebat. Quintum ab Orientalibus etiam Eſtanglia nominata, per Norfolciam, Suffolciam, Cantabrigienſem, Elamque Inſulam extenſum eſt. Sextum in mediterraneis ſitum, Mercia ſic dicta, ab Anglico nomine, mearc, quod limen, regioniſque alicujus fines ſignificat, quia a caeterorum finibus hoc tangentibus circumſeptum & incluſum fuit; aut, ut alii volunt, a Latino nomine Merces, quia totius Inſulae meditullium locuples fuit, & Mercibus eo undique portatis abundabat: Hoc autem regnum per comitatus, Lincolnienſem, Northamptonenſem, Rutlandiam, Huntingdonenſem, Bedfordienſem, Buckingamienſem, Oxfordienſem, Ceſtrenſem, Derbenſem, Nottingamenſem, Staffordenſem, Warvicenſem, Gloceſtrenſem, Wigornienſem, & partem Hertfordenſis late patebat. Septimum fuit Northumbrorum regnum, quod Eboracenſem, Dunelmenſem, Northumbriam, Cumbriam, Weſthumbriam, & Lancaſtriam comitatum ambitu ſuo cinxit. In his ſeptem regnis, Epiſcopatus ſeptem primo ab Anglis & Saxonibus poſt receptum Evangelium inſtituti fuerunt, ſed variis & incertis ſedibus, poſtea ordinibus lociſque diſtincti, & numero dilatati ſunt.

Origo & Mutatio ſingularum Epiſcopalium Sedium in Anglia, juxta Heptarchiam.

ITAQUE in Cantii regno ſub Ethelberto rege; Auguſtinus Anglorum Epiſcopus ab Arelatenſi Epiſcopo in Gallia ordinatus eſt, qui primam ſedem reliquarum metropoliticam Cantuariae locavit. In hac ipſe Anglorum Apoſtolatum ſeu Epiſcopatum geſſit annis ſexdecim: Poſteaque Juſtum presbyterum ſuum Roffenſi ſedi, quam inſtituit, praefecit. Eodemque anno in Eaſtſaxoniae regno, Londinenſis Epiſcopus Mellitus, qui Seberto Regi orientalium Saxonum Evangelium nunciavit, ab eodem Auguſtino primus conſtituitur. Auſtralium autem Saxonum primus Epiſcopus fuit Wilfridus, qui Deiris & Bernicenſibus antea Eboraci praeſidebat, ſed inde ab Egfrido Rege pulſus, Romam profectus eſt, rediénſque in Angliam, cum a provincialibus ſuis propter Regis offenſam, recipi non poterat, venit ad Ethelwaldum Auſtralium Saxonum Regem in Mercia, quondam ſub Wolfero Rege ab Egfrido victo & ejecto baptizatum, auſtraleſque Saxones fide primus imbuit Chriſtiana. Huic Ethelwaldus Rex inſulam quandam, Seleſea, i. e. vitulorum Inſulam nuncupatam donavit, in quam Mercios ab Egfrido, qui id regnum marte ſuperaverat, in exilium actos reciperet: ibi Wilfridus Monaſterium condidit, Mercioſque ad ſe profugos, permultoſque alios Monaſtica diſciplina continuit, & illius regni Epiſcopatum geſſit. Deinde Egfrido mortuo ad ſuos reverſus eſt. Itaque hic Auſtralium Saxonum Epiſcopatus, ab Inſulae nomine, Selehenſis primo dictus fuit: in quo cum viginti ordine ſediſſent Epiſcopi, a quodam Stigando viceſimo primo Epiſcopo ad Ciceſtriam, ubi nunc reſidet, traductus eſt. Weſt-

W. Malmſb.

Cant. Archiepiſcopatus.

Roffenſis Epiſcopatus.

Londinenſis.

Ciceſtrenſis.

ſaxoniam latam, ut ante diximus, provinciam primus ad fidem convertit, & Pontificali authoritate rexit Birinus ab Honorio Pontifice ad Kinogilſum illius provinciae Regem miſſus. Hic Epiſcopalem ſedem Dorceſtriae poſuit. Sed utroque tam Kinogilſo Rege, quam Birino antiſtite mortuo, Agilbertus quidam Gallus accitus ex Hibernia a Kinewalto Rege Kinogilſi filio, illius gentis Epiſcopus creabatur; quem quia Rex Gallice loquentem vix intellexerat, ſuae nationis atque linguae virum facundum nomine Winam, in Gallia procuravit ordinari: poſteaque provin- Wintonienſis. ciam ſuam in duas diſtribuit parochias, alteramque Wentanae, i. e. Wintoniae ſtatuit; cui inconſulto Agilberto Winam praefecit, quod is iniquo animo ferens in Gallias diſceſſit, ibique ſenio confectus moritur. Poſt hunc Wina ſolus totam Weſtſaxonum provinciam adminiſtravit, quo caſu Dorceſtriae ſedes Epiſcopalis haberi deſiit, & ab Wintonia aliquandiu abfuit. Sed Hedda ſecundus a Wina illius gentis Epiſcopus, inter quem & Winam Eleutherius medius interceſſit, Epiſcopalem ſedem iterum Wintoniam reduxit, ibique firmavit atque fixit. Itaque illa modica ſcriptorum diſſenſio, utrum a Wina, an ab Hedda, Wintonienſis Epiſcopatus initium accepit, facile diſſolvitur, ſi exiſtimaverimus id, quod a Wina inceptum & inchoatum fuit, ab Hedda perfectum & abſolutum fuiſſe. Succeſſione enim vicini, ſolo Eleutherio interjecto, fuerunt. Sed Hedda mortuo diſſectus iterum in duas ſedes Epiſcopatus fuit; una Wintoniae reſtabat, altera ad Shirborniam, quae Shirborn Monachorum in Southamptonenſi comitatu etiamnum dicitur, inſtituta eſt. In hac Aldelmus primus ſedit, poſt eum viginti quinque; quorum ultimus Oſmundus eam Sariſburienſis. ſedem ſuam ſub Edwardo Rege majore Sariſburiam removit. Tum ob hujus provinciae magnitudinem tempore Edwardi Regis & Plegmundi Cantuarienſis Archiepiſcopi, tres aliae ſedes erectae fuerunt: prima Wiltonienſis, ſive Sunungienſis, in qua Athelſtanus primus, poſt quem ſeptem in ea ſede fuerunt, ſedebat. Haec etiam dicti Regis tempore in Sariſburiam traducta deſiit. Secunda Cridienſis ſeu Unnanienſis, in qua Eadulphus primus fuit Epiſcopus, eique ſuccedebant decem, quorum ultimus Owtus Cornubienſem praeſulatum ſuae copulavit. Quem ſequu- Exonienſis. tus Leofricus conjunctas illas ſedes ſub Edwardo Rege, Exoniae colloca- Wellenſis. vit, ubi nunc ſitae ſub una permanent. Tertia fuit Wellenſis, ſive Fontanenſis Eccleſia, in qua Althelmus, & Wulfhelmus, qui poſtea Cantuarienſes Archiepiſcopi fuerunt, ordine primi ſedebant. Tum paulo poſt Johannes de Villula veterem illam Fontanenſem Eccleſiam Bathoniam tranſtulit. Quae duae ſedes in unam jamdiu coaleſcentes, ab uno Praeſule reguntur, priſtinaque utriuſque ſedis nomina tenent. In orientali Anglia, quae Northfolciam Suffolciamque continet, primus Epiſcopatum geſſit Felix natione Burgundus, qui Sigebertum orientalium Anglorum Regem, Erthenwaldi Apoſtatae filium in Chriſtiana fide inſtituit, ad quod ab Honorio Cantuarienſi Archiepiſcopo miſſus eſt, Anno Domini 630. Hic Donwicki ſedebat, eumque in illa ſede ſequuti tres, quorum Biſus ultimus, cum tanta corporis infirmitate laboraret ut adminiſtrationi provinciae impar eſſet, diviſa in duas ſedes Dioeceſis fuit, quarum una Donwicki, in comitatu Suffolciae, altera Northelmae in Norfolcia habebatur. Illius primus Epiſcopus Bradwinus, cui duodecimus hujus Heatta, cui decem ſucceſſerunt. Et poſtquam in illis locis deſierant Epiſcopales ſedes, in novam ſedem, quae Thetfordia nuncupatur, per Herfaſtum

faſtum

fastum Episcopum iterum conjunctus & mutatus illius regni Episcopatus fuit. Sed paucis deinde labentibus annis, Wilhelmo Rufo Angliae regnum tenente, Herebertus Losinga Estangliae Episcopus, Episcopatum illum Nordovici moderna in sede stabilivit.

Norvicensis.

Sequitur Merciorum regnum omnium maximum, & per plurimos comitatus diffusum: In quo Rex Penda seu Paeda, cujus filius Weadda Eanfledam Oswini Northumbrorum Regis Christiani filiam conjugali amore expetivit, nuptiaeque non alia conditione, quam si Weadda Christianus fieret, conciliari potuissent, Evangelium praedicari permisit. Post has nuptias, capitales intercesserunt Oswino cum Penda inimicitiae, bellumque atrox gestum, in quo Penda victus & interfectus est, & Oswinus Merciorum regnum suo conjunxit; in eoque Divinas quidam a Finano Deirae Berniciaeque, de quibus proximo loco dicturi sumus, secundo Episcopo, primus Merciorum Episcopus ejus mandato ordinatus est. Hunc sine certa sede sequuti sex Merciorum Episcopi, quorum ultimus Sexulfus, late patentem provinciam Episcopalibus Ecclesiis quinque distinxit, tempore Regis Etheldredi, qui quartus post Pendam fuit. Quarum Ecclesiarum nomina haec sunt. Herefordensis, in qua Peuca: Wigorniensis, in qua Bosetus: Lichfeldensis, quae illius gentis primaria habita est, in qua Headda:

Herefordensis. Wigorniensis

Leogernensis sive Leycestrensis, in qua Wilfridus, & Lindisensis, in qua Headethus primus sedebat: sed postea Celdredus Leycestrensis Episcopus octavus & ultimus, hac deserta ad Coventrensem Ecclesiam secessit, quam

Coventrensis.

Petrus ejus successor Lichfeldensi adunavit. Eodemque modo Oswinus octavus & postremus Lindisensis Episcopus, suam parochiam cum Leogernensi a Celdredo derelicta conjungens, utramque Dorcestriam migrans secum transportavit: cujus sedis Eadulphus decimus & ultimus eam sedem ad veterem regionem reduxit, & Lincolniae fixit. Quae dioecesis magnitudine laborans sua, detracta in Eliensi dioecesi, cujus primus Episcopus Herveus fuit, ab Henrico primo, nec non Petriburgensi, atque Oxoniensi ab Henrico octavo, etsi aliquantulum diminuta, Comitatuum tamen numero adhuc est maxima.

Lincolniensis. Eliensis. Petriburgensis. Oxoniensis.

Tres etiam alii Episcopatus ab eodem Rege Henrico octavo erecti: Bristoliensis, Glocestrensis, & Cestrensis, quae Henrici octavi tempore Eboracensi provinciae addita est.

Bristoliensis. Glocestrensis. Cestrensis.

His itaque dioecesibus, praeter Cestrensem, Cantuariensis provincia tanquam suis numeris perfecta & absoluta constat. Jam ad Northumbrorum provinciam & Eboracensem alteram Metropolim ultimo loco accedimus, cujus Rex Edwinus, conjugata sibi Ethelberti Regis filia a Paulino primo Eboracensi Episcopo, quem Justus Cantuariensis Archiepiscopus ordinavit & Honorius Papa pallio donavit, ad fidem conversus & Eboraci baptizatus est, Anno Domini 687.

Eboracensis Archiepiscopatus.

Sed eo postea interfecto Paulinus, ut ante diximus, cum regina pallioque in Cantium reversus est. Interea silebat in ea regione religio. Sed paulo post Oswaldus Edwini frater, qui turbato & ab alio occupato suo regno in Scotia exulaverat, Christianamque fidem acceperat, fratris regno restitutus, propagandae per totam suam provinciam Christianae religionis cupiditate ductus, duabus regionibus Deirae scilicet & Berniciae, quae totum Northumbrorum regnum continet, Aidanum in Scotia ordinatum praefecit. Harum regionum Episcopatus, Meirnolensis primo dicebatur, postea Lindiffarnensis ob Insulae nomen, in qua Aidanus Christi Ecclesiam aedificavit, & Episcopatus sedem posuit. Post Aidanum tres Episcopi ibi sederunt.

Ultimus

Ultimus Tudda: quo defunćto Alefredus Northumbriae Rex miſit Wilfridum, poſtea auſtralium Saxonum Epiſcopum; cujus ante meminimus, ad Agilbertum Pariſiorum in Gallia Epiſcopum, ſui regni Epiſcopum conſecrandum. Cumque moram diuturniorem in Gallia Wilfridus feciſſet, Rex Oſwini filii ſui ſuaſu miſit Ceddam a Cantuarienſi Archiepiſcopo, ad Eboracenſem iterum praeſulatum ordinandum; qui in peregrinatione errans pervenit ad Winam primum Wintonienſem Epiſcopum, ab eoque ſacratus, Eboracum Archiepiſcopali authoritate reverſus rexit. Poſtea rediit Wilfridus, cujus adventu Cedda ſeceſſit in Monaſterium Leſtingha, & Wilfridus Archiepiſcopatum ſuſcepit, ſoluſque totam provinciam geſſit. Orta deinde inter eum & Egfridum Regem, ut ante diximus, diſſenſione, auſtrales Saxones petiit, ejuſque loco Boſa Eboraci ſucceſſit. Inde huc uſque Archiepiſcopalis dignitas Eboraci continuo retenta eſt. Quae Metropolis has duodecim parochias quondam continebat. [Vide Polydorum Lib. 9.] Eccleſiam beatae Mariae prope civitatem, ultra amnem Uſae: Eccleſias Riponenſem, Beverlacenſem, Dunelmenſem, Lindiffarnenſem, Haggeſtaldenſem. Candidae Caſae vel Gallovidiae, Deirenſem, Berniciienſem, Cumbrenſem ſive Carleolenſem, Ceſtrenſem, & Eccleſiam Pictorum, praeter Eccleſias Scoticas, in quibus ante ſeparata regna crebris ſe bellis infeſtantia, Eboracenſis Archiepiſcopus Metropolitani & Primatis jure fungebatur. Et longe poſtquam diviſa eſſent regna, ob eamque diviſionem defeciſſet ab Eboracenſi Metropoli Scotia; quidam Foderochus Eccleſiae Sanćti Andreae, quae poſtea Scotiae Metropolis fuit, Epiſcopus, [Th. Stobbeus.] venit ad Thomam tunc Eboracenſem Archiepiſcopum, delićtumque faſſus eſt ſuum, quod ab Anglicana Eccleſia defeciſſet: ad quod Malcholmi Regis, & Reginae Margaretae conſilio & imperio addućtus fuit, ne contra patrum decreta quicquam Eboracenſi ſedi detraheret. Huic Thomae Urbanus Papa exprobrat, quod tam facile profeſſionem ſubjećtionis Cantuarienſi Archiepiſcopo feciſſet, in praejudicium Romanae Eccleſiae, quae pacatas controverſias ſolet refricare, ut appellatione ſua ad Papam fаćta, lucri aliquid accreſceret. Hunc Thomam ſequutus eſt, poſt Girardum, qui decimus ſextus Archiepiſcopus fuit, alter Thomas dićtus Junior, [Polydorus.] qui hos Epiſcopos in Scotia conſecravit, Michaelem Epiſcopum Glaſquenſem, Wimundum de Syder, & Radulphum ab Orcadenſibus elećtum, qui tum preſbyter fuit in Eccleſia Sanćti Petri Eboraci. Eboracenſis etiam ſedes habet ſibi ſubditum Sodorenſem Epiſcopatum in Inſula Manna, quae Monaida, ſeu Monavia, quam Angli Mannam vocant, appellatur. Hanc falſo credit Polydorus eſſe Monam veterem Druidum Inſulam, quae jam **Anglesea** vocatur. Itaque cauſa non eſt, cur a Cantuarienſi illatam in parochiarum paucitate Eboracenſi ſedi injuriam, quis queratur [Ex epiſt. Nic. ad Eadmerum.] aut exiſtimet: Modernae enim & praeſentis paucitatis non tam Cantuarienſes quam ipſos Eboracenſes Archiepiſcopos authores fuiſſe certum eſt. Quas quinque Dioeceſes, primam ultra amnem Uſae in Eccleſia [Nic. Scotus in Epiſt. ad Eadmerum.] Chriſti prope civitatem: ſecundum ad Ripoul: tertiam ad Beverlay poſitam: quartam in Hauguſtaldenſi Eccleſia: & quintam in Caſa Candida locatam ipſa Metropolis devoravit, & in ſuum corpus trajecit, ut authoris verbis utar: multo aliter quam Cantuarienſis Metropolis, quae Archiepiſcopatu tantum Cambriam privavit, & ſedem Menevenſem in Epiſcopalem mutavit; illamque provinciam ſuae Cantuarienſi ſubjecit: nec ut Eboracenſis, vaſtavit penitus & abſorpſit. A quo tantum abfuit, ut a proximis

proximis finitimisque sibi sedibus destruendis abhorruit, ut quia vicinum Episcopum sibique originis necessitudine conjunctum habere voluit, non in aliena, sed in propria Cantii parochia novam Episcopalem sedem Roffae constituerat. Itaque adjunctis & unitis Eboracensi Metropoli, seu potius in eum modum exhaustis praedictis quinque dioecesibus, ut indigenis non modo memoriam sed ne suspicionem sui ullam reliquerint; tum Albania Pictorumque dioecesi detracta, duae tantum superfuerunt subjectae: Cumbrensis olim, jam Carlilensis dicta parochia, & Dunelmensis, quae sua freta potentia etiam cum Metropoli contendebat, & ab ejus subjectione sese in jus proprium vindicare nisa est. Quibus ad dilatandum illius Metropolis territorium in Cestrensi coenobio erectus ab Henrico octavo, Episcopatus restitutus & adjectus est. Pictorum autem Episcopalem sedem, cujus Beda meminit, ignorat praedictus Nicolaus.

Carlilensis. Dunelmensis.

Hist. Petriburg. Latina.

Nunc utriusque provinciae dioeceses cum comitatibus, quos nunc obtinent, repetamus. Cestria itaque Cestriam comitatum & Richmondiam, & Lancastriam, partemque Flint & Denbigh in Wallia comitatuum continet. Dunelmensis autem ipsum Dunelmensem atque Northumbriam: Carlilensis, Cumbriam, Westhumbriamque comitatus cingit. Istis sex comitatibus adjecti duo, qui Eboracensem dioecesem statuunt: ipsum nempe Eboracum & Nottinghamia provinciam ipsam absolvunt. Alterius autem provinciae, quae tam ditione quam jurisdictione major est, sunt in Anglia octodecim dioeceses. Cantuariensis cum Roffensi, ipsum Cantium comitatum continet. Londinensis quae Essexiam, Midlesexiam, partemque Hertefordensis comitatus, Cicestrensis Southsexiam, Wintoniensis Southamtonensem, Surram & Vectem Insulam. Sarisburiensis Wilcheriam, & Bercheriam: Exoniensis Devoniam & Cornubiam. Bathoniensis & Wellensis simul junctae Somersetum. Glocestrensis Glocestrensem: Wigorniensis Wigorniensem, & partem Warvicensis: Herefordensis Herefordensem, & partem Salopiensis: Coventrensis & Lichfeldensis una copulatae, Staffordensem, Derbiensem, & reliquam partem Warvicensis, nec non Salopiensis, & partem eam, quae ad Repilum fluvium spectat. Tum Lincolniensem omnium maximam sex terminant comitatus, Lincolniensis, Leycestrensis, Huntingtona, Bedfordensis, Buckingamiensis, & reliqua pars Hertefordensis: Eliensem, Cantabrigia, ipsaque Elis Insula: Nordovicensem Norfolcia atque Suffolcia. Oxfordiensem Oxfordiensis: Petriburgensem Northamptona, & Rotelandia: Bristoliensemque Dorcestria. Quibus octodecim in Anglia dioecesibus, addendae sunt Walliae sive Cambriae dioeceses, quae & Archiepiscopatu proprio privatae, & numero extenuatae sunt, septem videlicet in quatuor abeuntibus, quae sunt: Menevensis, quae ad fanum Sancti Davidis sedet, Landavensis, Banchorensis, & Assavensis sive Elwensis. In caeteris antiquioribus mutationes ex causis suo ordine in hac historia recensendis contigere. Gulielmi enim Regis tempore, sub Lanfranco Cantuariensi Archiepiscopo in concilio Londini habito, constitutum & decretum fuit, ut Episcoporum sedes, quae, ut diximus, in frequentatis a populo locis non erant, sed in abditis atque solitariis, jam ad civitates & celebriora regni loca migrarent. Unde Dorcestrensis sedes primo Lincolniam, ac Lichfeldensis Cestriam, Ramesburiensis & Schirburnensis Sarisburiam, Wellensis Bathoniam, Cornubiensis & Cri-

Ranul. Ceſtr.

dienſis Exceſtriam deductae ſunt. Tum Orientales ac Mediterranei Saxones, qui vulgatos Eſſexiae & Midleſexiae comitatus incolunt, Londinenſi dioeceſi ſubjiciuntur. Adhaec ſeptentrionales & auſtrales Anglos, populum late patentem, qui Norfolci ac Suffolci dicuntur, duabus dioeceſibus primo diſtinctos, una tandem dioeceſis Thetfordiae primo inſtituta, indeque Norvicum traducta, continebat. Elienſis vero ſedes, quae primo Monaſterium fuerat, a Lincolnienſi cui ſuberat, ſeparata, ſua dioeceſi, ſub Henrico primo rege inſtituta, Cantabrigienſem comitatum & Inſulam Elienſem complexa eſt. Quod Lincolnienſi juriſdictioni detractum territorium ab Henrico rege data in ejuſdem Epiſcopi ditionem Spalding, urbe regia compenſatum eſt.

Nunc Epiſcopatuum utriuſque provinciae numero deſcripto, eorum etiam munera, quae ut ſuffraganei Archiepiſcopo ſuo praeſtabant, eorumque munerum dignitates, quibus alter alterum antecellit, explicemus. Magnopere enim ſemper laborabant in loco aliquo & dignitate penes Primatem & Metropolitanum ſuum haberi. Idque & ſuum proprium, & ſedis ſuae honorem maximum eſſe putabant. Primus itaque ſub primate honos, Londinenſi Epiſcopo delatus eſt. Is in Synodo & Collegio Epiſcoporum Cantuarienſi provinciae Decanus dictus eſt: Qui quicquid a Metropolitano decretum per provinciam ſuam mandabatur, literis ſuis ad inferiores praeſules exequutus, debitae ſuae exequutionis eundem per literas mandato remiſſo fecit certiorem. Itaque per hunc, & totius provinciae cleros ad ſynodos celebrandas convocari, & legitima primatis ſui monita peragere conſuevit. Tum in profligatis illis papiſticis ritibus pompoſis atque ſolennibus, in ſynodis & conventibus cleri, coram Archiepiſcopo fuit Miſſidicus. Ob quae ſumma munera, in ſynodis & ſeſſionibus Epiſcoporum, proximus illi Archiepiſcopo locus a dexteris conceſſus eſt; niſi Eboracenſis adeſſet, quo interveniente & a dextris ſedente, Londonienſis ſiniſtras obtinuit: Poſt Londonienſem Wintonienſis in ſummo honore apud primatem fuit, quia Cancellarius ejus nominabatur. Hujus proprium munus fuit in miſſis, in ſynodo per Londinenſem celebratis, auream pacem accipere, eandemque ad Archiepiſcopum oſculandam deferre, & altari referre. Sed & Londinenſi ſede vacante, Epiſcopove in remotis agente, Wintonienſis ejus vices ſuſcepit, & Subdecanus Cantuarienſis provinciae dicebatur. Hujuſque honoris cauſa, ut Londinenſis dextras, ſic Wintonienſis ſiniſtras Archiepiſcopo proximus occupavit. Sed Eboracenſi praeſente, a ſiniſtris propter Londinenſem ſedebat. Quam grata autem fuiſſent Suffraganeis haec honoris officia ſub primate ſuo geſta, ex Johannis Pountois Wintonienſis Epiſcopi literis, Richardi Graveſend tunc Epiſcopi Londinenſis mortui vices agentis, ad Johannem Peckam Cantuarienſem Archiepiſcopum ſcriptis apparet.

Decanus.

W. Linwood Lib. 5. de poenis cap. AEternae ſanctio, & ex Archivis.



Reverendiſſimo in Chriſto patri domino Johanni Dei gratia Cantuarienſi Archiepiſcopo, totius Angliae Primati.

“ REVERENDISSIMO in Chriſto Patri & Domino chariſſimo ſuus “ devotus Capellanus, quicquid poteſt obedientiae, reve- “ rentiae & honoris. Praeminentiae veſtrae litteras per ha- “ rum bajulum nobis miſſas recepimus undecima die menſis “ Decembris, quae mixturam quandam doloris & gaudii continebant: In- “ gerit nimirum animo noſtro moeſtitiam, quod hominem Deo gratum, “ juſtum, manſuetum & pium, & hiis diebus malis regno Angliae “ tam neceſſarium, bonae memoriae Dominum Richardum London. “ Epiſcopum ab hac luce mors amara ſubtraxit; ſed materiam “ gaudii & conſolationis ſubminiſtrat, quod excellentiam veſtram ad “ noſtra & eccleſiae noſtrae Wyntonienſis jura conſervanda & augenda “ litterarum earundem relatu cognovimus quadam ſpecialis dilectionis “ praerogativa ſollicitam & intentam; pro quo veſtrae dignationi grates, “ licet exiles & tantis meritis impares, quantas pro tempore poſſumus, “ exhibemus. Ex hoc nempe laudis & honoris titulum veſtra praecel- “ lens dignitas promeretur; quae tunc ſe reputat honoratam, cum “ ſingulis, quibus debetur fratribus, honor debitus non negatur. Ait “ enim beatus Gregorius: “ Meus honor eſt fratrum meorum ſolidus vi- “ gor.” Verum quia alibi ſcribitur, “ tempore indigemus ut aliquid ma- “ turius agamus,” ne praecipitemus conſilia & opera noſtra, neque eo- “ rum ordinem corrumpamus, deliberationem noſtram ſuper hoc feci- “ mus. Quod ejus vices, eo mortuo vel abſente, gerere & exequi ad “ nos tanquam ad veſtrorum Suffraganeorum Subdecanum jure conſue- “ tudinario dicitis pertinere; conſultis noſtris dilectis filiis Priore & Ca- “ pitulo noſtro Wyntonienſi, cum omni celeritate accommoda abſque “ morae diſpendio reſcribemus: firmum ſemper habentes propoſitum & “ promptum gerentes animum ad veſtra praecepta & beneplacita exe- “ quenda. Incolumitatem veſtram in longa tempora protendat Altiſſi- “ mus ad regimen Eccleſiae ſponſae ſuae. Scriptum apud Farnham die “ praedicto.

Ex Archetypo. 1284.

Capellanus veſter

In dorſo, WYNTONIEN.

Litera Wynton. per quam teſtatur ſe velle exequi mandatum domini Cant. Archiepiſcopi, ut Subdecanus, vacante Sede Londonien.

NAM praeter dictas eminentias & praerogativas, etiam reges a Londinenſibus & Wintonienſibus Epiſcopis, Archiepiſcopis Cantuarienſibus mortuis vel abſentibus, tanquam eorum vicariis, in coronatione ungi & ſacrari ſolebant. Qua ratione Edwardus rex ejus nominis ſecundus ab Henrico Woodlock Wintonienſi Epiſcopo conſecratus fuit, abſentis Archiepiſcopi mandato; quod Robertus Winchelſey tum Archiepiſcopus ab exilio, in quod ab Edwardo primo actus erat, nondum reverſus fuerat;

rat; ut in vita ejuſdem Roberti deinceps declarabitur. Poſt Wintonienſem Lincolnienſis Vicecancellarius fuit: Tum Saliſburienſis Praecentor: deinde Wigornienſis Capellanus: & Roffenſis Cruciger Metropolitani ſui fuerunt. Quibus honoribus & Primati ſuo arctius devinciebantur, & prae caeteris illuſtriores habebantur. Atque hoc in loco commodum eſt eas quoque praefecturas, quas in ſeſſionibus ſupremi Concilii, quod Parliamentum dicitur, utriuſque provinciae tenent Epiſcopi, recenſere. Primo itaque loco ſedet Cantuarienſis: II. Eboracenſis Archiepiſcopus: III. Londinenſis Epiſcopus: IV. Dunelmenſis: V. Wintonienſis; qui & nobilitati illius ordinis in Anglia Garterii Praelatus, procerum illius ordinis interiori ſemper adeſt conſilio. Reliqui poſt hos quinque Epiſcopos ſine ſedium ſuarum diſcrimine, ut conſecratione priores, ita locis potiores & digniores cenſentur. Quod ſi quis Epiſcoporum regi fuerit a ſecretis, is poſt quinque Epiſcopos praedictos primus locum capit.

An. 31. H. 8. cap. 10.

Atque hi quidem provinciales Epiſcopi Cantuarienſis Archiepiſcopi Suffraganei cenſentur & appellantur. Habent & ipſi ſub ſe Suffraganeos; qui ea, abſentibus Epiſcopis, vel aliis gravioribus occupationibus detentis, gerunt, quae ordinis tantum, non juriſdictionis epiſcopalis ſunt. Sed & hi conſecrationem ab Archiepiſcopo Cantuarienſi perinde ac Epiſcopi capiunt, profeſſionemque Archiepiſcopo jurant. Loca autem, in quibus licet Epiſcopis ſuos Suffraganeos conſtituere, ſunt haec:

Suffraganeorum Sedes.

26. Hen. 8. cap. 14. An. Dom. 1534.

Cantuarienſis.	Doveria.	Saliſburienſis.	Briſtolia. Shafteſburia. Moltonia. Marleborowe.
Eboracenſis.	Nottingamia. Hull.	Exonienſis.	S. Germani.
Londinenſis.	Colceſtria.	Carleolenſis.	Perithe.
Dunelmenſis.	Bervicum.	Wigornienſis.	Gloceſtria.
Wintonienſis.	Gilfordia. Southamptona. Vectis Inſula.	Bathonienſis & Wellenſis.	Tawntonia. Bridgwater.
Lincolnienſis.	Bedfordia. Leyceſtria. Grantham. Huntingtonia.	Lichfieldenſis.	Salopia.
		Elienſis.	Cantebrigia.
Norwicenſis.	Thetfordia. Ipſwiche.	Landavenſis.	Penryth.

Ac

Ac poſtquam Cantuarienſem ſedem dignitate ſua Eboracenſem ita viciſſe docuimus, videamus quomodo Oceanum ipſum tranſiens tandem Hiberniam, ipſamque Galliam juriſdictione ſuperavit. Hibernenſes Epiſcopos a ſuis poſtulatos, vel electos a Cantuarienſibus Archiepiſcopis confirmari atque ſacrari ſolitos eſſe, ex his conſtare poteſt: Quod defuncto Donato Dubliniae civitatis Epiſcopo, populi clerique cum conſenſu, quidam coenobii Sancti Albani Monachus Hibernenſis, vocatus Samuel, electus fuit a Rege Hiberniae qui Murierdach tum dicebatur, communique decreto, ſecundum gentis illius antiquum morem a Cantuarienſi Archiepiſcopo ſacrandus ad Anſelmum miſſus eſt. Qui hominem aliquandiu ſecum honorifice detentum, & de Eccleſia Dei ſecundum ejus verbum regenda diligenter inſtructum, & canonicam ſubjectionem ex uſitato veterique more profeſſum in Epiſcopatus Dublinenſis officium promovit. Haec autem conſecratio octavo die poſt Paſchae feſtum ab Anſelmo, miniſtrantibus ſibi in hoc officio quatuor provinciae Cantuarienſis Epiſcopis ſuffraganeis ſuis, Wintoniae celebrabatur. Qui novus Dubliniae Epiſcopus tanti patris benedictione, literarum de ſua conſecratione regi populoque Hiberniae ſcriptarum teſtimonio gaudens, a popularibus ſuis reditum ejus gratulantibus, in ſuam ſedem honorifice ſuſcipitur. Haec autem Cantuarienſis ſedis authoritas ab Eugenio Pontifice aliquantulum labefactata poſſit videri: Qui Johannem quendam Romanae Eccleſiae Cardinalem preſbyterum cognomento Paparo, deſtinavit legatum in Hiberniam cum quatuor palliis, quorum unum Epiſcopo Dubliniae impertivit, & reliqua tria tribus aliis Hiberniae Epiſcopis, ſubjecitque eorum unicuique quinque alios Epiſcopos. Tamen & hoc contra conſuetudinem antiquorum, & dignitatem Cantuarienſis Eccleſiae, a qua ſolebant Hiberniae Epiſcopi conſecrationis accipere benedictionem; & non tam ad Cantuarienſis ſedis minuendam authoritatem, quam ad certum Epiſcoporum numerum ſtatuendum, qui pro Metropolitani olim indiſtincte arbitrio multiplicabantur, ut ſinguli Epiſcopi plures Epiſcopatus quaſi parochiatim & eccleſiatim poſſiderent, factum fuiſſe decernitur. Ab Anſelmo enim iterum petitum ab Hibernenſibus alterius Epiſcopi conſecrationis auxilium, certum eſt ex regis praedicti Epiſcoporum atque procerum ad eundem literis. Quod totum negotium atque decretum inſeruimus, ne rei geſtae veritatem vel verbo tenus immutaſſe videamur.

Eadmerus in hiſtoria rerum novarum.

Rob. Abbas qui ſcripſit additamenta ad Chronica Sigiſberti. Anno 1151.

Bernard. Clarviar. in vita Malachiae.

“ Rex Hiberniae Murchertachus nomine, & Doſnaldus Epiſcopus
“ cum caeteris Epiſcopis: & quique nobiles cum clero & populo ipſius
“ Inſulae miſerunt nuncios ac literas ad Anſelmum, innoteſcentes ei
“ quandam civitatem Wataferdiam nomine, in una ſuarum provinciarum
“ eſſe, cui ob numeroſam civium multitudinem expediret Epiſcopum
“ inſtitui; ſimulque petentes, quatenus ipſe primatus, quem ſuper
“ eos gerebat, poteſtate, & qua fungebatur apoſtolica fretus authoritate,
“ ſanctae Chriſtianitati ac neceſſariae plebium utilitati inſtituendo eis
“ Pontificem ſubveniret. Jam enim ſaecula multa tranſierant, in quibus
“ eadem civitas abſque providentia & cura pontificali conſiſtens per diverſa
“ tentationum pericula jactabatur. Elegerant autem iidem ipſi in
“ hoc officium quendam ſuae gentis virum vocabulo Malchum, eumque
“ ſacrandum cum communi decreto ad Anſelmum tranſmiſerunt.”

Eadmerus.

Decretum autem hoc:

"Anſelmo Dei gratia Anglorum Archiepiſcopo, clerus & populus oppidi Wataſordiae cum Rege Muchertacho & Epiſcopo Doſnaldo, ſalutem in Domino. Pater ſancte, caecitas ignorantiae nos diu detrimenta ſalutis noſtrae ſuſtinere coëgit, quia magis elegimus ſerviliter Dominico jugo colla ſubtrahere, quam liberaliter paſtorali obedientiae ſubeſſe. Nunc autem quantum proficiat paſtoralis cura cognoſcimus, cum aliarum rerum ſimilitudines ad mentem revocamus, quia ſine regimine nec exercitus bellum, nec navis marinum audet acceptare periculum. Navicula ergo noſtra inundans, dedita fluctibus, ſine paſtore contra callidum hoſtem qua ratione pugnabit? Propterea nos, & Rex noſter Muchertachus, & Epiſcopus Doſnaldus, & Dermec Dux noſter frater regis, elegimus hunc preſbyterum Malchum, Walchelini Wintonienſis Epiſcopi Monachum, nobis ſufficientiſſime cognitum, natalibus & moribus nobilem, Apoſtolica & Eccleſiaſtica diſciplina imbutum, fide catholicum, prudentem, moribus temperatum, vita caſtum, ſobrium, humilem, affabilem, miſericordem, literatum, hoſpitalem, ſuae domui bene praepoſitum, non neophytum, habentem teſtimonium bonum in gradibus ſingulis. Hunc nobis petimus a veſtra paternitate ordinari Pontificem, quatenus regulariter nobis praeeſſe valeat, & prodeſſe, & nos ſub ejus regimine ſalubriter Domino militare poſſimus. Ut autem omnium noſtrum vota in hanc electionem convenire noſcatis, huic decreto canonico promptiſſima voluntate ſinguli manibus propriis roborantes ſubſcripſimus. Ego Muchertachus Rex Hiberniae ſubſcripſi. Ego Dermeth Dux, frater regis ſubſcripſi. Ego Doſnaldus Epiſcopus ſubſcripſi. Ego Ferdomvachus Lugdunenſis Epiſcopus ſubſcripſi." Subſcripſerunt hiis multi plures, quos nos brevitati ſtudentes notare non neceſſarium duximus.

Cum igitur animadvertiſſet Anſelmus eos juſta & utilia petere, petitioni eorum libens annuit. Electum ergo Pontificem, diligenter in iis, quae ſacra jubet authoritas, examinatum, ac multorum eum vitae ſuae teſtimonio dignum Epiſcopatu comprobatum, ſumpta ab eo ex more de ſubjectionis ſuae obedientia profeſſione, ſacravit eum Cantuariae quinto Kalendarum Januarii, aſſiſtentibus, & cooperantibus ſibi in hoc miniſterio duobus Epiſcopis ſuis, Radulpho ſcilicet Ciceſtrenſi & Gundulpho Roffenſi. Itaque Cantuarienſis ſedis authoritati illa Adriani per ſuum legatum Archiepiſcoporum in Hibernia conſtitutione additum magis & adjunctum, quam derogatum fuit: utpote qui nihilominus Cantuarienſem primatem in omnibus agnoſcunt ſuum. Et quia Angliae Epiſcopatus recenſuimus, commodiſſimum in hoc loco videtur, etiam Hiberniae Epiſcopatus, Archiepiſcopatibus & provinciis ſuis diſtinctos enumerare. Itaque Archiepiſcopatus quatuor ſub Eugenio conſtituti ſunt hi. Primus Armachenſis primas, ſub quo ſunt octo: Lugdunenſis, Pharenſis, Thuenenſis, Chonderenſis, Rathpotenſis, Cenevercenſis, Ardahacdenſis, Cluenerardenſis. Secundus eſt Caſſelenſis Archiepiſcopus, ſub quo hi undecim continentur, Ligmorenſis legatus, Tumelethenſis, Elvanumenſis, Arcinorenſis, Lumpniacenſis, Kildarevenſis, Waterfordenſis, Arthfortenſis, Roſenſis, Finiabrenſis, Korcenſis. Tertius eſt Dublinenſis Archiepiſcopus, cui ſubjacent quinque: Binſtagnienſis, Lethelenſis, Earipolenſis,

polensis, Ferdiensis, Kildarensis. Quartus est Tuamensis Archiepiscopus, sub quo & alii quinque sunt, Chieusernensis, Maigoniensis, Achatornensis, Killathensis, Alsmensis. Atque hi omnes triginta & tres Episcopatus usitato & antiquissimo Hibernici regni jure ac instituto, Cantuariensi sedi ut Metropoli parent.

Scotia etiam quanquam ab Eboracensi provincia ob regnorum divisionem pene coacta se sejunxit, tamen Cantuariensem Ecclesiam, unde gubernandi, suamque provinciam regendi jura sumeret, ut matrem agnovit. Nam cum Scotiae reges in suo regno metropoliticam Ecclesiam, quae caeteris praesideret, a Romanis Pontificibus postularent, primo Sixtus quartus Pontifex, Sancti Andreae Episcopum, totius Scotiae Primatem & Metropolitanum, Romanaeque sedis legatum constituit. Idemque, ne Episcopi Scotiae in suo regno capite carerent, quanquam reclamante Eboracensi Archiepiscopo, has duodecim sedes metropoliticae Sancti Andreae subjecit, Rossensem, Brechnensem, Glasquensem, Dunkeldensem, Aberdonensem, Cathanensem, Danublacensem, Candidae Casae seu Gallovidiae, Moravensem, Orcadensem, Lismorensem, & Pictorum; non Sodorensem ut quidam scribit: Hujus enim sedes in Manna Insula est, quae Eboracensi paret Metropoli. Deinde Innocentius octavus Wilhelmum Shenes regis Scotiae ad se oratorem in eadem metropolitica Ecclesia cum Primatis & Legatinae authoritatis jure collocavit; eumque & suos successores ad observantiam imitationemque hujus nostrae Metropolis his verbis astrinxit.

Ex Archivis. Ex Camera Apostolica. Lib. 24. fol. 24.

“ In concernentibus Archiepiscopalia, Primatiae, & hujusmodi Legationis officia, jura, & eorum liberum exercitium, honores, onera, & emolumenta observent, teneant firmiter, ac inviolabiliter studeant perimplere laudabiles consuetudines inclytae metropolitanae Ecclesiae Cantuariensis, cujus praesul regni Angliae legatus natus existit. Illas hic ac si de verbo ad verbum exprimerentur, pro expressis haberi volentes, qualescunque sint, ad praefatam provinciam, Archiepiscopatum, Primatiam, & Legationem Sancti Andreae, & illius Ecclesiae, Monasteria, beneficia Ecclesiastica, Episcopos, Abbates, Capitula, Vicarios, generales conventus, & personas, clerum & populum ejusdem dicta authoritate extendimus, inducimus, & instituimus, ac volumus pari modo consuetudines hujusmodi, sicut in dicta Cantuariensi provincia & legatione observantur, in regno & provincia Scotiae praetactis, imposterum perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observari.”

Praeterea cum reges Angliae Normanniam, Guasconiam, Aquitaniam provincias Gallicas sua ditione tenuissent, Episcopatibus vacantibus, spiritualitatis seu Ecclesiasticae jurisdictionis custodia penes Cantuariensem Archiepiscopum remansit, qui Vicarios suos in illis dioecesibus & provinciis delegavit. Tum si quis ad Romanam sedem appellavisset, etiam ad Cantuariensem, ne in juris sui possessione turbaretur, simul appellavit. Quae appellatio, quia possessionis tuendae causa, ne lite pendente immutaretur, fuit interposita, tuitoria dicta est. Hujus autem appellationis recipiendae vim, non alteri cuiquam Archiepiscopo concessam legimus: ut si in Eboracensi, vel vicinis provinciis, appellare quis ad Principem vellet, si possessionem interim tueri ac defendere cupit, Cantuariensem Archiepiscopum invocabit. His ita breviter expositis, ad Cantuariensis

ariensis sedis privilegia accedemus, si prius aliam ex Anacleto hujus Insulae divisionem inseruerimus. Heptarchia ante commemorata longe post Christum fuit, ideoque notior est historia: hujus autem veritatem quia latet plures, juxta veterum testimonia proferemus. Britannia quinque habuit provincias, videlicet, Britanniam primam, Britanniam secundam, Flaviam, Maximiam, & Valentiam. Prima occidentalis Insulae pars est, in qua Britones Bruto & Coryneo ducibus primo appulsi sedes statuerunt. Secunda Cantium est, in quo deinde Brutus & sui incolae fuerunt. Tertia Flavia, quae & Mercia dicitur, quia mercibus dives, cujus caput Londinum. Quarta Maximia, i. e. Eboraca ab Imperatore Maximo vocata. Quinta vero Valentia, a Valente Imperatore sic dicta est. Albania, quae nunc scilicet abusive Scotia dicitur, sicque ordinatum a viris sanctis praedictis duobus fuerat, ut in occidentali Insulae parte, quae & nunc adulterino vocabulo Wallia dicitur, proprie vero Cambria a Kambro Bruti filio dicta, Urbs legionum, Metropolis fuerat duodecim Suffraganeos habens. Dorobernia quae nunc Cantuaria dicitur, a, Dur, Britannico quod est aqua, quoniam aquis abundat, sic nuncupata, Metropolis ab australi Thamisiae fluvii parte duodecim Suffraganeos habens. Londonia Metropolis duodecim Suffraganeos habens. Eboraca, quae nunc dicitur Eboracum, Metropolis duodecim Suffraganeos habens. Et urbs quae nunc Sancti Andreae forsan dicitur, totidem Suffraganeos habens, olim Alba dicta est, unde & Albania provincia, vel potius ab Albanacto Bruti filio nuncupata. Cumque hoc ordine distincta ducentis annis & pluribus Britannica Ecclesia floruisset, supervenit gens Saxonica, quae nunc Anglica dicitur, a Britonibus invitata, ut contra Pictos & Scotos, qui boreales Insulae partes occupaverant, Britonum stipendiis militarent. Tandem vero cum valde crevissent, juncto cum hostibus foedere, & ipsi quoque pejores hostes effecti, miris proditionibus incolas ad occiduas partes Insulae propulerunt, totamque terram residuam, quam & Angliam vocarunt a natali suo Saxoniae solo, quod lingua eorum, Englalonde, vocabatur, id est, Angularis terra, Britanniam occupatam sic nominantes, necnon & Scotiae partem non modicam, destructis Ecclesiis ritu gentilitatis, quoniam gentiles erant, foedaverunt: Britonibus nihilominus Christi fidem in occiduis Insulae finibus inconcusse servantibus. His sic se habentibus missus est a Gregorio Augustinus Monachus in Angliam, qui duas tantum in Anglia Metropoles constituit, Doroberniam scilicet & Eboracum. Doroberniae, quam sibi sedem elegerat, totam Angliam fere, quia duodecim vel tredecim Episcopatus amplos continebat, subjecit. Haec Giraldus. Sed istis non immorabimur, ad propositum revertamur.

Girald. Cambrens. lib. 2. de jure Metrop. Ecclesiae Meneven. ad Innocent. 3.

Girald. Camb. lib. 2. de Dialogis.



Cantuariensis

Cantuariensis Sedis Privilegia & Praerogativa.

NUNC singularum sedium origine ac mutatione, necnon Cantuariensis sedis eminentia & dignitate expositis; operae pretium erit, hujus quoque sedis Praerogativam atque Privilegia, tam ea quae ipsa origine vetustateque, quam quae Principum indulgentia atque concessione tenet, seorsim, parce tamen enarrare. Nam, ut diximus, Archiepiscopi Cantuariensis authoritas non certis atque definitis Archiepiscopalis aut metropoliticae jurisdictionis cancellis concluditur, sed ordinaria, libera, peneque arbitraria per suam provinciam excurrit & diffunditur: Cujus quidem potestatis & authoritatis, ut ab ipsa origine ducatur, utque facilis ac in promptu esse possit, rationem ostendamus. Augustino primum, ut in ejus vita patebit, potestatem indulsit Gregorius Regum ad Christianam fidem conversorum authoritate, per totam Angliam Episcopos ordinandi, Ecclesiastica jura describendi, ritus & ceremonias instituendi. Hic in sua prima ordinatione, quam ab Etherio Arelatensi Episcopo in Galliis accepit, nulli certae sedi astrictus, sed Anglorum Episcopus, seu Apostolus dictus est. Ac postquam eo nomine ordinatus esset; tantae dignitatis sedem Cantuariae locavit. Deinde Theodorus Cantuariensis Archiepiscopus sextus ab Augustino, summus Angliae Pontifex ordinatus & appellatus fuit. Ab hoc itaque initio Ecclesiasticarum rerum summa potestas penes Cantuarienses Archiepiscopos, tam ab ipsis Regulis, inter quos septem regionibus divisum tum regnum fuit, ad fidem conversis, quam a posterioribus Regibus, qui una ditione totum regnum gubernabant, approbata semper remansit. Adeo ut in concilio quod apud Barrum sub Urbano Papa secundo contra Graecos Spiritus Sancti processionem a Deo Filio denegantes celebrabatur, in quo docte Anselmus tum Cantuariensis Archiepiscopus eorum errorem refellit; Urbanus Papa adventu ejus laetus: Hunc, inquit, pro Magistro teneamus, & quasi comparem, velut alterius orbis Apostolum & Patriarcham jure venerandum censeamus. Sed Pontifices Romani hac authoritate praeditos Cantuarienses Archiepiscopos ut suos legatos nominabant, ut authoritatem quam jure suo obtinebant, a sede Romana sumere viderentur. Non aliter atque Henrico octavo Regi insignem illum & verum fidei defensoris titulum Papa diplomate suo detulit, veritus ne, quod evenit postea, immanes suas vires deleret atque frangeret. Haec fuit plerumque Papalis calliditas & astutia, ut quorum authoritatem in administratione Ecclesiastica maximam esse cognosceret, is omnium Regnorum Dominium affectans, eos suos legatos voluit dici; ut quaecunque in administratione sua gesserant, sua tanquam universali authoritate fieri viderentur. Hac ratione non modo in Anglia Cantuariensem & Eboracensem, sed in reliquis Regnis Christianis celebrioribus legatos suos nominavit: in Scotia Archiepiscopum Sancti Andreae, in Germania Archiepiscopum Sallisburgensem, in Gallia Remensem, in Italia Pisanum, & in Hungaria Strigoniensem Archiepiscopum, quorum omnium authori-

In vita Aug. & ex Epist. Bonifacii ad Lanfrancum.

In Memoriale Histor. An. 669.

Ex Eadmero.

Jo. Capgrav.

tas tanta fuit, ut cum inferioribus ſuae provinciae quibuſcunque praelatis in omni ordinaria juriſdictione concurrerent.

Itaque Eccleſia Metropolitica Cantuarienſis quaedam habet jura cum caeteris communia, legibuſque deſcripta; quaedam abſoluta, ſibique ſingularia quae legibus expreſſa non ſunt. Praeſcripta legibuſque definita jura, ſunt hujuſmodi: Provincialium Epiſcoporum poſt ſuam electionem & Regiam approbationem confirmatio & conſecratio, in qua tamen eſt aliquid ſingulare. Nam in Eccleſia Chriſti Cantuariae celebranda eſt, nec in quocunque alio loco quantumvis celeberrimo, legitime id fieri poteſt, quamvis ut alibi fiat Decani & Capituli Cantuarienſis conſenſus de conſuetudine accedere debeat. Ad hanc rem Epiſcopi ſacrati grandia olim tributa praeſtabant: Veluti conſecrationis die, qui Dominicus eſſe debet, nocteque antegreſſa, omnes familiae Archiepiſcopi ſumptus ſacratus lautiſſimo inſtructo convivio ſuſtinebat, & in ſacratione cappam profeſſionalem Archiepiſcopo donabat. Poſtridie diſcedens Archiepiſcopo remunerationis praemiique loco centum libras vel marcas pro Epiſcopatus ſcilicet exiguitate aut magnitudine locique diſtantia dabat. Tapeta ſua atque veſtes ſoluta pecunia ab Archiepiſcopi Capellanis redimebat. Pecuniam etiam largam inter Archiepiſcopi famulos diſtribuebat. Crucifero Archiepiſcopi quadraginta ſolidos, totidemque Mariſchallo donabat. Quae tam copioſa quondam largitas in iſto conſecrationis die, ad modicam decem librarum ſummam Archiepiſcopo jam contracta eſt, aliqua praeterea, ſed pertenui, in famulatum liberalitate diffuſa. Pro cappis autem profeſſionalibus viginti ſolidi in uniuſcujuſque Epiſcopi conſecratione Cantuarienſi Eccleſiae praeſtantur. Quilibet etiam conſecratus in ſua inauguratione Archiepiſcopo Cantuarienſi juramento pollicetur obedientiam canonicam, & defenſionem omnium Cantuarienſis Eccleſiae privilegiorum atque libertatum.

Peckam fol. 87. 112.

In albo Re-gistro.

In lib. public. precum.

Adhaec viſitandi, ſynodos & concilia cogendi, inferiorum negligentias defectuſque ſupplendi, appellationes recipiendi, ad eaſque reſcribendi; debilibus & infirmis Epiſcopis Coadjutores aſſignandi, vicarios generales atque commiſſarios non habentibus aut idoneos non habentibus conſtituendi; praeterea indulgendi, tolerandi atque diſpenſandi & ſimilia, nota ſatis ſunt ſcriptiſque legibus prodita jura. Quae vero ſua ſunt peculiaria atque propria, aut in civilibus honoribus privilegiiſque conſiſtunt, aut in eccleſiaſticis. Civilibus enim multis honoribus tam ante, quam poſt conqueſtum multi Angliae Reges Cantuarienſes Archiepiſcopos affecerunt: ut cum nobilium & magnatum haeredes, qui in minore ſunt aetate, antequam legitimam aetatem attingunt, in fide atque clientela regia, quam Guardiam ſeu cuſtodiam nuncupant, jure regni retinentur; Henricus tertius Rex Angliae Comitis Gloceſtriae haeredes, quoties in minore aetate ad eam haereditatem perveniſſent, in authoritate & tutela Cantuarienſium Archiepiſcoporum eſſe voluit; ejuſdemque Comitis maneria de Tunbridge, Horſmonden, Braſtyd, Veileſton, Meliton & Pettys, quamdiu in minori eſſet aetate, in eorundem cuſtodia eſſe ſtatuit; utque ab Archiepiſcopis Cantuarienſibus tanquam a primis illius ſoli dominis, quatuor militum praeſtitis feodis ac ſervitiis, Gloceſtriae Comites eadem maneria accepta agnoſcerent, in uniuſcujuſque Archiepiſcopi inthronizatione eis inſerviebant, & Seneſchalli ſui atque principalis Pincernae officia gerebant.

Winchelſey. Anno 6. Courtney. fol 290. In Alb. 34.

Qui

Qui cum haec eo tempore impendunt ſervitia, certis quibuſdam feodis atque praemiis viciſſim remunerari ſolebant. Eodem etiam ſervitii genere Dominus Coniers Baro, & Dominus Strangwayes maneria de Whivelton, Semer, Eſton, Alderwicke, Pothon, & Domington in Eboracenſi comitatu tenent. Oxonii item Comes, Baroneſque Dominus Roſſe & Dominus Darcy ad obſequia & ſervitia militaria Cantuarienſi Archiepiſcopo praeſtanda pro quibuſdam ſuis praediis maneriiſque aſtringuntur. In quorum ſervitiorum juribus fruendis, Cantuarienſis Archiepiſcopi Praerogativa aliorum ſubditorum jura antecellit. Haec eſt enim regni jure praerogativa regia: Ut cum plurium diverſi ſtatus & conditionis praediorum & maneriorum pluribus primaevis ſoli dominis, plura tribuunt militaria ſervitia; ſi Princeps ſit unius praedii aut manerii principalis dominus, is reliquorum dominorum tota jura ad ſe praerogativa regia deducit atque trahit: Ita quotieſcunque hujuſmodi haeres in minori ſit aetate, Princeps remotis caeteris dominis totam illius tutelam & curationem nanciſcitur, quo jure totius etiam haereditatis quanquam plurimorum fundis diviſae emolumenta percipit. At Cantuarienſis Archiepiſcopi praerogativa prae caeteris hoc habet praecipuum, ut quicunque a Principe terras tenent, ſive in ipſo praecipuo ac principali ſervitio, quod Capitale vocant, ſive in militari: ſi alias a Cantuarienſi Archiepiſcopo militaribus ſervitutibus alligatas habeat, earum emolumenta atque jura, quamdiu minor ſit, Archiepiſcopo Cantuarienſi deferuntur. Hoc autem tam eximium jus, vetuſtiſſimum ſemperque obſervatum fuit. Nuper vero cum pro manerio de Flete in Cantio, quod Edwardus Oxonienſis Comes tunc minor in militari ſervitio Archiepiſcopo Cantuarienſi debito tenet, res in controverſiam veniret; perſpecta penitus lege, quae de Regis praerogativa lata eſt, perpenſiſque inſtrumentis atque monumentis, quae Archiepiſcopus proferebat, rerumque ante pro terris Baronum Roſſe, Coniers, & Darcy temporibus Henrici ſexti & Henrici octavi ſimiliter judicatarum authoritate, a celeberrimo prudentiſſimoque viro Domino Wilhelmo Cecilio equite aurato, jam Barone Burleighe, Regiae Majeſtatis conſiliario, & praecipuo ſecretario, curiaeque Guardiarum & liberationum regiarum, in qua de hujuſmodi minorum atque ſervitutum jure diſceptatur, Magiſtro atque Praeſide, cum regii procuratoris aliorumque a regiis conſiliis in ea curia praeſentium conſenſu, decretum eſt commoda & emolumenta manerii de Flete, ratione minoris aetatis Oxonienſis Comitis, ad Cantuarienſem Archiepiſcopum pertinere; omniaque, quae, antequam Archiepiſcopus pro jure ſuo propoſuiſſet atque docuiſſet, ad regios uſus percepta ſunt, eodem decreto ei reſtituta fuerunt.

Acta in curia Guard. & lib. 2. Julii An. 8. Reginae Elizabeth.

Idem munificentiſſimus pariter ac religioſus Rex Henricus tertius ſumma libertate & immunitate tam familiam quam praedia atque maneria Cantuarienſis Archiepiſcopi munivit. Mulctas omnes atque poenas, quas famuli, ſervi, miniſtri, vaſalli, coloni, aut tenentes Archiepiſcopi incurrerent, ſive a lege, ſive a judice irrogarentur, Cantuarienſibus Archiepiſcopis conceſſit; eaſque a regiis judicibus ac miniſtris exigi aut peti prohibuit.

Winchelſey. Anno 6. Peckam. fol. 22. Alb. 33.

Johanneſque pius Rex Huberto tum Cantuarienſi Archiepiſcopo authoritatem conceſſit, ut vetera feoda in antiquiſſimo illo ſervitio, quod Gavelkind appellatur, uſitata, ad militaria ſervitia, & deſignatos ac praeſcriptos

Ex Archetypo.

ſcriptos pro illis ſervitiis redditus transferret, utque illius generis tenentes ac coloni pari cum reliquis Archiepiſcopalium praediorum poſſeſſoribus immunitate gauderent.

Deinde Henricus ſextus Johanni Stafford Archiepiſcopo conceſſit, ut Cantuarienſium Archiepiſcoporum tenentes, reſidentes ac firmarii, a proviſoribus & victualium captoribus pro hoſpitio regio deinceps ſemper liberentur.

Hoc privilegium inclytus Rex Henricus octavus Wilhelmo Warhamo, ſuiſque ſucceſſoribus itidem confirmavit, ac inſuper commemoravit, ut ab omni Panagio, Peſagio, Laſtagio, Stallagio, Cariagio, Peſcagio, Picagio, Terragio, Tronagio, Pontagio, Chunnagio, Ankeragio, Wharfagio, omnique ſecta ad ſhiras & hundred, & laſta hundredorum, a quibus ante immunes erant, quieti eſſent ac ſoluti.

Alb. 33. Peckam. fol. 70. & 90. 307. 311.

Eoſdem etiam famulos, miniſtros ac colonos a tributi penſitatione, quae pro his oneribus, quae priſci juris vocabulis Tollagium & Muragium vocant, ac Thelonio, omnique alia praeſtatione quacunque, oneribuſque tam impoſitis quam imponendis per totam Angliam perpetuis futuris temporibus penitus ſolvit ac liberavit.

Ex Archivis turris London. in rotulo chartarum. An. 16. Regis Johan.

In Cantuarienſi etiam Eccleſia illius civitatis Praeſides ac Rectores, quos Majores ac Ballivos nuncupant, claves quas Maſas vocant, Magiſtratus inſignia, ſibi a lictoribus ſuis praeferri non permittebantur: Quia in ea Eccleſia illorum ceſſabat authoritas.

Warham. fol. 114.

Necnon in Epiſcopatu Roffenſi Cantuarienſis Archiepiſcopus plenum jus patronatus obtinebat, eumque ſicut alia ſui juris patronatus eccleſiaſtica beneficia libere conferebat: Eoque vacante non modo ſpiritualium, ſed & temporalium adminiſtrationem cuſtodiamque retinebat: eaque feodalia ſervitia, quae pro terris praediiſque Epiſcopalibus Regibus jam deferuntur, ab Epiſcopis Roffenſibus Cantuarienſi Archiepiſcopo tanquam illius ſedis patrono atque conditori tribuebantur. Aliaque permulta ſunt Cantuarienſis ſedis in legibus regni municipalibus commemorata privilegia, quorum nonnulla deſuetudine contrariiſque legibus ſublata ſunt, reliqua vi priſtina & authoritate conſtant. Quae quidem, ut qualia olim fuerint, ac jam, quatenus ſalvis Regni legibus fieri poſſit, adhuc in uſu eſſe poſſunt, non contendendi ut ea mordicus retineamus ſtudio, a nobis repetuntur. Sed ab his ad majora eccleſiaſticae ſuae authoritatis poteſtatiſque ſpatia, quae hujus loci ac inſtituti magis propria ſunt, accedamus.

Ex omni hiſt. notorium.

In his primum ac praecipuum munus eſt, quod Angliae Reges imperium ſuſcipientes a Cantuarienſibus Archiepiſcopis ſacrari & coronari volebant, juramentique vinculo aſtringi Reipublicae, ut ſceptrum gladiumque regium ad regni tutelam atque ſalutem gerant. Haec enim regalis ſacratio atque coronatio Cantuarienſium Archiepiſcoporum ſemper fuit propria, ut in ſequenti hiſtoria ſaepius declarabitur.

Regias etiam nuptias Cantuarienſes Archiepiſcopi conjungunt, & benedicunt.

Gervaſius Dorobernenſis Monachus in act. Pont. Cant. cap. de Radulpho.

Cum enim in Windſoriae caſtro, quod in Saliſburienſi dioeceſi ſitum eſt, Saliſburienſis Epiſcopus Epiſcopali jure tanquam in propria dioeceſi in Henrici Regis primi cum Atheleida Godefridi Lotharingiae Ducis filia nuptiis, anno ſui regni viceſimo primo, ſacrorum celebrationi ſe audacter ingeſſiſſet; ab omnibus proceribus acclamatum eſt, hoc jus Cantuarienſium

ſium Archiepiſcoporum eſſe proprium: Regeſque ac Reginas, ubicunque in Anglia degerent, ejus eſſe ſpeciales atque domeſticos, ut Gervaſius diſerte loquitur, Parochianos, totumque regnum etſi diverſis dioeceſibus diſtinctum ſit, ratione primatus ejus eſſe Parochiam. Atque haec adeo vera ſunt, ut Regiae procerumque oblationes, ſive in regio ſacello, ſive in quacunque Eccleſia Cathedrali, Conventuali, vel Parochiali, praeſente Archiepiſcopo inter ſacra factae, nec illius dioeceſis Epiſcopo, nec Conventui aut Capitulo, nec ipſi Sacelli regii Decano, nec Parocho, aut alteri cuicunque, ſed Archiepiſcopo Cantuarienſi ſoli debeantur: Nam in his quae ad divinum cultum in principis aula pertinent, praecipua ſemper fuit cura atque ſolicitudo Archiepiſcopi.

Eadmer. lib. 6. Johan. Haguſtald.

Vide Regiſtrum Arundel. in prima parte fol. 376. & ſecunda parte fol. 119. & Regiſt. Chicheley. parte ſecunda fol. 297.

Huic proximum quod Eboracenſis Archiepiſcopus non modo ab Archiepiſcopo Cantuarienſi ſe electum confirmari aut ſacrari in Cantuarienſi Eccleſia petit, ſed & ipſe ad Archiepiſcopum Cantuarienſem confirmandum aut conſecrandum in eandem Eccleſiam accedit, & in ſua ſacratione obedientiam profitetur.

In vita Lanf.

Archiepiſcopi quoque & Metropolitani Hiberniae, ab Archiepiſcopo noſtro ſua confirmationis & conſecrationis jura capiunt, & ad hujus Sedis obſervantiam atque cultum ſe aſtringunt.

Ex Eadmero.

Tum ipſi Provinciales ſui Suffraganei & Epiſcopi tenentur ſinguli aliquem ab Archiepiſcopo Cantuarienſi nominatum in bonarum literarum ſtudiis alere & exhibere, donec eidem de competenti beneficio Eccleſiaſtico ſit proviſum.

In Alb. fol. 21. Winchelſey. fol. 17. & 60.

Sed nec in vita ſolum, & conſecrationis ſuae tempore hujuſmodi officia Archiepiſcopo ſuo tribuunt, ſed mortui annulos, & ſigilla cuncta, praeter eum qui optimus ſit, relinquunt.

In Alb. fol. 11.

Quidam etiam, ut Aſſavenſis & Banchorenſis in Wallia Epiſcopi, praeter ea quae diximus munera, equum ſuum generoſum, quem Palefredum appellant, fraeno ornato atque ſella inſtructum Archiepiſcopo debent.

Alb. 31.

Roffenſis vero Epiſcopus, qui Capellanus Archiepiſcopi habetur, praeterea donat cuppam ſeu cyphum argenteum, caneſque venaticos.

Alb. 31.

His accedant Archidiaconatus Cantuarienſis vacantis jura. Archidiaconi enim Cantuarienſes Suffraganeos a Primate ſacratos in ſedes ſuas Epiſcopales ex more inducunt, quibus id muneris obeuntibus, equus cella & fraeno ornatus, cyphus argenteus & decem Marcae tribuuntur. Vacante vero Archidiaconatu Archiepiſcopus ea dona percipit. Antiquitus enim Epiſcopus quidam, Sancti Martini dictus, Archidiaconi Cantuarienſis munere fungebatur, quo tandem deleto Lanfrancus Archidiaconatum erexit atque ſtabilivit, & Archidiaconum Cantuariae primus poſuit.

Chro. Roffen.

His expoſitis jam ad ea quae juriſdictionis ſunt, quaeque jure quodam peculiari Archiepiſcopo Cantuarienſi competunt, veniamus. Hujus juriſdictionis magna vis & authoritas ſemper fuit. Nam cum Archiepiſcopus & Metropolitanus non aliam in ſua Provincia juriſdictionem vendicare ſibi poſſit, quam quae jure expreſſa & definita ſit, nec ad ſuum tribunal evocare ex Epiſcoporum dioeceſibus quempiam, niſi provocando, aut aliis modis in jure expreſſis ab Epiſcopo proprio receſſerit, & Archiepiſcopum adierit: Cantuarienſis tamen Archiepiſcopus, in quacunque ſuae Provinciae dioeceſi ac Parochia, etiam appellatione nulla interpoſita, ſingulas ac uniuſcujuſque cauſas querelaſque dijudicandas poteſt ſuſcipere.

Cap. 1. de off. legati. Peckam. fol. 89. Fol. 6. in Alb.

Quae jurisdictio, tam tacito omnium consensu, usuque longaevo, quam regni institutis latisque legibus in juris vigorem necessitatemque jamdiu transiit.

Ex usu confirmato. An. 24. Hen. 8 Statuta antiqua curiae de Arcubus. Peckam. fol. 166. & 177.

Ad haec ipsarum appellationum jura, quae omnibus Metropolitanis competunt, in hac tamen Sede sunt prope singularia. Namque ab inferioribus judicibus ad hunc Metropolitanum omissis mediis appellatur, & non gradatim ut jura praescribunt. Statimque appellatione recepta, vetat eos a quibus appellatum est, mandatis ut dicitur inhibitoriis, ne causam ad suum tribunal per appellationem delatam ulterius tractent, neve quicquam in appellantis praejudicium attentent aut faciant, quod jura sine causae cognitione fieri haud permittunt.

Alb. fol. 2. c. Cum teneamur. ext. de appellationibus. Peckam. fol. 16, 185, 191, 199.

Praeterea cum in his causis, in quibus jam ad Regiam Majestatem appellatur, antiquitus ad usurpatum Romanum Consistorium appellatum fuit, Cantuariensis Archiepiscopus de causa controversa summarie cognovit, reique controversae possessionem juxta juris exigentiam uni litigantium adjudicavit, proprietatis jure ad instantiam & exitum appellationis reservato. Et haec appellatio, quia possessionis tuendae causa interponebatur, tuitoria dicta est. Cujus praesidio ut possessionem firmaret, non modo litigantibus, sed ipsis Romani Pontificis judicibus delegatis inhibuit, ne, lite pendente, quacunque innovatione possessionem a se decretam turbarent, aut appellanti praejudicium inferrent. Ad hoc possessionis tuendae auxilium implorandum, non modo ex sua Provincia, sed ex Eboracensi, atque Hibernia, aliisque Provinciis Gallicanis, quae quondam in Angliae Regis ditione fuerunt, omnes ad Papam provocantes olim confugerunt.

Fol. 2. in Alb. fol. 6.

Cum autem in sua, ut diximus, potestate sit inferiorum praelatorum defectus & negligentias supplere, hoc ille nulla prius negligentiae convictione probationeque praehabita facit, eorumque gesta arbitrio libitoque suo revocat ac reformat.

Ex omnibus Regist. notorium.

Sedis etiam Episcopalis in sua Provincia cujuscunque vacantis authoritas, quae jure communi in Ecclesiae Capitulo vel Conventu tanquam in reliquo corpore manet, in Cantuariensi Archiepiscopo consistit. Sed hanc authoritatem alteri plerumque mandare solet, qui noto satis nomine, illius Dioecesis, quae Episcopo caret, Custos Spiritualitatis nuncupatur. Hac praerogativa omnia illius vacantis Dioecesis Episcopalia jura ad Archiepiscopum devenerunt, veluti visitandi, instituendi, & reliqua, fructus etiam quorumcunque beneficiorum vacantium ad suos usus percipiendi. Quod quia primus annuus valor uniuscujusque Ecclesiastici beneficii vacantis Principi persolvitur, aequiore nunc jure incumbentibus conceditur. Beneficia item, quae juris patronatus illius vacantis Episcopatus fuerint, si se custode vacarent, libere conferebat; quod jam Regale censetur jus, non Archiepiscopale. Quanquam in Assavensi Episcopatu hujus juris possessionem usque ad regnum Henrici octavi retinuit.

Alb. fol. 2. Peckam. Courtney. a fol 91. ad 124. Islip. 116. & 342.

Episcopatus & Dioeceses suae Provinciae quandocunque & quocunque ordine sibi videbitur expedire, visitat. Indicta vero & pendente visitatione Archiepiscopali, tam Suffraganei quam inferiores praelati ordinaria sua jurisdictione abstinent, omniaque per Archiepiscopum, ejusve Commissarios, expediuntur. Causasque ad se in visitatione delatas, judiciaque tum coepta, finita vel relaxata visitatione, retinet ac definit. Ac praeter

ter hanc Archiepiſcopalem viſitationem Dioeceſes, quotieſcunque vacaverint, jure ordinario viſitat.

Tamque late patent hujus Archiepiſcopatus Privilegia, ut in loca firmiſſimis ſepta ac munita privilegiis ſe inſinuent. Multa enim loca, quae a metropolitica & ordinaria juriſdictione ſe eximi procuraſſent, ab hujus tamen authoritate immunia ac tuta eſſe non poterant. Inter quae illae celebres Cantabrigienſis & Oxonienſis in Anglia Academiae, quanquam peculiaria jura & exemptionis privilegia ſibi quondam a Papa concedi procuraſſent, illis tamen authoritate poſtea regia irritis ac reſciſſis, in Cantuarienſis Archiepiſcopi authoritatem ſeſe reddiderunt, & tam viſitationes ſuas ſubire coguntur, quam ad ſynodalia ſua concilia per Cancellarios accedunt.

Arund. 92, 97. Alb. 2, 3. Ex Archivis turris Lond. An. 20. Rich. 2. & 13. Hen. 4.

In Cantabrigiae Collegio Sancti Petri, cujus Elienſis Epiſcopus eſt patronus, ea Sede vacante, tam praefectum quam ſocios admittit, & uni Scholarium cui gratificari voluerit, vacantem ſocietatem confert. Oxonii Collegiorum Omnium Animarum & Mertonenſis eſt patronus, ac in utriſque ordinariam & omnimodam juriſdictionem exercet.

Alb. fol. 16.

Alb. 2.

His juribus atque Privilegiis firmata Cantuarienſi potentia, cum jam in ejus eſſet poteſtate, ut diximus, provincialia cuncta negotia arbitrio ſuo moderari atque temperare, evenit, ut cum Teſtamentorum probationes & inſinuationes, bonaque inteſtatorum adminiſtrandi commiſſiones ad Eccleſiaſticum forum ſpectarent, & teſtatorum ac inteſtatorum plerumque bona in variis parochiis diſperſa eſſent & diſſipata, nec legitimus aut ſcriptus haeres ea recuperare poſſit, niſi Teſtamenti inſinuationem, aut adminiſtrandi authoritatem ſibi a loci Ordinario commiſſam ſub authentico ſigillo in foro regio indicaret: ne diverſis haeredibus a diverſis Ordinariis eandem authoritatem poſtulantibus, defunctorum bona vendicandi jus daretur, quod ob locorum & poſcentium multitudinem atque varietatem ſaepe contigit, Provinciales ſubditi pro hujuſmodi Teſtamentorum inſinuatione & bonorum adminiſtratione petenda, ad Metropolitani tribunal plerumque confluebant. Id Provinciales Praeſules aegre ferebant, hoc ſibi jus adimi, & a locupletiſſimo quoque ſua tribunalia deſeri. Itaque cum Metropolitano ſuo in hac controverſia ſaepe luctabantur & contendebant, & inſtabant ejus authoritatem certis Metropolitani finibus ſeptam ac contentam eſſe debere. Haec autem Teſtamentorum bonaque defunctorum adminiſtrandi jura non a Metropolitano, ſed ab ordinaria Epiſcoporum authoritate eſſe petenda. Sed in hac controverſia enituit maxime Cantuarienſis Archiepiſcopi poteſtas atque vis. Plane enim docuit ſtrictis illis Archiepiſcopi ſeu Metropolitani juribus ſuam poteſtatem non arctari; ſed quia totius Angliae non modo Primas, ſed Ordinarius & Epiſcopus primo inſtitutus fuit, & praeeſſe ſe illis, ut ſuis Suffraganeis, & aequipollentem in ſuae provinciae dioeceſibus cum illis juriſdictionem & authoritatem gerere. Praeterea jus iſtud antequam vendicaret, a Provincialibus ſaepiſſime ſponteque delatum fuiſſe, ideoque accepiſſe ab illis potius quam ſe exegiſſe omnibus juſte videri poſſe. Ipſi enim iniquum putabant defunctorum bonis multis territoriis diviſis cogendos haeredes ad tam varia tribunalia; certius atque juſtius conſultum eſſe tam haeredibus quam legatariis atque creditoribus

In pleriſque Regiſt. Morton. fol. 208. Peckam. fol. 144. & 150.

in

in uno foro quam in pluribus litigare. Illos deinde ne Suffraganeos certis teneri legibus; in ſua autem Provincia ſuae ſolius poſt Principum eſſe poteſtatis aequum & bonum legibus permiſcere, illorum defectus non in facto ſolum, ſed in jure a ſe ſupplendos & adjuvandos. Illorum juriſdictione litium multitudinem in propoſitis cauſis creſcere, & in infinitum deduci, ſua vero minui & amputari: Non ſe injuriam illis facere, qui ſuo tantum jure, quod ſumma aequitate nititur, utatur. Haec crebro repetita multiſque annis agitata controverſia contra Epiſcopos, ſecundum Metropolitanum tandem definita deſiit.

Ex Archivis.

Uniuſcujuſque autem Epiſcopi defuncti bona vel ſecundum ejus tabulas adminiſtranda committit, ſi teſtatus deceſſerit; vel ſine tabulis, ſi inteſtatus, etſi illius ſingula bona unius juriſdictionis ambitu contineantur.

Haec & alia permulta Cantuarienſi Sedi indulta Privilegia juraque conſuetudine quaeſita, etſi quaedam contrariis legibus ſublata ſint, pleraque tamen priſtinam vim ac firmitatem retinent.

Nam inclytiſſimus Henricus octavus Rex Anno Domini 1534. excluſa & exacta ſuo Regno tot annis uſu capta authoritate Papali, & fucato illo Monachiſmo ejecto, qui, ut in ſequenti patebit hiſtoria, perpetuum fuit omnium principibus cum clero interjectarum turbarum ſeminarium; multiſque Papalibus ceremoniis deletis, Cantuarienſis Sedis Praerogativam, lege tam ſuo quam totius populi conſenſu lata ſtabilivit: totumque illud legum rigorem mitigandi jus, quod diſpenſare dicitur, quod uſucapione ſibi Romanus Pontifex vendicavit & uſurpavit, in Archiepiſcopum Cantuarienſem ſimili lege lata tranſtulit. In qua lege cautum eſt, ne praeter divina regiſque atque regni avita jura Cantuarienſis quicquam decerneret.

Hanc igitur tum late patentem juriſdictionem ut abſolveret, fora varia & tribunalia ordinavit; quae doctis peritiſque judicibus, advocatis, procuratoribus, ſcribis, notariis, & actuariis ad cauſas agendas & judicia reddenda paravit ac inſtruxit.

Conſiſtor. Cantuar.

Primum & antiquiſſimum Cantuarienſis Archiepiſcopi conſiſtorium, Alma Curia de Arcubus London. vulgariter appellatur. Nomen a Templo beatae Mariae Londini dedicato, cujus culmen ad ſimilitudinem intenſi arcus in ſummo curvatum & quaſi aduncum eſt, dicitur ſumpſiſſe. Judex qui huic conſiſtorio praeeſt, Decanus de Arcubus, vel Officialis Almae Curiae Cantuarienſis de Arcubus nuncupatur. Decanus autem a quarundam in Londinenſi civitate Parochiarum, quae a juriſdictione Londinenſis Epiſcopi exemptae & Cantuarienſi Archiepiſcopo ſubjectae ſunt, numero tredecim, qui decanatum conſtituit, dictus eſt. Ex earum Parochiarum numero eſt illa Arcuati Templi Parochia, in quo Templo hic Decanus, qui eas Parochias regit, pro tribunali ſedet. Hujus eſt authoritas ordinaria atque libera, ad omnium in Cantuarienſi provincia appellationes reſcribit nulla antegreſſa cauſae cognitione, & in illis tuitoriis appellationibus, de quibus ante diximus, is ſolus appellantes tuetur ac defendit. In hac curia duo ſunt ſcribae ac librarii, qui Regiſtrarii dicuntur. Quorum unus acta judicii, judiciſque decreta ac ſententias in jure ſcribit, hic Actuarius appellatur. Alter teſtes in jure prius juratos ſeorſim ac diligenter examinat & exquirit, eorumque depoſitiones,

nes, partiumque ad libellos & allegationes reſponſiones deſcribit; tum omnia judicii acta, veteraque dictae curiae monumenta in ordinem redacta cuſtodit, ideoque regiſtri ſeu tabularii cuſtos nuncupatur. Advo- Advocati. catorum in ea curia numerus ſexdecim antiquitus conſtitutus eſt, ſed pro Archiepiſcopi jure atque voluntate eſt arbitrarius. Hi Doctores legum in celebri aliqua ſtudiorum univerſitate ordinantur, antequam ad hoc tam inſigne tribunal accedunt. Et ut certius atque diligentius clientibus de jure reſpondeant, antiquitus conſtitutum fuit, ut tam ordine ſacerdotali, quam beneficiis Eccleſiaſticis animarum curam habentibus, quamdiu in illa advocatione exercentur, abſtineant. Poſtea vero regni ſtatu- An.21.Hen.8 to in ordinis illius gratiam indultum fuit, ut ab his beneficiis quae reſidentiam requirunt, advocationis ſuae cauſa, inoffenſa ſtatuti ſanctione abeſſe poſſent. Cum ex eo numero quiſpiam vel mortuus fuerit, vel ordinem deſeruerit, Cantuarienſis Archiepiſcopus literis commiſſionalibus ad Decanum miſſis alium deſignat. Is die aliquo juridico in Advocatorum coetu, a duobus Advocatis ad Decanum pro tribunali ſedentem deducitur. Illi Decano porrigunt Archiepiſcopales literas, quibus publice perlectis, inaugurandum Doctorem laudant, moribus adeo commodis, juriſque tanta peritia affirmant, ut in ſuum numerum aſciſcendum putent; id a Decano fieri petunt: Qui juramentum ei defert de authoritate Regia agnoſcenda, de fideli advocatione & patrocinio, de grata defenſione pauperum, & de licita juſtaque Cantuarienſis Archiepiſcopi & Eccleſiae jurium, libertatum, privilegiorumque propugnatione atque tuitione. Quo juramento publice praeſtito, Decanus hunc novitium dictae curiae Advocatum pronunciat, eique in Advocatorum ſubſelliis locum a dextris vel ſiniſtris ſuis aſſignat. Ad hunc locum a duobus illis Advocatis deducitur. Statimque Decanus nodoſam aliquam & controverſam in jure quaeſtionem, de qua in utramque partem dici poſſit, proponit. Decanus ipſe in utramque partem diſputat, cumque peroraverit, expectat novi Advocati ſententiam. Huic dicere incipienti imponitur a Decano ſilentium. Hoc ſilentium anno durat, in quo novus Advocatus taciturnus peneque mutus reliquorum Advocatorum auditor, in Archiepiſcopali foro ſedet. Doctores ſeu Advocati hujus fori prioritatis ſuae ordine, amictu doctorali in ſuperioribus ſedent ſubſelliis, Decano judici in exponendis clientium ſuorum deſideriis reverenter aſſurgunt, Decanumque diebus juridicis bini prioritatis ſuae ordine ſubſequentes, a ſuo Collegio ad Conſiſtorium ducunt atque reducunt. In eadem curia Procuratores decem litigantium cauſas tractant; hi de rei controverſae facto litigant, judicemque ac ſcribam ſimilibus quibus legum baccalaurei amicti veſtibus pene circumſtant; nam Advocatorum ſubſellia paulo ſunt a ſede judicis remotiora. Illi libellos, reſponſiones, materias, allegationes aut jam conceptas judici tradunt, aut ſcribae dictitant; quotieſque de jure ambigitur, Procurator clientis ſui Advocatum invocat. Is aſſurgens de jure rei diſſerit; ſi ab alterius partis Advocato contradictum ſit, & ſit in ambiguitate difficultas, quae ſtatim a judice explicari nequit, Judex eam litem in alium diem refert, monetque Advocatos, ut ad proferenda & enucleanda de ea quaeſtione jura die conſtituto ſibi adſint. Eo facto in lite progrediuntur. Procuratores idem juramentum praeſtant, cum in eum ordinem aſcribuntur, quod Advocati, eoſque cum judice ad forum accedentes ab eoque decedentes ſequuntur. His non licet ſine Ad-

 vocatorum

vocatorum conſilio cauſas aſſumere, aut de jure, quod imperite & temere ſaepe faciunt, clientibus reſpondere: illique perinde ac Advocati ſermone utuntur latino; ſi quis ſecus fecerit, indicta illico a Decano poena plectitur. Prima hujus fori inſtitutio ac origo, aut monumentis tabulariiſque deletis ac amiſſis, aut librariorum negligentia, incerta eſt: Sed conſtat eſſe pervetuſtam; nam Alexander tertius qui Romanus Pontifex fuit, Henrico ſecundo regnante ad Decanum de Arcubus reſcripſit. Et Robertus Kilwarbeius Cantuarienſis Archiepiſcopus, qui ſedit Anno Domini 1272. abrogatis veteribus & obſoletis illius curiae legibus novas condidit.

Proxima huic & quaſi uterina adeoque gemella curia, Cantuarienſis Audientia nuncupatur. Haec omnes etiam Provincialium querelas, cauſas & appellationes recipit. Sed illa antiquior atque nobilior cenſetur. Nam hujus origo haec fuit, quod plurimas cauſas Archiepiſcopus ipſe extra forum domi definivit, de quibus antequam pronunciaret, peritis in jure doctiſque viris, quos Auditores ſuos nominavit, diſcutiendas commiſit. Itaque haec domeſtica pene fuit & familiaris Archiepiſcopi curia, & cauſarum Auditores eum ubique ſequuti ſunt. Finitimus & conjunctus his quondam fuit Archiepiſcopi Cancellarius, qui ea quae contentioſae juriſdictionis non erant, ſed officii meri, gerebat. His duo ſcribae ſeu tabelliones inſerviebant. Cancellario Principalis Archiepiſcopi Regiſtrarius, qui acta meri officii ſcriptis ac monumentis mandabat: Alter cauſarum curiae Audientiae Actuarius dictus eſt. Quae duo munera a duobus adhuc diviſa & diſpertita adminiſtrantur. Sed Cancellarii & Auditorum officia in unum diu collata ſunt, qui in Eccleſia Paulina & Londinenſi Conſiſtorio judicia dat. Hujus tribunal ab eiſdem Advocatis & Procuratoribus, quibus Arcuata curia frequentatur; aliis enim permiſſum non eſt in propoſitis ibi cauſis verſari: Eademque jura atque conſuetudines utriuſque curiae ſunt.

In eodem etiam loco de haereditatibus ab inteſtato, ſeu teſtamento delatis, deque teſtamentorum atque legatorum jure ab alio judice qui Cuſtos, Magiſter ſive Commiſſarius Cantuarienſis Praerogativae appellatur, jura redduntur. Qui etiam peculiarem habet atque ſuum ſcribam, qui Praerogativae Cantuarienſis curiae Regiſtrarius vocatur. Ab hoc judice teſtamentorum, quae ad jus Praerogativum Cantuarienſe, de quo ante diximus, ſpectant inſinuationes, bonaque inteſtatorum adminiſtrandi commiſſiones decernuntur. Quae omnia negotia in aedibus Archiepiſcopi a domeſtico judice olim adminiſtrabantur, ſed litium multitudine creſcente ſtata pro his cauſis Londini curia eſt; quae etſi dignitate inferior ſit, tamen copia & ubertate fructuum caeteras vincit atque ſuperat. Iidem etiam Advocati & Procuratores cauſas in hac curia curant, qui in prioribus.

Tandem ejecta prorſus authoritate papali, cum Henricus octavus, ut diximus, juris Eccleſiaſtici moderationem & aequitatem lege lata in Cantuarienſi Archiepiſcopo poſuiſſet, conſtituta nova curia eſt: Cui & judex praefectus, qui deſideria cognoſcit eorum, qui juris quandoque rigidi atque ſtricti relaxationem petunt; & Regiſtrarius, qui conceſſas diſpenſationes in ſcripta refert. Ille Magiſter ſeu cuſtos Facultatum, hic earum Regiſtrarius appellatur. Haec curia, quia litigioſa non eſt, in aedibus Archiepiſcopi ſine foro & tribunali plerumque exercetur.

Habet etiam Archiepiſcopus Cantuarienſis in nonnullis Provinciae ſuae Dioeceſibus Parochias quaſdam a juriſdictione Epiſcopali & Archidiaconali quaçunque ſeparatas, ſibique peculiares. Quibus peculiares praeſunt judices, qui Peculiarium Decani appellantur; quibus etiam peculiares atque proprii Regiſtrarii adjunguntur. Hae autem Parochiae ordine ſecundum Dioeceſes ſcriptae ſequuntur:

Decanatus de Arcubus.

In Civitat. & Dioeceſ. London.

- Eccleſia Sancti Vedaſti.
- Eccleſia Sancti Dunſtani in Oriente.
- Eccleſia Sancti Leonardi in Eaſtchepe.
- Eccleſia S. Dionyſii Backchurch.
- Eccleſia Omnium Sanctorum in Lumbertſtreete.
- Eccleſia Sancti Michaelis in Croked Lane.
- Eccleſia beatae Mariae Bothaw.
- Eccleſia Sancti Michaelis in Riola, alias Pater noſter.
- Eccleſia beatae Mariae Aldermarie.
- Eccleſia Sancti Pancraſii.
- Eccleſia beatae Mariae de Arcubus.
- Eccleſia Omnium Sanctorum in Bredſtreete.
- Eccleſia Sancti Johannis Evangeliſtae in Watling-Streete.

Decanatus de Shorham.

In Dioeceſ. Roffen.

- Eccleſia de Shorham cum Capella de Otford.
- Eccleſia de Eynesford.
- Vicaria ejuſdem.
- Eccleſia de Derveth.
- Vicaria ejuſdem.
- Eccleſia de Ferningham.
- Vicaria ejuſdem.
- Eccleſia de Bexle.
- Vicaria ejuſdem.
- Eccleſia de Earde.
- Eccleſia de Northflette.
- Vicaria ejuſdem.
- Eccleſia de Mepham.
- Vicaria ejuſdem.
- Eccleſia de Clyve.
- Eccleſia de Grean.
- Vicaria ejuſdem.
- Eccleſia de Farleigh.
- Vicaria ejuſdem.
- Eccleſia de Huntington.
- Eccleſia de Peckham.
- Vicaria ejuſdem.
- Eccleſia de Wrotham cum Capella.
- Vicaria ejuſdem.
- Eccleſia de Eightham.
- Eccleſia de Sevenocke.
- Vicaria ejuſdem.
- Eccleſia de Penhurſt.
- Eccleſia de Chiddingſtone.
- Eccleſia de Hever.
- Eccleſia de Gillingham.
- Vicaria ejuſdem.
- Eccleſia de Braſted.
- Eccleſia de Sundreſhe.
- Eccleſia de Chevening.
- Eccleſia de Orpington cum Capella.
- Vicaria ejuſdem.
- Eccleſia de Heſe.
- Eccleſia de Keſtan.
- Eccleſia de Halſted.
- Eccleſia de Woodland.
- Eccleſia de Eaſtmalling.
- Vicaria ejuſdem.
- Eccleſia de Ifeld.

Decanatus

Decanatus de Croydon.

In Dioeceſ. London.
Eccleſia de Harrow.
Vicaria ejuſdem.
Eccleſia de Heſe.
Vicaria ejuſdem.

In Dioeceſ. Winton.
Eccleſia de Croydon.
Vicaria ejuſdem.
Eccleſia de Wymberdon.
Eccleſia de Barnes.
Eccleſia de Horſleigh.
Eccleſia de Merſtham.
Eccleſia de Burſtow.
Eccleſia de Cherlewood.
Eccleſia de Newenton.
Eccleſia de Cheyham.

Decanatus de Bocking.

In Dioeceſ. London.
Eccleſia de Bocking.
Eccleſia de Styſted.
Eccleſia de Lachingdon cum Lawling.
Eccleſia de Southchurch.
Eccleſia de Aſhe.

In Dioeceſ. Norwicen.
Eccleſia de Hadleigh.
Eccleſia de Ilegh Monachorum.
Eccleſia de Multon.
Vicaria ejuſdem.

Decanatus de Ryſebergh.

In Dioeceſ. Lincoln.
Eccleſia de Ryſebergh Monachorum.
Eccleſia de Halton.

In Dioeceſ. Oxon.
Eccleſia de Newington cum penc.

Decanatus de Pagham.

In Dioeceſ. Ciceſtren.
Eccleſia de Pagham cum Capella.
Vicaria ejuſdem.
Eccleſia de Berghſted.
Eccleſia de Lovente.
Eccleſia de Tangemer.
Eccleſia de Slyndon, &
Vicaria ejuſdem conſolidat.
Eccleſia Omnium Sanctorum Ciceſtr.

Decanatus de Terring.

Eccleſia de Terring.
Vicaria ejuſdem.
Eccleſia de Pachinge &
Vicaria ejuſdem conſolidat.

Decanatus de Southmalling.

Eccleſia de Maghfeld.
Vicaria ejuſdem.
Eccleſia de Bockſted cum
Capella de Okenfeld.
Eccleſia de Iſefeld.
Eccleſia de Eadburton.
Eccleſia de Glynde.
Vicaria ejuſdem.
Eccleſia de Stanmer.
Eccleſia de Frenfeld.
Vicaria de Clyve.
Vicaria de Ryngmer.
Vicaria de Wadehurſt.

In Dioeceſ. Ceſtren.
Whalley cum ſuis pertinentibus, in Comitatu Lancaſtrienſi.

Hi omnes Decanatus & Parochiae ab Epiſcoporum & Archidiaconorum juriſdictione liberati, Cantuarienſi Archiepiſcopo ſoli ſubjiciuntur. Praeterea mos & conſuetudo Archiepiſcoporum Cantuarienſium ab antiquo fuit & eſt, ut in terris ſuis, ubicunque per Angliam ſint, nullus Epiſcoporum praeter ſe jus aliquod habeat, ſed humana ſimul & divina omnia, velut in propria Dioeceſi, in ſua diſpoſitione conſiſtant.

Eadmerus in hiſt. novarum

In Cantio autem, quod ſua propria eſt Dioeceſis atque juriſdictio, Conſiſtorium Cantuariae ſtatuit. Ejus praeſes Commiſſarius Conſiſtorii Epiſcopalis Cantuariae appellatur: Qui hujus acta excipit, & ſcriptis mandat, Conſiſtorii Epiſcopalis Cantuariae Regiſtrarius etiam vocatur. Huic Commiſſario non omnia generaliter mandantur, ſed quaedam in ſpecie delegantur, majoribus & gravioribus cauſis Cancellarii Audientiae reſervatis.


His itaque Privilegiis, Praerogativis, eminentiis, immunitatibus, tribunalibus atque curiis Cantuarienſis Archiepiſcopi dignitas, tanquam ſuis numeris perfecta & abſoluta conſtat. Quarum rerum fides ne dubia & incerta ſit, ſciendum eſt ea partim ex Archivis turris Londinenſis, partim ex domeſticis Archivis in publica Cantuarienſis Sedis cuſtodia repoſitis fuiſſe deſumpta. Quae eam vim in jure habent, ut ſine aliis probationum adminiculis plenam non legentibus ſolum, ſed & judicantibus fidem faciunt. In ipſis namque crebris Suffraganeorum cum Metropolitano de juriſdictione luctis & controverſiis, in quibus Suffraganei ſemper ſuccumbebant, cum Metropolitanus juriſdictionem ſuam, & jure primaevo fundatam, & diuturno uſu firmatam, ex his monumentis doceret: Negabant Suffraganei ſuorum actorum & regiſtri authoritatem ad id probandum ſatis valere, quia in proprio regiſtro cuſtodita ſcripta, privata, non publica eſſent judicanda. At vero cum & temporis diuturnitas, & actorum frequentia, & a tanto judice, nempe Metropolitano mandata, & a ſuis officialibus & notariis, perſonis publicis, diu ſervata cuſtodia, ſimul juncta unius generis, & ſimilia inſtrumenta proferebant: Ob annorum geſtorumque multitudinem, mandantis authoritatem, adminiſtrantiumque dignitatem obtinuit Archiepiſcopus, ut ex ſuis Archivis prolata & edita inſtrumenta, ſive authentica & in formam publicam redacta, ſive privata in ſolito & conſueto regiſtri loco cuſtodiae cauſa poſita, ſine alterius probationis ope fidem ex ſe ſtruerent. Itaque Suffraganei, dum enervare Metropolitani ſui vires ſtuduerunt, ipſi non modo debilitati, ſed & fracti ceſſerunt. Praedictae etiam conſuetudines, Praerogativae, & Privilegia metropolitanae Sedi tam firmiter infixae haerent, ut, niſi aperta lege, tolli & avelli haud poſſint. Itaque Suffraganei, etſi Metropolitanus tolerantia & conniventia, quod aequabilitate ſua ſaepe ſolet, juri ſuo aliquandiu cedat, multaque remittat, & a Suffraganeis uſurpari vel longiſſimi temporis tractu ſinat; Archiepiſcopalia tamen jura acquirere ſibi, aut Metropolitanum excludere vel prohibere, propter jurisjurandi religionem, quod ſacrati praeſtant, nulla praeſcriptione poſſunt: Juriſdictionis enim ſuae habenas, & relaxat cum vult, & adducit ad ſe cum neceſſe eſt.

Vide Tractatum: Quod Archiepiſcopi Cantuarienſis Regiſtrum faciat ex ſe fidem.

Vide Regiſtrum Rob. Winchelſey, fol. 29.

Nunc Cantuarienſis Sedis Praerogativa & Privilegiis ſatis breviter expoſitis, pauca de ipſa Cantuariae civitate dicamus: Deinde ad Gregorium, & Auguſtinum, eumque ſequutos Cantuarienſes Archiepiſcopos ordine accedemus. In quorum vitis geſtiſque declarandis, authorum qui illorum temporibus ſcripſerint, potius quam elegantioris ſtyli rationem habere convenit, ne quacunque etiamſi minutiſſima in re, ab hiſtoriae veritate deflexiſſe videamur.

Doroverniae ſeu Cantuariae deſcriptio.



CANTIUM, quod amoeniſſima & humaniſſima Britanniae habita ſemper fuit provincia, ad auſtrum ſolemque orientem Oceano Germanico, ad aquilonem uberrimo Thameſi fluvio, ad occidentem Surra ac Suſſexia provinciis, quas Angli Comitatus appellant, cingitur. Haec & agrorum feracitate foecunda, populoque generoſo ac potenti referta, plures urbes villaſque in locis, ob aquas & ſylvas vicinas humanae habitationi commodioribus condidit; & ob maritimos portus, quos multos habet, peregrinorum conſuetudine, Galliaeque vicinitate magis φιλόξενα, quam reliquae hujus Inſulae regiones, a ſcriptoribus perhibetur. Quibus item rationibus, & moribus cultior, & opibus ditior jure exiſtimatur.

Hujus regionis antiquiſſima civitas nunc appellatur Cantuaria. Hanc Ptolemaeus Duriwern nominat: deinde ſequentibus ſaeculis immutato populi idiomate, nunc Darvernum, nunc Durovernum, nunc Dorobernia, nunc Dorobrinia, nunc Dorovernia, dicta fuit: quae conſimilia nomina ab antiquo Britannico vocabulo, Duꞃ, quod Aquam ſignificat, deducta fuiſſe hinc quidam conjiciunt, quod fluvius, qui eam praeterlabitur, antiquitus Duꞃ, nunc **Stowr**, appellatur: indeque vicus per eum extenſus, **Stowrſtreat**, etiamnum dicitur. Cantuariae autem nomen a Saxonibus, qui fugatis Britannis Cantium tenebant, impoſitum hac origine fuit. A Rudibraſio prudentiſſimo Britannorum Rege haec Cantiorum celeberrima civitas, annis ante Chriſti incarnationem 890. condita, ab eoque Caeꞃȝanꞇ, id eſt, Cantiorum civitas dicta eſt; quia jura hic Cantiis dari, judiciaque exerceri ſolebant. Itaque adventu ſuo Saxones eandem Canꞇƿaƿabiꞃiȝe, id eſt, Cantiorum virorum curiam, appellabant: ƿaꞃa enim Saxonice, pluralis eſt numerus ƿeꞃ, quod Virum ſignificat: Biꞃiȝe autem eadem lingua Judicii locus, Tribunal, ſeu Curia eſt; ab illa prima nominis nota paulatim Anglica voce ad **Canterburie**: Latina omiſſis duabus ultimis ſyllabis ad Cantwara, deinde Cantuaria, devenit: quae omnibus eam civitatem ſermone denotantibus jam in uſu eſt. Quidam hanc civitatem eam eſſe putant, quae in extremo Cantii promontorio excelſa arce portuque celebri dicitur Doverum, a quo ad Caletum maritimum ex altera parte in Gallia oppidum, ſecundis ventis ſpirantibus, quatuor horis breviſſimus fit trajectus: Quos ſimilitudine nominis deceptos ac perturbatos errare perſpicuum eſt. Ptolemaeus enim Durarvernum mediterraneam

Girald Cambrenſ lib. 2.

Munſter. Paulus Jovius.

diterraneam eſſe ſcribit Cantii civitatem, non maritimam. Deinde Beda Juſtum ab Auguſtino in ea Cantii civitate Epiſcopum ordinatum ſcribit, quae a Dorovernia viginti quatuor fere paſſuum millibus ad occidentem diſtat: Quaeque a primo ejus conditore Roffe, Roffeceſtria dicta fuit. Qui locorum ſitus & diſtantia illorum errorem arguit. Abeſt enim a Dovero Roffa triginta duobus paſſuum millibus, ab eoque ita jacet, ut in ſeptentrionem magis quam in occidentem ſpectet. Cantuaria autem duodecim milliaribus mari abeſt, teſteque Ptolemaeo ſub longitudine gradus viceſimi primi. Huc Hengiſtus & Horſa Saxonum duces a Vortigerno Britannorum Rege opem ſibi contra Pictos laturi, acciti appulerunt, qui ejectis poſtea Britannis civitatem pariter totamque provinciam tenuerunt. Deinde cum Cantium ab uno Rege regeretur, fuit haec civitas illius Regni Metropolis. Cumque Auguſtinus in Angliam ad Ethelbertum Cantii Regem accederet, caput Imperii Regis Ethelberti dicebatur. Hanc muro cinctam Auguſtino Ethelbertus cum regalibus juribus privilegiiſque donavit; ipſe vero **Raculver** ſeceſſit, ibique palatium ſibi ſtatuit: ſed Auguſtinus in ea ſedem Archiepiſcopalem primo ſtatuit, cujus celebritate atque fama totius Regni ac Imperii Anglicani Metropolis deinceps ſemper floruit. Templum autem ante Saxonum imperium a Romanis quondam extructum fuit Cantuariae, Salvatoris nomini dedicatum, quod ad Auguſtini tempora parietibus atque tecto integrum extabat.

Beda. Florileg.

Qua occaſione Auguſtinus a Gregorio in Angliam miſſus eſt.

PONTIFICII, qui primam in Anglia Evangelii ſationem ſibi acceptam ferri cupiunt, tradunt de Auguſtini huc a Gregorio mittendi occaſione ſuis annalibus non indignam fabulam: In uſu tum Romanis fuiſſe formoſiſſima mancipia abducta ex Anglia in foro publice vendere. Quae, Gregorius tum Preſbyter Romanus cum eo forte tranſiſſet, conſpicatus, & venuſtatem tantam admiratus, eorum vicem fertur doluiſſe, quod tam praeclarum hominum genus verum Deum ignoraret. Moxque de gentis nomine quaeſivit; cui reſponſum eſt quod Angli vocarentur: & recte, inquit, nam & angelicas habent facies, & tales Angelorum coeleſtium decet eſſe cohaeredes. Deinde de qua illius gentis provincia exiiſſent: cui, quod ex Deira boreali ejus regionis provincia. At ille provinciae nomini alludens, perinde atque gentis feciſſet, bene, inquit, Deiri, id eſt, de ira Dei eruti, & ad miſericordiam Chriſti vocati. Ultimo de illius provinciae regis nomine interrogavit; cumque accepiſſet quod Elle diceretur: Alleluja, inquit, laudem Dei Creatoris illis in partibus oportet cantari. Itaque ſuſcepto papatu nihil ſibi prius faciendum duxit, quam tam pulchram & candidam gentem in Chriſtianam vocare ſocietatem; eaque de cauſa Auguſtinum cum ſua potentia in Angliam deſtinavit. Sed Pontificiorum hiſtoria tantis mendaciis referta & aſſueta ſemper fuit, ut ne verum quidem aliquid enunciare

niſi

niſi permiſta vanitate potuit. Ut enim concedamus Auguſtinum huc miſſum a Gregorio; tamen neque hanc fuiſſe legationis ſuae cauſam, eamque non gratuitam a Gregorio & Auguſtino, ſed ab ipſis Anglis Evangelii deſiderio expetitam, locupletiorem quam ipſum Gregorium teſtem proferre debemus neminem. Cum enim Auguſtinus & Romani vulgari ſermone neque ad verbum declarandum, neque ad ullam vitae conſuetudinem cum Anglis loqui potuiſſent, ſcripſit Gregorius duas literas; unas ad Theodoricum, & Theodebertum Francorum Reges, alteras ad Brunigildam Reginam, in quibus rogavit, ut Auguſtinum in eo munere peragendo juvarent. Quarum literarum verba, quae de hac re mentionem faciunt, duximus inſcribenda.

Epiſtola lviii. & Epiſt. lix. ex Regiſtro Epiſt. Gregor.

“ Pervenit ad nos Anglorum gentem ad fidem Chriſtianam Deo miſerante deſideranter velle converti; ſed Sacerdotes tui e vicino negligere: & deſideria eorum ceſſare ſua adhortatione ſuccendere. Ob hoc igitur Auguſtinum ſervum Dei praeſentium portatorem, cujus zelus & ſtudium nobis eſt cognitum, cum aliis ſervis Dei, praevidimus illuc dirigendum. Quibus etiam injunximus, ut aliquos ſecum e vicino debeant Preſbyteros ducere, cum quibus eorum poſſunt mentes agnoſcere, & voluntatem admonitione ſua, quam Deus donaverit, adjuvare, &c.

In altera ad Brunigildam Epiſtola.

“ Indicamus ad nos perveniſſe Anglorum gentem Deo annuente velle fieri Chriſtianam: Sed Sacerdotes qui in vicino ſunt, paſtoralem erga illas ſolicitudinem non habere. Quorum ne animae in aeterna damnatione valeant deperire, curae nobis fuit praeſentium portatorem Auguſtinum, &c.

Jam vero ſi, quod Gregorius ipſe teſtatur, Chriſtianam religionem Angli deſideraverunt; utrum ex Auguſtini & Romanorum praedicatione, quorum eis vox adhuc ne audita fuit, poſtea intelligi non potuit: an ex veteribus Britannorum ſcintillis & monumentis ne adhuc quidem penitus deletis & extinctis, credibilius eſt hoc eis deſiderium inceſſiſſe? Nam a vicinis Sacerdotibus adjuvari eos non potuiſſe narrat ipſe Gregorius. Fortaſſe non minus ob Britannos tam perfide & crudeliter exactos, quam ob tam immania & funeſta inter ſe bella, quibus nullis ſervatis pactionibus ſe invicem infeſtabant; & quod adduci ad foedera conſervanda, & Britannorum injurias reſarciendas Chriſtiana ſuaſione non potuerunt; ideoque ut indignos Chriſtiana communione fuiſſe in tanto peccato & injuria deſertos. Quod ſi Auguſtinus adventu ſuo aggreſſus eſſet, eiſque ablata reſtituere ſuaſiſſet, ut eum digniſſime & in perpetuum Lelandus notavit, non Ethelberti Regis accepiſſet Regiam, ſed ad Monachiſmum rejectus in Anglia nihil profeciſſet: Ille vero eos in Britannos crudelius ſaevire docuit. Sed videamus quam Chriſtianam fidem in Anglorum animos adventu ſuo ingeneravit, ſecumne allatam Roma, an a Britannis acceptam traditamque domi prius. Etenim ſi Paulo gentium Doctori credimus, fidem ex auditu, & auditum ex nunciatione verbi Dei ad nos pervenire,

venire; quomodo ab hoc non intellecto accipere fidem potuerunt? Deinde Beda, qui nihil homini detraxit, enumeratis quae fecit ac inſtituit caeteris, de praedicatione ſua ne verbum quidem facit. At baptizavit uno die multa hominum millia; qui baptiſmus aut inverſus ac reciprocus fuit; aut hi, quos baptizavit, non a ſe erant ſed ab aliis ante ad fidem converſi. Johannes, qui Judaeos primus baptizavit, venit praedicans, nec a baptiſmo, ſed a praedicatione & nuntiatione Evangelii exorſus eſt. Hoc Auguſtinum in Anglia feciſſe quis ſcriptor unquam prodidit? Facere non potuiſſe docent epiſtolae Gregorianae. Ceremoniarum profecto fuit hic Romanorumque rituum, non chriſtianae fidei aut divini verbi, Apoſtolus Anglis; eoſque Romanos ac pontificios, potius quam Chriſtianos aut Evangelicos, agere docuit: Id quod ex veteribus ipſorum Saxonum legibus & praedicationibus ante Auguſtini huc adventum emiſſis ac divulgatis, divinaque providentia etiam idiomate jam diu oblivione deſueto & in aliud tranſlato conſervatis, nuperque ad refellendum hunc primum pontificiorum de Auguſtino errorem repertis atque editis, probatur luculenter.


PRIMUM enim pontificiam in Euchariſtia Tranſubſtantiationem inanemque corporis praeſentiam negant; ac euchariſtiam ter ad minus toti populo diſtribuendam in utroque panis ac vini genere, tam ad ſanguinis quam corporis dominici commemorationem, ſtatuunt: Tum ſanctas ſcripturas etiam a laicis ſedulo ac exquiſite ad animarum ſuarum ſalutem ſcrutandas; a quibus etiam orationem dominicam, ſymbolum Apoſtolorum, & decalogum firmiter materna lingua teneri memoria oportere; eademque a ſacerdotibus etiam prompte ac memoriter dicenda, Evangeliaque populo perlegenda vulgari ſermone.

HIC mos uſque ad Normannorum victoriam in Anglia duravit; & quia paulatim idioma tum coepit immutari, Evangelia paulo poſt Normannorum adventum ante Wiclyffi tempora in vulgarem ſermonem iterum traducta ſunt: Praeterea ſimulachra non eſſe colenda docebant; neque clericis interdicta jure divino conjugia; qui etiam nuptiis non obſtantibus adminiſtrabant ſacra, nec ad coelibatum ſe voto ullo aut profeſſione aſtringere volebant: Ad extremum, legum de eccleſiaſticis cauſis negotiiſque ferendarum poteſtatem eſſe penes principes cum parliamenti authoritate & conſenſu, eoſque Dei vicarios eſſe jure, maximamque chriſtianae eccleſiae curam habere debere affirmabant. Quae quidem tam antiqua veteris eccleſiae Britannicae dogmata, diuque poſt illas Romanas praefecturas ab ipſis Saxonibus retenta, quam ſint verbo Dei ac hodiernis hujus regni inſtitutis conſentanea, & a Romanis diſcrepantia, omninoque contraria & abhorrentia, videre, ſi velint, clariſſime poſſunt omnes; praeſertim hi, qui antiquitatem in ſacris rebus tanquam ducem ſequuntur; quique non aeternitatis, ſed temporis momentis, & prioribus ac poſterioribus ſaeculis atque aevis iſta definiri volunt. Auguſtinum autem ex his, de quibus tam acriter hoſtiliterque cum Britannis contendebat, in quibus pauca de doctrina chriſtiana, ſed de Romano dominatu & potentia ac pontificiis ritibus decertabat, ceremonioſum, ut ita dicam, magis quam religioſum, fuiſſe ex ejus vita inferius deſcripta patebit:

In qua copioſe ſuoque magis loco explicantur ea, quae ad hunc videntur pertinere.

Jam, ut ad illam fabulam, a qua digreſſi ſumus, redeamus. Si Gregorius Auguſtinum ad Deiros Ellamque illorum regem mittere ſtatuiſſet; cur Cantuariam potius quam illuc appulſus cum Ethelberto conſedit, nec ad illos profectus eſt? Homo mollis atque monachus, humanitate regis Ethelberti in Cantio, gente fructuoſa & perbenigna, tantis affectus honoribus, ab aquilonaribus Deirorum regionibus pruinoſis atque ſaevis eadem ductus humanitate retentus eſt. Ita chriſtianitatem & inſtitutum Gregorii vicit humanitas Auguſtini.





Sedes London. Edw: Sandys.

S: Winton. Rob: Horne
HONI SOIT QUI MAL Y PENSE


S:Norwic. Ioh:Parkhurst.

S:Elye. Rich:Coxe.

S:Wigorn: N:Bullingham.


S:Sarum. Ed: Guest.

De Archiepis Ecclesię.
Cantuarieñ. Septuaginta
MUNDUS
TRANSIT
M
P
A°Dni
1572

S:Lincoln. T: Cooper.

S:Hereford. Ioh Scorey.

S:Lich: & Coven. I:Benthā.

S:Cicestren. R: Curteys.

S Bath & Wells. G Berkeley.

S:Exon. W:Bradbridge.

S:Peterborgh E:Scambler.

S:Roffen. E:Freake.


S:Glocestren. R: Cheney.

S:Bristol. R: Cheney.


S: Oxon. Hu: Coren

S.Meneven. Ri:Davis.

S. Asaph. Th: Davies.

S:Landav. H: Iones.

S:Bangor. N:Robinson.

Sedes Eborac. Ed: Grindall.



S. Dunelmen. Ja. Pilkington. S: Cestren. W: Downam. S: Carliol. Ri: Barnes.




Mortui ex utraq. Provincia.

S: Eborac. T: Yonge. S: Bangor. R: Merick. S: Landav. A: Dunstan.



S: Cicest. W: Barlowe. S: Exon. W: Alleye. S: Carliol. I: Best.



S: Oxon. Hu: Coren. S: Sarum. Ioh: Iuell.



In Provincia Cantuariensi.

Academia.	Dioecesis.	Nomen.	Gradus.	Ordo.	Patria.	Aetas.	Consecratio & Confirmatio.
Cantabr.	Cantuar.	Matth. Parker	Th. D.	Presb. Saecul.	Norvicen.	LVI	1559 Decem. 17
	Ciceſtren.	Will. Barlow	Th. D.	Presb. Regul.	Eſſex.	LX	1559 Dec. 20. Conf.
Cant.	Landaven.	Ant. {Kitchin. / Dunſtan.	Th. D.	Presb. Regul.		LXVIII	1545 Maii 3
Cant.	Hereford.	Joh. Scorey	Th. B.	Presb. Regul.	Norfolcien.	XLVII	1559 Dec. 20. Conf.
Cant.	London.	Edm. Grindall	Th. B.	Presb. Saecul.	Cumbrius.	XL	1559 Dec. 21
Cant. Ox.	Elien.	Rich. Cox	Th. D.	Presb. Saecul.	Buckingham.	LX	1559 Dec. 21
Cant.	Wigorn.	Edwyn. Sandys	Th. D.	Presb. Saecul.	Lancaſtr.	XLIII	1559 Dec. 21
Oxon.	Bangor.	Rowl. Merick	LL. D.	Presb. Saecul.	Wallicus.	LIV	1559 Dec. 21
Oxon.	Meneven.	Tho. Young	LL. D.	Presb. Saecul.	Wallicus.	LII	1559 Jan. 21
Ox. Cant.	Lincoln.	N. Bullingham	LL. D.	Min. Saecul.	Wigorn.	XLVIII	1559 Jan. 21
Oxon.	Sarum.	Joh. Juell	Th. D.	Presb. Saecul	Devonien.	XL	1559 Jan. 21
Oxon.	Aſaph.	Ric. Davyes	A. M.	Presb. Saecul.	Wallicus.	L	1559 Jan. 21
Cant.	Roffen.	Edm. Gueſt	Th. B.	Presb. Saecul.	Eborac.	LI	1559 Mar. 24
Cant.	Bath. & Well.	Gil. Berkeley	Th. B.	Presb. Regul.	Lincoln.	LII	1559 Mar. 24
Oxon.	Lich. & Coven.	Tho. Bentham	A. M.	Presb. Saecul.	Eborac.	XLVI	1559 Mar. 24
Cant.	Exon.	Will. Alley	Th. B.	Presb. Saecul.	Bercerien.	L	1560 Jul. 14
Oxon.	Norwic.	Joh. Parkhurſt	Th. B.	Presb. Saecul.	Somerſet.	L	1560 Sept. 1
Cant.	Winton.	Rob. Horn	Th. D.	Presb. Saecul.	Cumbrius.	XLVI	1560 Febr. 16
Cant.	Petriburg.	Ed. Scambler	Th. B.	Presb. Saecul.	Lancaſtr.	XLII	1560 Febr. 16
Oxon.	Meneven.	Ri. Davyes					1561 Maii 21. Conf.
Oxon.	Aſaph.	Tho. Davyes	LL. D.	Presb. Saecul.	Wallicus.	XLIX	1561 Maii 26
Cant.	{Gloceſtr.	Ric. Cheyney	Th. B.	Presb. Saecul.	London.	XLIX	1562 April 19
	Briſtol.	Idem Ric. Commendatarius.					
Oxon.	Landaven.	Hug Jones	LL. B.	Presb. Saecul.	Wallicus.	LVIII	1566 Maii 5
Cant.	Bangor.	Nic. Robinſon	Th. D.	Presb. Saecul.	Wallicus.	XLII	1566 Octob. 20
Oxon.	Oxon.	Hug. Curwen	LL. D.	Presb. Saecul.	Weſtmerland		1567 Oct. 14. Conf.
Cant.	Ciceſtren.	Ri. Curteys	Th. D.	Presb. Saecul.	Lincoln.	XLVIII	1570 Maii 21
Cant.	London.	Edwyn Sandys					1570 Jul. 13. Conf.
Ox Cant.	Wigorn.	Ni. Bullingham					1570 Jan. 26. Conf.
Oxon.	Lincoln.	Tho. Cowper	Th. D.	Presb. Saecul.	Oxon.	LI	1570 Feb. 24
Oxon.	Exon.	Wil. Bradbridge	Th. D.	Presb. Saecul.	London.	LIV	1570 Mar. 18
Cant.	Sarum.	Edm. Gueſt					1571 Dec. 24. Conf.
Cant.	Roffen.	Edm. Freak	Th. D.	Presb. Saecul.	Eſſex.	LVI	1571 Mar. 9

In Provincia Eboracensi.

Cant.	Ebor. electus	W. Maie	LL. D.	Presb. Saecul.	Suffolc.	LIII	Non Conſecratus.
Oxon.	Ebor.	Tho. Young					1560 Feb. 25. Conf.
Cant.	Dunelm.	Ja. Pilkington	Th. B.	Min. Saecul.	Lancaſtr.	XLV	1560 Mar. 2
Oxon.	Carliol.	Joh. Beſt		Presb. Saecul.	Eborac.	XLVIII	1560 Mar. 2
Oxon.	Ceſtren.	Wil. Downham		Presb. Regul.	Hereford.	L	1561 Maii 4
Cant.	Eborac.	Edm. Grindall					1570 Maii 22. Conf.
Oxon.	Carliol.	Ri. Barnes	Th. D.	Presb. Saecul.	Lancaſtr.	LXIII	1570 Jul. 23. Conf.

Regum

Regum Nomina et Annus.	Archiepiscoporum.	Quo an. incepit.	Quo an. obiit.	Quot an. sedebat.	Quibus ecclesiis praefuit.	Numerus Archiepisc.
Ethelbertus 36	Augustinus	596	611	16		1
Ethelbertus 51 Eadbaldus 1	Laurentius	611	616	5		2
Eadbaldus 2	Mellitus	617	621	5	London.	3
Eadbaldus 7	Justus	622	625	3	Roffen.	4
Eadbaldus 11 Herconbertus 11	Honorius	626	652	26		5
Herconbertus 13	Deusdedit	654	664	10		6
Egbertus 4 Lotharius Edricus 4	Theodorus	668	690	22		7
Edricus 6 Wihtredus Edbertus 11	Birhtualdus	692	731	38		8
Edbertus 11	Tatwinus	731	734	3		9
Edbertus 14	Nothelmus	735	739	5	London.	10
Edbertus 19 Ethelbertus 9	Cuthbertus	740	758	18	Hereford.	11
Ethelbertus 10 Alricus 3	Bregwinus	759	763	3		12
Alricus 4	Jeambertus	764	793	29		13
Eadbertus 1 Cuthredus Baldredus 2	Athelardus	793	806	13	Winton.	14
Baldredus 2 Egbertus 9	Wlfredus	806	832	26		15
	Feogildus	832	832	Mensibus. 3		16

Regum

REGUM NOMINA ET ANNUS.	ARCHIEPISCOPORUM.	Quo an. incepit.	Quò an. obiit.	Quot an. ſedebat.	Quibus eccleſiis praefuit.	Numerus Archiepiſc.
Egbert 9 Ethelwlf, &c.	Ceolnothus	832	872	40		17
Alfredus 2	Athelredus	872	889	18	Winton.	18
Alfredus 18 Edwardus ſen. 15	Plegmundus	889	915	24		19
Edwardus 15	Athelmus	915	924	9	Bath. & Wel.	20
Athelſtanus 9	Wlfelmus	924	934	10	Bath. & Wel.	21
Athelſtanus 9 Edmundus Eadredus Edwius Edgarus 1	Odo	934	958	23	Winton.	
Edgarus 2 Edwardus Ethelredus 10	Dunſtanus	959	988	27	Wigorn.	23
Ethelredus 11	Athelgarus	988	989	1	Ciceſtren.	24
Ethelredus 15	Siricius	989	993	4	Wilton.	25
Ethelredus 28	Aluricius	993	1006	13	Wilton.	26
Ethelredus 35	Elphegus	1006	1012	6	Winton.	27
Ethelredus 36 Edmundus Canutus 3	Livingus	1013	1020	7	Bath. & Wel.	28
Canutus 3 Haroldus 2	Agelnothus	1020	1038	18		29
Haroldus 2 Hardecanutus Edwardus 8	Eadſinus	1038	1050	11	Winton.	30
Edwardus 8	Robertus	1050	1051	2	London.	31
Edwardus 10 Haroldus Guliel. Conq. 3	Stigandus	1052	1069	17	Elmanenſ. Winton.	32

Regum Nomina et Annus.	Archiepiscoporum.	Quo an. incepit.	Quo an. obiit.	Quot an. sedebat.	Quibus ecclesiis praefuit.	Numerus Archiepisc.
Guliel. Conq. 4 Guliel. Rufus 2	Lanfrancus	1070	1089	19		33
Guliel. Rufus 4 Hen. 1. 9	Anselmus	1091	1109	16		34
Hen. 1. 14 Hen. 1. 22	Radulphus	1114	1122	8	Roffen.	35
Hen. 1. 22 Steph. 1	Gulielmus	1122	1136	14		36
Steph. 3 Hen. 2. 7	Theobaldus	1138	1161	23		37
Hen. 2. 8 Hen. 2. 16	Tho. Becket	1162	1170	8		38
Hen. 2. 19	Richardus	1173	1183	9		39
Hen. 2. 29 Rich. 1 2	Baldwinus	1184	1191	6	Wigorn.	40
Rich. 1. 2	Reginaldus	1191	1191			41
Rich. 1. 4 Johan. 6	Hubertus	1193	1205	12	Sarum.	42
Johan. 8 Hen. 3. 12	St. Langton	1207	1228	21		43
12 Hen. 3. 15	Rich. Magnus	1228	1231	2		44
18 Hen. 3. 24	Edmundus	1234	1240	5		45
Hen. 3. 28 Hen. 3. 53	Bonifacius	1244	1268	25		46
Edward. 1. 1 Edward. 1. 6	Ro. Kilwarby	1272	1278	6		47
6 Edward 1. 21	Jo. Peckham	1278	1293	13		48
22 Edward. 2. 6	R. Winchelsey	1294	1313	19		49
6 Edward. 3. 1	Gua. Raynold	1313	1327	14	Wigorn.	50
1 Edward. 3. 7	Si. Mepham.	1327	1333	5		51
7 Edward. 3. 22	Jo. Stratford	1333	1348	15	Winton.	52

Regum Nomina.	Archiepiscoporum.	Quo an. incepit.	Quo an. obiit.	Quot an. ſedebat.	Quibus eccleſiis praefuit.	Numerus Archiepiſ.
Ed. 3. 23	Jo. Ufford	1348	1349	Menſib. 6		53
Ed. 3. 24	T. Bradwardyn	1349	1349	Menſib. 2		54
Ed. 3. 24 Ed. 3. 40	Si. Iſlippe	1349	1366	16		55
Ed. 3. 40 Ed. 3. 42	Si. Langham	1366	1368	2	Elien.	56
Ed. 3. 42	Gul. Wittleſey	1368	1375	6	Roffen. Wigorn.	57
49 Ric. 2. 4	Si. Sudbury	1375	1381	6	London.	58
Ric. 2. 14	Gul. Courteney	1381	1396	15	Hereford. London.	59
Ric. 2. 19 Hen. 5. 1	Th. Arundel	1396	1413	16	Elien. Eborac.	60
Hen. 5. 2 Hen. 6. 21	H. Chicheley	1414	1443	29	Meneven.	61
Hen. 6. 21 Hen. 6. 30	Jo. Stafford	1443	1452	9	Bath. & Wel.	62
Hen. 6. 30 Hen. 6. 32	Jo. Kempe	1452	1454	2	Roffen. Ciceſtr. Wigorn. London. Eborac.	63
Hen. 6. 32 Ed. 4. Ed. 5. Rich. 3. Hen. 7. 2	Th. Bourchier	1454	1486	32	Wigorn. Elien.	64
Hen. 7. 2 15	Jo. Morton	1486	1500	14	Elien.	65
Hen. 7. 16	H. Dene	1501	1502	2	Bangor. Sarum.	66
Hen. 7. 18 Hen. 8. 23	Gul. Warham	1503	1532	29	London.	67
Hen. 8. 24 Mariae 3	T. Cranmer	1533	1555	24		68
Mariae 3 Mariae 5	Reg. Pole	1556	1558	3		69
Elizabeth. Reginae. 2	Matth. Parker	1559				70

Sedebat.	Ann.	Men.
1	0	0
1		3
1		6
1	1	
6	2	
3	3	
1	4	
6	5	
4	6	
1	7	
2	8	
3	9	
2	10	
1	11	
1	12	
3	13	
3	14	
2	15	
4	16	
1	17	
3	18	
2	19	
1	21	
1	22	
2	23	
2	24	
2	25	
2	26	
1	27	
3	29	
1	32	
1	38	
1	40	

Quot Epiſcopi tranſlati ab his ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem.

Eborac.	London.	Winton.	Wilton.	Sarum.	Wigorn.	Roff.	Elien.	Heref.	Ciceſt.	Bath.	Menev.	Bangor.
2.	7.	6.	2.	2.	6.	4.	4.	2.	2.	4.	1.	1.


Ordo

AUGUSTINUS

Ab An. Chr. DXCVI.

Augustinus.

Ad An. Chr. DCXI.



NNO Mauritii imperatoris decimo quarto, qui fuit annus Domini 596. & poſt appulſum Anglorum in hanc Britanniae inſulam 150. mittitur in Angliam Auguſtinus a Gregorio pontifice Romano, ut collapſam jam & penitus deletam, in ea inſulae parte, quam Angli occupaverant, Chriſti religionem inſtauraret. Acceptis igitur comitibus circiter quadraginta, Auguſtinus iter in Angliam aggreditur. Cum vero aliquantum itineris confeciſſent, & ad ipſam regionem propius accederent; quo commodius ſuſceptum opus peragerent, de ipſius populi moribus, natura, & indole a finitimis perquiſiverunt: reſponſum eſt, gentem eſſe immanem, bellicoſam, & intractabilem. Quo audito, reque invicem deliberata, in propoſito pergere pertimuerunt. Auguſtinum ergo domum remittunt, qui ſuppliciter a pontifice peteret, ut ipſis ab itinere tam periculoſo, bona cum venia, liceret deſiſtere. Re cognita, Gregorius obnixe cum Auguſtino agit, ut ad ſocios redeat, exponit ei, quam foret opus illud Deo gratum, ipſis honorificum, Anglis ſalutare; ſimulque literas ejus argumenti ipſi Auguſtino ad ſocios dat. Acceptis literis animos recolligunt, ſeſe invicem confirmant, iter redintegrant. Acceperat etiam literas Auguſtinus ad Etherium Arelatenſem Archiepiſcopum, in quibus eum rogat Gregorius, ut Auguſtinum humaniter excipiat, ut in hoc Britannico negotio ipſum conſilio auxilioque juvet. Harum & ſuperiorum literarum forma extat in Eccleſiaſtica hiſtoria Bedae Lib. i. cap. 23. Jam vero idioma Anglicanum Romanis erat incognitum, & propterea per interpretes agi oportuit: & quia Anglis cum Francis propter vicinitatem jamdiu erat commercium, adſciſcit ſibi aliquot Francos Auguſtinus, qui interpretum munere fungerentur. Paratis omnibus navem conſcendunt, ventis vela dant, Angliam recta contendunt, & ad inſulam Cantii, quae Tanatos dicitur, navem appellunt. Egreſſi in littus; Auguſtinus, qui caeteris in hoc negotio a pontifice praeficiebatur, aliquot ex comitibus ſuis, cum interpretibus Gallis, ad Ethelbertum Anglorum regem mittit. Hi poſtquam ad regem admiſſi ſunt, quae illis mandaverat Auguſtinus, regi exponunt: veniſſe aliquot Roma viros, qui ad illum & univerſum populum Anglicanum laetum habeant & ſalutare nuncium, cui ſi velint obtemperare, aeterna in coelis vita cum Deo vivo & vero potirentur. Legationem hanc rex benigne excipit, ſuis imperat, ut neceſſaria omnia novis iſtis hoſpitibus ſuppeditentur: ipſe brevi de hoc tam ſalutari nuncio plura auditurus. Poſt paucos dies rex Tanatum venit, Auguſtinum cum ſuis ad ſe evocat, colloquium ineunt, ac ne praeſtigiis illuderetur rex, ſub dio auditurus conſedit. Illi Evan-

gelium Jeſu Chriſti, regi & univerſo comitatui praedicant. Rex quanquam ad primam praedicationem aſſenſum non dederit, tamen nec a nomine Chriſtiano prorſus abhorruit, neque religionem ipſam penitus ignoravit; quippe qui uxoris Bertae Chriſtianae & Lybhardi Epiſcopi opera, in ea aliquantulum erat inſtructus. Atqui cum ſecum reputaret viros iſtos ad ſe, ſua de cauſa e longinquis veniſſe, omnia illis, ut par eſt, officia humanitatis exhibet. Hoſpitio igitur excipiuntur, in regni Ethelberti civitate Dorovernenſi, quae tum totius quidem Anglicae ditionis erat Metropolis, regiis aluntur ſumptibus, ſedem ſane commodam ad Evangelium promulgandum nacti ſunt, nec id facere, a rege ſunt prohibiti. Quid multis opus eſt? Multi Chriſto nomen dederunt, crediderunt, baptizati ſunt. Erat autem prope ipſam civitatem verſus orientem fanum, in honorem Sancti Martini antiquitus conſtructum, dum adhuc Romani Britanniam incolerent; ibi regina cum Lybhardo Epiſcopo orare conſueverat: eo igitur primo Chriſtiani confluere, ſacra peragere, pſallere, miſſas celebrare, non eas quidem privatas, ſed in quibus Euchariſtiam populo diſtribuere ſoliti ſunt, praedicare etiam & baptizare publice coeperunt; donec rex ipſe tandem converſus, & univerſus populus Chriſto lucrifactus eſt. Tum vero eccleſias collapſas reſtituunt, novas aedificant, profanatas & pollutas conſecrant, Chriſtianam religionem per omnem regionem undique ſtabiliunt. Quin etiam rex Auguſtino & comitibus ſuis, domum honeſtam apud **Stablegate**, in Dorovernenſi urbe conceſſit, poſſeſſionibus etiam ſatis amplis eandem locupletavit, ita ut res tota optime ſucceſſiſſe videri poſſit. Jam vero Anglorum Epiſcopus Auguſtinus dici & eſſe voluit: quapropter Arelatem ad Archiepiſcopum Etherium ſeſe contulit, & ab eo in Archiepiſcopum genti Anglorum ordinatus eſt. Statim ut domum reverſus eſt, miſit Romam Laurentium preſbyterum & Petrum monachum, qui pontifici Gregorio Anglos fidem Chriſti amplexos, & ſe eorum Archiepiſcopum factum eſſe nunciarent. Inſuper & de quibuſdam ad praeſentis eccleſiae ſtatum ſpectantibus Gregorium conſuluit; quae quidem, una cum reſponſis Gregorii comperies in eccleſiaſtica hiſtoria Bedae, Lib. i. Laurentius & Petrus paulo poſt in Angliam revertentes, literas quidem plures a pontifice adferunt, ac primas ad Ethelbertum regem, una cum muneribus, in quibus pontifex & regi & ſibi gratulatur: regi, quod ad veri Dei & Chriſti ſui notitiam pervenerat: ſibi, quod id ſua opera & induſtria factum eſſet. Ad Auguſtinum etiam binas adferunt, quarum in unis ſignificat ſe illi pallium miſiſſe, vaſa etiam ſacra & veſtimenta altarium, ornamenta quoque eccleſiarum, ſacerdotalia, clericalia indumenta, reliquias ſanctorum, ac codices complures; denique univerſa quae ad cultum Dei ac miniſterium eccleſiae ſomniabant neceſſaria: ſimul etiam inſinuat, quemadmodum ipſe Epiſcopos per Britanniam debeat conſtituere. In alteris vero monet, ne de virtutibus ſuis glorietur, neve miracula quae facta ſunt, ſibi deputet, ſed Britannis in ſalutem a Deo donata exiſtimet. Tradiderant etiam literas Virgilio, qui Etherio in Archiepiſcopatu Arelatenſi ſucceſſerat, in quibus ſibi pergratum fuiſſe demonſtrat, adjutum fuiſſe in negotio Britannico ab Arelatenſibus Auguſtinum. Hae literae datae ſunt 10. Cal. Julii, imperante adhuc Mauritio, anno Domini 601. Exempla ipſarum proſtant apud Bedam in libro ſuperius commemorato. Poſtquam Auguſtinus ſedem epiſcopalem Doroverniae in regia civitate ſortitus

Beda, Lib. i. cap. 5.

Ab An. Chr. DXCVI. — Ad An. Chr. DCXI.

ſortitus eſſet, fanum aliud, quod ibi ab antiquis Romanis poſitum erat, nomine Sancti Salvatoris & Domini noſtri Jeſu Chriſti, rege concedente, inſignivit. Palatium etiam regni ſui cum adjacentibus Auguſtino rex donavit: Ipſe vero **Raculver**, quod ſecus mare ſitum eſt, ſeceſſit, ubi palatium ſibi & ſucceſſoribus ſuis ſtatuit; quo etiam in loco coenobium conſtruxit, cujus ultimus Abbas Wenredus fuit. Coemeterium etiam locum ſepulturis idoneum extra Cantuariae civitatis muros ad orientem inſtigante Auguſtino fecit: nondum enim conſuetudo erat intra civitatem quemquam ſepelire, uſque ad Cuthbertum Archiepiſcopum Cantuarienſem, qui intra civitates paſſim fieri coemeteria procuravit, pontifice Romano id ex illius interceſſione concedente. Rex etiam monaſterium ad orientem non longe ab ipſa civitate erexit, in quo rogatu Auguſtini aedem etiam divis Apoſtolis Petro & Paulo a fundamentis extruxit, idemque monaſterium donis ornavit ampliſſimis; ubi ipſius Auguſtini & Dorovernenſium Archiepiſcoporum, regumque Cantiorum corpora inhumari ſolebant. Hoc poſtea non Auguſtinus, ſed qui illi viventi electus ſucceſſit, Laurentius conſecravit. Quibus praeclare poſitis fundatiſque initiis, regium Dorovernenſe, quod Auguſtinus ab Ethelberto dono acceperat, ſuccedentium deinceps ſemper fuit Archiepiſcoporum palatium. Atque hoc modo converſos ad Chriſtianam religionem Anglos, poſitamque primam ab Auguſtino in Dorovernenſi civitate atque provincia eccleſiam eſſe putant. Sed valde dolendum eſt Anglorum converſionem in illa tempora incidiſſe, in quibus collapſa eccleſiae doctrina atque diſciplina, multum ab antiqua veterique puritate ad ſuperſtitionum errores degeneravit. Quanquam enim venerandus preſbyter Beda ſcribat, Auguſtinum ſuoſque ſocios primitivae eccleſiae vitam ac doctrinam in inſtituenda Anglorum eccleſia imitatos; tamen res ipſa declarat non minus Romanae ſuperſtitionis, quam Chriſtianae religionis Auguſtinum Anglis magiſtrum atque praeceptorem fuiſſe. Nam & Romana eccleſia, etiam Gregorio praeſidente & authore, harum omnium ſuperſtitionum caput & origo fuit; indeque non modo in Angliam ab Auguſtino inductae, ſed in varias orbis Chriſtiani regiones diſſeminatae late dimanarunt. Gregorius enim Mellito in Angliam ad Auguſtinum proficiſcenti utiliter praecipiens, de non diruendis fanis, quae a gentilibus Anglis daemonibus conſecrabantur, ita ſcribit; ut deletis idolis fana ipſa conſervarentur, & ad Chriſtianae eccleſiae ritus cultumque divinum a gentilitiis profanationibus per aquae benedictae aſperſionem, altarium conſtructionem, & reliquiarum collocationem venerationemque expiarentur: & ipſi Auguſtino ad miſſarum ſolennia celebranda pallium, item vaſa ſacra, altarium veſtimenta, eccleſiarum ornamenta, ſacerdotalia atque clericalia indumenta, ſanctorum Apoſtolorum ac Martyrum reliquias ſe miſiſſe dicit: Ex quibus videmus quantae tum in Romanam eccleſiam caecitates & errores irrepſerant. Nec hujuſmodi ſolum malis ſanctiora eccleſiae inſtituta depravata ſunt, ſed ex illa de unius in eccleſia paſtoris imperio atque poteſtate contentione, quam Johannis Conſtantinopolitani Patriarchae ambitio, vivente adhuc & acerrime reclamante Gregorio, excitavit, non modo ad ſuperſtitionem & ſacrorum omnium profanationem, ſed etiam ad impietatem atque Antichriſti regnum patefacta fuit janua. Antea enim inaudita erant & incognita illa ſuperborum titulorum nomina, ſummus pontifex, & unicum eccleſiae in terris caput, Chriſti vicarius, & ſimilia;

Lib. Eccl. Cant. Lib. Roff.

Gervaſius Doroberni.

Eccl. hiſt. gent. Ang. lib. i. cap. 26.

Lib. eod. c. 30.

Vide infra in Robert. juxta fin.

Eod. cap. 29.

& ſimilia; quibus inſoleſcere poſtea coepit Romanorum pontificum audacia, quibuſque parere ſub aeternae mortis poenis omnes jubentur: Et Gregorius illam Johannis ambitionem, cum ſe univerſalem orbis Epiſcopum dici voluit, multis diris execratus, nullam ſibi aut Romanae eccleſiae adimi praerogativam conqueſtus eſt; ſed appellationem ipſam univerſalis Epiſcopi impiam eſſe, ſacrilegam, & Antichriſti praenunciam exclamat.

Lib. iv. ep. 76. ad Mau. Con. Aug. & Ep. 178. Ep. 83. & 194.

In hac ejus, inquit, ſuperbia, quid aliud niſi propinqua jam eſſe Antichriſti tempora deſignatur? Quia illum videlicet imitatur, qui ſpreta Angelorum ſocietate aſcendere conatus eſt culmen ſingularitatis. Et alibi: Ego autem fidenter dico, quiſquis ſe univerſalem Epiſcopum vocat, vel vocari deſiderat, in elatione ſua Antichriſtum praecurrit, quia ſuperbiendo ſe caeteris praeponit. Atque hoc modo Johannis cupiditati & libidini omnibus eccleſiis imperandi Gregorius pie fortiterque reſtitit.

Flor. an. 604.

Verum eo mortuo, & Mauritio imperatore interfecto, de quo eum in ſomnis ante admonitum quidam tradunt, Phocas Romanis quam Conſtantinopolitanis civibus amicior, quia in Mauritii locum ſuffectus ſine contentione aut contradictione cujuſquam Romae coronatus eſt, Bonifacio tertio, qui ſecundus a Gregorio fuit, eum, quem Johannes Conſtantinopolitanus vendicabat, & Gregorius recuſabat, primatus titulum conceſſit; ut is ſummus pontifex, Romaque omnium eccleſiarum caput diceretur. Neque tamen hoc Phocae beneficium Romanis pontificibus multum profuit centum quadraginta deinceps annis. Nam Africa atque Aſia pontifici nunquam paruerunt. Gallia vero & Germania, etſi ſe adjunxerunt, non tamen obtemperabant, niſi in his quibus libitum eſſet;

Aimonius lib. 4. Cant.

donec Zacharias pontifex Pipino Galliae regnum affectanti adjutor fuit, ut Hilderico legitimo rege, quem ſtupidum & inſenſatum vocabant, amoto & in monaſterium detruſo, Galliſque pontificis authoritate a ſubjectionis juramento abſolutis, regnum occuparet.

AEmil. lib. 2.

Pro quo beneficio hoc a Pipino praemium ac mercedem tulit, ut in Gallicanas eccleſias Romanus ſemper pontifex juriſdictionem haberet.

Palmer in Chron. cler.

Deinde Stephanus tertius pontifex elatus ſuae ſedis amplitudine, quaſi in imperatores atque reges jus haberet, Conſtantinum Copronimum, Conſtantinopolitanum imperatorem, quia contra imaginum venerationem ſynodum inſtituiſſet, privavit imperio, & inſignia, dignitates, tituloſque imperii in Pipinum ac Francorum reges tranſtulit. Quibus adminiculis & acceſſionibus jam erecta pontificum Romanorum potentia tum demum firmata fuit, cum Adriani pontificis ope Carolus Magnus imperio potitus, occidentales omnes eccleſias Epiſcopis Romanis ſubjecit. Atque hic etiam, quod dici ſolet, manus manum fricare coepit. Namque Adrianus pontifex Lateranenſi indicto concilio, ſive vim ac potentiam Conſtantinopolitanorum Caeſarum, quorum majeſtatem laeſerat imperiumque minuerat, formidans, ſive praeda, cum Carolus in imperium alienum, ille in eccleſias alienas rueret, diviſa & communicata, ſe atque omnes occidentales Epiſcopos tutelae commiſit Caroli; ſanxitque anathemate a proſcriptione bonorum, ni tam Romanus pontifex quam caeteri Epiſcopi electionum confirmationes & eccleſiarum inveſtituras a Carolo Magno imperatore ſuiſque ſucceſſoribus caperent:

Sigebert.

Tum ut ſuam etiam in eccleſias dominationem perinde ſtabiliret, primus inſtituit, ut illa Romana diplomata, quae literas Apoſtolicas atque bullas appellant, quo caeteris ſigillis firmiora & diuturniora viderentur, obſignarentur

obſignarentur plumbo, cum antea tantum cera uterentur. Ita pontificia dominatio, quam Gregorius tantopere deteſtatus eſt, eo mortuo ſub Phoca imperatore & Bonifacio papa inchoata, centum ſeptuaginta deinceps annis indies crevit, tandemque Carolo Magno imperatore & Adriano primo pontifice conſpirantibus, ad ſummum culmen magnitudinemque pervenit. Quam poteſtatis amplitudinem pontifices ſimul atque nacti eſſent, eccleſiae gubernationem occupavit ambitio, vitaeque continentiam luxus, & religionem undique invaſit ſuperſtitio. Omnis divinus cultus in ceremoniarum multitudine atque magnificentia exiſtimabatur conſiſtere, & loco Verbi, pluſquam aniles atque pueriles fabulae annunciabantur populo. Quarum ſi quaedam proferamus, etſi ſcribentium authoritate atque dignitate non carebant, tamen quam ſimilia delirorum aut mente captorum ſomniis fuerunt, facile erit exiſtimare. Johannes Turpinus Archiepiſcopus Rhemenſis, Caroli Magni, ut ipſe ſcribit, in caſtris contra Saracenos ſocius, ſoluſque ex Epiſcopis inter primarios Galliae principes, ſeu duodecim Pares, aſcriptus de ejus morte ita ſcribit: Se cum Viennae quodam die altari in eccleſia aſtitiſſet, in ἔκστασιν raptum, Pſalmumque, "Deus in adjutorium," cantu exorſum, conſpexiſſe innumera tetrorum militum agmina tranſire, ac in Lotharingiam tendere, atque a quodam illius gregis AEthiopi ſimili, qui caeteros lentius inſequeretur, quaeſiviſſe quo illa pergerent agmina; illumque reſpondiſſe, ad Caroli Magni mortem, ut ejus animam in gehennam raperent. Tum Archiepiſcopus, adjuro te, inquit, per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut peracto itinere tuo ad me reverti non renuas. Deinde Pſalmo vix abſoluto celeriter cum caeteris redeuntem rogat quid egiſſent. Cui ille, tot inquit ac tantos lapides ac ligna Baſilicarum ſuarum in ſtatera ſuſpendit, quod magis appenderunt bona, quam mala ejus opera, & idcirco ejus animam a nobis abſtulit: Quibus dictis daemon evanuit. Itaque, infert Turpinus, intellexi eadem die Carolum ex hac luce migraſſe, & ſubſidiis beati Jacobi, cui eccleſias multas aedificaverat, ad ſuperna merito regna ſubvectum. Hac operum & ſanctorum fiducia ita extenuatam peneque abjectam, in Chriſto ponendam, fidem videmus, ut ſalutis & redemptionis noſtrae laus hominibus noſtriſque geſtis aſcripta ſit. Atque hujus ſimile commentum eadem aetate de cultu beatae Mariae excogitatum eſt. Fuiſſe hominem religionem chriſtianam ore profitentem, ſed adeo diſſolutum & flagitiis deditum, ut nulla cuiquam bono de ejus ſalute ſpes eſſe poterat. Conſuevit tamen omni alio divino cultu neglecto, indies beatam Mariam centies invocare, & angelicam ſalutationem dicere. Itaque cum aegritudine ſumma laboraret, in ἔκστασιν raptus & quaſi mortuus a daemonibus ad Dei tribunal ductus, ac propter infinita ſcelera ad inferni ſupplicia poſtulatus eſt. Deus eum tot inquinatum vitiis ac peccatis adjudicavit daemonibus: Verum lata jam a Deo aeternae mortis ſententia intervenit Maria, exhibuitque Chriſto filio ſuo ſchedulas, in quibus ſcriptum fuit quoties eam cum angelica ſalutatione invocaſſet. Daemones rurſus peccatorum multitudinem urgebant, & in ſcriptis proferebant. Ita utriuſque, tam beatae Mariae quam daemonum, ſcriptis in lance poſitis peccatorum ſcripta orationum ſchedulas deprimebant. Cumque Maria ſe nihil pro eo, pro quo interceſſit, proficere vidiſſet, ejuſmodi ad Chriſtum filium ſuum ſupplicatione uſa eſt. "Recordare, dilecte, quod de mea ſubſtantia "receperis ſubſtantiam, viſibilem, palpabilem, & paſſibilem; & da mihi

Pol. Verg. lib. viii. de Inv. rerum.

Joh. Turp. de vita Caroli Mag. cap. 32.

Haec fabula a multis ſcholaſticis authoribus repetitur, & praecipue ab eo qui ſcripſit ſermones diſcipuli.

Verba authoris.

“ unam guttam ſanguinis tui fuſam pro peccatoribus in paſſione tua. Et il-
“ le, impoſſibile, inquit, eſt tibi aliquid denegari. Verumtamen ſcias
“ quod unica gutta ſanguinis mei praeponderat omnibus peccatis totius
“ mundi. Accipe itaque quod petiiſti: quam accipiens poſuit ad ſtateram, &
“ omnia praedicta peccata quaſi favillam praeponderabat. Tum daemo-
“ nes diſcedentes confuſi, clamabant dicentes: Nimis miſericors eſt Do-
“ mina chriſtianis: Unde deficimus quoties ſe de conflictu intromiſcet.
“ Reducta eſt ergo anima ad corpus, & ipſe poſtea convaleſcens omnia
“ narravit, & factus eſt monachus.” Numnam poetarum fabulae, aut eorum qui conſulto, ſicut Lucianus, mendacia ſcribunt, figmenta his narrationibus ſunt ineptiora? Quae tamen authores habent magnae authoritatis atque famae, & pro concionibus narrabantur, ut populum ſuperſtitione excaecarent. Nec ut mortuis ſolis, ſed etiam mutis picturis & imaginibus divinus honos haberetur, attributa ſunt ligneis lapideiſque ſtatuis ſtupenda miracula. In Syria confoſſam lancea fuiſſe a quodam Judaeo in chriſtianorum contemptum & ludibrium imaginem Chriſti, ex qua ſanguis uberrime mox effluxit, Judaeumque prodigii metu perculſum, ne ſanguis diffuſus periret, vas vulneri ſuppoſuiſſe, quo qui uſi ſunt aegroti valetudinem recuperabant. Tum ſanguis longe lateque miſſus pervenit Mantuam, ubi propter crebra miracula magno in pretio habitus eſt. Quibus auditis Carolus imperator ad Leonem papam ſcripſit, ut de hoc eum certiorem redderet. Leo vero Mantuam proficiſcens approbato Chriſti ſanguine ob frequentiam miraculorum, quod & alii pontifices poſt eum fecerunt, ad Carolum pergit, certumque de praemiſſis fecit. Hanc ſuperiorum temporum ſuperſtitionem atque vanitatem poſteriores ſcriptores imitati ſunt: Ut Vincentius in Hiſtoriarum Speculo ſcribit; Quandam fuiſſe Albaniam extra Rudulphi caſtrum, quae Dolis vocabatur, poſitam, in qua ſuper eccleſiae columnam imago beatae Mariae Chriſtum Jeſum puerum amplexibus ſuis tenentis ſculpta fuit. Ad quam cum mulier quaedam paupercula orandi gratia acceſſiſſet, exprobrabant ei duo in atrio ſtantes viri fatuitatem, quorum unus in imaginem jecit lapides, eoque ictu brachium pueri confregit, a quo humi prolapſo guttae ſanguinis diſtillabant, perinde ac ſi vivi hominis brachium fuiſſet; moxque ille, qui lapides projecit, exſpiravit: cui cum alter ſuccurrere cadenti vellet, a daemonibus arreptus eſt, & poſtridie mortuus eſt. Turba deinde frequens convenit, ut imaginem, & profluentem ſanguinem videret, qua inſpectante imago diſcidit ornamentum, quo praecincta fuit, lapideum, detraxitque collo monile, pectuſque ad mammillas denudavit, ob injuriam atque ignominiam ſibique filioque illatam. Quam ſtupendam fabulam non modo ſerio narrat author, ſed & ſanguinem illum ac imaginem revulſa veſte nudatam, oculis ſuis conſpexiſſe ſcribit. Et in Hibernia fingunt ante Anglorum adventum crucem in templo Trinitatis Dubliniae crucifixo ſimillimam, quae & loquuta eſt, & inter duos cives de contractu diſſidentes teſtimonium veritati perhibuit: Eademque & fures aliena rapientes ad ablatorum confeſſionem reſtitutionemque coëgit. Infinitum eſſet caetera fabularum portenta monſtraque, quibus infiniti libri replentur, narrare. Haec tantum recenſuimus, ut, quanta caligine illa tempora laborarunt, lectores perſpicerent, & Deo gratias aſſiduas funderent nos tandem veritate Evangelii illuſtratos, & tantis tenebris ereptos eſſe. Itaque ut ab his, ad ea quae de Auguſtino, ipſoque Gregorio dicenda ſunt, redeamus.

Nauclerus in generatione a Chriſto. 27.

Vincentius in Speculo Hiſtoriali lib. 8.

Girald. Camb.

Ab An. Chr. DXCVI. — Ad An. Chri. DCXI.

redeamus. Certum eſt Gregorium, etſi illum univerſalis ac ſummi pontificis titulum abominatus ſe ſervum ſervorum Dei primus appellaverit, ſuiſque ſucceſſoribus humilitatis ſpeciem, quam verbo magis quam re ſecuti ſunt, praeſcripſerit; tamen ſuperſtitioni uſque adeo deditum fuiſſe, ut ſua aliorumque ſomnia inter veras divinationes retulerit. Namque (In regiſtro Gregorii.) per Romanae civitatis forum tranſiens, quod Trajanus optimus princeps aedificiis decorarat, cum illius bonitatis ac juſtitiae erga viduam quandam reminiſceretur, ad divi Petri Apoſtoli Baſilicam flens celeriter accurrit; ubi integerrimi clementiſſimique imperatoris infidelitatem ac errores lacrymis deplorans, Deum pro eo ab infernalibus poenis redimendo dicitur exoraſſe; (Florileg. an. Dom. 605.) nocteque proxima accepiſſe in ſomnis a Deo reſponſum, ſe de Trajano, pro quo tantis lacrymis deprecatus eſſet, ea lege exauditum, ne deinceps pro pagano quocunque preces effunderet. Illud autem pietatis opus, quod Gregorium ad tam ardentes pro Trajano preces impulit, commemoratur fuſius in Florilego: Qui pro manſuetudine & (Verba authoris.) exhibitione juſtitiae a poenis infernalibus per lacrymas beati Gregorii, quingentis amplius poſt mortem ſuam annis Trajanum meruiſſe liberari ſcribit. Haec igitur & ejuſmodi infinita deliria atque ſomnia pro veris tunc miraculis celebrari coeperunt, populumque a recto & ſincero Dei cultu depravarunt. Ut non ſatis felix Anglorum ſtatus videri poſſit, qui his temporibus ab Auguſtino & magiſtro ſuo Gregorio ad chriſtianam fidem converſi ſunt; in quibus cum ambitio, ſimul etiam ſuperſtitio in eccleſiam irrepſerit, tantis erroribus in prima atque tenera religionis inſtitutione imbuerentur. Sed etſi, ut diximus, Romani pontificis in eccleſias principatus in hac Anglicanae eccleſiae origine atque fundatione incoeperit, & centum quadraginta deinceps annis ſenſim creverit, ac ſub Carolo Magno confirmatus atque ſtabilitus fuerit; fuit adhuc tamen imperatorum major quam pontificum in quibuſcunque, ſive divinis ſive civilibus, rebus agendis authoritas. Namque praelatorum in eccleſiis inveſtiturae, & electionum confirmationes ad imperatores pertinebant, & conciliorum indicendorum atque appellationum finiendarum ſuprema lex ac poteſtas penes eos fuit. Namque ipſius Caroli juſſu quinque concilia (Nauclerus.) de ſtatu eccleſiae reformando celebrata ſunt, unum Moguntiae, alterum Rhemis, tertium Cabiloni, quartum Arelati, quintum vero in Turonibus. Ipſe etiam Gregorius, cui eam vivendi ſcribendique ſinceritatem, quam pontificii aſcribunt, non tribuimus, non tam cupide ad ſe cauſas eccleſiaſticas rapuit; quin principibus jus ſuum relinqueret: in tantum ut mulieri eccleſiaſticam juriſdictionem permiſerit. Nam cum Mennam (Cauſa 2. quaeſt. 5. c. Menna.) Epiſcopum canonica purgatione abſolutum dimiſiſſet, eum nihilominus Brunichildae Francorum reginae rurſus purgandum miſit; quae cauſa in gloſſographis & commentariis fuſius explicatur. Sed de his pro noſtro inſtituto ſatis, in quibus longius ideo provecti ſumus, ne jactare tam arroganter pontificii debeant acceptam ab illis chriſtianam religionem: quos tanta tum, cum Gregorius praefuit, doctrinae corruptela infeciſſet, morumque diſciplina in ritus quoſdam & obſervationes ſuperſtitioſas recidiſſet. Qui religionis fucus, cultuſque ſimulatus uſque ad Henrici VIII regis noſtri inclytiſſimi imperium, quod poſt Auguſtini huc adventum nongentis amplius fuit annis, ſingulis aetatibus creſcente pontificum poteſtate ſimul cum libidine, auctus duravit; ab eoque una cum pontificis poteſtate ſic abjectus & profligatus eſt, ut Evangelii luci veritatique locus

cus

[Monumetenſis.] cus eſſe coeperit: quod in hac hiſtoria declarabimus. Britannos a Lucii regis, & Eleutherii papae tempore ita chriſtianam retinuiſſe fidem, ut nunquam inter eos deficeret, certum eſt; ſed quia a Romanae Eccleſiae ritibus diſcrepabant, convocari ex his Epiſcopos atque eruditiores auxilio Ethelberti regis fecit Auguſtinus; ut de rebus controverſis diſceptarent, ac in unam ſententiam convenirent: Namque ejus regis ditio maxima erat, ita ut temporibus pacatis caeterarum provinciarum reges Cantiorum regi parebant. Cumque ad locum quendam in Wictiorum atque occidentali Saxonum confinio, qui lingua Angloſaxonum Auguſtineſ [Goſcelinus. Ex Bed. lib. 2. cap. 2.] Ac. i. e. Auguſtini quercus, adhuc appellatur, conveniſſent: petiit Auguſtinus ut Britannicam eccleſiam in ceremoniis atque religionis ſumma ſuae in Anglia nuper inſtitutae conformarent Romanaeque ſubjicerent: Quod precibus, ſuaſionibus, atque minis perficere tentavit Auguſtinus. At illi neque Auguſtino ſe ſubjicere, neque ab antiquis receptiſque ritibus quos ab Apoſtolis acceperant, nec Romanae ſolum ſed quarumcunque eccleſiarum ritibus praeferrent, diſcedere velle dicebant. Ita cum in hac nihil profeciſſet, aliam indixit ſynodum Auguſtinus, ad quam Britanni frequentiores quam antea confluebant. Septem enim Epiſcopi Britannorum, Herefortenſis, Tavenſis, Paternenſis, Banchorenſis, Cluienſis, Uniacenſis, ac Morganenſis convenerunt. Aderat etiam clericorum ingens numerus, maxime vero monachorum profectorum ex nobiliſſimo [Gervaſius in Mappa mundi, fol. 131.] Coenobio, quod Saxones, Banchornaburg, appellabant, quod duo millia & centum monachos, ex quibus maxime idiotae & indocti reliquis miniſtrabant, victumque & veſtitum operis ſuppeditabant, continebat. Horum abbas tum Dunetus dicebatur. Antequam autem haec Britannorum multitudo ad Auguſtinum acceſſit, pium quendam & ſapientem anachoritam conſuluerunt, utrum Auguſtini ſuaſu uſitatas traditiones dererent. [Beda, lib. 2. cap. 2.] Quibus ille, ſi homo, inquit, Dei eſt, illi morem gerite. Quomodo vero, inquiunt illi, hoc conſtabit nobis? Ex hac, inquit anachorita, Chriſti ſententia: "Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite a me, quia "mitis ſum, & humilis corde." Si ergo, inquit, Auguſtinus humilis ac mitis ſit, veriſimile eſt eum Chriſti onus portare, vobiſque portandum offerre velle: ſin vero elatus ſit ac ſuperbus, a Deo non eſt, nec a vobis audiendus. At iſtuc, inquiunt, qui cognoſcemus? Ingrediatur, inquit ille, in ſynodum prior; tum ſi vobis adventantibus aſſurrexerit, Chriſti famulus eſt, illique in omnibus obtemperate: ſin ſecus fecerit, voſque ſpre- [In frag. commentarioli Britan. deſcript.] verit, negligatur viciſſim & ſpernatur a vobis. Intravit itaque prior in ſynodum Auguſtinus cum faſtu & pompa, cum Apoſtolatus ſui vexillo, cruce argentea, litania, proceſſione, iconibus, reliquiis, canticis, aliiſque trivialibus nugis tanquam ſanguinarius & ſuperbus monachus. Et Britannis ingredientibus non modo non aſſurrexit, ſed ne charitatis aut benevolentiae ſignum vultu ullove geſtu declaravit; propoſuitque ſi in tribus ſaltem ſecum convenirent, ut paſcha & baptiſmus Romano ritu celebrarentur, & Anglis verbum Dei ſecum una praedicarent, etſi in aliis [Flor. an. 603. Beda.] diſſiderent, aequo animo toleraturum. At illi cum hominis faſtum arrogantiamque notarent, nulla ei in re obſequi volebant; nec ſolum veluti in acie repugnabant, verum etiam ſuos uſus & obſervationes omnibus [Goſcelinus, c. 31.] praeeminentiores Eleutherii papae authoritate pronunciabant. Affirmabant etiam ceremonias non ſolum a ſancto Eleutherio pontifice, primo inſtitutore ſuo, ab ipſa pene infantia eccleſiae dicatas, verum a ſanctis patribus

patribus ſuis, Dei amicis & Apoſtolorum ſequacibus, hactenus obſervatas; quas non deberent mutare propter novos dogmatiſtas. Adhaec neque illum ſuum Archiepiſcopum habituros, cum Archiepiſcopum jam Legan-ceſtriae commorantem haberent; cui deberent & vellent parere, externo vero Epiſcopo ſe minime ſubjectos fore. Quo reſponſo Auguſtinus ira percitus, illis futura bella promiſit, ac mortis ultionem, quae mox ſequebatur, ferociter minabatur: Quam Auguſtini atrocitatem eo magis mirari convenit, quod Gregorius ad illum ſcripſerit, non eſſe neceſſarium in omnibus eccleſiis ceremoniarum ſimilitudinem obſervare, ſed unamquamque ſibi optimas eligere debere. Sed Auguſtinus ad papalem principatum ſuamque juriſdictionem reſpexit, Gregorii praecepta non ſequutus, qui duriſſimis convitiis illum dominatum proſcindit. De Britannis autem Auguſtino reſiſtentibus, ſic ſcribit Mantuanus in Faſtis.

Vide Gervaſ. Tilb. in Otiis Imperialibus, lib. 2. cap. 39.

Adde quod & patres auſi taxare Latinos,
Cauſabantur eos ſtulte, imprudenter, & aequo
Durius, ad ritum Romae voluiſſe Britannos
Cogere, & antiquum tam praecipitanter amorem
Tam ſtolido temeraſſe auſu. Concedere Roma
Debuit, aiebant, potius quam rumpere pacem,
Humani quae juris erant; modo ſalva maneret
Lex divina, fides, Chriſti doctrina, ſenatus
Quam primus tulit ore ſuo: quia tradita ab ipſo
Chriſto erat, humanae doctore & lumine vitae, &c.

Et ſane illa prima de Romanis ritibus inducendis per Auguſtinum tunc excitata contentio, quae non niſi clade & ſanguine innocentium Britannorum poterat ſedari, ad noſtra recentiora tempora cum ſimili pernicie caedeque Chriſtianorum pervenit. Cum enim illis glorioſis ceremoniis a pura primitivae eccleſiae ſimplicitate receſſerunt, non de vitae ſanctitate, de Evangelii praedicatione, de Spiritus Sancti vi & conſolatione multum laborabant; ſed novas indies altercationes, de novis ritibus per papas ſingulos additis, qui neminem tam excelſo gradu dignum judicabant, qui aliquid ceremonioſi, non dicam, monſtroſi, inauditi & inuſitati non adjeciſſet, inſtituebant, ſuggeſtaque & ſcholas fabulis rixiſque ſuis implebant. Nam prima eccleſiae ſpecies ſimplicior, & integro ac interno Dei cultu ab ipſo Verbo praeſcripto candida, nec veſtibus ſplendida, nec magnificis ſtructuris decorata, nec auro, argento, gemmiſque fulgens fuit. Etſi liceat his exterioribus uti, modo animum ab illo interiori & integro Dei cultu non abducunt: quod quidem in ſummo, ab ipſo Domino recordandae ſalutis noſtro ſymbolo eccleſiae tradito, nempe euchariſtiae myſterio cernitur. Ejus primo ceremonia in calicibus ligneis, & communibus veſtibus, a ſanctioribus, quam qui deinceps ſequuti ſunt, preſbyteris adminiſtrabatur: & quod in miſſarum, tanta precum, collectarum, canonum lectionumque varietate ac multitudine refertarum ſolenniis id ſacramentum adminiſtrari volunt pontificii, ſcimus ex eodem Martino Poenitentiaro, ipſam Miſſam ſic dictam, & ſacramenti illius traditionem, non alia quam ſola oratione Dominica, a Petro in orientalibus regionibus, vel, ut alii volunt, a Jacobo Hieroſolymis fuiſſe celebratam: & ſic a Chriſti primo inſtituto ducentis amplius annis in prima eccleſia

Vide Epiſc. Sarum in parte quinta Defenſionis Apologiae, pag. 251.

Ex Martino Poenitentiario.

duravit: donec eam Zephyrinus, decimus ſextus Romanus pontifex, quorundam ſuaſionibus ad pulchriorem materiam formamque mutare voluit. Urbanus vero, decimus octavus pontifex, lepide alludens: "Nunc, inquit, " verendum eſt, ne aureis in calicibus plumbei vel lignei miniſtrent ſacerdotes." Quo dicto arguit ſuum illud ſaeculum, quod multo propius, quam Auguſtini a Chriſto & Apoſtolis abfuit, curioſis ac moroſis ritibus, ab illa primaeva & recta ſimplicitate evangelica degeneraſſe. Illa autem in Romana eccleſia rituum multitudo, ad immenſum, illius magni Auguſtini Hipponenſis in Africa Epiſcopi temporibus, ita creverat, ut queſtus ſit: "Chriſtianorum in ceremoniis ac ritibus ob multitudinem, duriorem " tunc fuiſſe conditionem, quam Judaeorum; qui etiamſi tempus libertatis non agnoverint, legalibus tamen ſarcinis, non humanis praeſumptionibus ſubjiciebantur: nam paucioribus in divino cultu, quam " chriſtiani, ceremoniis utebantur." Qui ſi ſenſiſſet, quantus deinde per ſingulos papas coacervatus cumulus acceſſit, modum chriſtianum, credo, ipſe ſtatuiſſet, qui hoc malum tunc in eccleſia viderat: Videmus enim ab illa ceremoniarum contentione ne dum eccleſiam eſſe vacuam: quin homines alioquin docti atque pii de veſtibus & hujuſmodi nugis adhuc rixoſo magis & militari, quam aut philoſophico, aut chriſtiano more inter ſe digladiantur & contendunt. Hanc autem calicum in aurea vaſa mutationem ex Triburienſi concilio, ſub Arnolfo imperatore inito, deſcribamus.

Aug. Epi. ad Jan. 119. Ca. 19. Tom. 2. pag. 577.

De Vaſculis: CAP. XVIII.

VASA quibus ſacra conficiuntur myſteria, calices ſunt & patenae. De quibus Bonifacius Martyr & Epiſcopus interrogatus, ſi liceret in vaſculis ligneis ſacramenta conficere, reſpondit: Quondam ſacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur, nunc e contra lignei ſacerdotes aureis utuntur calicibus. Zephyrinus, decimus ſextus Romanus Epiſcopus, patenis vitreis miſſas celebrari conſtituit.

TUM deinde Urbanus, decimus octavus pontifex, omnia miniſteria ſacrata fecit argentea. In hoc enim ſicut & in reliquis cultibus, magis & magis per incrementa temporum, decus ſuccrevit eccleſiarum. Noſtris enim diebus, ut decreto ſancitur, qui ſervi Patrisfamilias ſumus, ne decus matris eccleſiae imminuatur, ſed magis cumuletur & amplificetur, ſtatuimus, ut deinceps nullus ſacerdos ſacrum myſterium corporis & ſanguinis Jeſu Chriſti Domini noſtri in ligneis vaſculis ullo modo conficere praeſumat, ne unde placari debet, inde iraſcatur Deus.

Nos vero ad ſynodum Auguſtinianam revertemur. Inter alia quae Britannis Auguſtinus ſuaſiſſe dicitur, hoc ab hiſtoricis ideo commemoratur, quia inſignis poſtea cladis erat occaſio. Rogavit Britannos ut ſe Archiepiſcopum reciperent, & ut communem ſecum Anglis evangelizandi laborem ſuſciperent: At Britanni, qui ab illis patriis ſedibus erant pulſi, id facere recuſaverunt; addentes, ſe merito Anglos & eorum religionem odiſſe, qui ab illis erant tanquam canes habiti, ideoque immerito contempti. Hoc reſponſum Britannorum non illibenter captavit Auguſtinus;

stinus; inde enim se occasionem nactum ratus est, unde neglectum & contemptum sui in illis ulcisceretur. Cupide igitur hanc contumeliam ad Ethelbertum regem defert, eandemque rex non invitus arripuit. Is instigat Edelfridum regem Northumbrorum cognatum suum, etsi paganum, adversus Britannos; qui quidem cum numeroso & prope stupendo exercitu Legecestriam, ab Anglis sic dictam, Britonibus vero, Caer legion, appellatam, venit: ibi enim Brochmail Britannorum dux adventum hostium expectarat: quo etiam confugerat abbas Dinoth cum ingenti sacerdotum, eremitarum & monachorum numero, maxime vero de monasterio Bangor. Hi peracto triduano jejunio Deum orabant, ut a barbarorum gladiis populum suum protegeret. In hos primum arma verti rex jubet; quos etiam dux Brochmail, a primo hostium adventu perterrefactus turpiter terga dans, inermes ac nudos hostium gladiis exposuit; quinquaginta solum viri fuga sibi consuluerunt: reliqui ad mille & ducentos gladio Edelfridi trucidati sunt. Narrat Beda Augustinum, divino edoctum oraculo, bellum hoc Britonum Episcopis & clericis in concilio Augustiniano praedixisse: cum tamen verisimilius sit, ipsum, communicato cum Ethelberto rege consilio, ejus belli inferendi non conscium modo, sed etiam causam fuisse. Usus est enim illo rege familiarissimo; cujus suasu & impulsu diximus Edelfridum hanc calamitatem Britannis inflixisse. Atqui sane dicitur Augustinus in primo de istis ritibus colloquio, cum illis precibus persuaderi non poterat, comminatum esse: quare non est absimile ejus instigatione hoc bellum Britannis esse paratum, si se illi in secundo congressu non conformarent. Quidam etiam Legiocestriae Augustinum obvium fuisse regibus ad id proelium praecinctis tradunt. Quin etiam huic conjecturae suffragari videtur Amandus Xierixiensis, vir ex ordine fratrum minorum, cujus ipsius verba subjiciam. "Cum enim, inquit, Britones fuerunt catholici, Saxones gentiles erant; ad quos convertendos misit beatus Gregorius Augustinum & Mellitum, qui Saxones converterunt. Sed cum Augustinus vellet Episcopos & abbates Britonum adducere authoritate apostolica, ut eum Legatum reciperent, & cum eo Anglis praedicarent; mota est discordia propter eorum inobedientiam ad sanctum Augustinum; & sic motum fuit bellum inter Britonum regulos & Saxonum regulos: qui jam conversi volebant Britones Augustino subdere." Quidam ascribunt Bedae testimonio hanc stragem Britannis illatam Augustino jam ante mortuo; quod sane suppostitium est, nec in libris Bedae Saxonicis habetur. Alii eam ad annum 605. referunt, ipso adhuc superstite; quibus propterea assentior, quia apud omnes convenit Edelfridum Northumbrorum regem hoc ipso anno Britones subjugasse & tributarios Anglis fecisse. Nam si, quod faciunt pontificii, ex quibuscunque sine authoritate & delectu authoribus, nobis sumere quae velimus, liceret: Ut illi ex suis historiis christianam religionem in Anglia institutam aut restitutam Augustino suo totam tribuunt: sic nos ex nostris eadem authoritate atque fide probare possumus, religionem ab illo vel eversam & deletam, vel depravatam & corruptam fuisse. Idque a Merlino praedictum fuisse dicitur his verbis: "Delebitur iterum religio, & transmutatio primarum Sedium fiet. Dignitas Londoniae adornabit Doroberniam." Quod per Gormundum fuisse factum, aut Augustinum, qui mille & ducentos Banchorenses in Wallia monachos fecit occidi, eo quod non obedierunt sibi in concilio,

Epitome Chron.

Amandus Xierixiensis.

Histor. Saxon. Petriburg.

Alex. Essebiensis.

cilio, plane docet Alexander Eſſebienſis. Mirum enim eſt, quod de religione delenda, & primarum Sedium mutatione, & Londinenſi dignitate Cantuariam transferenda uno vaticinio verbiſque cohaerentibus praedixit Merlinus. W. Malmſb.

POSTQUAM Auguſtinus Anglo-ſaxones ad chriſtianam religionem juxta Romanos ritus perduxerat, ſupremum obiiſſe diem dicitur, Ethelberto primo ex Anglorum regibus chriſtiano adhuc regnante, anno 611. ſeptimo Calendas Junii, poſtquam ſexdecim annos ſediſſet, ut plures tradunt: quamvis multum laborat Thomas Spottus in Chronico ſuo, aliique monachi, Auguſtinum non tam longaevum fuiſſe, ſed multo ante tempore obiiſſe: ut ſupradictae Wallenſis cladis ſuſpicionem ac infamiam ab illo averterent. Poſitum eſt corpus ejus foras juxta eccleſiam beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, cujus ſuperius meminimus, extra muros civitatis ad orientem. Ea enim adhuc nec perfecta fuit, nec de more dedicata. Mox vero ac dedicata eſt, tranſlatum eſt corpus ejus in porticum illius templi aquilonarem, ibique honore, quo decuit, ſepultum: in qua etiam porticu ſuccedentium Archiepiſcoporum corpora inhumari ſolita ſunt, uſque ad Theodorum; qui cum ſubſequentibus Epiſcopis alibi in eadem eccleſia reconditus eſt; eo quod praedicta porticus non erat capax plurium. Extructum eſt etiam in ejus porticus medio altare in honorem beati Gregorii; in quo ſingulis quibuſque ſabbatis miſſae ſolenniores celebrabantur. Tumulo Auguſtini hoc epitaphium inſcriptum eſt: " Hic requieſcit domnus Auguſtinus, Dorovernenſis Archiepiſcopus " primus; qui olim huc a beato Gregorio Romanae urbis pontifice di" rectus, & a Deo operatione miraculorum ſuffultus, AEthelbertum " regem ac gentem illius ab ydolorum cultu ad Chriſti fidem perduxit: " Et, completis in pace diebus officii ſui, defunctus eſt, ſeptimo kalen" das Junias, eodem rege regnante.

Annal. Eccl. Cant. Sigebertus. Florileg. Polydor.

" ERAT hic Auguſtinus ſtatura procera & erecta, ita ut a ſcapulis po" pulo ſuperemineret: facies amabilis & reverenda; frons mediante co" ma ſuis columnis reſultabat feneſtrata; ſaepe diſcalceatus ibat, & nu" dis pedibus provincias perluſtrando memorabatur callos plantis at" traxiſſe." Non multo ante Auguſtini obitum Bonifacius tertius in Sabiniani pontificis mortui locum ſurrogatur; qui poſt ſuſceptam adminiſtrandi provinciam confeſtim cum Phoca egit, ut Romana eccleſia eſſet omnium aliarum caput; quod aegre nec ſine multa contentione conceſſum fuit. Tunc etiam dira humani generis peſtis, impia Mahumeti religio originem accepit. Inter abbatiarum multitudinem, quae hujus tempore in Britannia fuerunt, abbatia Petri & Pauli Cantuariae dignitate caeteras omnes longe antecelluit.

Annal. Eccl. Cant. — Platina. Sabellicus. Lib. Roff.

LAURENTIUS

II. Laurentius.

Successit Augustino Doroberniae Laurentius, natione Romanus, vir doctrina & moribus clarus, quem sibi adhuc superstes successorem delegit Augustinus; ne se mortuo ecclesia recens posita, pastore vel modico tempore destituta, ad gentilismum denuo relaberetur: vel etiam veritus, ne sede tantillum vacante, dignitas metropolitica alio transferretur. Ut ut fuit, Augustinum non fefellit Laurentius. Statim enim atque Archiepiscopatus gradu potitus est, quam ille religionem, quosque ritus instituerat, hic promovere atque stabilire omni diligentia, studio, solicitudine, crebris exhortationibus, & continuis bonorum operum exemplis adnititur: neque solum recentis Anglicanae Ecclesiae curam gessit, sed etiam Britannos veteres, qui metu Anglorum in desertis Walliae sese abdiderant, Scotos etiam, & Hibernos adhuc in christianae fidei dogmate rudiores plenius erudire, & ad eosdem ritus studuit perducere. Nam cum Scoti, quemadmodum de Britannis in Augustino dictum est, Pascha diverso a Romanis modo celebrarent, ipsorumque ecclesiastica disciplina a consuetudine & more Romanae ecclesiae in pluribus differret; ex Episcopis suis cum literis ad eos legasse dicitur Laurentius, majorem in modum contendens & obsecrans, ut se Romanae ecclesiae velint conjungere, receptosque ubivis ritus & catholicas traditiones admittere. Scripsisse etiam dicitur ad sacerdotes Britonum, significans se vehementer cupere, ipsos jam dispersos & palantes ad ovile Christi & ecclesiae unitatem congregare. Superioris epistolae principium extat in ecclesiastica historia Bedae lib. ii. cap. 4. Haec autem nusquam reperitur. Et quanquam his literis nonnihil profecisse Laurentium refert Beda, jamque ad concordiam superius dissentientes propendere viderentur, atque adeo per omnem regionem constituta religio & firmata putaretur; non multo tamen post totius religionis perturbatio eversioque sequuta est. Moritur enim christianissimus princeps Ethelbertus, unaque cum eo moritur religio christiana. Illi successit Edbaldus, rex Anglorum ab Hengisto sextus, admodum puer, filius patri per omnia dissimilis. Is postquam adoleverat, suique juris factus est, genio paulatim indulsit, tandem se vitamque suam omni vitiorum genere contaminavit. Inter caetera, quae ille scelerate impieque patravit, uxorem patris concupisse, duxisseque dicitur: Quae etiam nuptiae fuerunt subsequentium omnium malorum origo & causa. Hisce enim copulis infaustis infandisque cum religio christiana adversaretur, ejus primo eum coepit taedere, postea displicere, insectari, abominari. Ingenium regis populus, ut assolet, sequutus est; Laurentio nihilominus instante, hortante, monente, ut in coepta professione permanerent. Cum vero nihil se, neque apud regem, neque apud populum cerneret proficere, quinetiam odium & crudelitatem tyranni adversus christianos, qui pauci erant, indies augescere; statuit tandem e Britannia discedere, & sequi in

Beda, lib. 2. cap. 4.

An.Dom.616

Ab An. Chr. DCXI. — Ad An. Chr. DCXVI.

Galliam Mellitum & Justum, quos alibi demonstrabimus, a filiis Seberti regis orientalium Saxonum expulsos. Pridie ergo quam proficisceretur, lectum sibi in ecclesia apostolorum Petri & Pauli sterni jubet; in quo postquam recubuisset, multis precibus, suspiriis & lacrymis, ecclesiae salutem & incolumitatem Deo commendavit. Finitis precibus se quieti dat: quamprimum vero obdormisset, illico ei visus est in somnis adesse Petrus, ipsum corripere, castigare, loris & flagellis caedere; quod immemor mandati Augustini & officii sui, metu supplicii gregem Christi sibi commissum lupis rapacibus laniandum relinqueret. Hoc spectaculo perterrefactus, concilio repente mutato, ab incoepto destitit. Edbaldus etiam rex, ubi, quae Laurentio acciderant, ei nunciatum est, rei novitate perculsus (Ex Archivis.) delicti veniam a Laurentio petiit; repudiatoque protinus turpi conjugio ad sanitatem rediit: Mellitum etiam & Justum domum revocavit: anteacta denique vita emendata, Christi religionem promovere coepit. Templum etiam beatae Mariae in Coenobio sancti Petri aedificavit: quod tamen non Laurentius, sed successor ejus Mellitus consecravit. (Histor. Eccl. Cant.) Moritur enim Laurentius eo ipso anno, quo Edbaldus rex fidem Christi amplexus erat, atque in porticu ecclesiae Petri juxta Augustinum sepultus est. Est opinio a monachis profecta, eaque a posteris libenti magis ac grato assensu, quam vero recepta, omnes Cantuarienses Archiepiscopos monachos fuisse a primo Augustino ad Stigandum. At enim hic Laurentius, de quo hactenus egimus, monachus plane non fuit, sed presbyter, id ipsum affirmante Beda lib. i. cap. 27. (Beda, lib. 1. cap. 27.) "Interea, "inquit, vir Domini Augustinus venit Arelaten, & ab Archiepiscopo e"jusdem civitatis Etherio, juxta quod jussu sancti patris Gregorii acce"perat, Archiepiscopus genti Anglorum ordinatus est: reversusque Bri"tanniam misit Romam Laurentium presbyterum, & Petrum mona"chum, &c.

****

Ab An. Chr. DCXVII. — Ad An. Chr. DCXXI.

III. MELLITUS.

(Beda.)



ANGLIS ad fidem Christi conversis, cum quadraginta illi comites, quos secum attulerat Augustinus, praedicando Evangelio non sufficerent, Britanni vero operam suam plane denegaverant; significat Gregorio per literas Augustinus, messem quidem multam esse, operarios vero paucos. Mittuntur ergo a Gregorio in supplementum, Mellitus Romanus abbas, Justus, Paulinus, Rufinianus, aliique complures verbi Dei ministri: quorum primum fuisse Mellitum vel hinc conjicere facilis est ratio: Ad illum enim jam longius in itinere profectum scripsit Gregorius, ut suo nomine cum Augustino ageret, de idolis in Anglia destruendis, fanis ethnicis in christiana templa mutandis, altaribus construendis, de sacrificiis vel conviviis in Dei laudem & honorem instituendis. (Roff. Histor.) Discedit ergo Roma Mellitus anno Domini 601. Annoque post tertio illum Episcopi titulo & honore insignivit Augustinus, eique orientales Saxones Thamesi fluvio a Cantio divisos, & orientali

Ab An. Chr. DCXVII. — Ad An. Chr. DCXXI.

tali mari contiguos commiſit convertendos. Horum Metropolis Londinum eſt, civitas ad ripam fluminis poſita, ſuis ipſius incolis frequens, alienigenarum etiam eo, commercii gratia, confluentium multitudine illuſtris atque celebris. Quibus etſi hoc tempore Sebertus imperaret; ſub Ethelberto tamen, cujus etiam nepos erat ex ſorore Ricula, provinciam adminiſtravit. Suos enim fines Ethelbertus ad confinia Humbri fluminis extenderat. Ejus igitur nomine & authoritate, ut veriſimile eſt, uſus Mellitus Sebertum regem ac reliquum populum ad Chriſtianae religionis profeſſionem perduxit & ſalutari baptiſmatis unda perfudit. His ita proſpere ſuccedentibus, rex Ethelbertus Londini eccleſiam Pauli a fundamentis extruxit, & in ea epiſcopalem ſedem ſtatuit; cui Mellitum electum & Epiſcopum conſecratum praefecit: Ab eodem etiam altera divo Petro ad Weſtmonaſterium pari operis faſtigio erecta eſt. Mellitus Epiſcopatus ſui anno quarto Romam profectus eſt, cum Bonifacio pontifice tractaturus de rebus ad Anglicanam eccleſiam neceſſariis. Quo etiam tempore Bonifacius ſynodum coëgerat Epiſcoporum Italiae; in qua de moribus monachorum & pace decerneret. Huic ſynodo Mellitus interfuit, omniaque ibi ſancita & decreta ſua authoritate & ſubſcriptione confirmavit; ac in Britanniam rediens eadem eccleſiae Anglicanae obſervanda dedit. Literas etiam a Bonifacio, unas ad Ethelbertum regem, alteras ad Archiepiſcopum Laurentium, tertias ad univerſum populum Anglicanum attulit. His peractis Mellitus Londinum revertitur, ibique, quamdiu licuit, commoratus epiſcopali munere fungitur. Anno ſexto, poſtquam is revertiſſet Romam, moritur Ethelbertus rex Cantiorum; eodemque anno Sebertus nepos, qui poſt ſe tres reliquit filios, Serredum, Sivardum & Sigebertum; in quibus nihil ſancti, nullus Dei metus, nulla religio erat. Abhorrebant inprimis a nomine chriſtiano, & verae religionis praecipua myſteria irridere ſoliti ſunt: Celebrante enim aliquando pontifice miſſarum ſolennia, illi de induſtria adeſſe voluerunt; cumque eo perventum eſſet, ut Euchariſtiam populo de more pontifex porrigeret, ſibi etiam inter caeteros dari poſtularunt: " Cur non, inquiunt, " panem illum nitidum nobis etiam porrigis, quem patri noſtro Sabae, ſic " enim eum appellabant, dare ſolebas, & adhuc populo dare non deſiſtis?" Reſpondit Mellitus; " ſi vultis ablui fonte illo ſalutari quemadmodum pa- " ter veſter, poteſtis etiam panis ſancti participes eſſe;" alioqui nec ſibi dare, nec illis accipere fas eſſe. Qua Epiſcopi reſponſione graviter ad iram commoti ſunt; parumque abfuit, quin illi ibidem manus nefarie injicerent; regni vero finibus illico exire mandarunt. Expulſus ad hunc modum Londino Mellitus Cantuariam ad Laurentium Archiepiſcopum ſeſe contulit; qui conditione fuit omnino non meliore: Ex morte enim Ethelberti, cui ſucceſſerat Edbaldus, Cantii etiam res chriſtianae eo ipſo tempore everſae & profligatae ſunt. Aliquandiu igitur boni Antiſtites, quemadmodum labenti eccleſiae ſubvenirent, deliberantes, cum eidem nulla ratione opitulari ſe poſſe cernerent; cedere tandem impietati tyrannorum potius ſtatuerunt, quam ſeſe certo & imminenti periculo, nullo cum commodo religionis, objicere. Profugit ergo confeſtim Mellitus cum Juſto Roffenſi Epiſcopo in Galliam: nec ita multo poſt ingraveſcente Edbaldi crudelitate, idem Laurentio faciendum erat. Quemadmodum autem Laurentius conſilium profectionis mutarit, Edbaldumque regem ad fidem converterit, ſuperius in ipſius vita videre eſt. Converſo

Ex Archivis. — Tho. Spottus. — Beda. — Ex Archivis. — Roff. Histor.

Edbaldo

Ab An. Chr. DCXVII. Ad An. Chr. DCXXI.

Edbaldo domum Mellitus a Laurentio revocatus eſt. Cum autem a Londinenſibus Chriſti religionem plane repellentibus non reciperetur, in Cantio permanere cogitur. W. Malmſb. Eodem ipſo anno, quo reverſus eſt ab exilio Mellitus, moritur Laurentius: ejuſque loco Archiepiſcopus Cantuarienſis ſurrogatus eſt: Quo archiepiſcopalem dignitatem adminiſtrante, Juſtus Roffenſem regebat. Iſti duo pari cura & ſolicitudine epiſcopali munere fungentes, exhortatorias & congratulatorias literas a Bonifacio acceperunt; qui poſt Deuſdedit eccleſiae Romanae praefuit, anno Domini 624.

ERAT Mellitus nobili ortus familia; mentis vero celſitudine quam nativitate illuſtrior terrena omnia deſpexiſſe dicitur, ſpiraſſe coeleſtia: Et quanquam corpore infirmus & valetudinarius jamdiu fuerat, animo tamen forti fuit & ſtrenuo. Podagra vitam finivit, & in porticu Petri cum Tho.Spottus. Auguſtino & Laurentio ſepultus eſt. Circiter hoc tempus Mahometes pſeudopropheta epilepſia ſeu comitiali morbo laborans, quoties vi morbi in terram cadere cogebatur, Gabrielem Angelum ſibi comparuiſſe & collocutum eſſe ſimulavit, ejuſque ſplendorem cum ferre non poſſet, conſternatum concidiſſe. Tandem vero, cum eum ſolum omnibus abſentibus Roff. Hiſtor. morbus opprimeret, volutatus ut lutulentus ſus & ex ore ſpumam turpiter evomens, a porcis merito dilaniatus eſt.

Ab An. Chr. DCXXII. Ad An. Chr. DCXXV.

IV. JUSTUS.



USTUS Mellito & Paulino Roma proficiſcentibus ſocius a Gregorio pontifice datus, Roffenſi Epiſcopatui, quo tempore Mellitus Londinenſi, ab Auguſtino adhuc vivente, praepoſitus eſt. Is parem cum Mellito fortunae aleam ſubivit: exulavit enim cum eo anno Domini 618. ut ſuperius annotatum eſt; excepto quod, cum Mellitus a Londinenſibus poſt reditum non admitteretur, Juſtus ſedi ſuae continuo reſtitutus eſt; cui tam diu praefuit, quam Mellitus vixit. Eo mortuo ad Dorobernenſem Archiepiſcopatum tranſlatus eſt. Primo pontificatus ſui anno a Bonifacio quinto, Romano pontifice, pallium cum literis de more accepit. In illis Bonifacius, qui jam pridem a Phoca obtinuerat, ut Romana eccleſia eſſet omnium eccleſiarum caput, ſubjectionem & obedientiam eccleſiae Romanae a Juſto poſtulavit: Adhortatur etiam, ut Epiſcopos in commodioribus Angliae partibus ordinaret. Is igitur Paulinum conſocium ſuum, virum ſanctum & prudentem, Archiepiſcopum Eboracenſem hac occaſione creavit, anno Domini 625. Erat Edbaldo Cantiorum regi innupta ſoror Ethelberga: Hujus conſortium Edwinus Northumbriae rex vir adhuc a fide alienus expetivit, ac per legatos illam ſibi dari poſtulavit. "Reſponſum eſt, non eſſe fas chriſtianam virginem homini ethnico & pagano locari; ne forte fides & ſacramentum coeleſti Regi prius praeſtitum terreni regis ejuſdemque gentilis connubio violetur." Hoc cum Edwino nunciatum eſſet, ac amore puellae vehementer arderet; nihil ſe de religione immutaturum paciſcitur;

Ab An. Chr. DCXXII. — Ad An. Chr. DCXXV.

paciſcitur; permiſſurum reginae omnibuſque ſuis comitibus chriſtiano more rituque Deum colere. Quin etiam Chriſti fidem ſe ſuſcepturum, ſi chriſtiana religio a ſui regni prudentibus & principibus & ſanctior & Deo dignior approbaretur. Hac conditione mittitur virgo, ad hoc ſuadente Juſto & Paulino, quibus ſpes erat, hac occaſione Chriſti religionem a Northumbris amplexatum iri. Commodum enim rati ſunt Edbaldus & Juſtus, ut Paulinus virginis comitatui adhiberetur, tum ad fovendam religionem in ſuis, ſi forte pagani ad gentiliſmum ſuaderent, tum etiam ad ipſos paganos ad Chriſti religionem convertendos, ſi id commode fieri poſſe videret. In quo utroque ita ſe geſſit & profecit Paulinus, ut & ſuos a paganiſmo prudenter contineret, & paganos ad chriſtianiſmum hortando converteret. Edwino & Northumbris hoc modo converſis, Paulinus ante a Juſto in Cantio creatus Eboracenſis Archiepiſcopus primus admiſſus eſt. Juſtus poſtquam religionem chriſtianam diu multumque promoviſſet, deſiit in humanis eſſe quarto Idus Novembris, anno Domini 634. Sepultus eſt in eccleſia ſanctorum Apoſtolorum Cantuariae. Quo tempore diem etiam obiiſſe Edbaldus dicitur. *W. Malmſb.*

Ab An. Chr. DCXXVI. — Ad An. Chr. DCLII.

V. HONORIUS.

USTO defuncto Honorius patria Romanus, venerandus pater, & in ſacris literis non vulgariter eruditus, quippe qui Gregorii magni fuerat diſcipulus, Romae in Archiepiſcopum Cantuarienſem electus eſt, & a Paulino Eboracenſi Archiepiſcopo Lindocolnii conſecratus. Hic quintus erat ab Auguſtino Dorobernenſis eccleſiae Antiſtes; ab Honorio Romano pontifice ejus nominis primo, pallium cum literis accepit: in quibus conceſſit Romanus pontifex, ut moriente alterutro Cantuarienſi ſeu Eboracenſi Archiepiſcopo, is qui ſuperviveret, poteſtatem haberet alterius ſedis Archiepiſcopum ordinandi, ut deinceps non ſit neceſſe per graviora itinera Romam contendendo fatigari. Honorius accepto pallio creavit Epiſcopum Felicem Burgundum, virum apoſtolicum, eumque ad orientales Anglos miſit, qui ſedem habuit epiſcopalem in civitate Dunmock, alias **Dunwiche**. Hic Cantebrigienſem Academiam primus fundavit anno Domini 636. quanquam alii regem Sigiſbertum Felicis Burgundi conſilio eam inſtituiſſe ſcribunt. Felice mortuo Thomam diaconum ejus in iſtius locum opportune ſubſtituit: *W. Malmſb.* ſtrenuus ac pervigil divinae militiae dux & imperator, aliis in acie divina cadentibus alios ſurrogare ſedulo adnititur, ne deficiente forte milite, hoſti locus in caſtra Dominica pateret irruendi. Neque ſolum Epiſcopos tanquam ſuperiores turrium cuſtodes eccleſiae ſuperimpoſuit, ſed etiam provinciam ſuam primus in parochias dividens, inferiores miniſtros ordinavit; quos etiam ſaepius inſtruit & adhortatur, ut plebem Dei comiter & patienter non doctrina ſolum, ſed etiam vitae probitate erudirent: his enim incredulos & a fide alienos citius capi, quam ſeveris objurgationibus & auſteritate morum. Hujus etiam tempore turbatae erant res

X Northum-

Ab An. Chr. DCXXVI. Ad An. Chr. DCLII.

Northumbrorum: interficitur enim Edwinus rex, quem Paulinus baptizarat; ipſeque Paulinus fugere coactus in Cantium regreditur; ubi ab Honorio Epiſcopatu Roffenſi donatus eſt. Ethelbergam Edwini defuncti regis Northumbrorum uxorem, & Edbaldi regis Cantiorum ſororem virginem velavit: quae ad villam Limming ſibi a fratre datam monaſterium condidit. Honorius poſtquam vitae ſuae curſum impleverat, ex hac vita migravit, & in porticu cum ſuperioribus ſepelitur.

Ab An. Chr. DCLIV. Ad An. Chr. DCLXIV.

VI. DEUSDEDIT *ſive* ADEODATUS.

Jo. Capgrav.



POST Honorium electus eſt, ſede prius vacante per annum & ſex menſes, Archiepiſcopus Dorobernenſis, de gente occidentalium Saxonum oriundus, Deuſdedit; qui vita & eruditione inſignis, primus ex Anglis Archiepiſcopus a Deo datus eſt. Patria enim lingua Fꞃıðona vocabatur: Sed ob merita ejus in rempublicam praeclara nomen Saxonicum ab electis Dei miniſtris, in Angelicum fuit commutatum, & Deuſdedit dictus eſt: gratia namque Dei illum ad opus ſancti miniſterii elegit; ſumpto ſacerdotali officio in timore Dei perfectus permanſit. Hic ab Ithamaro Antiſtite Roffenſi conſecratus eſt: quia poſt Paulinum nullus adhuc erat Archiepiſcopus Eboracenſis, ad quem id muneris ex reſcripto pontificali pertinebat. (W. Malmſb.) Obiit Deuſdedit eccleſiae Dorobernenſis Archiepiſcopus pridie Idus Julii anno Domini 664. ultimuſque in aquilonari porticu Eccleſiae Apoſtolorum Petri & Pauli reconditus eſt. (Polychron.) Hoc tempore traditur Benalt Epiſcopum, abbatem ſancti Auguſtini, coaevum & inſtructorem Bedae, artem conficiendi vitrum in Anglia adinveniſſe, & occultiorum artium libros induxiſſe. Monaſterium ſuum Adriano, qui Roma cum Theodoro, qui proximus Deuſdedit ſubſecutus eſt, in Angliam trajecit, reſignavit. (Lib. Roff.) Tam gravi morbo hoc tempore laboraſſe Anglos commemorat liber Roffenſis; ut ſe populus ad praerupta maris frequens conferret, ut inde ſe in mare praecipites darent: celeri enim morte a cruciatu liberari potius eligebant, quam diutius intabeſcendo miſere perire. De hac peſtilentia ſic ſcribit Beda: (Beda, lib. 3. cap. 27.) "Anno Dominicae incarnationis 664. facta eſt eclipſis ſolis die tertio "menſis Maii, horam circiter decimam diei; quo etiam anno mox ſubita peſtilentiae lues ſubſequuta eſt: quae depopulatis prius auſtralibus "Britanniae plagis, Northumbrorum quoque provinciam corripiens, & "acerba clade diutius longe lateque deſaeviens, magnam hominum multitudinem ſtravit. Hac peſte ſacerdos Tuda Epiſcopus Northumbrorum "interiit. Hiberniam inſulam quoque eadem clades pervaſit. Nam "cum tempore Finani & Colmanni Epiſcoporum, ex Anglis multi tum "nobiles, tum plebeii eo divinae lectionis & continentioris vitae gratia "ſeceſſerant, monaſticam vitam profeſſi, ſibi & poſteris ſuis monaſterium, quod *Rathmelſigi* dicitur, compararant: hos omnes aut peſte "abſumptos eſſe, aut per ignota loca diſperſos Beda ibidem refert.

VII. THEO-

Ab An. Chr. DCLXVIII.

VII. Theodorus.

Ad An. Chr. DCXC.

Postquam Deuſdedit mortuus eſt, vacante non modico tempore eccleſia Dorobernenſi, miſſus eſt Romam a regibus Egberto Cantiorum, & Oſwio Northumbrorum, Wigardus preſbyter, vir doctiſſimus, natione Anglus, qui in Archiepiſcopum Cantuarienſem ordinaretur. Cui etiam Oſwius Northumbrorum [Ex Archivis.] rex, munera ad Romanum pontificem, vaſa aurea atque argentea tradidit. Wigardo Romam adveniente, peſtis illic graviter ſaeviebat, qua quidem ipſe, priuſquam Epiſcopus crearetur, cum omni prope comitatu interiit. De Wigardi morte Vitalianus papa Oſwium regem Northumbrorum certiorem facit: ipſe interim cum ſuis Romae deliberans, quem in Angliam loco defuncti idoneum Archiepiſcopum mitteret. Erat hoc tempore in monaſterio Viridano, quod eſt non longe a Neapoli Campa- [W. Malmſb.] niae, abbas Adrianus, natione Afer, vir in ſacris literis & omni diſciplinarum genere peritiſſimus. Hunc ad ſe vocatum papa Vitalianus Archiepiſcopum Cantuarienſem creaſſe voluit. Is ſeſe tanto oneri ſuſtinendo imparem profeſſus honorem humiliter recuſavit. Cum vero excuſationem pontifex non admitteret, inventurum ſe eſſe pollicitus eſt hominem magis idoneum, qui ipſum & aetate & eruditione praecelleret: Hac conditione dimiſſus eſt. Familiaris fuit Adriano Theodorus monachus, natus Tharſi, iiſdem diſciplinis inſtructus, quibus antea diximus Adrianum; vir aetate etiam venerandus, annum enim egit ſexageſimum ſextum: hic ab Adriano ſiſtitur pontifici; quem tamen non alia lege admiſit Vitalia- [Ex Archivis.] nus, quam ſi ipſe Adrianus cum eo una in Angliam proficiſceretur, ac diligenter proſpiceret, ne quid Theodorus, cum Graecus eſſet, moribus & ritibus Romanis contrarium in eccleſiam Anglicanam introduceret. Cum in hoc pontifici conſenſiſſet Adrianus, Theodorus ſubdiaconus factus eſt; ac quia tonſuram apoſtoli Pauli more orientalium habuerat, quatuor menſes Romae commoratus eſt, donec illi coma creſceret, quo in [W. Malmſb.] coronam Romano more radi poſſet. Deinde Archiepiſcopus ordinatus, [Ex Archivis.] & a Vitaliano papa Romae conſecratus eſt, anno ſalutis humanae 668. primo Aprilis, qui fuit dies Dominicus. Eodem anno, 6. Kal. Junii, una cum Adriano in Angliam iter occupat cum magna authoritate ligandi & ſolvendi. Hi expeditum iter in Angliam non habuerunt, im- [Platina.] minens enim hyems eos aliquandiu Maſſiliae detinuit. Poſtea cum in Galliam perveniſſent, eos Ebronius, vir in maxima authoritate & gratia cum rege Galliae remoratus eſt. Tandem vero Theodorus dimittitur, & ad portum Conventunvic perductus eſt, unde etiam afflicta impeditus valetudine non ita pridem ſolvit. Adrianus autem ab Ebronio retinetur: ſuſpectus enim illi erat de mandatis ab imperatore ad reges Angliae perferendis contra regnum Gallicanum: Ille tamen non multo poſt, cum ſe Ebronio purgaviſſet, Theodorum in Britanniam ſubſequitur, qui eum [Ex Archivi] Coenobio beati Petri Apoſtoli Cantuariae, ubi Archiepiſcopi ſepeliri ſolent,

Ab An. Chr. DCLXVIII. — Ad An. Chr. DCXC.

lent, donavit. Venit Theodorus Cantuariam, anno secundo postquam consecratus est, 6. Kal. Januarii. Hic bibliothecam copiosam tam e Graecis quam Latinis libris secum in Angliam advexit, quorum nonnulli Graeco idiomate conscripti apud nos manent: videlicet, opera Homeri Graeco charactere ita eximie & exquisite descripta, ut librorum impressorum veritatem superent: volumen grande est, charta etiam antiquior. Homiliae Chrysostomi folio pergamenae: Psalmi Davidici: Ὑπομνήστικον Josephi, eadem lingua conscripta: opera sane ob eximiam literarum scripturam nostro saeculo rara, & quae perpetuae memoriae famam obtinere mereantur. Huic Theodoro omnis Anglicana ecclesia, quod reliquis Episcopis non fecit, libenter sese subjecit: isque, peragrata tota insula, Paschae celebrationem, reliquosque Romanos ritus ubique stabilivit: tantumque abfuit, ut aliquid a Romana ecclesia alienum faceret, ut ejus authoritatem contentiose nimis putetur propugnasse. Episcopos enim aliquot diverso a Romanis more consecratos ea sola de causa pro arbitrio suo, vel dignitate plane movit, vel canonice coëgit ordinari. Jus etiam & superioritatem Sedis propriae ita exercuisse dicitur, ut non tam judicio & consilio regere, quam impetu animi & perturbatione rapi videretur. Reliquas igitur hujus viri virtutes, quae sane vulgares non fuerunt, haec nimia suae dignitatis asserendae pertinacitas non mediocriter obscuravit. Quanquam enim post Britanniam ab Anglis occupatam feliciora tempora & eruditiora non fuerunt, quam cum ille Cantuariae praesidebat: multum tamen detraxit ejus gloriae immerita Episcoporum dejectio, ac praecipue quidem Wilfridi Eboracensis Archiepiscopi, quem ille indigne sua Sede pepulit; virum sibi & vitae sanctitate & eruditione & industria, si non superiorem, at certe omnium judicio parem: cui etiam illius temporis eruditi, qui multi erant, quantum Theodoro & debebant & deferebant. Nam cum non minore scripturarum scientia, quam Theodorus, praeditus esset; tum in literis humanioribus multum excelluit, poetica, arithmetica, astronomia, musica, Latina quoque & Graeca lingua, quas sane disciplinas auditoribus suis, quos multos habuit, una cum scripturarum lectione copiose contradidit. Hunc igitur tantum virum tam immoderate & praeter meritum persequendo, & multum nocuit ecclesiae paci, & male consuluit famae suae. Hac de re sic scribit Willielmus Malmsburiensis libro de Pontificibus. Theodorum enim a sede apostolica missum Beda narrat, primum omnium Antistitum Cantuariae vigorem pontificalem in tota Britannia exercuisse. Denique & ultra & citra Humbrum Episcopos, hos pro placito abegisse, hos posuisse. In ipsa Eboraco aliarum urbium praesules consecrasse, &, ut in vita beati Wilfridi legitur, “ejusdem civitatis pontifices Ceddam & ipsum Wilfridum, seu ratione, seu vi expulisse. Ubi videri & doleri potest humana miseria, quod videlicet, quantalibet quis sanctitate polleat, non ad plenum pervicaces mores exuat: quod illi duo oculi Britanniae controversias inter se egerint. Siquidem Theodorus Wilfridum injuste, quantum nostra habet conjectura, ejecerit. Wilfridus Romano papae Agathoni, multis ante periculis jactatus, querelam detulit: modeste sane, ut qui neque apostolicam sedem directis accusationibus urgeret, nec innocentiam suam fluctuare permitteret. Ejus enim verba haec sunt in suggestione quam obtulit papae. Quid autem acciderit, ut Theodorus sanctissimus Archiepiscopus, me superstite, in sede, quam, licet indignus, “dispen-

Marginal notes: Ex Archivis. W. Malmsb. — Ex Archivis. W. Malmsb. — W. Malmsb. Lib. 1. cap. 2.

" diſpenſabam abſque conſenſu cujuſvis Epiſcopi, tres ſua authoritate, " mea humilitate non acquieſcente, ordinaret Epiſcopos: omittere ma- " gis quam urgere pro ejuſdem viri reverentia conduceret; quem qui- " dem, eo quod ab hac apoſtolicae ſedis ſummitate ſit directus, accuſare " non audeo. Itaque quamvis hinc judicio concilii Romani videmus, quod " Wilfridus indemnis judicatus & ad ſedem ſuam remiſſus fuerit; non tamen " rem obtinuit, regis Egfridi violentia; cum praeſertim Theodorus vel " obſiſteret ex ſententia, vel permitteret ex conniventia." Idem etiam a- libi Theodorum ob hanc in Wilfridum injuriam, ut dignus eſt, acerbe verbis exagitat. " Nec celari, inquit, potuit manifeſtiſſima Theodori " injuria. Cum enim Wilfridus pro tribunali regem adiiſſet, injuriarum " cauſam expoſtulans: Nihil, dixit Theodorus, reatus tibi opponimus. " Sed, quod conſtituimus, ratum eſſe volumus. Quo dicto quid abſur- " dius? quaſi diceret: Sic volo, ſic jubeo, ſtat pro ratione voluntas." Anno Dominicae incarnationis 678. haec inter Theodorum & Wilfri- dum orta diſſenſio eſt. Quo etiam tempore cometam per tres integros menſes apparuiſſe Beda narrat: Matutinis horis oriebatur, excelſam ra- diantis flammae quaſi columnam prae ſe ferens. Ac haec quidem ſtella, ut ſolet, ingentem Britanniae calamitatem portendebat. Quo enim an- no Wilfridus Roma in Britanniam rediit, & provincia ſua per Theodori inimicitias prohiberetur, quanquam is ſedulo Evangelium promulgarit, ingens mortalitas multas Britanniae provincias corripuit: In provincia e- tiam occidentalium Saxonum per tres integros annos non pluit: Unde populus praeterquam quod morbo, etiam fame praeter modum afflictus eſt. Idem etiam Beda narrat. Saepe quadraginta homines, ſaepe plu- res famis acerbitatem non ferentes, ad maris ripas ſe contuliſſe; ſeſeque inde, junctis manibus, fluctibus abſorbendos miſere praecipitaſſe. Duas ſuo tempore ſynodos Theodorus convocaſſe dicitur. Primam Herefor- diae, in qua decreta decem ſancita ſunt. Capita hujus ſynodi habebis apud Bedam. Cum haec ſynodus celebraretur, moritur Egbertus rex Cantio- rum, menſe Julio; cui ſuccedit Lotharius frater ejus. Secundam ſyno- dum convocavit apud Hethfield, juxta Roffam. Atqui cum audiret fidem eccleſiae Conſtantinopolitanae haereſi Eutychiana plurimum eſſe turba- tam, omnes hujus ſynodi Epiſcopos, ſacerdotes & doctores, cujus eſſent fidei, ſcrutatus eſt: quos cum ſanos & orthodoxos reperiſſet, eos in ea- dem confirmavit. Atque ut hic religionis ſtatus eſſet ſolidior, quinque illa ſacrata & univerſalia concilia apud Graecos olim habita Anglicanae eccleſiae propoſuit: Quae eadem libenter amplexata eſt. Prima fuit ſy- nodus Nicaena contra Arium, ubi congregati fuerunt trecenti & octode- cim patres: Secunda Epheſina ex ducentis patribus contra Neſtorium: Tertia Chalcedonenſis, ubi aderant ducenti & triginta Epiſcopi contra Eutychem & Neſtorium: Quarta Conſtantinopolitana centum & quin- quaginta patrum contra Macedonium & Eudoxum: Quinta etiam ibidem temporibus Juſtiniani, contra Theodorum, Theodoricum & Cyrillum. Anno 679. conſerto gravi praelio inter Edilredum regem Merciorum & Egfridum regem Northanhumbrorum, occiſus eſt juxta flumen Trentam Elbumi frater regis Egfridi, juvenis annos natus quatuordecim. Hujus interitus cum fratrem graviter irritaret, odiumque regum hac occaſione inexpiabile videretur: Theodori tamen monitis uterque acquievit; paxque inter eos, eorumque regna, intercedente Praeſule, conciliata multo

Lib.4. cap.12.

Beda. Ex Archivis.

Beda, lib. 4. cap. 5.

Roff. Hiſtor.

deinde tempore perduravit. Magno etiam in pretio & authoritate fuit tum Romanis omnibus, tum etiam Agathoni Romano pontifici; quae ex ejus ad illum literis perquam familiaribus colligimus; quae scriptae sunt tempore primi concilii habiti Constantinopoli: ex illa epistola haec Ex Archivis. verba deprompsimus. " Sperabamus deinde de Britannia Theodorum " confamulum ac coepiscopum nostrum, magnae insulae Britanniae " Archiepiscopum & philosophum, cum aliis qui ibidem hactenus de- " morantur, exinde ad humilitatem nostram conjungere, & hac causa W. Malmsb. De Pont. l. 1. " concilium hucusque distulimus." Viderit lector, quanti eum Agatho fecerit, quem tam honorifice compellavit, cujusque causa concilium u- Ex Archivis. niversale distulerit. Hos libros scripsit. Summam poenitentialem, patrum canones, ordinationes cleri, de fide contra Eutychem, & alia. Non multo ante obitum Erkenwaldum Londoniensem Episcopum consecravit. Alios Eboraci ordinavit, Eadhedum, Bosam & Eatam; primusque fuit, qui pontificalem in Anglia vigorem exercuit. Cum senex esset ac plenus dierum, defunctus est decimo nono die Septembris, anno 690. cum annum jam ageret octuagesimum octavum; quem se numerum Beda. annorum, & non ultra victurum somnio admonitus praedicere solebat. Sedit annos viginti & duos. Sepultus est in ecclesia beati Petri, sed non in praedicta porticu; ultimus enim ibidem positus fuit Deusdedit. Paulo antequam moreretur accersivisse Londinum dicitur ad se Wilfridum & Erkenwaldum, quibus cum delicta confiteretur, nullo conscientiam suam ita perturbari & terreri professus est, quam quod Wilfridum contra jus & fas vel ipse sede injuste exuerit, vel exui permiserit. Wilfridum igi- Roff. Histor. tur suppliciter rogat, ut injuriam remitteret; utrosque, ut apud Deum pro ipso intercederent. Praeclare hoc sane, quod resipuerit. At vero Theodorus, vir apud omnem posteritatem venerandus & multum celebrandus fuisset, si hujus infamiae labem omnino non contraxisset. Nam praeter reliquas ejus virtutes eximie doctus fuit, ac post mortem in discipulis, qui multi erant & praeclari, quasi vivens. In his fuit Ex Archivis. sanctus Beda, Johannes Beverlacensis, Albinus venerabilis coenobii Augustinensis Cantuariae abbas, Tobias Roffensis Episcopus, qui Latinam ita & Graecam linguam, ut nativam calluisse dicitur. Albinum Beda ingenue agnoscit adjutorem fuisse historiae suae colligendae; in linguis etiam Tobiae parem facit.



VIII. BIRHTU-

Ab An. Chr. DCXCII.

VIII. BIRHTUALDUS.

Ad An. Chr. DCCXXXI.

SUCESSIT Theodoro Cantuarienſi Birhtualdus, natione Anglus: hunc primum fuiſſe ex Anglis Archiepiſcopum falſo prodidit Polydorus Vergilius, ſuperiores omnes Italos aut Romanos faciens; in quo quidem dupliciter erravit. Deuſdedit enim ſecundus ab hoc, de gente occidentalium Saxonum fuit, & Theodorus ante iſtum proximus, de Tharſo Ciliciae oriundus erat. Fuit Birhtualdus abbas coenobii Raculf poſiti juxta oſtium aquilonare fluminis Genlad, prope inſulam Thanet; hodie **Raculver** appellatur. Electus eſt in Archiepiſcopum Birhtualdus anno Domini 692. primo die menſis Julii, & a Godwino Metropolitano Walliae, vel, ut refert Beda, Galliae, ordinatus eſt. Proximo poſt electionem anno 3. Kalend. Julii, pridieque Kal. Septembris, plenam ſedis ſuae poſſeſſionem accepit. Scripturarum ſcientia non mediocri imbutus fuit, & in eccleſiaſtica diſciplina ſatis inſtructus; Theodoro tamen praedeceſſori aequalis non fuit. Birhtualdo Sergius pontifex, ejus nominis primus, omnis Anglicanae eccleſiae primatum per literas conceſſit. Quo tempore, videlicet anno gratiae 693. Ina rex Weſtſaxonum vindicare diſpoſuit combuſtionem Mollonis cognati ſui. Sed rex Cantii Withredus cum Cantuarienſibus ſuis humiliter obviam veniens tres mille ſeptingentas & quinquaginta libras pro nece adoleſcentis dedit. Et ſic, *Lis finita fuit, pax confirmata revixit.* Cauſam necis tradunt quidam; quia Cantuarienſes praedictum Mollonem praefractiorem in defendendis imaginibus, ut tum ſolennis quaeſtio erat, quam par fuit, viderent. Sedente Birhtualdo Epiſcopi multi in Anglia per illum ordinati ſunt: in quibus praecipui fuerunt: Daniel Epiſcopus Wintonienſis, & Tobias Epiſcopus Roffenſis, quorum hic Latinae, Graecae, & Saxonicae linguae cognitione, eruditione etiam multiplici caeteros omnes ſui temporis longe antecelluit. Huic Birhtualdo vitio vertitur, quod adjutor, aut potius author fuerit Alfrico regi Northumbrorum, denuo expellendi e ſede ſua Wilfridum; qui annos quinque a reſtitutione ſua provinciam Eboracenſem prudenter & quiete adminiſtraverat. Nam quo tempore Wilfridus Epiſcopatu pulſus eſt, provinciae ſuae Eboracenſi praepoſiti ſunt duo a Theodoro ordinati Epiſcopi, Boſa & Eata: quorum hic Berniciorum, ille Deirorum provinciam accepit: hic in Eboracenſi, ille in Haguſtaldenſi eccleſia ſedem ſtatuit. Eatae defuncto in ſua provincia ſucceſſit Joannes Beverlacenſis. Hi locis ſuis cedere coacti ſunt poſt Wilfridi reſtitutionem. Ejecti igitur Epiſcopi, qui ante infeſti Wilfrido fuerunt, jam majori odio in eum concitati, una cum Hilda abbatiſſa, quae ſimultates cum Wilfrido pariter geſſit, novas querelas regi Alfrido deferunt: eumque denuo in Wilfridum incendunt. Birhtualdum etiam figmentis variis in Wilfridum concitatis ad iram provocant. Ille regem inſtigat: rex caeca cupiditate ductus Wilfridum omnibus praediis exuit, bonis ſpoliat, & Epiſcopatu pellit. Utque

Beda.

Ex Archivis.

Beda, lib. 5. cap. 9.

W. Malmſb. lib. 2. de Pont. Florileg. Hiſt. Petriburg. Latine.

Stephanus Preſb.

W. Malmſb.

que res non inordinate procedere videretur, decretum Theodori Archiepiſcopi praetexunt: latum quidem tum, cum Theodorus & Wilfridus graves inimicitias inter ſe exercerent; cum tamen non ignoraverant, Wilfrido id etiam affirmante, Theodorum ante mortem, ut in ejus vita dictum eſt, animo compunctum injuriarum contra Wilfridum poenituiſſe. Sed cum nulla ratione regi perſuadere poterat, tamen voluntati ejus non ceſſit. Sponte enim jure & Epiſcopatu ſuo cedere noluit: etſi ad id faciendum & Alfridus rex, & Birhtualdus Archiepiſcopus, minis, & blandimentis eum allicere non deſiſterent. Violenter igitur a rege finibus Northumbrorum expellitur. Ad regem Merciorum, quem familiarem habuit, confugit; a quo ſane & benevole & honorifice exceptus eſt: mortuoque Sexulfo Lichefeldenſi Epiſcopo, ejus Epiſcopatus totiuſque eccleſiae Merciorum curam illi commiſit. Rex poſtquam eum vi Epiſcopatu ejecerat; tamen ut jure etiam expuliſſe videretur, Birhtualdi conſilio ſynodum Epiſcoporum convocari facit; in quo Wilfridus, ut reſignaret, adduceretur: aut ſi id non faceret, praeſentium Epiſcoporum ſuffragiis, potius quam injuria regis, munere ſuo pulſus videretur. Wilfridus cum ad hoc concilium vocatus eſſet, vim metuens primo quidem abnuit, poſtea vero, ne cauſae ſuae cognitionem ſubterfugere videretur, fide data intereſſe placuit: ſperavit etiam fratres ſuos & coepiſcopos aequiores habiturum ſe, quam expertus eſt. Nam quamprimum in concilium ingreditur, omnes tanquam ad id jam diu compoſiti illum verbis proſcindunt, convitiis & calumniis intemperanter exagitant: tandem vero, num Theodori Archiepiſcopi decretis parere vellet, captioſe interrogant. Ille fraudem perſentiens reſpondebat, ſe illis Theodori decretis obtemperaturum, quae a ſacris canonibus non diſſentirent. Acerbe etiam in eos invectus eſt; quod ea Theodori decreta, quae jam annos viginti & duos ſopita quieverant, malitioſe in contumeliam fratris refricarent: praeſertim cum eadem decreta authoritate trium pontificum Romanorum, Agathonis, Benedicti, Sergii, ad nihilum redacta planeque reſciſſa diu ante fuerunt. Huic concilio rex Alfridus interfuit; ac cum ſe propoſito fruſtratum videt, ſuoſque abs ſe ſubornatos Epiſcopos in contentione a Wilfrido ſuperatos videret, animo offenſo Birhtualdum intuitus in haec verba prorupit. Si haec ita ſint, pater, opprimam eum per violentiam. Quae regis verba, quanquam grave quoddam Wilfrido minitari viderentur, tamen ipſius inimicis merito diſplicuerunt. Quanquam enim eum Epiſcopatu ſuo pelli libenter voluerunt: tamen authoritatem pontificis Romani, qua omnis ipſorum gratia & exiſtimatio nitebatur, a rege directe violari noluerunt. Wilfridum ergo alia via adoriuntur. Exponunt ei quam noxiae & periculoſae eſſent diſcordiae in eccleſia Dei; novellam vero & jampridem poſitam eccleſiam aliis multis controverſiis agitari; quas quidem cum ad Epiſcopos ſpectaret componere, eos id commode facere non poſſe, ſi ipſi inter ſeſe digladiarentur: eum igitur orant & obteſtantur, ut ſponte vellet de jure ſuo & Epiſcopatu decedere. Praeterquam enim quod ea ratione regis animum vehementer jam in ipſum exacerbatum leniret, eccleſiam etiam Dei hac contentione turbatam pacaret: qua in re ſi illorum votis annueret, ipſis quidem gratum faceret, eccleſiae Dei perutile, & ad proprii nominis laudem glorioſum. Wilfridus hac oratione, quantumcunque artificioſa, non movetur: quin etiam objicit, ipſos de ſe non ita eſſe meritos, ut ad eorum nutum jure ſuo cedere

Ab An. Chr. DCXCII. — Ad An. Chr. DCCXXI.

dere teneatur. Ac quod ad ecclesiae utilitatem spectat, si illis assensum praeberet, majora eidem mala illaturum se inde verebatur: Nam cum ille Pascha Romanum per omnem Northumbriam propagasset, cum Antiphonatum instituisset, ordinem Benedicti promovisset, multaque alia in ecclesiam induxisset, ea omnia tanquam abolita rescissaque forent, si se ipse damnaret: cum plerumque res ipsae a personis authoritatem & accipiant & amittant. Quod autem ad se suamque laudem attinet, vituperio potius & dedecori id sibi futurum ait, si se jam senem & quadraginta annorum Episcopum dejici pateretur: Populo enim, ut suspiciosus est, non facile persuaderi posse, ipsum innocentem sponte potius cessisse, quam criminosum merito esse ejectum. Hoc colloquio nihil aliud effectum est, nisi quod Wilfridus, qui antea non gravate Episcopatu suo caruerat, nunc ad eundem recuperandum erigeretur; ita male commentum hoc adversariis cessit. Dimisso concilio Wilfridus Romam proficiscitur; rogat pontificem, ut causam suam cognoscere dignetur. Quid multa? Adversarii accersuntur, Romam veniunt, artificiose contra Wilfridum a Birhtualdo instructi illum graviter coram pontifice, multisque aliis Episcopis accusant. Atque illud inprimis, ut capitale scelus Wilfrido objiciunt, quod in superiore concilio dixisset, nolle se Theodori Archiepiscopi decretis morem gerere. Ille se ita generaliter loquutum negat; tantum iis, quae canonum decretis non repugnarent, lubens obsequium praestaret. Quantum vero canonum authoritati detrahat, insontem sine accusatore judicis sententiam subire, neminem latere putat. Qua in re cum Wilfridus singulari modestia causam suam ageret, omnium judicio probatus criminis illati invidiam pepulit: adversarii pudore suffusi & spe frustrati discedunt. Pontifex Anglorum regibus Ethelredo Merciorum, & Alfrido Northumbrorum rescribit: Audisse quidem se contentionem inter Wilfridum & reliquos Episcopos, &, quantum ipse conjectura assequi poterat, Wilfridum esse innocentem. Verum quia principales partes accusationum & injuriarum non aderant, consulere se, ut Birhtualdus synodum Episcoporum denuo Britanniae convocet; cui Bosam & Joannem interesse cogeret: & sic utraque parte audita litem componerent. Sin autem Bosa & Joannes adesse nollent, aut judicio non acquiescerent, omnes coram ipso Romae sub anathematis poena comparerent. Wilfridus domum rediens has Romani pontificis literas Ethelredo regi Merciorum, qui jam monachatum susceperat, tradidit: ille, qui seipsum potestate regia prius exuerat, a Kenredo tamen Ulfarii fratris filio, quem suo loco regem constituerat, obtinuit, ut pro tenore literarum Wilfridi causa ageretur. Birhtualdus etiam Archiepiscopus Cantuariensis Wilfrido antea infestissimus, comminationibus Romani pontificis perterrefactus, in causa succubuit. Alfridus vero Northumbrorum rex constanter in proposito perstitit, iniquum esse exclamans, virum bis ab omnibus Angliae Episcopis rejectum, ad mandatum Romani pontificis restitui. Accidit, ut paucis post diebus rex moreretur, cui Osredus filius succedit. Ab illo Berthfridus, quo rex familiarissime usus est, authoritate & gratia obtinuit, ut synodus in Northumbria congregaretur: ubi, pertinaciter renitentibus adversariis, Wilfridus favente rege superior evasit. Qui post aliquot annorum quietam in sede possessionem lecto decumbens testamentum condidit, & bona omnia in quatuor partes divisit. Unam eamque optimam Romanae ecclesiae, cujus authoritate omnibus semper injuriis

Verba ipsius. W. Malmsb.

 exemptus,

Ab An. Chr. DCXCII — Ad An. Chr. DCCXXXI.

exemptus, & honoribus reſtitutus fuit: alteram pauperibus: tertiam coenobiorum praepoſitis: quartam laboris ſui comitibus individuis, qui nondum terras, quibus ſe ſuſtentarent, acceperant, legavit. Anno quarto poſt Wilfridum reſtitutum Birhtualdus concilium Wigorniae convocat: Ejus conventus hanc fuiſſe cauſam referunt hiſtoriae. Egwinus, qui fuit abbas Eveſhamenſis, & Wigornienſis Epiſcopus, ſaepius factam ſibi eſſe apparitionem virginis Mariae ſuſpicatus eſt; & propterea divae Virgini honorem aliquem exhibere in animo habuit. Romam igitur iter capit, & Conſtantino pontifici exponit, quemadmodum illi ſaepe Maria in ſomniis viſa & colloquuta ſit; cujus rei gratia mirum in modum ab illo contendit, ut Wigorniae, ubi ſibi Dei genitrix apparuerat, coenobium & templum conſtruere liceret. Pontifex Egwino de viſione fidem habens, ipſius petitioni facile annuit; ipſumque domum cum literis dimittens, Birhtualdum admonet, ut quamprimum concilium non religioſorum modo, ſed etiam regni procerum, eo loci convocet, ubi Egwino diva Virgo apparuerat. Quid in hac ſynodo decretum ſit, memoriae non proditur; illud autem, cultum & adorationem imaginum permiſſam eſſe, nonnulli ſcribunt; quam vere, non ſtatuimus: ſane ſic eſſe credibile eſt, (Platina.) tum quod Conſtantinus pontifex, quo jubente haec ſynodus convocata (Ex Archivis.) eſt, hoc tempore in Italia, concilio ibi habito, decreverat, ut imagines (Jo. Capgrav.) ſanctorum in eccleſiarum parietibus depingerentur: tum etiam quod huic concilio Winifridus natione Anglus interfuit; qui poſtea, cum Moguntinenſis eſſet Epiſcopus, & Bonifacius dictus, non ſolum clericorum connubia prohibuit, ſed etiam conjugatos uxores repudiare coëgit. Hujus (Beda, lib. 5. cap. 24.) tempore anno Domini 728. apparuerunt duo cometae, alter ſolem praecedebat orientem, alter ſequebatur occidentem; ille diem, hic noctem comitabatur; mortalibus & noctium & dierum pericula & calamitatem portendentes. Menſe Januario duabus fere ſeptimanis viſae ſunt. Anno proximo moritur Egbertus ſacerdos, ipſo Paſchatis die; cujus feſti celebritatem Romano more Huenſes monachi ex illius inſtituto obſervabant. Columbanus etiam, qui Pictos ſeptentrionales ad fidem (Beda, lib. 3. cap. 4.) Chriſti converterat, de quo ſic ſcribit Beda. "Qualiſcunque fuerit ipſe, "nos, inquit, de illo certum tenemus, quod reliquit ſucceſſores magna "continentia regularique inſtitutione inſignes: In tempore quidem "ſummae feſtivitatis dubios circulos ſequentes, utpote quibus longe ul-"tra urbem poſitis nemo ſynodalia paſchalis obſervantiae decreta por-"rexerat; tantum ea quae in Propheticis, Evangelicis, & Apoſtolicis literis "diſcere poterant, pietatis & caſtitatis opera diligenter obſervantes. Per-"manſit autem hujuſmodi obſervantia paſchalis apud eos tempore non "pauco, uſque ad annum Dominicae incarnationis 716. per annos cen-"tum & quinquaginta." Haec Beda. Apud Britones etiam poſt Bedae mortem permanſit. Quo tempore praeſulatum adiit Birhtualdus, regnabant in Cantio Wihredus & Suihardus fratres, qui eccleſiam ſancti Martini in villa Dovernenſi aedificaverunt, monachoſque ibi viventes am- (Roff. Hiſtor.) plis poſſeſſionibus ditarunt. Anno 695. Helwaldus & Hebaldus preſbyteri a Britannia in regionem Friſonum praedicandi gratia venientes, martyrio ibidem coronabantur.

SUB hoc Birhtualdo Wintoniae & Shirboniae fuerunt duo Epiſcopatus, regnante apud occiduos Saxones Ina rege, qui primus conceſſit illud tributum,

Ab An. Chr. DCXCII. — Ad An. Chr. DCCXXXI.

butum, vulgo dictum **Peter Pence**, ſolvendum eccleſiae Romanae. Moritur Birhtualdus anno Domini 731. Idibus Januarii, ſepultuſque eſt in eccleſia Cantuariae. Sedit annos triginta & octo, menſes tres, dies quatuordecim. *Ex Archivis.*

Ab An. Chr. DCCXXXI. — Ad An. Chr. DCCXXXIV.

IX. TATƿINE.



ANNO eodem, quo Birhtualdus moriebatur, factus eſt Archiepiſcopus Cantuarienſis Tatƿine Mercius, alias Cadwinus vel Scadwinus, monachus ordinis ſancti Benedicti in abbatia Breodun; quanquam alii eum non fuiſſe monachum ſcribunt. Beda ſacerdotem illum fuiſſe monaſterii Breodun, in provincia Merciorum, conſtanter affirmat. Conſecratus eſt anno primo Gregorii tertii Pontificis Romani, in civitate ſua, a Daniele Wentano, Ingwaldo Londinenſi, Aldwino Lichefeldenſi, & Aldulfo Roffenſi Epiſcopis. Vir fuit religione inſignis, & in ſacris literis egregie inſtructus. Anno poſt conſecrationem ſecundo exorta eſt inter ſedem Cantuarienſem & Eboracenſem de primatu controverſia: Qua de cauſa ipſe Romam profectus eſt; ubi a Gregorio pontifice pallio donatus, primatus etiam confirmationem accepit; deinde in Angliam celeri curſu contendit. Non multo poſt duos Epiſcopos ordinavit. De hujus geſtis parum aut nihil memoria dignum reperimus. Ad hujus tempora hiſtoriam ſuam Beda perduxit, vir moderato ſermone ſuae gentis res geſtas conſcribens: Cui ſane ob id plurimum debet poſteritas, quod plurima ſcitu digniſſima literarum monumentis tradiderit; quorum memoria, ſi is non retuliſſet, oblivionis nube tegeretur. Tatƿine, ubi tres integros annos ſediſſet, diem clauſit extremum, anno 734. & Cantuariae honorifice tumulo conditus.

Ex Archivis. — Beda. — Simeon Dunelm. — Beda. — W. Malmſb. L. 1. de Pont.

Ab An. Chr. DCCXXXV. — Ad An. Chr. DCCXXXIX.

X. NOTHELMUS.



NOTHELMUS Londini natus, & ibidem Epiſcopus, inde ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem tranſlatus eſt, anno quinto praefati Gregorii tertii, & ab eodem Romae conſecratus; a quo etiam pallium anno ſequente accepit. Hunc, cum adhuc in urbe Londinenſi preſbyter eſſet, ſibi multum ad geſta Anglorum colligenda profuiſſe, Beda in eccleſiaſticae hiſtoriae prologo teſtatur. Plurima enim ex Romani pontificis ſcrutinio in Angliam advexerat, quae hiſtoriae illius inſerere commodiſſimum ratus eſt. Hic, ſi quid dignum memoria geſſit, id omne ſilentio involvitur. Accidit, ut poſt paucorum annorum quietam in ſede poſſeſſionem, gravi morbo correptus interiret; ſepultus in eccleſia Cantuariae jacet. Hic tertius erat ex Cantuarienſibus

Ex Archivis. — Beda. Roff. Hiſtor. — Tho. Spottus. Roff. Hiſtor. — Beda.

Ab An. Chr. DCCXXXV. — Ad An. Chr. DCCXXXIX.

tuariensibus Archiepiscopis presbyter testante Beda: praeter Wigardum, qui presbyter etiam in Archiepiscopum ante Theodorum ordinatus fuisset, si non prius Romae ex peste ingravescente periisset, quam consecrari poterat.

Ab An. Chr. DCCXL. — Ad An. Chr. DCCLVIII.

XI. CUTHBERTUS.



Ex Archivis.

UTHBERTUS, ex illustri Anglorum prosapia ortus, erat primo Herefordensis in Mercia Episcopus, inde Nothelmo mortuo ad Cantuariensem Archiepiscopatum translatus est, anno pontificatus Gregorii tertii nono, Dominicae vero incarnationis 740. Hortatu Bonifacii Moguntinensis Episcopi, cui Cuthbertus erat contemporaneus, & Ethelbaldi regis Merciorum auxilio synodum in Anglia convocavit, apud Clyff, juxta Roffam. Hujus synodi haec causa fuit. Praeter modum aetas haec genio indulgebat, omnique turpitudinis generi dedita fuit; neque solum per saeculares homines impuritas grassata, sed etiam clericalis ordo foedissime corruptus est. Reges legitimas nuptias deserentes, virginibus, iisque monialibus, sese turpiter immiscuerant; regumque exempla sequuti optimates, spretis propriis uxoribus, adulteras sibi, easque sanctimoniales, asciverunt. Sanctimoniales ipsae, quo se vendibiliores facerent, utque facilius ad amorem sui, reges, proceres, & alios quosque homines allicerent, sub cultu vario, lascivo, sumptuoso, &, ut authoris verbis utar, sub vestitus pompa pudicitiam suam prostituebant. Quin etiam monachi, animo quidem & intrinsecus obscuri, externo tamen corporis apparatu nitescere fulgereque voluerunt: hinc facilis conjectura est, ipsos iisdem vitiis, quibus sanctimoniales, misere conspurcatos fuisse. Externus enim corporis cultus affectum animi internum prodit & indicat. Episcopi etiam atque presbyteri, quorum erat haec tam in laicis quam clericis reprehendere, & poenam irrogare, ad omnium scelera conniverunt: ipsi suam vitam perdite degebant, rixas & arma inter se gerebant, lectioni Scripturarum non attendebant, concionandi munus rarissime obibant: Unde fiebat, ut vulgus hominum in tam crassa versaretur ignorantia, ut vix aut articulos fidei, aut orationem Dominicam idiomate suo dicere potuerint. Haec scelera & impium Dei contemptum, non multo post Cuthberti obitum, irruptio Danorum in Anglis punivit & vindicavit. Quibus vitiis, ut facilius occurreretur, haec synodus apud Clyff congregata est, anno Domini 747. Cui concilio interfuerunt Ethelbaldus Merciorum rex, cum omnibus regni sui proceribus: Cuthbertus Cantuariensis Archiepiscopus, Roffensis Episcopus, Totta, Hunita, ac Podda Merciorum Episcopi, Humfredus & Herewaldus occidentalium Saxonum praesules, Alwius Lindissae provinciae, & Siga australium Saxonum Episcopi, aliique complures doctrina & moribus probatissimi. Hujus concilii capita quaedam brevibus perstringere commodissimum putamus.

W. Malmsb. Roff. Histor.

Ex Archivis.

Ex literis Bonifacii Episcopi Mog. ad Angliae reges

W. Malmsb.

Ex Archivis. W. Malmsb.

PRIMUM

Ab An. Chr. DCCXL. — Ad An. Chr. DCCLVIII.

PRIMUM decreto ſancitum fuit, ne quis in ſacros ordines admitteretur, qui non integritate morum bene apud omnes audiret.

UT ſacrae ſcripturae lectioni per monaſteria aſſidue operam navarent.

UT Dominicam orationem & ſymbolum apoſtolicum Anglico idiomate diſcant & doceant.

UT modeſta voce ſacra in eccleſiis canant.

UT dies Dominicus ſummo cum honore teneatur.

UT regum & principum ſalutem publicis precibus Deo commendent, &c.

ALIA ſunt hujus ſynodi acta permulta, quae nos ſicco pede praeterire utiliſſimum duximus: Haec autem omnia Cuthbertus Archiepiſcopus Cantuarienſis poſt ſynodum diſſolutam per Rinebartum diaconum ſuum Bonifacio Moguntino Archipraeſuli mira celeritate tranſmiſit: quae ille grato accipiens animo, ſine mora ad Ethelbaldum Anglorum regem literas dedit, quorum exemplar hic ſubſcribemus.

Epiſtola Bonifacii ad Ethelbaldum Anglorum regem.

“ DOMINO chariſſimo, & in Chriſti amore, caeteris regibus Anglorum praeferendo, Ethelbaldo Bonifacius Archiepiſcopus, legatus Germanicus Romanae eccleſiae, perpetuam in Chriſto charitatis ſalutem. Confitemur coram Deo, quia, quando proſperitatem veſtram & fidem & bona opera audimus, laetamur. Quando autem adverſum vel in eventu bellorum, vel de periculo animarum, de vobis cognoſcimus, triſtamur. Audimus enim, quod eleemoſynis intentus furta & rapinas prohibes, pacem diligis, viduas & pauperes tueris: ob quae gratias Deo agimus. Quod vero legitimum matrimonium fugis, ſi praetextu caſtitatis faceres, eſſet laudabile: ſed quia in luxuria, & adulterio, etiam cum ſanctimonialibus, volutaris, eſt vituperabile & damnabile. Nam & famam gloriae veſtrae coram Deo & hominibus confundit: & inter idololatras conſtituit, quod templum Dei violaſti. Quapropter, fili chariſſime, poenitentiam agas, & memorare, quam turpe ſit, ut Tu, qui multis gentibus, dono Dei, dominaris, ad injuriam ejus ſis libidinis ſervus. Audivimus praeterea, quod optimates pene omnes gentis Merciorum exemplo tuo legitimas uxores deſerant, & adulteras frequentent, & ſanctimoniales conſtuprent. Quod quam alienum ſit ab honeſtate, doceat vos aliarum gentium inſtitutio. Nam in antiqua Saxonia, ubi nulla eſt Chriſti cognitio, ſi virgo in paterna domo maritata, ſub conjuge fuerit adulterata, manu propria ſtrangulatam cremant, & ſupra foſſam ſepultae corruptorem ſuſpendunt: aut cingulo tenus veſtibus abſciſſis flagellant eam caſtae matronae, & cultellis pungunt, & de villa in villam inter ſe occurrunt novae flagellatrices, donec interimant. Inſuper & Winaedi, quod eſt foediſſimum genus hominum, hunc habent morem; ut mulier, viro mortuo, ſe in rogum cremati viri pariter praecipitet. Si ergo gentiles Deum ignorantes tantum zelum caſtitatis habent; quid tibi convenit, fili cariſſime, qui chriſtianus & rex es? Parce ergo animae tuae, parce multitudini populi tui tuo pereuntis exemplo: de quorum animabus redditurus es rationem. Attende & illud: quod ſi gens Anglorum,

Ab An. Chr. DCCXL. — Ad An. Chr. DCCLVIII.

“ ſicut in Gallia & in Italia, & ab ipſis paganis fieri nobis relatum eſt, ſpretis legitimis matrimoniis, per adulteria defluat; naſcitura ex tali commixtione ſit gens ignava, & Dei contemptrix; quae perditis moribus patriam peſſundet. Sicut Burgundialibus, & Provincialibus, & Hiſpanis contigit: quos Saraceni multis annis propter peccata praeterita infeſtarunt. Praeterea nunciatum eſt nobis, quod multa privilegia eccleſiarum & monaſteriorum auferens, etiam ad hoc ingens facinus duces tuos provoces. Sed animo revolvas quaeſo, quam gravem vindictam Deus in priores reges exercuit hujus culpae conſcios, quam in te arguimus. Nam Celredum praedeceſſorem tuum, ſtupratorem ſanctimonialium, & eccleſiaſticarum immunitatum violatorem, ſplendide cum ſuis comitibus epulantem ſpiritus malignus arripuit, & ſine confeſſione & viatico, cum diabolo ſermocinanti, & legem Dei deteſtanti, animam extorſit. Oſredum quoque regem Deirorum & Berniciorum ejuſdem ſceleris reum, ita effraenem egit, ut regnum, in juvenili aetate, conſimili morte amitteret. Carolus quoque princeps Francorum, monaſteriorum multorum everſor, & eccleſiaſticorum bonorum in uſus proprios commutator, poſt aſſiduos corporis dolores horrenda morte conſumptus eſt. Quapropter, fili chariſſime, paterne & obnixe deprecamur, ut non deſpicias conſilium patrum tuorum, qui Dei amore moti celſitudinem tuam melius inſtituere ſtudent. Nihil enim bono regi ſalubrius, quam, ſi talia commiſſa, cum arguantur, libenter emendet. Salomon enim dicit: Qui diligit diſciplinam, diligit ſapientiam. Idem, fili chariſſime, oſtendentes conſilium juſtum, obteſtamur & obſecramus per Patrem omnipotentem Deum, & Filium ejus Jeſum Chriſtum, & Spiritum Sanctum, ut recorderis, quam fugitiva ſit vita praeſens, & quam brevis & quam momentanea delectatio ſpurcae carnis; & quam ignominioſum ſit, ut brevis vitae homo mala exempla in perpetuum poſteris relinquat. Incipe ergo melioribus moribus vitam componere, & praeteritos errores juventutis corrigere: ut hic coram hominibus laudem habeas, & in futura vita, aeterna gloria gaudeas. Valere celſitudinem tuam & bonis operibus proficere optamus.”

EJUS etiam argumenti literas Bonifacius Cuthberto Archiepiſcopo miſit; in quibus praecipue hortatur, ut clericos & ſanctimoniales de ſplendore & pompa veſtium acriter increpet: quippe cum tanta libidinum ingluvie, tam foeda vitiorum labe conſpurcari Chriſtum profitentes minime deceat; etſi Romana faex, chriſtianae religionis unica peſtis, quae ſe aliis morum magiſtram vivendique ſolam praeceptricem fallaciſſime venditat, ipſos paganos crudelitate, flagitiis, & perditis facinoribus, permultis gradibus ſuperet. Idem etiam Zachariam papam graviter adhortatur, ut quoſdam paganicos abuſus Romae graſſantes eradicet; praecipue vero barbaram illam in plateis ducendi choros conſuetudinem, & ſacrilega quaedam, & obſcoena canendi morem quotidianum. Addit praeterea, nunciatum illi eſſe a quibuſdam Romanas mulieres paganorum eſſe ſimias; quod phylacteria & ligaturas in brachiis & cruribus ligatas habeant, & publice vaenum ſe proſtituant. Quae omnia propagandae veritatis, non incremento, ſed impedimento nimium ſunt. Nam cum homines alioqui rudes & barbari haec ibi vitia graſſari videant, peccandi licentiam libere

W. Malmſb.

Bonifac. ad Zachar. papam.

Ab An. Chr. DCCXL. — Ad An. Chri. DCCLVIII.

bere datam ſibi exiſtimant. Alia ſunt, quae Romano pontifici Bonifacius inculcat; verum quia nihil ad nos, illis non immorabimur. Ad Cuthbertum noſtrum, unde defleximus, revertatur oratio. Ille eccleſiam ſuam cathedralem Chriſti honore aliquo inſignire cupiens, cum nulla honorabili ſepultura adornatam videret; indignum ratus eſt defunctorum Archiepiſcoporum corporibus ſuam eccleſiam ſpoliari: & ad monaſterium Petri & Pauli ſanctique Auguſtini ea ſemper transferri. Iniit ergo ſecum rationem, quonam modo hanc conſuetudinem irritam faceret. Itaque ad regem Eadbertum in Cantio tum regnantem acceſſit, ab eo precibus contendit, ut praedictum ſepulturae morem mutaret, & mutatum ſuo regio edicto confirmaret: Quod partim precario, partim etiam pretio interveniente, tandem obtinuit. Anno Domini 758. Cuthbertus morbo correptus gravi mortem animadvertit ſibi impendere. Itaque in eccleſia ſua ſeorſim decumbens totam familiam ſuam, & conventum monachorum Chriſti, qui ſuum de ſepultura mandatum facile exequi erant paratiſſimi, ad ſe vocatum jurejurando aſtringit; ne qua infirmitatis aut mortis ſuae fama volitaret, unde aliquod luctus indicium publicum fieret: neve exequiae celebrarentur, donec corpus per aliquot dies humo conditum fuiſſet. Tertio poſt ſepulturam die campanis pulſatur, certus rumor mortis divulgatur. Quo audito, Aldhumus ſancti Auguſtini abbas cum ſociis acceſſit, cadaver Archiepiſcopi juxta ritum priſtinum ſecum ablaturus. At ubi jam ſepultum reperit, & antiquam etiam ſepulturae conſuetudinem regia authoritate ſublatam didicit, fruſtratus voto domum cum ſuis revertitur. Quam iniquo animo hoc illis jam cognitum monachi Auguſtinenſes tulerint, ex hiſtoria quorundam ibi monachorum plane compertum habemus. Cuthbertum enim ob cauſam praedictam hominem doli plenum, vulpina calliditate, foetum denique ſerpentinum interficientem matrem quidam appellant. Alii referunt Cuthbertum non in ipſa majore eccleſia fuiſſe tumulo conditum, ſed in eccleſia ei pene contigua, in honorem Johannis Baptiſtae ab ipſo fabricata: quod idcirco extruxit, ut & baptiſteria, & examinationes judiciorum pro diverſis cauſis ad correctionem ſcelerum, illic celebrarentur, & Archiepiſcoporum corpora in ea ſepelirentur. Hanc vero Johannis eccleſiam, multis annorum tranſactis ſaeculis, cum eccleſia Chriſti & officinis, flamma devoravit. Eccleſiam Chriſti poſtea Lanfrancus Archiepiſcopus reparavit. Anno Domini 741. monaſterium in Eboraco civitate ſuccenſum eſt. Anno 745. viſi ſunt in aere ignei ictus ea aetate rari nec ante intellecti; qui pene per totam Angliam viſi ſunt Kal. Januarii. Anno Domini 747. ſtellarum de coelo caſus ita omnes terrore affecit, ut conſummationem ſaeculi inſtare putarent.

Ex Archivis.
Tho. Spottus.
Roff. Hiſtor.
W. Malmſb. De Pont. l. 1.
Tho. Spottus.
Jo. Capgrav.
Simeon Dunelm.
Roff. Hiſtor.



XII. BREG-

Ab An. Chr. DCCLIX.

XII. Bregwinus.

Ad An. Chr. DCCLXIII.

Ex Archivis. Jo. Capgrav.



Bregwinus ex antiqua Saxonia claris parentibus oriundus, postquam e pueritia excesserat, sacris literis operam dedit; cujus amore raptus in Angliam, nativo relicto solo, se contulit: ubi praeter modestiam & morum integritatem, tantam apud omnes gratiam inivit, ut in numerum reliquorum incolarum & civium ascisceretur. In sacris vero literis tantos progressus fecit, ut, mortuo tunc Cuthberto Cantuariensi Archiepiscopo, solus dignus haberetur, qui in Archiepiscopatu etiam invitus succederet. Bonis operibus ita claruit,

Eadmerus in Opusculis.

ut omnes sui temporis multis gradibus antecelleret. Is de praefata mutatione sepulturae Archiepiscoporum Cantuariensium gesta praedecessoris sui pro rato habens, iisdem quoque vestigiis insistit; ad cujus confirmationem tam regia, quam apostolica authoritas, ex sua instigatione, in-

Tho. Spottus. Simeon Dunelm. Roff. Histor. Jo. Capgrav. Eadmerus.

tercessit: Cumque tres annos ecclesiam suam probe administrasset, spiritum exhalavit. Non tamen illius obitus publice cognitus erat, priusquam in ecclesia Joannis juxta praecursorem suum sepultus fuerat. Tum demum mortis ejus fit divulgatio, campanis pulsatur, exequaiae de more peraguntur. Quod ubi conventui sancti Augustini innotuit, confestim Jeamberhtus ibidem abbas, ecclesiam sanctae Trinitatis sive Christi, armato milite ingreditur; ut corpus defuncti violenter abduceret, si qua in re illius voto morem gerere denegarent. Ast ubi jam eum sepultum, seque dolo, ut prius, circumventum vidisset, spe conatuque frustratus, dolore & ira percitus, domum cum sociis revertitur: appellationes pro

Tho. Spottus. Roff. Histor. Simeon Dunelm.

statu & libertate sui monasterii, & injuriis illatis, ad summum pontificem varias interposuit. Circa idem tempus tanta de coelo nix decidit, quae gelu & frigore tantam mox glaciem contraxerat, ut, ab ipso hyemis initio ad medium usque veris, terram cooperuit. Hinc arbores oleraque magna ex parte aruerunt, & animalium major pars fame interierit. Tunc etiam urbes multae, monasteria, villaeque per diversa loca constitutae, repentino ignis incendio perierunt: videlicet, Stretburg, Wenta civitas, Londinum, Eboracum, Donacestria, aliaque permulta loca. Fulmen etiam horribile tunc conspicatum ferunt, quod plurimis terrorem incussit.

Tho. Spottus.

Quantum vero timoris, fulminis horror incusserit, quod tunc undecunque pervasit, aliis discutiendum relinquo.



XIII.

Ab An. Chr. DCCLXIV. — Ad An. Chr. DCCXCIII.

JEAMBERTUS *ſive* JEANBERꞆh ⁊ GEANBERꞆR.

MONACHI eccleſiae Chriſti paſtoris ſolatio privati, ancipiti cura diſtracti fluctuabant, quem loco defuncti praeficerent: Jeamberti, praedicti abbatis ſancti Auguſtini, ſummam in repetendo ac proſequendo jus ſuum lite atque judicio conſtantiam, & tam in rebus eccleſiaſticis, quam ſaecularibus, ſingularem prudentiam animadvertunt: timent tamen ne is, appellationes ad papam factas proſequendo, ſepulturam Archiepiſcoporum, pretio vel prece, ad ſolitum locum reduceret. Quo igitur huic malo venienti ocyus occurrerent, Jeambertum abbatem in Archiepiſcopum eligunt; futurum ſperantes, ut fratres Auguſtiniani auxilio tanti patris orbati, etſi non ob inertiam, amore tamen & reverentia, qua Jeambertum proſequebantur, ducti ab inceptis appellationibus deſiſterent. Quae ſpes, ut exitus rei declaravit, ipſos non fefellit. Jeambertus itaque, ab abbate monaſterii divi Auguſtini, Archiepiſcopus Cantuarienſis factus, a Paulo papa ejus nominis primo, pallio donatus eſt. Hunc Offa rex Merciorum, quod graves cum Cantuarienſibus inimicitias gereret, primatu, omnibuſque praediis, quae in ſua ditione habuit, ſpoliare cogitans: regnumque ſuum Merciorum Archiepiſcopatus honore inſignire cupiens, ab Adriano papa legatis miſſis petiit, ut Eadulfum Lichefeldenſem Epiſcopum pallio donaret, omnibuſque regni ſui Epiſcopis praeficeret. Quam rem facile obtinuit, papa veriſimilibus apoſtolicis argumentis, id eſt, pecuniis, perſuaſo. Romani enim pontifices varia, ſupraque vires negotia ſuſcipientes, facillime vel in multis illicitis, ad aſſenſum trahuntur. Eadulfo igitur Lichefeldenſi Epiſcopo archiepiſcopalem celſitudinem adminiſtranti ſubjiciebantur hi Merciorum Epiſcopi: Denebertus Wigornienſis, Werebertus Legeceſtrenſis, Eadulphus Sidnaceſtrenſis, Wlmardus Herefordenſis; necnon & orientalium Anglorum Epiſcopi, ſcilicet, Harardus Helmhamenſis & Tidferth Domucenſis. Sedi vero Cantuarienſi, Londinenſis, Wintonienſis, Roffenſis, Sciréburnenſis, antiſtites, dum Jeambertus ſedit, tantum ſuperfuerunt; etſi neque ſumptui neque labori pepercerit, ut ſedem ſuam priſtinae dignitati reſtitueret. Quidam vero referunt, cum legati ab Adriano papa in Angliam miſſi concilium apud Calchythe in provincia Northanhumbrorum tenuiſſent anno 787. ibi Jeambertum Archiepiſcopatus praefatam partem Epiſcopo Lichefeldenſi remiſiſſe. Sed Jeambertus, poſtquam annos plurimos praeſulatus dignitatem magna cum conſtantia, nec minore labore, tenuiſſet, vitae exitum jam ſibi inſtare praeſagiens, cupienſque anteceſſorum ſuorum ſtatuta de ſepeliendis Archiepiſcopis lata in nihilum redigere, & ſepulturam ad antiquum reducere locum, juſſit; ut ſe mortuo corpus ad eccleſiam Apoſtolorum Petri & Pauli, ſanctique Auguſtini ſepeliendum deferretur. Cujus praecepto & voluntati facile paruerunt. Defunctus enim in capitulo ſancti Auguſtini honorifice traditur ſepulturae. Circa hoc tempus Badulf, ſive Beadulf, Epiſcopus

Marginal notes: Marianus. — Ex Archivis. — Flor. Hiſtoriarum. W. Malmſb. — Ex Archivis. — W. Malmſb. lib. 2. de Reg. Geſtis. Roff. Hiſtor. Henr. Venantodunenſis. Eadmerus. Roff. Hiſtor. — Ex Archivis. Simeon Dunelm. W. Malmſb.

Candidae

Ab An. Chr. DCCLXIV. — Ad An. Chr. DCCXCIII.

Candidae Caſae, olim vocatae Viternae, ultimus Epiſcoporum ejus loci conſtitutus eſt. Cito enim defecit Epiſcopatus, quod in extremis Anglorum finibus ſitus Scotorum & Pictorum depopulationi nimium obnoxius fuerit. Illic Ninianus terrae mandabatur, natione Britannus, qui primus in illis partibus Chriſtum evangelizavit. Sedente Jeamberto Cateracte civitas, injuria Eornredi Merciorum tyranni, cremata & ſolo aequata fuit; quo etiam anno ipſe juſta Dei vindicta incendio miſere periit. Tunc etiam ſtellas de coelo cadentes mirum in modum quivis conſpicabantur.

(Margin: Allucus. Roff. Hiſtor. Simeon Dunelm.)

NON multo poſt in coelo rubea ſigna & viſu horrida poſt occaſum ſolis apparuerunt: Serpentes viſi ſunt in Suthſexia, ac ſi e terra ſcaturirent. Sanguinem etiam pluebat. Haec prodigia, ſigna erant & prognoſtica irae Dei, malorumque in Britannia futurorum. Brevi enim poſt per Danorum latrocinia, urbium depopulatio & hominum magna ſtrages ſubſequuta permultos annos duravit. Nec mirum; nam & metum, & verum Dei cultum abjecerant, pietatem omnem exuerant, & vitiorum ſordibus ita occalluerant, ut ſanum conſilium nihil apud eos valeret.

(Margin: Henr. Venant. Ranulph. Ceſt. Roff. Hiſtor. Simeon Dunelm.)

Ab An. Chr. DCCXCIII. — Ad An. Chr. DCCCVI.

XIV. ATHELARDUS.



ATHELARDUS ſive Edhelardus, primo abbas Malduni, deinde Wintonienſis Epiſcopus, poſtremo ob virtutem, ſapientiam, & favorem procerum Archiepiſcopus Cantuarienſis fuit, anno imperii Offae regis Merciorum triceſimo quinto, Adriani papae viceſimo primo: Ac tertio ante praeſulatum Leonis quarti, qui papa in epiſtola quadam ſua ad Kenulfum regem Merciorum teſtimonium Athelardo tribuit ſanctiſſimi, clariſſimi, & peritiſſimi praeſulis, & bonis moribus ornati. Offa autem Merciorum rege mortuo, nec non filio ejus Egfrido egregio juvene, qui cum patre regnans una cum patre animam efflavit, Kenulfus Cuthberti filius diademate regio coronatur. Ad hunc Athelardus cum Eanbaldo Eboracenſi Archiepiſcopo acceſſit, ut cum eo de amiſſa Cantuarienſis eccleſiae dignitate ageret. Kenulfus igitur rex ab Archiepiſcopis certior factus, quantum nefas diminuendo Cantuarienſem provinciam anteceſſor ejus Offa commiſiſſet, priſtinam illi dignitatem reſtituit. Miſſis igitur ad Leonem papam Adriani ſucceſſorem, ſua, & omnium Anglorum pontificum literis, ipſo Archiepiſcopo Athelardo legationem bene & fideliter fungente, quod petiit, impetravit: unde Alcuinus, Caroli Magni praeceptor, his verbis Athelardo gratulatur. "Audita proſperitate itineris veſtri, & reverſionis in patriam: & quomodo ab apoſtolico ſuſcepti fuiſtis, toto cordis affectu gratias egi Domino Deo; qui magno clementiae dono, proſpero itinere, viam veſtram dirigens, dedit vobis gratiam in conſpectu apoſtolici, votique compotem redire in patriam conceſſit, & primi doctoris noſtri ſacratiſſimam ſedem ad priſtinam dignitatem per te iterum reducere dignatus eſt. Quod etiam Eanbaldus Eboracenſis Archiepiſcopus mutuis pro-

(Margin: W. Malmſb. Alcuinus.)

"bitatis

Ad An. Chr. DCCXCIII.

Ad An. Chr. DCCCVI.

“bitatis officiis adjutor Athelardo Cantuarienſi Archiepiſcopo fuit; quo haec invaſio, quam Offa rex Merciorum in Cantuarienſem eccleſiam fecerat, ad nihilum redigeretur.” Idem etiam Alcuinus in alia epiſtola ad eundem Athelardum, ſic ſcribit: “Audiens ſalutem & proſperitatem veſtram, & conventum cum Eboracenſi Archiepiſcopo filio meo Eanbaldo, ſatis mihi placuit: ſperanti ex veſtrae colloquio ſanctitatis, unitatem ſanctae eccleſiae iterum renovari; quae partim diſciſſa eſt, nulla ratione habita, ſed quadam poteſtatis cupiditate, &c.” Athelardus, poſtquam ſedis ſuae priſtinam dignitatem recuperaviſſet, literas etiam a papa detulit ad Kenulſum regem Merciorum. W. Malmſb. Quas vero ad papam prius literas dederit, non erit alienum a noſtro inſtituto hic inſerere.

Epiſtola Kenulfi Merciorum regis ad Leonem papam.

“DOMINO beatiſſimo & vere amantiſſimo Leoni, ſanctae & apoſtolicae ſedis Romanae pontifici, Kenulfus gratia Dei rex Merciorum, cum Epiſcopis, ducibus, & omnibus ſub noſtra ditione, dignitatis gradu ſinceriſſimae dilectionis in Chriſto ſalutem. Gratias omnipotenti Deo ſemper agimus, qui eccleſiam ſuo pretioſo ſanguine acquiſitam inter diverſas mundi hujus procellas novis ſemper ducibus, prioribus ad vitam ſumptis, aſſueſcit ad portum ſalutis attrahere; eamque nova luce infundere, quatenus nullo ſit tenebrarum errore fuſcata, ſed viam veritatis inoffenſo pede gradiatur: unde merito omnis per orbem exultat eccleſia. Quia cum omnium verus remunerator bonorum, glorioſiſſimum gregis ſui paſtorem, Adrianum perpetuo remunerandum, ſuper aethera duxiſſet: ſuis tamen ovibus pia erexit providentia paſtorem; qui ſcit ovile Dominicum ad caulas vitae, non inferius agitare. Nos quoque merito, quos extremitas orbis tenet, eodem modo prae caeteris gloriamur; quia illius ſalus & illius proſperitas eſt nobis perennis exultatio: quia unde tibi apoſtolica dignitas, inde nobis veritas fidei innotuit. Quapropter opportunum arbitror tuis ſanctiſſimis juſſis aurem obedientiae noſtrae humiliter inclinare, & quae tuae pietati rite nobis ſequenda videantur, omni conatu implenda: Quae vero rationi contraria deprehenſa fuerint, citius declinanda, ac interim a nobis omnibus modis reſecanda. Sed modo ego Kenulfus Dei gratia rex excellentiam tuam humilis exoro, ut te ſine offenſione animi noſtri de profectu noſtro, ut optamus, liceat alloqui; quatenus me in gremium pietatis tuae tranquilla pace percipias; & quem meritorum facultas nulla erigit, larga benedictionis tuae ubertas ad plebem ſuam regendam locupletet: ut una mecum gentem, quam veſtra apoſtolica authoritas fidei rudimentis imbuere ſtuduit, per interceſſionem tuam, contra impetus exterorum Omnipotens erigat, & per te, regnum, quod ipſe Deus dedit nobis, dilatare dignetur. Hanc benedictionem omnes, qui ante me ſceptro praefuerunt Merciorum, meruerunt ab anteceſſoribus tuis adipiſci: hanc ipſe humilis peto, & a vobis, o ſanctiſſime, cupio impetrare; quatenus imprimis adoptionis ſorte me tibi filium ſuſcipias, ſicuti te in patris perſona diligo, & totis obedientiae viribus ſemper amplector. Decet enim inter tantas perſonas

“ ſonas fides ſancta ſervari, & inviolata charitas cuſtodiri. Quia paterna pietas, filiorum felicitas in Deo eſſe credenda eſt, ſecundum illud Ezechiae: Pater filiis notam faciet veritatem tuam, Domine. In quibus verbis te, amande genitor, imploro, ut filio tuo, tametſi indigno, veritatem Domini tuis verbis ſacroſanctis notam facere non deneges: ut per tuam ſanam eruditionem, Deo adjuvante, ad melioris vitae propoſitum merear pervenire. Quin etiam, dulciſſime, cum omnibus Epiſcopis noſtris, & cujuſcunque dignitatis apud nos perſona, deprecor; uti nobis de multimodis inquiſitionibus, ſuper quibus maximam ſubtilitatem veſtram dignum duximus perquirere, benigne reſpondeas: ne ſanctorum traditio patrum, & ab illis tradita nobis regula quaſi incognita, quovis modo vitietur in nobis: Sed ſermo tuus directus nobis in charitate & manſuetudine veniat, ut per Dei miſericordiam profuturum in nobis percipiat fructum. Primum namque eſt, quod pontifices noſtri, ac peritiſſimi quique in nobis dicunt; quod contra canones & apoſtolica ſtatuta, quae nobis a patre beatiſſimo Gregorio dirigente ſtatuta ſunt, ſicut vos ſcitis, authoritas Dorobernenſis Metropolitani in duas ſcinditur parochias: cujus, eodem patre mandante, ditioni debent ſubjacere Epiſcopi duodecim. Sicut per eccleſias noſtras legitur in epiſtola, quam fratri, & coepiſcopo Auguſtino direxit, de duobus metropolitanis Epiſcopis, Londoniae videlicet & Eboraci; quam etiam apud vos haberi non dubitamus. Sed ipſe primum pontificalis apex, qui tunc Londoniae ſub ornamento & honore pallii fuerat conſcriptus, pro eo Doroberniae oblatus eſt atque conceſſus. Nam quia beatae memoriae Auguſtinus, qui verbum Dei, imperante Gregorio, Anglorum genti miniſtrabat, & glorioſiſſime eccleſiis praefuit Saxoniae, in eadem civitate diem obiit, & corpus illius in baſilica beati Petri Apoſtolorum principis, quam ſucceſſor ejus Laurentius ſacravit, conditum fuiſſet: viſum eſt cunctis gentis noſtrae ſapientibus, quatenus illi civitati metropolitanus honor haberetur, ubi corpus ejus tumulo conditum eſt, qui his partibus fidei veritatem inſeruit. Cujus itaque, ſicut vos ſcitis, dignitatis honorem, primum rex Offa propter inimicitiam cum venerabili Jeamberto, & gente Cantuariorum acceptam, avertere, & in duas parochias diſſipare nixus: & pius coepiſcopus & anteceſſor veſter Adrianus, rogatu praedicti regis facere coepit, quod prius nemo praeſumpſit, & Merciorum praeſulem pallio extulit. Neutrum tamen ex his coarguimus, in quibus Chriſtus, ut credimus, aeterna victoria triumphat. Sed tamen excellentiam veſtram humiles exoramus, cui a Deo merito ſapientiae clavis collata eſt, ut ſuper hac cauſa, cum ſapientibus veſtris quaeratis: & quicquid vobis videatur, nobis poſtea ſervandum reſcribere dignemini: ne tunica Chriſti inconſutilis alicujus inter nos diſſenſionis ſchiſma patiatur. Sed per veſtram ſanam doctrinam, ut deſideramus, ad verae pacis unitatem dirigatur. Magna enim humilitate ſimul & dilectione haec tibi ſcripſimus, papa beatiſſime, clementiam tuam profuſius precantes, quatenus ad ea, quae neceſſario vobis a nobis explicata ſunt, benigne & juſte reſpondeas. Sed & illam epiſtolam, quam Athelardus Archiepiſcopus coram cunctis provincialibus epiſcopis noſtris multiplicius de ſuis & totius Britanniae cauſis & neceſſitatibus tibi ſcripſit, pio amore perſcrutari digneris: & quicquid de rebus, quae in ea ſcriptae

“ ſunt,

Ab An. Chr. DCCXCIII. — Ad An. Chr. DCCCVI.

“ ſunt, fidei normula poſcat, pagina nobis veritatis patefacere meminè-
“ ris. Praeterito anno legationem meam etiam & Epiſcoporum per
“ Wadam abbatem miſimus. At ille accipiens illam legationem, ſeg-
“ niter, imo inſipienter deduxit. Sed modo tibi modicam amoris gratiam
“ per Brine preſbyterum & Fildas & Ceolbritht miniſtros meos, pater
“ amande, mitto, quod eſt, centum & viginti manculas; cum literis pre-
“ cans te, ut benigne ſuſcipias, & benedictionem tuam nobis dare dig-
“ neris. Omnipotens Deus te longaevo tempore ad laudem ſuae eccleſiae
“ cuſtodiat incolumem.

Reſponſio Leonis papae ad literas Kenulfi regis.

“ DOMINO excellentiſſimo filio Kenulfo regi Merciorum, provin-
“ ciae Saxoniae, Leo papa. Veniens ad ſacratiſſima limina
“ Apoſtolorum Petri & Pauli, tam orationis vota fideliter ſolvens, quam
“ noſtrae apoſtolicae ſedi cauſam ſui ſacerdotii ſuggerens, reverendiſſi-
“ mus & ſanctiſſimus frater Athelardus, Archiepiſcopus Dorobernenſis
“ eccleſiae, obtulit nobis veſtrae regalis excellentiae ſyllabas: quibus in
“ duabus epiſtolis a vobis directis, plenis fidei rectae, magnam humili-
“ tatem reperientes, omnipotenti Deo gratias referimus; qui veſtram pru-
“ dentiſſimam excellentiam in nobis ordinavit atque decoravit erga bea-
“ tum Petrum Apoſtolorum principem, & nobiſcum habere dilectionem,
“ & in omnibus apoſtolicis humiliter conſentire cenſuris. Porro in una
“ ex illis epiſtolis reperimus, qualiter gratiam noſtrae apoſtolicae functi-
“ onis, ſi juxta fuiſſetis, animam veſtram pro nobis benigne poſuiſſetis.
“ Imo & noſtrae proſperitati multum in Domino congaudeatis; & quan-
“ do noſtrae dulciſſimae admonitionis literae ad veſtrae unanimitatis au-
“ res perveniunt, cum omni ſuavitate cordis & gaudio ſpirituali, quaſi
“ filii paternum munus ſuſcipere fatemini. Fatebantur vero & hoc, quod
“ aliquantulam ex veſtra facultate benedictionem nobis offerri demandatis;
“ id eſt, centum & viginti manculas; quas cum magno amore pro ani-
“ mae veſtrae ſalute ſuſcepimus. Et praedictus Archiepiſcopus cum ſo-
“ ciis honorifice ac benigne ſuſceptus eſt, & adjuvari eum in neceſſitati-
“ bus ſuis libenter fecimus. Interea credentes veſtrae prudentiae & ex-
“ cellentiae, ubi ferebatur in ipſis tuis regalibus apicibus, quod noſtris
“ apoſtolicis ſanctionibus nullus Chriſtianus contraire praeſumit: ideo
“ totis nixibus noſtris ea, quae tuo regno expediunt, committere atque
“ praedicare conamur: ut ea, quae vobis praefatus frater noſter Athe-
“ lardus Archiepiſcopus, ſeu tota ſynodus evangelicae atque apoſtolicae
“ doctrinae, ſanctorumque patrum, necnon praedeceſſorum noſtrorum
“ ſanctorum pontificum canonica cenſura praedicante, veſtrae regali ex-
“ cellentiae, ſeu cunctis principibus gentis veſtrae & univerſo populo Dei
“ ediſſerit, nequaquam in orthodoxa eorum doctrina quippiam reſiſtere
“ debeatis, Domino & redemptore noſtro in Evangelio dicente: “ Qui
“ vos recipit, me recipit, &, qui recipit prophetam in nomine prophe-
“ tae, mercedem prophetae accipiet.” Quanto magis pro ipſa ſpe de
“ dicto Archiepiſcopo, quem nobis valde nimiſque laudaſtis, ſicuti & eſt,
“ videlicet, clariſſimus & peritiſſimus? Et quia illum ſcitis prudentem,
“ bonis ornatum moribus, Deoque & hominibus dignum, ecce, fili dul-

“ ciſſime, & amantiſſime atque praeſtantiſſime, rex bone, in his tuis aſſertionibus collaudamus Deum omnipotentem, qui talem vobis demonſtravit Antiſtitem. Qui ſicut verus paſtor ad ſtudium & doctrinam ſanctarum ſcripturarum, & dignam poenitentiam valet inducere eos, qui ſub ditione ſacerdotali ejus exiſtunt: & eruere animas eorum ex inferno inferiori, & ab igne inextinguibili, deducens eos in portum ſalutis, & offerre pro illis hoſtiam dignam & immaculatam in conſpectu divinae Majeſtatis omnipotenti Deo. Et quia multum nobis praenominatus Archiepiſcopus, in omni ſanctitate ſua, & vitae converſatione ultro citroque placuit valde; authoritate beati Petri Apoſtolorum principis, cujus, vel immeriti, vices gerimus, illi talem praebuimus praeſulatum: ut ſi quiſpiam ex ſubjectis ſuis, tam regibus, & principibus, quam univerſo populo tranſgreſſus fuerit Dominica mandata, excommunicet eum, uſque poeniteat: & ſi impoenitens fuerit, ſit vobis ſicut ethnicus & publicanus. De Athelardo vero jam facto Archiepiſcopo Dorobernenſis eccleſiae, ſicut a nobis popoſcit veſtrorum praeſulum excellentia, ut ei juſtitiam faceremus, de ipſis dioeceſibus ſuis, tam Epiſcoporum, quam monaſteriorum, quibus illicite, ut vos cognoſcitis, & ſpoliatus eſt, & a venerabili ſede ejus poſſeſſiones, quas dudum tenuit, ablatae ſunt: Nos per omnia enucleatius trutinantes in ſacro ſcrinio noſtro reperimus, ſanctum Gregorium praedeceſſorem noſtrum, in integro ipſam parochiam numero duodecim beato Auguſtino Archiepiſcopo tradidiſſe, & confirmaſſe Epiſcopos conſecrandi: unde & nos veritate ipſa reperta ordinationem, ſive confirmationem noſtra apoſtolica authoritate illi in integro, ſicut antiquitus fuerunt, conſtituentes, reddidimus, & privilegium confirmationis ſecundum ſacrorum canonum cenſuram eccleſiae ſuae obſervandum tradidimus.

W. Malmſb. Ex Archivis.

Hac tam ſolerti diligentia Athelardi, qua dignitates & praedia ſedis ſuae metropoliticae amiſſa recuperavit, nomen ſuum excelſo ſublimique in loco, atque in illuſtri quadam ſpecula conſtitutum eſt: quod nulla oblivionis nube deleri, nedum tegi potuit. Nam praeterquam, quod Cantium ob ſumma in hanc ſedem merita aeternas huic laudes deferre neceſſario cogitur: tota etiam Anglia ſedis illegitimae jugo oppreſſa, & ab hoc ad priſtinas libertates vindicata, eodem gratitudinis vinculo illi conſtringitur.

Roff. Hiſtor. Simeon Dunelm. W. Malmſb.

Anno 792. Carolus Francorum rex librum ſynodalem Conſtantinopoli ſibi delatum in Britanniam miſit; in quo multa verae fidei contraria reperta ſunt: atque illud inprimis, quod omnium pene orientalium doctorum, necnon & trecentorum, aut eo amplius Epiſcoporum aſſenſu confirmatum eſt, imagines adorari debere: id quod eccleſia Dei maxime deteſtatur. Adverſus hanc haereſim Alcuinus diaconus, Cantuarienſis coenobii abbas, poſt Caroli Magni praeceptor, epiſtolam elegantem, variis ſcripturarum teſtimoniis fulcitam, dictavit; quam una cum eodem libello Francorum regi attulit. Hujus conſilio & inſtigatione Carolus rex poſtea Pariſienſe gymnaſium extruxit.

Sabellicus. Munſterus.

Anno Chriſti 793. & Brictrici regis occidentalium Saxonum undecimo, dira prodigia miſeram Anglorum gentem perterruerunt: Siquidem fulmina terribilia, flammeique dracones per aëra volitare ſubinde conſpiciebantur; quae ſigna miſerae peſtes ſunt ſubſequutae. Primo enim dira

Simeon Dunelm.

Ab An. Chr. DCCXCIII. — Ab An. Chr. DCCCVI.

dira fames, deinde strages horribilis externi hostis gladio grassata est. Dani enim cum Norwegensibus, irruptione facta in Northanhumbriam & Lindisfarnensem insulam, omnia ferro & face prostrarunt, ecclesias Christi diruerunt, incolas neci dederunt. Hanc cladem Simeon Dunelmensis his verbis gravius inculcat.

"Anno Domini 793. tertio Idus Januarii: Pagani ab aquilonari climate, navali exercitu, ut aculeati crabrones Britanniam veniendo, hac illacque, ut rapacissimi lupi, discurrerunt, praedati sunt, momorderunt, interfecerunt non solum jumenta, oves, caeteraque animalia, verumetiam sacerdotes, Levitas, chorosque monachorum atque sanctimonialium. Veniunt ad Lindisfarnensem ecclesiam, miserabili praedatione vastant cuncta, calcant sancta pollutis vestigiis, altaria suffodiunt, & omnia thesauraria sanctae ecclesiae rapiunt. Quosdam e fratribus interficiunt; nonnullos etiam vinctos secum assumunt, perplurimos opprobriis vexatos, nudos projiciunt: aliquos in mari demergunt.

Hi satis insulam praedati, & sibi invicem de praelio prospere gesto congratulantes, discedunt. Nec minus miseram conditionem secum annus sequens attulit. Iidem enim pagani, portu Egfridi regis vastato, monasterium Doni amnis praedarunt. Causae vero tantae calamitatis irruptione hostium jam incoeptae, & per trecentos annos continuatae, nam ad Wilhelmi Normanni tempora has miserias Britannia sustulit, gravissima hominum scelera & impietas erant: quae partim recensui, cum de Cuthberto Cantuariensi Archiepiscopo agerem; partim ea sunt, quorum causa Gildas suam gentem tam acerba invectiva prosequitur. Ad scelera namque proclives omnem pudorem exuerant, metum divinum abjecerant, vitam, ut pecora, in flagitiorum sordibus traducebant. Praefatus ergo Alcuinus gravi cura & solicitudine labefactatus atque convulsus Anglorum plures literis urget: in quibus eorum calamitates acerbo luctu, & scelera gravi querela proscindit. Literas, quas ad Higbaldum Lindisfarnensem Episcopum dedit, placuit hic ascribere. "Beatissimi patris Cuthberti Episcopi in Christo filiis, Higbaldo Episcopo, & omni congregationi Lindisfarnensis ecclesiae, Alcuinus diaconus salutem. Vestrae charitatis familiaritas me multum laetificare solebat: sed versa vice tribulationis calamitas, licet absentem, me contristavit: quod pagani contaminaverunt sanctuaria Dei, & fuderunt sanguinem sanctorum in circuitu altaris: calcaverunt corpora sanctorum in templo, quasi sterquilinium in platea. Quae est fiducia ecclesiis Britanniae, si sanctus Cuthbertus cum tanto sanctorum numero suam non defendit ecclesiam? &c." Quos item hortatur, ne a moribus antecessorum ita turpiter degenerent; neve luxui, gulae & intemperantiae indulgentes professionis suae dignitatem tanta labe conspurcarent: ob scelerum enim gravitatem haec tristia sustulerant; graviora passuri, nisi transactos turpiter annos meliori vita compensarent. In fine literarum addit: "Cum Dominus noster rex Carolus, hostibus per misericordiam Dei subditis, domum revertetur, nos, Deo juvante, ad eum venire disponemus: & si quid tunc vel de pueris, qui in captivitatem ducti sunt a paganis, vel de aliis necessitatibus vestris proficere poterimus, diligenter ad effectum perducere curabimus." Quas vero dedit literas ad Offam regem Merciorum, non erit ab instituto nostro alienum hic referre. "Ego, inquit,

“ quit, paratus eram cum muneribus Caroli regis ad vos venire, & ad patriam reverti: ſed melius mihi viſum eſt, propter pacem gentis meae in peregrinatione remanere; neſciens quid apud eos feciſſem, inter quos nullus ſecurus eſſe, vel in ſalubri conſilio proficere, poteſt. Ecce loca ſancta a paganis vaſtata, altaria perjuriis foedata, monaſteria adulteriis violata, terra ſanguine dominorum & principum maculata.” Ad Eboracenſes ſic ſcribit. “ Non pro auri avaritia, teſtis eſt mihi cognitor cordis, Franciam veni, nec remanſi; ſed cauſa eccleſiaſticae neceſſitatis.” Ad Ethelredum regem, qui tertius poſt Egbertum regnavit, haec verba habet: “ Ecce eccleſia ſancti Cuthberti ſacerdotum Dei ſanguine aſperſa, omnibus ſpoliata ornamentis, & locus omnis in Britannia paganis gentibus datur ad depraedandum. Et ubi primum, poſt diſceſſum ſancti Paulini ab Eboraco, chriſtiana religio a noſtra gente ſumpſit exordium; ibi miſeriae & calamitatis ſumpſit initium. Quid ſignificat pluvia ſanguinis quadrageſimali tempore in Eboracenſi civitate, quae caput totius regni eſt, quam in eccleſia beati Petri Apoſtoli vidimus, de borealibus domus, ſereno aëre, de ſummo tecti minaciter cadere? Nonne poteſt judicari de borealibus partibus venire ſanguinem ſuper terram? Noſtrum regnum Northanhumbrorum pene periit inteſtinis diſſenſionibus, & fallacibus juramentis.” Scribit etiam ad Wiorenſes, apud quos Beda vixerat, & obierat, ex obliquo feciſſe arguens, quod ne faciant, rogat. “ Aſſueſcant pueri aſtare laudibus ſuperni Regis, non vulpium fodere cavernas, non leporum fugaces ſequi curſus: diſcant nunc ſacras ſcripturas; ut aetate perfecti alios docere poſſint. Recogitate nobiliſſimum noſtrae aetatis magiſtrum, Bedam preſbyterum; quale habuit in juventute diſcendi ſtudium, talem nunc habet inter homines laudem, & multo majorem apud Deum remunerationis gratiam.” Ad Athelardum Cantuarienſem Archiepiſcopum, de quo nunc agimus, haec ſcribit. “ Hoc dico propter flagellum, quod nuper accidit partibus inſulae, quae prope trecentis & quadraginta annis inhabitata eſt a parentibus noſtris.”

Gildas. SED ut ad Gildae teſtimonium revertamur: ille cauſam ſolitudinis in Anglia refert injurioſam principum avaritiam, & rapinam inexplebilem, judicum inſignem corruptelam & atrocem injuſtitiam, praeſulum praedicantium languorem & inertiam, plebis profuſam luxuriem & intemperantiam: quos omnes, pudor retinere, modeſtia regere, verecundia temperare, nullo modo potuit. Ad haec Bonifacius Moguntinenſis Archiepiſcopus, cujus teſtimonium, cum ſermo erat de Cuthberto Cantuarienſi Archiepiſcopo, aliquoties produximus; ipſum Athelardum Cantuarienſem Archiepiſcopum, quod clericis in veſtium ſplendore nimium indulgeat, gravius increpat: Monet etiam, ut cum Romam iter habeat, & Carolum Magnum viſitet, clericos vel monachos verſicoloribus & ſplendidis veſtibus indutos comitatui ſuo non adhibeat; quod Gallorum clerus modeſtiam in apparatu retinere ſolet. Atque ut rem paucis complectamur, Henricus

Hen. Huntendunenſis. Huntendunenſis haec refert: “ Proceſſu temporis inter Anglos virtus omnis adeo defecerat; ut gentes quaſcunque proditione ſuperarent: cujus ſceleris, etſi infamia notati, nihil tamen eos puduit. Hinc facile conſtare poteſt, cur tanto furore juſtitia Dei in Anglos exarſerit; quippe quos tam gravi malo, tantoque tempore affligi paſſus ſit. In hiſtoriis noſtris ac Britonum, quinque plagis inſulam hanc percuſſam

“ legimus:

Ab An. Chr. DCCXCIII. Ad An. Chr. DCCCVI.

“ legimus: verum quarta per Danorum irruptionem illata caeteris longe “ crudelior & immanior fuit.” Romani ſiquidem Britanniam in ditionem ſuam brevi redegerant; ſubactam legibus dominorum ſplendide regebant. Picti vero & Scoti crebras irruptiones ex boreali parte Britanniae faciebant: quam tamen omni ex parte non aggrediebantur: ſaepius etiam accepto gravi malo ad ſua revertentes, plures annos ab hoſtili impetu ſibi temperabant. Saxones autem pro virium ſuarum magnitudine continuo terram hanc praelio infeſtantes ſubigebant; ſubactam fortiter retinebant; retentam ſplendide aedificabant; aedificatam bonis legibus adminiſtrabant. Normanni poſtea hanc terram hoſtiliter invadentes, caſtris poſitis, praecipua regni propugnacula obſidione cingebant; quibus facile ſuperatis, & tributariis factis, vitam, libertates, legeſque antiquas regni benigne conceſſerunt. Dani vero terram omnem magna militum manu ſaepius invadebant; non regnandi ſtudio, ſed praedandi, non victoriae ſed victus cupiditate, non gloriolae ſed praediolae ſpe adducti: qui ſi quando in fugam verterentur, lucri aut tuti nihil accrevit: cum claſſis hoſtium inſtructior ſubito appulſu alia regni loca occuparet. Nam cum reges Anglorum in barbaros borealem partem praedantes, copias inſtruerent; in profectione accurrit nuncius, referens ingentem paganorum claſſem ad auſtralia Britanniae littora appuliſſe, urbes & villas late depopulari, omnia caede & incendio replere. Quo die advenit alter, occidentales Angliae partes multis armatorum millibus repletas ferens; quibus niſi celeriter occurrant, actum eſſe de ſuorum vita: rati enim vos in fugam verſos ferro & face a tergo perſequentur. Eodem aut poſtero die tertius vix ſpiritum trahens accelerat. Ille Danorum appulſum in plagas boreales trepide refert: domorum conflagrationem, bonorum direptionem, infantium miſeram caedem, cujuſque ſingularem cladem proponit. His tot ſiniſtris rumoribus acceptis, & majoribus periculis imminentibus, rex & populus timore perculſi, moerore & ſordibus obruti, variis curarum fluctibus jactabantur, quo ſe verterent: Ita ut victoria elatos, nedum laetos effecit, quod vix ulla ſalutis reliqua ſpes eſſet.

ANNO Domini 797. Circa ſolem tres circuli viſi ſunt. Roff. Hiſtor.

ANNO ſequenti Londino ſubito caſu inflammata plurium aedes & hominum multitudo perierunt. Simeon Dunelm.

ANNO 799. Naves plurimae in Britannico mari vi tempeſtatis partim fractae & colliſae, partim ſubmerſae ſunt.

ANNO 800. decimo Kal. Januarii, ventus tam vehemens & violentus ab Africa flavit; ut urbes proſtraverit; arbores radicitus evulſerit; mare ſupra cancellos & ripas irrumpens cujuſque generis animalia perdiderit. Simeon Dunelm.

HOC tempore Carolo per Leonem papam corona imperatoris inſignito, imperium a Graecis ad Gallos & Germanos tranſlatum eſt: qua occaſione, & aliis pluribus de religione controverſiis ducti Graeci ab eccleſiae Romanae obedientia ſe imperpetuum ſubtraxerunt: cumque per Romanos pontifices ad obſequium, & eccleſiae ſuae unitatem reverti ſaepius interpellarentur, reſcribere ſolebant: “Voſmet a nobis ſubtraxiſtis, “ non ſubtraximus nos a vobis.” Roff. Hiſtor. Ranulph. Ceſt.

NON multo poſt Athelardus morbo oppreſſus decubuit, & poſt paucos dies animam efflavit, anno partae ſalutis 806. & in eccleſia Chriſti, non ſancti Auguſtini, ſepultus jacet. Athelardus enim Jeamberhti praede- W. Malmſb.

Ab An. Chr. DCCXCIII. — Ad An. Chr. DCCCVI.

ceſſoris ſui ſtatuta & decreta nihil faciens, quae de ſepeliendis Archiepiſcopis lata eſſent, tum etiam Cuthberti & Bregwini anteceſſorum ſuorum veſtigiis inſiſtens, jubet ſe mortuo corpus, non in illa Auguſtini, ſed in Chriſti eccleſia reponi. Hinc adeo factum eſt, ut illius loci monachi ac religioſi, partim metu, ne reges, qui Archiepiſcopis in illa lite & controverſia favebant, gravius offenderent, eorundemque in ſeſe iram & indignationem concitarent, nullam deinceps apud ſummum pontificem ea de re querelam aut actionem inſtituerint. Atque ita ſepultura Cantuarienſium Archiepiſcoporum ad eccleſiam Chriſti poſtea ſemper pertinuit.

Ex Archivis. Roff. Hiſtor.

Ab An. Chr. DCCCVI. — Ad An. Chr. DCCCXXXII.

XV. WLFREDUS.

Ex Archivis.



WLFREDUS, Cantuarienſis antea monachus, ad Archiepiſcopalem dignitatem Romae, a Leone quarto pontifice Romano electus, pallium etiam confirmationis accepit, Kenulfi regis Merciorum tertio, & Chriſti incarnati 806. Nono Archiepiſcopatus anno Romam proficiſcitur, de negotiis quibuſdam eccleſiae acturus, quorum veritas hiſtoriae non proditur; comitem itineris Wibertum Scireburnenſem Epiſcopum habuit. Hic vel nihil dignum memoria geſſit, aut quam minimum, quod ſilentio a cunctis praeteritur. Quidam referunt Leonem papam juniorem miſiſſe cum Anglis fidelibus legatos Cardinales, datis literis & poteſtate apoſtolica, ad hunc Wlfredum Archipraeſulem Doroberniae, caeteroſque Anglorum Epiſcopos; qui de Kenelmo rege Merciorum, puero ſeptenni, clam interfecto ab Aſoheberto in valle profunda, vocata Clento, provinciae Cornubiae, diligenter perquirerent. Quod ſcelus conſilio Quendredae ſororis perpetratum fuiſſe compertum eſt; ut ipsa rempublicam ſola adminiſtraret. Eo tempore Carolus rex Galliae Alcuino praeceptori ſuo monaſterium ſancti Martini Turonenſe abbatis jure regendum commiſit: eo quod monachi ad laſciviam nimiam defluxerant, ſericis veſtibus induti genio indulgebant. Quorum inſolentiam quodam ex illis monacho aſpiciente, duo angeli finguntur dormitorium illorum ingreſſi, omnes monachos loci illius, excepto illo, qui hoc viderat, interemiſſe.

W. Malmſb. Jo. Capgrav. Ranulph. Ceſt. Jo. Capgrav.

Ranulph. Ceſt. ANNO Domini 808. maxima bovum lues graſſata eſt per Europam; cujus incommodum Britannia maxime ſentiebat.

Ibid. Anno 810. Pons ligneus quingentarum paſſuum, quem Moguntiae ſuper Rhenum flumen decennali labore Carolus rex non multo ante conſtruxerat, ita infra tres horas conflagravit, ut ne una quidem haſtula ſupra aquam appareret.

ANNO 817. Schola Anglorum, Thomae ſcilicet Hoſpitale, Romae quondam aedificata, igne combuſta eſt. Hanc Ina Weſtſaxonum rex paucis annis ante Bedae obitum conſtruxit, Anno Domini 727. ut reges Angliae, eorumque affines, utque Epiſcopi, preſbyteri & clerici in doctrina & fide catholica, qua appellatione Romani religionem ſuam ſoli dignantur,

Ab An. Chr. DCCCVI. — Ad An. Chr. DCCCXXXII.

dignantur, recte instituerentur: qui primo adventu diversum ab illis sentientes, tandem in Romana fide satis instructi & confirmati ad sedes suas redibant. Huic Anglorum scholae Romani pontifices a temporibus Augustini primi Archiepiscopi Dorobernensis exercitia literarum publica propter assiduas haereses interdicebant; quae sub adventu Anglorum in Britanniam pullulabant, permixtis inter se christianis cum paganis, qui vera fidei dogmata foede corruperant. Juxta hanc scholam idem rex Ina ecclesiam beatae Virgini posuit; in qua Anglis Romam advenientibus divina mysteria peragere, & mortuos suos ibidem peregrinantes sepelire licuit. Atque ut haec in omnem posteritatem rata haberentur, publico edicto decretum est, per Saxonum occidentalium regnum, quod Ina rex administrabat, ut de singulis familiis denarius unus, qui anglice **Romescot** dicitur, beato Petro & arae Romanae annuatim mitteretur, ad Anglorum ibidem commorantium inopiam sublevandam.

Roff. Histor. — *Ibid.*

Anno 829. tanta peste ecclesia Cantuariae laboravit, ut omnes monachi praeter quinque morte perierint. Per id temporis Amalarius quidam floruit, qui in epistola ad Lodovicum asserit, papam rectorem non esse totius christianae religionis, quantum ad homines pertinet.

Tho. Spottus. Marianus Scotus. Amalarius in epist. ad Lodovicum.

Non multo ante Kenulfus Merciorum rex abbatiam Winehcombe a fundamentis extruxerat, quam dedicari vehementer instabat; cujus celebritati & ipse rex interfuit. Brevi post Wlfredus Cantuariensis Archiepiscopus multis precibus apud Kenulfum contendebat, ut Cantii regem, quem in vinculis tenebat, libertate donaret: quod tandem importunitate victus rex concedebat. Post haec Wlfredus gravi morbo correptus animam exhalavit: sepultus est in ecclesia Christi Cantuariae.

Ex Archivis. — Roff. Histor. W. Malmsb.

Anno Chr. DCCCXXXII. — Anno Chr. DCCCXXXII.

XVI. FEOGILDUS.



FEOGILDUS sive Fleogildus, prius abbas Cantuariensis, post ad Archiepiscopatus culmen pervasit. Syredum successorem habuit. Hic repentina morte correptus in Archiepiscoporum catalogo non recensetur: Sepultus in ecclesia Christi Cantuariae jacet.

Ex Archivis.



XVII. CEOL-

Ab An. Chr. DCCCXXXII.

XVII. Ceolnothus.

Ad An. Chr. DCCCLXXII.

EOGILDO defuncto Ceolnothus, alias Ciathredus, Decanus Cantuariensis ecclesiae, successit in Archiepiscopatu: hic a Gregorio papa pallium accepit: sepultus est in ecclesia Christi Cantuariae, postquam sedisset in sede sua triginta & octo annis. De quo tot annis sedente nihil memoriae proditum esse miramur; cum gravissimis periculis & maximis molestiis circumseptus fuerit. Siquidem bis per Danos sub eo Cantuariae sedes graviter afflicta fuit, & tam variis procellarum fluctibus agitata, ita ut horrenda rerum omnium transmutatio videretur. Anno enim Archiepiscopatus sui secundo, & Egbrithi regis occidentalium Saxonum tricesimo tertio, & Christi 833. exercitus Danorum in Angliam rediit, tricesimo octavo anno, postquam apud Donemouth, sive Doni amnis, superati fuga saluti suae consulebant. Primum igitur Shepeiam insulam praedati discedunt: deinde cum triginta quinque navibus omni armorum genere instructis proximo post anno apud Carram appulsis, Egbrithus rex bellum intulit: illi vero multis & gravibus damnis illatis superiores evadunt, prostratis & caesis duobus Episcopis Herefrido Wintoniensi & Wigfrido Scireburnensi, una cum duobus ducibus Dudda & Osniota. Anno quinto Archiepiscopi, & Adulfi regis Westsaxonum primo, piratae Danorum per totam insulam vagantes omnia ferro & face prosternebant. Quibus auditis Adulfus rex exercitum comparat, ipse partem copiarum ad regni propugnaculum secum retinet; alteram Wlfardo consuli ducendam tradit; ut contra Danos Hamtonae cum triginta & tribus navibus appulsos pugnam iniret: de quibus, post multam hostium caedem commissam, victoriae laudem deportavit. Sed & in Danos alia regni loca infestantes Athelmus consul, acceptis a rege militibus, pugnavit; quibus ancipiti praelio diu dimicantibus, tandem prostrato consule, exercitu fugato, Dani victoria potiti triumpharunt.

Simeon Dunelm.

ANNO sequenti Herebertus consul, comparato exercitu, bellum cum Danis apud Mersware sedentibus redintegravit; sed adversa usus fortuna & ipse dux periit, & milites profligati sunt. Eodem anno paganorum exercitus orientales Angliae partes invasit, & populi numerum infinitum ferro & face trucidavit.

Roff. Histor.

ANNO proximo interiora terrae loca subito impetu circa Cantuariam & Roffecestriam multitudinem magnam prostraverunt.

ANNO post quinto Alstanus Episcopus Scireburnensis, cum duce Ernulfo & suis Somersetensibus, & duce Osredo atque suis Dorsetensibus, contra Danorum exercitum apud Pedredesmutthe pugnam inire parabant, & Deo opem ferente, multos eorum prosternebant, reliquos in fugam verterunt. Alstanus hic Episcopus magnae authoritatis & potentiae fuit, in consiliis prudens, ejusdem cum Swithuno Episcopo Wintoniensi aetatis; sedes vicinae fuerunt, sed moribus & vita dissimiles. Swithunus enim in terrenis nauseans monachi otium omnino amplexus est:

Ab An. Chr. DCCCXXXII. — Ad An. Chr. DCCCLXXII.

eſt: Alſtanus vero forenſium quoque curam in ſe ſuſcepit. Nam cum temporibus Egbrithi regis Weſtſaxonum, & Adelulfi filii ejus, quinquaginta annos cum ſumma rerum copia & quiete in epiſcopatu tranſegiſſet, Egbritho regi Cantuaritas & orientales Anglos bellicis laboribus ipſe Epiſcopus ſubegit. Conſpicatus etiam Adelulfi indolem ad manſuetudinem nimis propenſam, ſedulis admonitionibus ad prudentem regni adminiſtrationem incitabat; & contra Danos inſulam infeſtantes, ipſo pecunias e fiſco ſuo miniſtrante, & exercitum comparante, languentem regis animum accendebat. Multaque per eum in hujuſmodi rebus & fortiter inchoata, & perfecta feliciter, quiſquis annales legerit, inveniet.

ANNO vigeſimo Ceolnothi Archiepiſcopi, regis Athelwlfi decimo ſexto, Chriſti 851. magnus exercitus paganorum cum trecentis quinquaginta navibus in oſtium Thameſis fluminis adveniens urbes praeclaras & pluribus annis inclytas, Doroberniam ſcilicet urbem Cantuariorum, & Londinum, miſere depopulati ſunt: regemque Merciorum Bertwlfum, qui eorum vim & furorem repellere conabatur, in fugam verterunt. Quo praelio feliciter geſto, Dani animo elati omnes copias ſuas anno proximo Suthreiam admovent: quibus occurrebat Athelwlfus Weſtſaxonum rex, cum magna ſtrenuorum militum manu, inter quos ita ancipiti pugna dimicatum eſt, ut incertum eſſet, uter victoriae laudem deportaret. (Simeon Dunelm.) Et quamvis in eo nonnihil feliciter a rege pugnatum ſit, ſiquidem per maximam diei partem ſuperior fuerat & victoriam pene obtinuerat; ſole tamen jam in occaſu, palmam amiſit: verum beneficio noctis & tenebrarum adjutus victi dedecus non ſubiit. Sequenti praelio ingentem hoſtium multitudinem parva manu profligavit. Eodem etiam anno paganorum exercitus in hac regione, apud inſulam Thannet hyemabat: cumque anno ſequenti, dux Ealtherus cum Cantiis, & Huda cum Suthreienſibus manus conſeruiſſent, multis millibus utrinque caeſis, & naufragio ſubmerſis, uterque ducum praedictorum bello occubuerunt.

ANNO Ceolnothi Archiepiſcopi viceſimo quarto, Chriſti 855. magnus Danorum exercitus in inſula Shepeya hyemem tranſigebat.

QUINTO poſt anno major hoſtium numerus ex inſidiis Wintoniam aggreditur, capit, & ſolo aequavit. Non ita multo poſt Swithunus, ejuſdem loci Epiſcopus, ſenio confectus animam exhalavit.

ANNO ſequenti Danorum piratae rurſus in inſula Thannet hyemarunt, firmumque foedus cum Cantuariis pepigerunt; quibus pecuniam pro foedere conſervando Cantuarii polliciti ſunt. Sed Dani vulpium more ex inſidiis noctu caſtris erumpentes, foedere rupto, majoris ſpe lucri, totam orientalem Cantii plagam depopulati ſunt.

ANNO Chriſti 866. maxima paganorum claſſis de Danubia Britanniam advecta, in Eaſtanglia hyemavit; tantumque praedati ſunt, ut major pars militum ex pedeſtribus equeſtres facti ſunt.

ANNO proximo ab orientalibus Anglis ad civitatem Eboracum caſtra movebant, ferro & flamma uſque ad Tinemutham omnia depopulantes. Quo tempore Northumbri civilibus bellis inter ſe affecti regem legitimum Oſbrichum regno expulerunt: & tyrannum quendam, Ella nomine, nulla regali progenie ortum, ad imperii regimen ſuſcipiendum elegerunt. Sed Danorum injuria infeſtati, ſaluti reipublicae conſulunt, & lite compoſita Oſbrichus & Ella in Danos virium ſuarum nervos intendunt, & Eboracum adeunt. Quorum adventu pagani timore perculſi in urbem

fugiunt, & intra moenia ſe continentes vim propulſare conantur. Chriſtiani fugam & timorem illorum animadvertentes, etiam intra urbis moenia a tergo inſectantur, murum demoliuntur; factoque in urbem impetu, pagani metu & neceſſitate victi curſim irrumpunt, caedunt, fugant, & ſtrenue proſternunt. Northumbrenſes praeter ſpem miſere caeſi utroſque reges amittunt: qui ſuperfuerant, foedere inito, pacem cum Danis fecerunt. Quibus ſubjugatis & vectigalibus factis Dani Egbertum praefecerunt; regnavitque ſuper Northanhumbros ultra Tyne ſex annos. Haec geſta ſunt Eboraci duodecimo Kalendarum Aprilis. Eodem anno Alſtanus Epiſcopus Sciréburnenſis, cujus fama miris laudibus apud omnes evehitur, defunctus eſt, & Scireburniae ſepultus.

ANNO Chriſti 868. Cometa terribilis conſpicue viſus eſt. Brevi poſt dictus paganorum exercitus, Northumbris relictis, Snotinghamum, i. e. Notingham, adiit; cum quibus Burredus Merciorum rex pacem inivit. Pagani vero celeriter ad Northumbros redeuntes ibi annum integrum conſederunt, nulla ratione habita in omnes ferro & face furorem exercentes. Toto itaque hoc tempore, quo ſedit Ceolnothus Archiepiſcopus Cantuarienſis, tam variis procellis agitato, tamque turbulentis tempeſtatibus referto, nullus ita a calamitate immunis fuit atque ille.

Roff. Hiſtor. W. Malmſb. ANNO Chriſti 870. Eadmundus orientalium Anglorum rex commiſſo cum Danis praelio occubuit; cumque eo Humbrictus Epiſcopus Helmhamenſis, qui regem eundem in regni faſtigium evexerat. Eodem anno Danorum injuria monaſterium de **Coldingham** in auſtralibus finibus Scotiae ſitum, ſex mille paſſibus a Berwico verſus boream diſtans, ſpoliatum: hoc foeminae incolebant, quae omnes cum Ebba ejus loci abbatiſſa Danorum praecepto incendio traditae ſunt. Dein monaſteria ad mare ſita, Lindisfarnenſe monachorum, in quo ſedes tum erat cathedralis, cum Lindisfarnenſi bibliotheca, concremarunt: Tinemuthenſe monialium, Girwicenſe, & Wiremuthenſe: ſexcentos monachos ſub Benedicto Nurſino inſtitutos, inter quos Beda preſbyter legitur educatus, depopulati ſunt: nec non & Streneſhalenſe monachorum, quod Hilda abbatiſſa fundavit. Hinc Dani a flumine Humbri graſſantes haec etiam funditus evertebant coenobia: In orientalium Anglorum regno Croulandiam, Thorneiam, Rameſeiam, Hamſtede, quod nunc Burgum ſancti Petri dicitur, cum inſula Elienſi, & coenobio foeminarum, in quo Ethelreda regina olim abbatiſſae officio perfuncta eſt. Jo. Capgrav. Quo tempore **Barking** monaſterium octo millibus paſſuum Londino ad orientem diſtans concrematum fuit. Hujus cladis particeps fuit Certeſia, vulgo **Chirtheſey**, monachorum coenobium quindecim millibus paſſuum diſtans Londino ad occidentem; W. Malmſb. de quo haec habet Wilhelmus Malmeſburienſis. "Certeſium monaſterium non caruit rerum neceſſariarum copia, uſque ad Danos, qui, ut caetera, locum illum peſſundabant, eccleſia ſuccenſa cum monachis & abbate." Tradunt etiam Epiſcopalem ſedem orientalium Saxonum apud Seham tunc incendio periiſſe. "Seham villa eſt ſtagno vicina, navigaturis ad Heli quondam vix tuto: at nunc facta via per paluſtre harundinetum tranſitur pedibus. Sunt illic indicia dirutae & a Danis incenſae eccleſiae, quae incolas ſimul exuſtos ruina ſua operuit." Ad haec ſanctimoniales **Reding** immunes ab his malis non fuerunt; Simeon Dunelm. ſiquidem Anno Domini 871. praedictus paganorum exercitus, occidentales Saxones repetens Readingum venit, quod eſt in meridiana

Thameſis

 Ad An. Chr. DCCCLXXII.

Thameſis fluminis ripa, in illa plaga, quae dicitur **Barkeſhire**; ubi coenobium ſanctimonialium ſpoliatum & direptum ſolo aequarunt. Frideſwidae etiam coenobium per Danos everſum fuit, una cum monaſterio Hamburgenſi, de quo Roffenſis. (W. Malmſb. Jo. Capgrav. Roff. Hiſtor.) " Hamburgenſe, inquit, monaſterium integrum & illaeſum permanſit, donec gens nefanda Danorum " provincias caede crudeli vaſtaverat, juſto Dei judicio, propter peccata " Anglicae gentis, id exigente." De Wenlochenſis monaſterii ſubverſione per Danos, ſic habet Wilhelmus Malmeſburienſis. (W. Malmſb.) " Apud Wenloch fuit antiquiſſima ſanctimonialium domus, in qua ſanctiſſima Milburga, ſoror ſanctae Mildredae, neptis Pendae regis Merciorum ex filio, tranſegit vitam & ſepulta eſt. Sed locus omnino incultus & deſertus, omnibus antiquitatum monumentis violentia hoſtili & temporum vetuſtate ſpoliatus." Regnante Edgaro rege Winchilcombenſe (W. Malmſb.) monaſterium ſolo fere nomine ſtabat: & Deirhurſt coenobium antiquitatis inane ſimulachrum fuit. Veriſimile igitur eſt, utraque hoc tempore reliquorum cladi communicaſſe. Monaſterium etiam ſancti Petri Glouceſtriae violento hoſtium impetu proſtratum fuit. Reapendunae etiam (Roff. Hiſtor. W. Malmſb. Simeon Dunelm.) fuit monaſterium celebre, ad quod Dani, relicta Lindiſſa, celeri curſu advolabant, & ex ejus ſpolio hyemem ibi totam tranſigebant. Jam quoniam in mentionem Danorum crudelitatis incidimus, non incommodum erit hic referre calamitates, quas ex illorum ad inſulam Thannet appulſu ſuſtinuerit Mildredae coenobium, cum ſuis ſeptuaginta virginibus veſtalibus; quas ibi primum Theodorus Dorobernenſis Archiepiſcopus ſuperſtitioſe velaſſet: quarum hoc tempore miſerias Capgravus in vita Mildredae ſilentio non praeterit. (Joh. Capgrav.) " Piratae, inquit, Danorum in inſulam " irrumpentes, hos caedunt, illos laniant, ſingula vaſtant, virgines ſanctas cum ſuo monaſterio voraci flamma comburunt." Quid dicam de monaſterio ſancti Auguſtini Doroberniae omnium primo & antiquiſſimo, Romanorum pontificum atque regum Cantiorum privilegiis adeo ſuperbo, (Tho. Spottus.) quibus fretum ab omni ſubjectione & obedientia ſui Archipraeſulis, immune ſe putarit? Imo hoc officium, obſervantiam, & honorem ab Archiepiſcopo ſibi debitum vendicarit; ut ſemper electus loci abbas, cum benediceretur, non ad illum accederet, ſed Archiepiſcopus ad abbatem. Credibilene eſt inter tantas procellas hoc inſolens coenobium tutum & a Danorum impetu liberum eſſe potuiſſe, cum ipſam Doroberniam urbem inclytam ita miſere depopulati ſint, ut ſupra retulimus? Reputate quaeſo, & mecum paulo altius conſiderate quouſque Danorum furor & rabies graſſata ſit, ita ut illorum vim, ne Wallorum quidem monachi effugere, & injuriam propulſare potuerint. Nam Anno Domini 877. Inguar & (Simeon Dunelm.) Halfdene cum viginti & tribus navibus de Demetica regione, in qua hyemaverant, egreſſi ſunt ut lupi feroces, & multorum ibi Chriſtianorum ſanguinem fuderunt, pluribuſque coenobiis faces admovendo, ſolo aequarunt. Quid multis? auſim pro certo affirmare, Deum nulli genti, ne Judaeis quidem, majorem intuliſſe calamitatem, quam hac tempeſtate (W. Malmſb. Joh. Hard. Elienſis Hiſt.) Angliae monachis & ſanctimonialibus: ita ut ad annum uſque ſextum Athelredi Archiepiſcopi Dorobernenſis, qui fuit Ceolnothi ſucceſſor, ſive ad annum ſextum Alfredi regis, qui tum metu Danorum in ſylvis lociſque abditis ſe occultaverat, totus eorum ordo penitus conciderit, & per nonaginta aut eo amplius annorum ſpatium ſitu obductus fuerit: non ſolum in omnibus auſtralibus Angliae provinciis, ſed in borealibus etiam plus

Ab An. Chr. DCCCXXXII. — Ad An. Chr. DCCCLXXII.

plus quam ducentis annis, ſcilicet ad annum Domini 1074. qui fuit Wilhelmi Normanni cognomento Conqueſtoris ſeptimus; & Lanfranci Archiepiſcopi Cantuarienſis tertius, teſte Simeone Dunelmenſi: cujus teſtimonium operae pretium duximus hoc in loco commemorare. (Simeon Dunelm.) “ Anno, “ inquit, Domini 1074. tres de provincia Merciorum monachi, pauperes ſcilicet ſpiritu, divinitus miſſi, in provinciam Northumbrorum, “ venerunt Eboracum, petentes ab Hugone filio Baldrici, qui tunc vicecomitis munus obivit, ut eis ducem itineris conſtitueret, uſque ad locum, qui Munekaceſtre, id eſt, monachorum civitas, appellatur; quae “ nunc Novi Caſtelli nomen obtinet. Quo conducti, ad tempus ibidem “ moras nectebant: verum nullo antiquorum Chriſti ſervorum ibi reperto, ad Gyruum iter arripiunt, ubi prae gravi ruina monachorum “ ulla ſedes vix comparuit: Eccleſias dirutas, domos radicitus everſas, “ conſpicere licuit. Horum adventum Epiſcopus Walcherus maxime “ gratulatus hoſpitio liberaliter ſuſcepit. Nomina eorum haec fuere. “ Aldwinus aetate & moribus prior: Secundus Alfwius: Tertius Remfridus: quorum labore & induſtria tria in regione Northanhumbrorum inſtaurata ſunt monaſteria, unum Dunelmi apud ſacrum Cuthberti cadaver, in honorem ſanctae Mariae Virginis: alterum Eboraci, in honorem ejuſdem Dei genitricis Mariae; ubi nobile coenobium conſtructum, primum habuit abbatem Stephanum: poſt hunc Richardum: “ deinde Gaufridum; nunc vero Severinum. Tertium autem, in loco, “ qui quondam Streoneſhath, id eſt, Sinus fari, nunc Whitby “ appellatur, hodie abbatem habet Benedictum.” Denique poſtquam ſaeviſſima paganorum devaſtatio, gladio ac flamma, eccleſias & monaſteria in cineres redegerat, deficiente pene chriſtianitate vix aliquae ſuperfuerunt eccleſiae; hae vero virgultis, ac foeno contectae: nullum tamen uſpiam monaſterium per ducentos annos reſtauratum fuit, fide omnino ſublata, & cultu vero religionis penitus obſoleto. Monachorum nomen erat provincialibus inauditum: religioſorum ordo incognitus: monachalis habitus omnes in admirationem traxit. (Simeon Dunelm.) Aſt ubi praedicti tres viri familiarius aliquandiu inter eos vitam degiſſent, populus conſpicatus eorum dexteritatem, & celebrem religionis morem, coepit & ipſe a barbarie ad melius vitae genus deflectere, in reſtaurandis eccleſiis operam impendere, collapſas renovare, novas erigere. Plures relicta ſeculari vita monachalem aſſumpſerunt: atque hi de provincialibus pauci: (Joh. Capgrav.) de remotis vero Angliae partibus plures celebritate locorum, & virtutis illorum fama incitati, hilari fronte & animo lubenti ſe ad eorum amicitiam & ordinem adjungebant. Haec libuit in medium proferre, ut occultum Dei judicium in obruendis monachorum cultibus ſuperſtitioſis & diabolicis, ac in delendo eorum nomine & memoria, per multa annorum curricula probe animadvertamus, & altius animo perpendamus. Horum tunc loco ſuccedebant preſbyteri, qui in conjugio legitimo pie (W. Malmſb.) vivebant, quos Wilhelmus Malmeſburienſis vocat ignotos coenobiorum incolas. Tunc vero Deus optimus maximus praebuit ſe magis mitem atque placatum erga Anglicanam gentem; ſiquidem cum hoſtibus dimicaturi victoriae laudem ſemper reportabant; liberati a Danorum crudelitate, & tuti ab omni externo hoſtium impetu uſque ad tempora Edgari permanſerunt: ſub quo monachorum foeda ſuperſtitio de integro non ſolum inſtaurata eſt, verumetiam ita ſubito in immenſum crevit; ut nulla

ſuperiore

ſuperiore memoria tot monachorum & monacharum diverticulis noſtra gens ſcatuerit, quot hoc uno rege regnante in auſtralibus ſolum Angliae provinciis. Quo mortuo multo magis quam ante ira Dei commota eſt; maxime in Sodomiticam monachorum turbam; cujus rei fides poſtea ipſorum monachorum verbis & teſtimonio planius comparebit.

ANNO Domini 853. qui fuit annus undevigeſimus Ceolnothi Archiepiſcopi Cantuarienſis, Ethelwlfus filium ſuum Elfredum, quem prae caeteris unice complexus eſt, cum annum aetatis quintum ageret, Romam cum multo nobilium comitatu tranſmiſit. Quem Leo papa ſui patris rogatu unxit in regem, & in filium ſibimet adoptatum confirmavit; & benedictum ad patrem remiſit. Duobus poſt annis pater Ethelwlfus, a nonnullis Adulfus vocatus, decimam regni ſui partem omnis regii vectigalis immunitate donavit; quod ad ſempiternam ſui memoriam eccleſiis [Simeon Dunelm.] dedit; amore divino raptus, ut refert Simeon Dunelmenſis, & animam ſuam redempturus. Non ita multo poſt Romam proficiſcitur, aſſumpto ſecum ſuo filio, quem jam antehac eo miſerat; ibique tributum, vocatum **Romeſcot**, quod multis annis ante & poſt Anglia penſitabat, ſancto Petro obtulit coram Leone papa; Romaeque annum integrum moratus Anglorum ſcholam, cujus antehac meminimus, Thomae Hoſpitale vocatam, [W. Malmſb.] & paulo ante ejus adventum incendio conſumptam, reſtauravit. Quo peracto Roma in patriam rediens Juditham Caroli Calvi Francorum regis filiam ſecum in Angliam advectam in uxorem duxit; cum qua duobus annis vivens, poſt morbo correptus obiit: ſepultus Wintoniae, [Simeon Dunelm.] cujus civitatis fuit, priuſquam uxores ullas duxerat, & monachus & Epiſcopus: Sed Egberto patre defuncto factus eſt rex: acceptaque nobili uxore filia Burhredi regis Merciorum, quatuor ex ea filios genuit. Tradunt [Jo. Capgrav. Simeon Dunelm.] nonnulli Leonem papam praefatum licentiam dediſſe Ethelwlfo, ut uxorem duceret, liberoſque procrearet, quod pater ejus ſine haerede praeter illum interierat. Inter caetera quae geſſit Ethelwlfus rex ſingulis vitae poſterioribus annis, religionis amore papalis ſupra modum dementatus, trecentas mancuſſas denariorum, valet mancuſſa duobus ſolidis & ſex denariis, Romam deferri curavit: Centum in honorem ſancti Petri ad emendum [Tho. Spottus.] oleum, quo impleantur omnia luminaria illius eccleſiae in vigilia Paſchae, & ſimiliter in galli cantu: centum in honorem ſancti Pauli Apoſtoli eadem de cauſa: centum vero in uſum ipſius papae. Quam munificentiam adimplevit eodem anno, quo Roma rediit. Quibus operibus [Simeon Dunelm.] ſcilicet devotis, non liberamur e ficto papae purgatorio; multo minus paratur regnum coelorum, ut pontificiorum turba miſeram plebem ſupra modum in fraudem illexit, & hiſce praeſtigiis daemoniacis faſcinavit: non ergo mirum, ſi gravius in populum furor & ira Dei tum ſaeviit & in immenſum accrevit, ob ſummum religionis contemptum, qui tunc paſſim graſſatus eſt. Huc etiam tendit, quod Luitpertus Moguntinenſis Archiepiſcopus, qui poſt Leonem quartum pontificatum Romae obtinebat, epiſtolam ad Ludovicum Caeſarem miſit; qua papam non ſolum graviter peccare, verum etiam plurimis modis errare indicat: eundemque imperatorem, ut eum mature caſtiget, & ad meliorem frugem cogat, hortatur. Anno, quo obiit Ceolnothus Archiepiſcopus, ſedes epiſcopalis orientalium Anglorum, quae antea fuit Dompne, vulgo **Dunwicke**, tranſlata fuit ad Elmham. Hujus cauſam reddit Wilhelmus Malmeſburienſis. "Tempore, inquit, Ludecanii regis Merciorum, & Egbrithi regis Weſt- [W. Malmſb.]

"ſaxonum,

Ab An. Chr. DCCCXXXII. — Ad An. Chr. DCCCLXXII.

" ſaxonum, Humbrithus & Wilredus fuerunt Epiſcopi orientalium Anglorum. Sed eodem Ludecano & anteceſſore ejus Burhredo invadentibus provinciam, etiam Epiſcopis neceſſariorum copia ſublata fuit. Et quidem utrique reges intra regionem provincialium incurſu extincti ſunt. Ceſſarunt tamen Epiſcopatus, & ex duobus unus factus ſedem apud Helmaham villam non adeo magnam accepit." Haec ille. Unum adhuc reſtat, quod ſilentio praeterire nullo modo poſſumus; tempore horum ſeptendecim Archiepiſcoporum Cantuarienſium ſediſſe in urbe Romana quadraginta & quatuor papas. Hoc quo fato contigerit, lectoris judicio liberum relinquimus. Ceolnothus vero inter tot turbines & procellas immunis ab hiſce malis fuit; atque ubi plurimos annos ſediſſet, tandem morbo correptus expiravit; ſepultus eſt in eccleſia Chriſti Cantuariae.

Ab An. Chr. DCCCLXXII. — Ad An. Chr. DCCCLXXXIX.

XVIII. ATHELREDUS.

Ex Archivis.



ATHELREDUS vir venerandus, & in rebus divinis inſigniter eruditus, monachus primo eccleſiae Chriſti Cantuariae, deinde Epiſcopus Wintonienſis; poſt Ethelredi regis munificentia ad ſedem Dorobernenſem eſt aſſumptus. De cujus geſtis hoc ſolum literis traditum reperimus; quod anno Domini 872. ſeptimo Idus Junii, die Pentecoſtes Werfridum Wicciorum antiſtitem, defuncto Alcuino, conſecravit. Hujus eruditio tanta laude celebrabatur, ut cum feliciſſimus princeps Alfredus excellentis doctrinae viros in ſua regia curia foveret & aleret; inter hos in aulam vocatus Werfridus, tanquam anteſignanus, praelucebat. Hic Dialogorum libros Gregorii primi Romani pontificis in linguam Saxonicam tranſtulit. Ea aetate Johannes Erigena, natione Ealdeſaxo, dictus Scotus, quod in Hibernia verſaretur, in monaſterio ſancti Davidis Meneviae claruit. Is bellorum metu in Galliam ad Ludovicum regem profugit; cui Dionyſium tranſtulit, alioſque ſcripſit libros; qui quod aliqua ex parte diſſonabant a fide catholica, haereticus eſt a Nicolao pontifice primo habitus: hujus infamiae metu ad Alfredum Angliae regem declinavit, cujus liberis praeceptor eſt adhibitus. Poſtea Melduni reſedit, ubi poſt aliquot annos a pueris, quos docebat, ut fertur, graphiis perforatus animam exhalavit. Jacuit aliquandiu in obſcura ſepultura, in beati Laurentii eccleſia, quae fuerat infandae caedis conſcia. Sed ubi divinus favor multis noctibus ſuper eum lucem indulſit igneam, admoniti monachi eum in majorem tranſtulerunt eccleſiam; & ad ſiniſtram altaris ponentes his martyrium ejus verſibus praedicaverunt.

Tho. Spottus. W. Malmſb. Ranulph. Ceſt. W. Malmſb. Ingulfus. Flores. Hiſt. Hect. Boethius. Ranulph. Ceſt. W. Malmſb. Ingulfus. Simeon Dunelm. Aſſer. Menev.


Clauditur hoc tumulo ſanctus Sophiſta Johannes,
Qui ditatus erat jam vivens dogmate miro;
Martyrio tandem Chriſti conſcendere regnum,
Quo meritis ſancti regnant per ſaecula cuncti.

ANNO

Ab An. Chr. DCCCLXXII. — Ad An. Chr. DCCCLXXXIX.

ANNO Domini 860. Methodius Illyricus, vir doctus, inter Sclavos & Vandalos degens vitam, sacras literas in sermonem vulgarem convertit. Ille perutilis ecclesiae Christianae suscepti laboris imitandum sibi proposuit exemplum, sanctissimum & vetustissimum patrem, Wilfilum Gothorum Episcopum; qui anno 370. Gothicas reperiens literas utrumque Testamentum in linguam suam vernaculam traduxit. (Roff. Histor.) Persuasit etiam Methodius Illyricus Dalmaticis & Bavaris, ut abolita lingua Latina, vulgari in sacris peragendis uterentur: unde cleri principes, Episcopos, & alios ad iram ita concitabat, ut fuga in Moraviam saluti suae consulere coactus sit; ubi mortuus atque Olmutiae sepultus est. Eodem tempore Bulgarorum Episcopi contentionem habuere satis vehementem cum praefato Nicolao Romano pontifice, per Guntherum & Theologutum Episcopos, de matrimonii negotio; in quo pontificem ipsum tyrannum vocabant: cujus etiam tonitrua & fulmina se pro nihilo ducere affirmabant.

ANNO Domini 881. plurima Gallorum monasteria a Danis diruta & solo aequata sunt. Athelredus Archiepiscopus post octodecim annos in hac sede completos morbo & senio confectus obiit: Sepultus in ecclesia Christi Cantuariae jacet.



Ab An. Chr. DCCCLXXXIX. — Ad An. Chr. DCCCCXV.

XIX. PLEGMUNDUS.

PLEGMUNDUS genere Mercius, literarum sacrarum scientia reliquos sui temporis praestans, Dorobernensis ecclesiae, Athelredo mortuo, Archipraesul electus; Romae a Formoso papa sacratus est; palliumque accepit una cum potestatis metropoliticae plenitudine summa. (Chron. Eccl. Cant. Asser. Menev. Gervas. Dorober. W. Malmsb.) Primo in insula Cestria, quae ab incolis Plegemundusham dicitur, annos complures heremiticam vitam ducebat; deinde Alfredo regi praeceptor adhibitus est, quem prae caeteris singulari favore rex prosequebatur. Habuerat enim alios sibi familiares, Afferium Menevensem, Grimbaldum, & Johannem Scotum presbyteros; quorum labore & industria Psalterium Davidicum in sermonem Anglicanum transtulit; hujus priore parte vix absoluta expiravit: cujus filium Edwardum Plegmundus Archiepiscopus more majorum corona regia apud **Kingstone** insignivit. Postea septem uno die Episcopos in ecclesia Cantuariensi consecravit; quorum suo loco mentionem faciemus.

ANNO Christi 889. Plegmundus, omnesque Angliae Episcopi, atque viri religiosi ex praecepto regis Alfredi fidelium eleemosynas collegerunt: collectasque Romam atque Hierosolymam cum magna thesauri sui parte ipsemet rex per Athelmum Episcopum Wintoniensem transmisit. Officium enim officio juvatur; & manus manum fricat, Epicharmi comici testimonio. Prius enim ad instantiam & deprecationem regis Alfredi Marianus papa scholam commorantium Saxonum Romae omnis tributi immunitate donaverat, & plurima dona praedicto regi transmiserat: Inter quae mirandae antiquitatis monumentum sanctissimum, magnam scilicet partem illius crucis, in qua Filius Dei pro salute hominum pependit. (Sim. Dunelm. Roff. Histor.)

ANNO

ANNO Domini 905. Plegmundus Cantuarienſis Archiepiſcopus, una cum rege magnifico, cognomento Edwardo ſeniore, concilium magnum Epiſcoporum, abbatum, fidelium, procerum, & populorum in provincia Gewiſorum; i. e. in illa parte Angliae, quae in plaga auſtrali ſita eſt fluminis Thameſis, convocavit. Fuerat autem regio illa jam ſeptem annos prae hoſtium vi & impetu furioſo Epiſcoporum ſolicitudine & cura paſtorali deſtituta: unde ſalubriter conſtitutum eſt in hac ſynodo, ut pro duobus Epiſcopis, quorum unus Wintoniae, alter Sciréburniae, ſedem habuit, quinque crearentur Antiſtites; ne grex domini paſtorum cura orbatus luporum lanienae & voracitati ſubjiceretur. Quorum Antiſtitum ſedes hoc nomine appellantur; Wintonia, Sciréburnia, Wellia, Cridium & Petrocium, quod eſt juxta Wallenſes aquilonares ad flumen Heilmuthe poſita villula. Celebrato itaque concilio, & canonica electione facta, conſtituit Plegmundus Archiepiſcopus in ſede Wintonienſi Britheſtanum: (Ex Archivis.) in Wellenſi Athelmum, qui poſt Plegmundum factus eſt Archiepiſcopus (W. Malmſb.) Dorobernenſis: in Cridienſi Eadulſum: in Sciréburnenſi Wolſtanum: & in Petrocienſi Athelſtanum. Sed & in aliis provinciis ordinavit duos Epiſcopos: Auſtralibus Saxonibus, quorum Antiſtites ſedem habuerunt Ciceſtriae, virum idoneum, Bernegum praefecit: Merciis vero Kenulſum ad civitatem Dorceſtriae. Hi omnes uno die Doroberniae ab Archiepiſcopo Plegmundo conſecrati ſunt. Non multo poſt, facta parochiarum diſtributione, ſuperfuerunt Epiſcopo Wintonienſi provinciae, Hamptonienſis, Suthreienſis, & Wilcenſis, cum inſula Vecta. Praeterea Edwardo rege adhuc vivente Wilcenſis pagus ſuum habuit Epiſcopum, cujus ſedes (Roff. Hiſtor.) Ramiſburiae fuit: Sciréburnenſis vero Epiſcopus habebat Summerſetam: Wellenſis Dorceſtriam & Barkeriam: Cridienſis, provinciam Devonienſem: (W. Malmſb.) Petrocienſis, Cornubienſem patriam. Quidam referunt ſeptem totos annos deſtitutam fuiſſe omnem regionem Gewiſorum, i. e. Weſtſaxonum, Epiſcopis; quam ob rem anno Domini 904. Formoſus papa in Angliam Epiſcopos miſit, quibus poteſtatem excommunicandi & maledicendi regem Edwardum, & ſubditos ejus dabat; cum antehac benedictionem a ſede ſancti Petri, quam dederat Gregorius genti Anglorum, receperant. Qua de cauſa Edwardus rex ſynodum praedictam nobilium Anglorum congregavit; cui praeſidebat Plegmundus Archiepiſcopus, interpretans diſtricte verba apoſtolicae legationis: ſolutoque concilio idem Archiepiſcopus Romam cum honorificis muneribus adiit, & offenſum papae animum magna humilitate placavit; decretis regis recitatis; quae Apoſtolico ita placuerunt, ut & ſua authoritate confirmaverit, & haec edicta (W. Malmſb.) adnihilantem perpetuo anathemate damnarit. Circa hoc tempus tradunt quidam gravem litem & contentionem de Euchariſtia per Fredenardum quendam equitem auratum concitatam fuiſſe, cui reſpondebat Paſchaſius monachus. Tempus effoeminatum hoc fuiſſe Warnerus in faſci- (Warner.) culo temporum pronunciat: "Fides, inquit, tum valde deficere coepit, " & clerici maleficiis erant dediti, conſurgentibus ſectis."

(Roff. Hiſtor.) ANNO Domini 906. cometa apparuit fere per dimidium annum, praeſagientibus nonnullis inde multam ſanguinis effuſionem, magnam hominum caedem, & ſtragem, quae paulo poſt in praelio inter Danos & Anglos commiſſo ſubſequuta eſt. In quo utriuſque gentis ingens nobilium numerus corruit. Mirabitur fortaſſe quiſpiam, quid cauſae ſit, quod toties Danorum irruptionis in Angliam meminerimus; cum a noſtro inſtituto

Ab An. Chr. DCCLXXXIX.

Ad An. Chr. DCCCCXV.

tuto civilia immiſcere negotia alieniſſimum eſſe debeat. Hic breviter perpendat juſtum Dei judicium in puniendis Anglorum flagitiis, nunc monaſteriorum conflagratione, nunc urbium depopulatione, nunc terrae hiatu, nunc aliis ſupplicii generibus; eo quod omnem religionem penitus contempſerant, metum Dei exuerant, ad ſcelera & libidines nimium proclives eſſent. Nam, praeterquam quod in populo omne vitiorum genus late ſerpebat, etiam bonarum artium oblivio ita undique pervaſerat, ut ne in pontificibus quidem caeteriſque principibus quicquam eluceſceret, quod ad vitam bene inſtituendam promoveret: recta exoleverant inſtituta, templorum vaſtatio neminem affecit, pietatis exempla ſordebant, liberalium artium amor conciderat, ſtupor & amentia quaedam, oblivioque morum animos hominum penitus pervaſerat: Papalis dignitas, impiorum pontificum culpa, eo dementiae proceſſerat, ut jam ludibrio eſſet ſordidiſſimo cuique: nec mirum: cum tam dira pietatis oblivio eorum mentes irrepſerit, tam foeda ſcelerum libido impune omnia loca occuparit, capite ipſo aegro, & turpiſſimae infamiae nota conſpurcato, ut neque perſonae quam ſuſtinebant, nec loci quem occupabant, rationem ullam haberent. " Si ergo lumen, O eccleſia, quod in te eſt, tenebrae " fuerint, ipſae tenebrae quantae?" Vere igitur affirmare licet, ſi quid in illis moderati aut decori fuit, id non tam ſua ſponte, quam regum, imperatorum, & in quorum tutela eſſent, metu & reverentia praeſtitiſſe. In hac tam miſera rerum omnium facie Plegmundus moritur, & in eccleſia Chriſti Cantuariae cum caeteris ſepulturam obtinuit.

W. Malmſb.

Simeon Dunelm.

Ex Archivis.



Ab An. Chr. DCCCCXV.

XX. ATHELMUS.

Ad An. Chr. DCCCCXXIV.

PLEGMUNDO ſucceſſit Athelmus; qui primo fuit abbas Glacenburienſis, deinde ad Epiſcopatum Wellenſem tranſlatus, poſt Cantuarienſis Archiepiſcopus factus. De hujus geſtis nihil tradunt hiſtoriae; ideo neque nos comminiſci quicquam audemus. Ille poſt aliquot annorum quietam in ſede poſſeſſionem in morbum incidit, & poſt varios corporis cruciatus animam exhalavit, & in eccleſia Chriſti Cantuariae ſepultus eſt. Per id tempus in occidentalium Saxonum finibus natus eſt Dunſtanus; cujus avunculus Athelmus noſter fuit. Roffenſis hiſtoria portentum quoddam refert, non dicam belluae multorum capitum figmentum; advectum ſcilicet in Angliam fuiſſe, anno Domini 923. & ſexto Idus Novembris, ſanguinem Domini, qui fluxit de lignea vel lapidea ſtatua Chriſti, cum ſecundo in imagine ſua a Judaeis pateretur. Ex hujuſce modi infinitis anilibus fabulis omnis pontificiorum doctrina conſtat, quae plane antichriſtianum id eſſe regnum, & praeſtigiis Satanae fulciri arguunt: ſublato hoc illorum fundamento caetera ſponte ruunt. Hiſce etiam deliriis plurimorum Archiepiſcoporum vitas ſequentium refertas fabuloſi monachi reliquerunt. Hic Athelmus primus jecit fundamenta monaſterii Malmſburienſis. Rex etiam Athelſtanus regio diademate per eum inſignitus tres aedes monetis excudendis deſtinatas

Simeon Dunelm.

Ex Archivis.

Simeon Dunelm.

Roff. Hiſtor.

W. Malmſb.

Tho. Spottus.

Ab An. Chr. DCCCCXV. — Ad An. Chr. DCCCCXXIV.

natas Cantuariae aedificavit; quarum unam regi, Archiepiſcopo alteram, tertiam vero abbati ſancti Auguſtini, in uſus exhibuit. Tres ſimiliter Roſeceſtriae, duas regi, Epiſcopo unam; praeter has etiam, Londini octo, Wintoniae ſex, Lewis duas, Haſtingae duas, Ciceſtriae unam, Hamptoniae duas, Warhamae duas, Exceſtriae duas, Shaftſbury duas; & in quolibet praeterea oppido unam.

Sim. Dunelm. Ex Archivis.

* *

Ad An. Chr. DCCCCXXIV.

XXI. WLFELMUS.

W. Malmſb.

LFELMUS, Wellenſis etiam primo Epiſcopus, poſt Athelmum Archiepiſcopus Cantuarienſis conſecratur. De eo parum aut nihil hiſtorici meminerunt. Reliquiarum vero mentio fit hoc tempore delatarum per Adulſum filium Baldwini comitis Flandriae; qui legatione huc in Angliam fungebatur, ut quartam regis Athelſtani filiam Hugoni Gallorum regi in uxorem poſtularet. Peracta legatione varia eaque grandia munera proferebat: Conſtantini Magni enſem, cui literis aureis antiqui poſſeſſoris nomen inſculptum fuit. In capulo ferreus infigebatur clavus, quem alterum ex quatuor, quo Chriſti corpus cruci affixum fuit, conſtanter affirmabat. Adhaec lanceam Caroli Magni obtulit, quam ſi quando invictiſſimus imperator contra Saracenos exercitum ducens in hoſtem vibraret, victoriae laudem ſemper deportabat: Atque hanc eam eſſe, quam Dominico lateri centurio impungebat, a pluribus inculcatum fuiſſe retulit. Necnon & Mauritii beatiſſimi martyris vexillum, cujus virtus variorum in bello proſpere geſtorum cauſa fuit. Inſuper & ſanctae crucis partem cryſtallo incluſam; adhaec & ſpineae Coronae portionem: quae omnia pluribus verbis collaudata regi Athelſtano tradebat. Quibus vero laudibus foetida monachorum rabies haec deliria proſequatur, omnem fidei narrationem plane ſuperat. Unum autem illud ſilentio praeterire non poſſumus, quod Wilhelmus Malmſburienſis ad poſteritatis memoriam, tanquam unicam coenobii ſui tutelam, graviter inculcat: Nam cum Athelſtanus rex praedictas crucis & coronae partes coenobio Malmſburienſi dono dediſſet; his ſolis ſeſe ab omni hoſtium furore & impetu immunes & maxime tutos ſomniabat. Proh Deum atque hominum fidem; quid eſt Chriſtum blaſphemo & virulento ore proſcindere, ſi hoc non ſit? Videat ergo lector, quam caeca nox mentibus mortalium incubuit; cum hoſce fucos poſthabita veritate tam gnaviter amplecterentur.

W. Malmſb. Ranulph. Ceſt. — W. Malmſb.



Ab An. Chr. DCCCCXXXIV — Ad An. Chr. DCCCCLVIII.

XXII. Odo Severus.



ODo, cognomento Severus, in orientali Anglorum regione, ex nobili Dacorum proſapia, ethnicorum tamen, natus eſt. Hi male affecti erga illum, quod juvenilem agens aetatem chriſtianorum conventus frequentaret, graviſſimis malis afflictum jure etiam haereditario indigne ſpoliabant. Ille relicta patria ad ducem quendam chriſtianum, Ethelelmum nomine, in aula regis Edwardi ſenioris commorantem ſe contulit. Dux, perſpecta juvenis indole, praeceptoribus Graecae & Latinae linguae peritiſſimis inſtituendum tradidit. Quorum cura & labore ad tam eximiam linguarum cognitionem brevi pervaſit, ut animi ſenſum oratione ſoluta, aut quovis carminum genere, ſine mora proferre, & confeſtim quidvis dictare poſſet. Non multo poſt ſuſcepto baptiſmo, ſubdiaconatum etiam conſilio domini ſui accepit; in quo ſtrenue ac diligenter aliquot annos Evangelium praedicans, tandem ſacerdotii munus obivit. Tradunt quidam Odonem ſub Edwardo rege militari munere prius perfunctum, quam ſacris ordinibus initiaretur: atque id ſane verum eſſe conjectura facile aſſequi poſſumus. Nam poſt ſuſceptum Epiſcopatus gradum, tribus vicibus illum militare auxilium regibus praeſtitiſſe legimus. Sacratus enim cum eſſet Scireburnenſis, vel Sariſburienſis Epiſcopus, Athelſtani regis munificentia, qui eum ſingulari favore complexus eſt, accidit regem contra Anlafum inſtructo exercitu expeditionem ſuſcepiſſe, cujus lateri adhibitus eſt. Junctis utrinque copiis Athelſtanus rex Odonis auxilio hoſtes facillime proſtravit, regales ſeptem duces, quos adverſarii in ſubſidium ſui conduxerant, interfecit, & Anlafum fugam ad naves capeſſere coegit. Rex potita victoria laetus in patriam revertitur, & brevi poſt moritur; cui Edmundus frater in regno ſucceſſit: is fratris fortitudinem aemulans Odonem pari amore ſibi conciliavit. Inter haec moritur Wlfelmus Cantuarienſis. Rex vero Odonis memor illum ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem eligit, & detrectantem impellit. Odo aegre praebens aſſenſum ait, "Noverit Britannia tota me nullo unquam modo conſenſurum, ut in clericali habitu conſtitutus eccleſiae Cantuarienſi praeſideam," quam nullus antea, qui monachus non fuerat, quantum ipſe conjicere poteſt, rexiſſe cognoſcitur. Quod tamen a veritate longe alienum eſt: Nam quoſdam presbyteros fuiſſe ſupra retulimus, ideoque hic repetere non erit inſtituto noſtro commodiſſimum. Quid vero eſt, quod inſana monachorum rabies comminiſci non audeat, unde aliquod monachatus ſui patrocinium in conjugatos ſacerdotes arripiant? Quem ordinem ob illorum conjugium ſanctum omnibus ſpretum & ludibrio habitum Odo conſpiciens, pravo monachorum conſilio inductus ad Floriacenſe coenobium, quod eſt prope Aureliam Galliae civitatem, ſe contulit; in quo monachalem habitum ſuſcepit. Tradunt alii Odonem mare non tranſiiſſe, ſed miſſis a rege legatis ad Floriacenſe monaſterium, abbatem loci cum nonnullis fratribus laeto curſu in Angliam tranſvectos

Ex Archivis.

Eadmerus in Opuſcul. s. Jo. Capgrav. W. Malmſb. Roſſ Hiſtor.

W. Malmſb. Eadmerus in Opuſculis. Fabianus.

Eadmerus in Opuſculis.

Joh. Capgrav. W. Malmſb.

Ab An. Chr. DCCCCXXXIV. — Ad An. Chr. DCCCCLVIII.

transvectos Odoni religionis habitum tradidisse. Utcunque fuerit, non multum laboramus. Odone archiepiscopalem dignitatem administrante, pallium illi ab Agapeto secundo, Romano pontifice defertur. Fuit illi cum Athelstano rege firma familiaritas; quo malitiose in domo sua interfecto, Eadredus frater ejus ab Odone corona regia est insignitus; cum quo non minor amicitia intercessit.

Ranulph. Cest. Eadmerus in Opusculis.

ANNO Domini 940. Anlasus genere Norvegensis, qui regnante Athelstano Northanhumbrorum finibus expulsus fuerat, maxima classe ad littora appulsus Eboracum se contulit: deinde australes Angliae partes invadens, facto tumultu subito regnum Angliae sibi subjugare summis viribus contendebat. Quorum fama cum ad regem Edmundum pervenisset; expedito cursu Legecestriam properat, instructo milite armatus Odonem etiam Cantuariensem & Wlstanum Eboracensem comitatui suo adhibuit; ubi conjunctis copiis ancipiti praelio diu ab utrisque dimicatum est. His ita cedentibus, Archiepiscopi grave utriusque partis discrimen animadvertentes, praecipue vero regni subversionem metuentes, hac conditione inter eos pacem composuerunt; ut Anlasus totam Angliae insulam ad borealem plagam viae regiae, quae **Watlingastrete** dicitur, suae ditioni subjectam teneret: Edmundus vero australis ejusdem callis parte contentus pacifice frueretur: quique superviveret regni totius regimen obtineret. Mirabitur fortasse quispiam, quid causae fuit, cur Odo Archiepiscopus tanti fecerit praefatos reges Edwardum, Athelstanum, Edmundum, Eadredum, & sese cum illis tam intima familiaritate & consuetudine conjunxerit. Res quidem satis aperta est. Munificentissimi enim in monasteria erant; quidam etiam summi monachorum patroni; atque ideo illorum gesta, etsi indignissima, summis laudibus ad sidera usque tollebant. Edwardus enim rex in novum monasterium Wintoniae, quod pater ejus Alfredus construxerat, munificentissimus fuit; quippe portionem terrae satis amplam ab Episcopo & canonicis mercatus est, in qua officinas erigeret, auri marca pro unoquoque pede soluta.

W. Malmsb.

" Stupenda, inquit Wilhelmus monachus, profecto regis abstinentia fuit, " ut tanta se pateretur emungi pecunia, nolens scilicet de rapina paupe- " rum offerre Deo sacrificium." Nec minor fuit regis Athelstani liberalitas. Ille enim duo coenobia Middletonense & Micelnense a fundamentis extruxit; quibus praedia & possessiones satis amplas donavit.

Roff. Histor.

Quot praeterea nova monasteria rex Athelstanus erexerit, Wilhelmus Malmsburiensis se dissimulaturum ait: Illud autem silentio non transiliturum; quod vix aliquid in tota Anglia vetustum fuerit, quod non vel aedificiis, vel ornamentis, vel libris, vel praediis ditaverit: atque ita dedita opera, antiqua recentibus insigniora reddidit; Malmesburiaeque coenobio multa largitus est praedia, chartisque confirmavit. Post hunc Edmundus frater regnum administrabat, qui liberalitate caeteris inferior nullo modo fuit. Glasconiensem enim ecclesiam magnis praediis & honoribus cumulavit, & singulare privilegium concessit.

W. Malmsb.

Edmundo defuncto Eadredus corona regia ab Odone redimitus, & rempublicam administrans, Dunstanum, ut in vita ejus plenius patebit, tam singulari amore prosequutus est, ut omnes regni thesauros illius custodiae commendarit;

W. Malmsb.

cujus gratia nomen aeternis laudibus affecerunt; atque ita regum munificentiam pari officio monachi compensabant, illorum gesta, plane supra merita, persaepius celebrando. Post Edmundum regnavit Edwinus ado-

lescens:

lescens: ille modico amore monachos & eorum praecipuos alumnos complexus est. Huic Odo Archiepiscopus par pari referre cupiens, eodem anno, quo mortem obiit, regis & reginae divortium procuravit; vel quod, ut ambigue quidam referunt, consanguinitate ei conjuncta fuisset; vel quia illam praeter uxorem suam, ut adulteram, adamavit. Tradunt alii Odonem Archiepiscopum tanto furore percitum fuisse in regis concubinas, quarum plures habebat, ut ecclesiae limitibus illis interdixerit. Nec multo post alteram earum, quam rex prae caeteris unice dilexit, armato milite, a curia regis violenter abduxerit; eamque in facie candenti ferro notatam, in Hiberniam perpetuo exilio damnavit. Illa vero, cicatrice obducta, in Angliam rediens ab Odone iterum capta & subnervata est. Rex id aegre ferens, diu dissimulatum odium tandem in omnes Britanniae monachos exerebat: quippe satellitibus missis, quotquot monasticam vitam profitebantur, omnibus facultatibus spoliavit, & majoribus postea calamitatibus affecit; ipsumque Dunstanum monachorum principem in Flandria exulare coegit. Hac tempestate acerba lis & contentio gravis Odoni fuit cum clero Cantuariensi de pane Eucharistico: Alii post consecrationem, priorem in eo manere substantiam; & panem tantum figuram esse corporis Christi, ac vinum sanguinis affirmabant. Quos Odo non solidis Scripturarum argumentis, sed quibusdam praestigiis atque hoc mendaci Satanae miraculo diluere contendebat. Celebrante quodam die ante populum missarum solennia, cum gemitu & lacrymis divinum auxilium implorabat, ut insitum pluribus errorem coelesti quodam miraculo depelleret. Ubi ad confractionem ventum esset, confestim inter manus pontificis fragmenta corporis Christi tenentis, sanguis guttatim defluere coepit; compunctis ad id fortasse digitis. Stans itaque pontifex, & prae gaudio lacrymas uberrime fundens, astantes ministros propius accedere jubet. Illi miraculi novitate perterrefacti alta voce clamant: " O te " inter homines felicissimum; cui hodie Filius Dei semetipsum in carne " dignatus est revelare. Exora, praesul sanctissime, ut in pristinam for- " mam sanguis praesens commutetur; ne nos propter infidelitatis erro- " rem divina ultio sequatur." Oravit ergo, & ad aram respiciens, ubi sanguinem dimiserat, consuetam vini speciem reperiebat. Hujus rei veritatem lectoris judicio liberam relinquimus. Atque hoc fuit transsubstantiationis papisticae initium; quam monachorum foeda turba pro vero miserae plebi obtrusit. Simile quiddam de Marco commentum legimus; cui in ipso communionis articulo corpus Christi ab Angelo ministratum est. Nec illud est praetereundum, quod de Pyamone presbytero refertur; cui aliquando sacrum Christi corpus offerenti ante altare Angelus apparuit, absentium fratrum nomina delens, & praesentium literis mandans. Hisce deliriis & somniis tanquam Apollinis oracula vulgo receptis, miseram plebem in miram fraudem, heu nimium diu, illexerunt. Odone sedente synodum unam tempore regis Edmundi congregavit; qua dissoluta epistolam ad Suffraganeos suos misit: Cujus exemplar, quod eruditionis suae indicium aliquod esse possit, hic subjiciemus ex Wilhelmo Malmsburiensi.

Simeon Dunelm. Roff. Histor. Jo. Capgrav. W. Malmsb. Chron. Eccl. Cant.

Eadmerus in Opusculis.

Joh. Capgrav.

W. Malmsb. Eadmerus in Opusculis. Chron. Eccl. Cant.

Fundamentum Transsubstantiationis papisticae.

Hist. Petrib. Latine.

W. Malmsb.

Epistola Odonis Archiepiscopi ad Suffraganeos suos.

"MIRABILI cunctipotentis praesulis polorum clementia opitu- " lante, ego Odo ecclesiae Domini nostri Jesu Christi Archie- " piscopus, Dorobernensis civitatis Metropolitanus, Coepiscopis fidei " catholicae compagatoribus spirituali charitatis comitatus vigore, meis " confratribus praesentium prosperitatem, aethereique decoris beatitudi- " nem. Si aliquo modo fieri posset, ut totius mundi opes ante nostros " ponerentur obtutus, ita ut imperiali munere nobis universaliter deser- " virent, libenter illa omnia distribuerem: meque ipsum insuper pro ve- " strarum animarum salute impenderem. Quippe cum meipsum a ve- " strae sanctitatis studio cupio & spero corroborari, super eo, in quo Do- " minus Deus nos operarios constituit." Et post multa, quibus onus pon- tificatus exponit, subdidit: " Ideo humiliter quasi indignus, sed indig- " nus precor & hortor sanctitatem vestram, ne tepide & negligenter in " regimine animarum conversemini: ut non in tempore tremendae vin- " dictae conqueratur de vobis Dominus dicens: Pastores non pascebant " gregem meum, sed semetipsos. Et iterum: Principes extiterunt & e- " go ignoravi. Sed potius curemus familiam Domini, super quam nos " constituit rectores, ut cibum demus in tempore suo, mensuram tritici, " probatam scilicet doctrinam. Et quamvis meritorum qualitate non " praesumam consolari & hortari quenquam, quippe qui solus indignus, " & innumerabilium culparum reus, gaudeo & indigeo fraternis admo- " nitionibus fideliter corroborari: tamen propter antiquam authoritatem " praedecessorum meorum, beatae scilicet memoriae Augustini, & alio- " rum sanctorum, quorum studiis regula christianitatis ab hac archiepis- " copali sede cunctis finibus Anglorum innotuit: idcirco istos divinos a- " pices ad utilitatem omnium vestrum citare decrevi; quatenus rex au- " gustissimus, egregio nomine Edmundus, cum omni populo suo imi- " tari gaudeat, quod in nobis, & ex vobis audiat: omnesque gentes, " quae undique regali imperio ipsius subjectae sint, titulos liquidae no- " strae conversationis ovanter sequi ament & delectent." Caetera e- pistolae desunt. Creavit hic Oswaldum nepotem suum Episcopum Wi- gorniensem; quem postea ad Eboracensem transtulit.

Roff. Histor. ANNO Domini 952. Eadredus rex Eboracensem Archiepiscopum Wl- stanum in Withanbiriche in custodiam tradidit; quia frequentes ad eum accusationes deferebantur, quod cives Theodfordenses plurimos interfici W. Malmsb. jussit, ut mortem abbatis Adelini injuria illatam vindicaret. Alii in vin- cula conjectum tradunt, quod Danis rebellantibus fautor & adjutor esset: brevi tamen post reverentiae clericalis respectu libertate donatur: qui fu- Londin. liber. rore & ira ob illatam contumeliam percitus protinus exspiravit. Odo vero, ubi Cantuariensem dignitatem plurimis annis recte administrasset, tandem senio confectus, animam exhalavit; sepultus in ecclesia Christi W. Malmsb. Cantuariensi sub Edwino Anglorum rege jacet. Quo mortuo Elfsinus Wintoniensis Episcopus pretio apud regem Eadgarum obtinebat Cantua- riensis ecclesiae dignitatem. Ingressus Cantium ad Odonis tumulum acce- debat, quem pedibus conculcatum, gravibus etiam convitiis proscinde- bat. Sequenti nocte Odonis effigies illi in somniis visa est, exitium & perniciem

Ab An. Chr. DCCCCXXXIV

Ad An. Chr. DCCCCLVIII.

Roff. Hiſtor.

perniciem minitans. Ille haec pro nihilo ducens, Romam ad pallium recipiendum celeri curſu contendebat. In itinere per Alpes tanto algore oppreſſus fuit, ut nihil aliud remedii ad frigoris injuriam propulſandam comminiſci potuit, quam ut exenteratorum equorum adhuc ſpirantium extis pedes immergeret, quibus Sancti ſepulchrum conculcaſſet: atque ita miſere vitam finivit. Poſt hunc Brithelmus, Wellenſis Epiſcopus, ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem electus eſt: Is, quia rebelles correctionis verbere omnino non cohiberet, a rege Eadgaro ad relictam dignitatem redire juſſus eſt. Cujus loco beatus Dunſtanus omnium judicio comprobatus ſuccedebat.

Ab An. Chr. DCCCCLIX.

Ad An. Chr. DCCCCLXXXVIII

XXIII. DUNSTANUS.



JAMQUE eccleſiae chriſtianae acies tot caecabatur erroribus, ut verbi divini lux a pauciſſimis cerneretur. In hac craſſa & concreta caligine, quae denſior multis annis ante creviſſet indies, Dunſtanus natus eſt. Hujus in illo atro ſaeculo aetas atque geſta prodigioſa, portentiſque, quae illa caecitas miracula vera putabat, plena fuerunt. Itaque quis ac qualis fuerit, ab ipſis incunabulis, uberibuſque ac utero maternis, retexatur. Cujus hiſtoria, quoniam a monaſticis illius ſaeculi ſcriptoribus haurienda nobis eſt, dabit nobis prudens lector veniam, ſi adumbratis fictiſque a ſe Dunſtani laudibus praetermiſſis, eorum tamen verba & narrationes, quae vitae ſuae veritatem oſtendunt, ſequamur. Natus eſt anno primo regis Athelſtani, in ea Angliae plaga, quae ad occidentem poſita, tunc Weſtſaxonia dicta fuit. (Oſbernus. W. Malmſb.) Parentibus ortus utriſque nobilibus, Herſtano patre, matreque Kynedrida, a cujus utero non ſine portento foetus exiit. Sed ab infantia pene literis inſtitutus, cum aetate eſſet provectior, lingua ad eloquendum compoſita & formata, a parentibus ad Glaſconienſem eccleſiam deductus eſt. Ibi ingenuas & liberales artes didicit. Nondum enim coetus monaſticus illam eccleſiam occupavit, abbatiſque nomen penitus erat incognitum; (Jo. Capgrav.) ſed artium profeſſores regiis alebantur ſtipendiis. Si quis autem ab hominum conſuetudine ad ſolitariam vitam ſe vellet abducere, modo ſolus, modo paucioribus conſociatus, patria relicta, capta in aliena regione opportunitate vivendi, vixit peregrinus. (Oſbernus.) Qua occaſione Hibernenſes quidam nobiles habitandi locum a civili turba multitudineque ſejunctum Glaſconiae delegerunt. Ibi adoleſcentes nobiles ingenuis artibus mercede inſtruxerunt. Inter quos Dunſtanus in illa juvenili inſtitutione caeteris inſtructior, ad eas artes, muſicam, & pingendi atque ſculpendi ſcientiam adjecit. Quibus facultatibus non minus quam nobilitate decoratus, a parentibus ad Athelmum Cantuarienſem Archiepiſcopum avunculum ſuum oblatus eſt; a quo benigne ſuſceptus & aliquamdiu retentus, ob indolem, nobilitatem, & doctrinam Athelſtano regi, cui conſanguinitatis etiam jure devinctus fuit, commendatur. Rex adoleſcentem ſumma fovit gratia, eoque magis, quod lyram tam dulciter jucundeque pulſaret.

Quo

Ab An. Chr. DCCCCLIX. — Ad An. Chr. DCCCCLXXVIII.

Osber. & Legenda Dunſtani. — Simeon Dunelm. — Verba Legendae. — Oſbernus. — Verba Oſberni, qui vidiſſe ſe ſcribit.

Quo etiam nomine matronis aulicis foeminiſque, quibus ſibi perinde ac cum Daemonibus frequens commercium fuit, gratiſſimus habebatur. Illae laſcivum juvenem pellexerunt, ut ſacerdotalis ſtolae exemplum artificioſa pictura ſibi proponeret, quam illae artificioſo & acuato opere, ſericis aureiſque filis gemmiſque illuſtrarent. Earum rogatu hoc opus aſſumpta cithara Dunſtanus aggreditur. In quo perficiundo, fingunt monachi, Dunſtani citharam a pariete pendentem, & a nullo tactam, canora & dulci modulatione melodiam Antiphonae, "Gaudent in coelis "animae Sanctorum," &c. perſonuiſſe. Quo prodigioſo eventu perterrita familia exclamavit Dunſtanum nimis ſapere, eaque, quae non expediunt, ſcire, & ad regem deferunt, eum daemoniacis technis praeſtigiiſque imbutum pleraque operari. Rex eum illico aula juſſit cedere, eumque diſcedentem quidam inſidioſe ſequuti ſuppliciis affligunt, vinculiſque conſtrictum in lutoſam paludem conjiciunt. Hac contumelia & ignominia affectus venit ad Elphegum avunculum item ſuum Wintonienſem Epiſcopum: Qui illum tum libidinoſum & laſcivum juvenem, ut a mulieroſitate averteret, multis argumentis hortatus eſt, ut monachiſmum ingrederetur. Sed Dunſtanus juvenem mulierem potius ducere, cujus quotidie blanditiis foveretur, quam monachali ritu bidentinis indui panniculis maluit. Itaque ſpreto avunculi ſui conſilio, ex inteſtinorum tumore graviſſime coepit aegrotare. Hunc ille morbum ſibi coelitus inflictum autumavit, quod avunculi ſpreviſſet conſilium. Itaque accito Elphego monachalis ſuperſtitionis habitum popoſcit, & ſe non caſtitati, ſed coelibatui, vovit. Monachatu ſuſcepto in Glaſconienſi beatae Mariae eccleſia, cujus geſſit titulum, contiguam & adhaerentem eccleſiae parietibus cellam ſuis manibus ac laboribus ſtruxit; quae ſpeluncae magis atque ſepulchri quam humanae habitationis formam prae ſe ferebat. Hujus longitudo quinque pedum erat, latitudo duorum & ſemis, altitudo ſtaturam hominis expreſſit, ſi quis in defoſſa terra conſtiterat. Aliter enim neque ſatis ad pectus porrigebatur. Oſtiolum autem idem fuit quod paries. Haec erat juveni ſimulanti ſanctitatem ex ingenio domus, hic lectus, hoc de mundo ſpectaculum. Sed de hoc monacho hi verſus facti eſſe videntur:

Daemon languebat, monachus tunc eſſe volebat:
Daemon convaluit, Daemon ut ante fuit.

Oſbernus.

Qui enim avunculi ſui conſilio concupiſcentiae nutrimenta oculis amovere debuiſſet, in hac fabricata ſpelunca ſub ſanctitatis ſpecie quotidiano foeminae congreſſu fruebatur. Haec Alfgiva dicta fuit, regali orta ſanguine, atque locuples: Quae Chriſtum a nullo diſcere voluit, praeterquam ab hoc novitio. Cujus ex ore, ut ipſa putabat, melle dulcior fluebat oratio. Itaque tam ſancti ſermonis ſuavitate capta, nec domum redire, nec loco illi diſcedere, ſed cum Dunſtano piiſſimo juvene manere, vivere, morique ſtatuit. Habitaculum ſibi prope eandem eccleſiam fabricavit, cum Dunſtano ad conferendum de Chriſto ſermonem aſſidua fuit, continentiam profeſſa eſt, pauperibus benigna & larga fuit, plures illius ordinis viros in eo loco ſtatuit, quibus victum indies miniſtravit. Tandem morbo gravi & mortifero affecta, Dunſtani ſermone ad extremum anhelitum recreata, teſtamentum his verbis nuncupata eſt. "Je-

"ſum

Ad An. Chr. dcccclix.

Ad An Chr. dcccclxxxviii

" sum Christum rerum mearum haeredem facio: Te vero ejusdem haereditatis tutorem constituo, ut quicquid ipsum cognoveris velle, tui arbitrii sit effectui mancipare." Ea defuncta pecuniam, supellectilem & res mobiles Dunstanus inter pauperes distribuit. Res vero atque praedia ecclesiasticis usibus destinavit. Monachorum hic pater, patronus, & fautor, ex illa tam opima haereditate quinque condidit monasteria & locupletavit. Haec, regnante adhuc Athelstano, antequam aetatis suae annum vicesimum attigisset, gessit Dunstanus. Sed mortuo Athelstano Edmundus ejus frater imperium gessit; qui hunc tam insignem ficta pietate monachum spelunca sua eduxit, & cum proceribus statuit. Proceres vero nunciata regi de libidinibus ejus & praestigiis dispersa fama, eum aula rursus suoque consortio movent. Monachi hunc fingunt, triduo postquam discessit, in regis iterum gratiam prodigiose rediisse. Postridie enim rex in venatione, famulatu casu derelicto, cervum per devia fugientem solus insectabatur, eumque in montis excelsi cacumen canibus egit; ex quo tam cervus quam canes praecipites cecidere, grandique lapsu fracti periere. Rex ipse huc ab equo effraeni, quem cohibere non poterat, vectus, simile praecipitium expectans de salute desperavit. Hoc metu & periculo perplexus invocavit Deum, meminitque Dunstani ex aula pridie ejecti; spopondit se & Deo religiosius serviturum, & Dunstanum in summo honore habiturum, si id discrimen evaserit. Quo facto & emisso voto habenae, quas in cohibendo equo fregerat, redintegrantur, equus quiete restitit, cervus & canes reviviscunt, rexque salvus ad suos redit. Illico ad reducendum Dunstanum missi nuncii; cui redeunti occurrit rex, apprehensamque ejus dextram osculatus: "Agnosco, inquit, " virorum sanctissime, quid in te commiserim mali ab improbissimis hominibus stimulatus. Gratias ago clementiae Dei, qui non solum debitum mihi supplicium noluit inferre, sed etiam a praecipitio montis eripiens longioris vitae spatium in tuo nomine concesserit. Sit ergo inter nos deinceps perfecta familiaritas: sit in disponendis in palatio & regno rebus libera semper tibi facultas." Deinde loca, in quibus Dunstanus genitus, natus, enutritus, educatus aut versatus sit, Dunstano ad coenobia extruenda dedit. Dunstanus itaque, sui ordinis monachorum copiosa collecta multitudine, coenobium, quod tunc solum in Anglia fuit, replevit, ipseque eorum dux ac magister Abbatis nomine primus in Anglia appellatus est. Erat tunc temporis quidam Pulfricius Dunstani frater, qui omnia saecularia monasterii negotia, quibus ex instituto non liceret se monachis permiscere, foris tractabat. Hic moritur. Monachi autem omnes ad ejus funus celebrandum monasterio exeunt; solus Dunstanus cum adolescente quodam suo discipulo domi remansit. Cumque in exequiis monachi moram fecissent, exivit cum adolescente Dunstanus inspectum, an monachi cum fratris cadavere appropinquarent. Illi funebres ex more cantus psallentes prope adfuerunt. Interea saxum quoddam volatile ac rotundum per aerem missum, per caput Dunstani ita transiit, ut ejus pileum triginta passibus a capite decussum projecerat. Qui intrepidus adolescentem discipulum suum jussit illud saxum in terram jam jactum ad se deferre. Quod ita pondere depressum erat suo, ut ab adolescente ne attolli potuit. Deinde peractis exequiis Dunstanus jussit id saxum monasterio illatum, tanquam ad sempiternam miraculi memoriam, reservari.

Roff. Histor. Matt. West. Jo. Capgrav. Osbernus.

Ex vetustissima Dunstani Legenda.

Ab An. Chr. DCCCCLIX.

Ad An. Chr. DCCCLXXXVIII.

PEREMPTO autem a latrunculo quodam, nomine Leof, Edmundo rege, Eadredus ejus frater imperium suscepit. Hunc omnibus justitiae pietatisque laudibus monachi scriptis ac monumentis suis celebrant; quod Dunstanum proceribus suis omnique humano generi praetulisset: Quem Dunstanus etiam charissimum suum solita acclamatione semper appellavit. Hic supellectilem suam praecipuam, regalis haereditatis atque juris instrumenta, regni thesauros, & a se acquisitas gazas in Dunstani monasterio locavit & condidit: regnum denique, corpus, animamque adeo suam Dunstano commisit. Omnia jam in Dunstani potestatem venerunt; neque quicquam, non modo in publicis regni negotiis, sed in suis pene privatis rebus gerere inconsulto Dunstano ausus est. Proinde regiam is solus ubique potestatem exercuit: In qua totus laboravit, ut ecclesias, quas aut ipse fundaverat, aut ab aliis conditas Danorum incursio destruxerat, renovaret, praediisque amplis ditaret. Ab hoc conatu Eadredi regis morte Dunstanus repulsus & prohibitus est: Qui cum imminere sibi mortem perspexisset, thesauros in Dunstani custodia positos, ut de his adhuc vivus disponeret, repetit. Itaque Dunstanus ad monasterium, ubi reponebatur thesaurus, profectus, cum jam regiis opibus onustus & sarcinatus reverteretur, vocem e summo aethere demissam sibi nunciantem audivit: Eadredum obdormivisse in Domino. Huic Edwinus Edmundi filius successit: Qui pleraque, quae Dunstanus patris, ac avunculi sui temporibus, totam rempublicam administrans ecclesiis adjecerat, iterum detraxit. Quod Dunstanus graviter ferens coepit regem liberius increpare. Rex vero ejus increpationes leviter lusit, & minis eum ab aula deterruit. Itaque jam tertio aula regia Dunstanus abiens ad monasterium suum Glasconiae secessit. Monachi hunc regem, quia Dunstano suo adversus fuit, inconsiderata libertate seu temeritate scribentes, parum verecunda narratione infami notant turpitudine: Regem, eo ipso die, quo sacratus fuit, cum in frequentissimo conventu procerum de regni administratione ageretur, se ab illis cum lusu & saltu leviter subduxisse; & in venustae cujusdam foeminae, cujus formam deperibat, complexum invasisse, eamque in thalamum ductam vitiasse. Omnes regis immodestia permoti tacite murmurare coeperunt. Dunstanus autem cum Cynesio Episcopo consanguineo suo thalamum ingreditur; regemque impudice lascivientem tam e lecto, quam e thalamo, vi trahit, authoritateque Odonis Cantuariensis Archiepiscopi ejusdem foeminae consuetudini renunciare fecit. Hoc regis factum dum monachi cupidius avent prodere, ipsi se suaque mendacia produnt. Quidam mulierem a rege concupitam Alfgivam, quidam Athelgifam, nuncupant. Quidam regi eo sanguinis gradu cognatam, quo jure pontificio conjugari non poterant: alii ejus concubinam, alii alterius conjugem, quem rex occidi jusserat, fuisse scribunt. Quibus inter se dissentientibus & contrariis monachis, vetustissimus, integerrimus & doctissimus inter eos antiquitatis scriptor, etsi monachus non fuerat, Henricus Huntingdonensis, nihil scribit de Edwino gravius; quam quod prospere & laudabiliter rempublicam administrasset, bonaque feliciter gesti imperii initia posuisset; sed anno sui regni quinto immatura morte a patria sublatus fuerit. Ex his monachorum etsi discrepantibus fabulis, constat Dunstanum impudentissime in regis ingressum thalamum, eaque gessisse, quae sacerdotalis aut christianae non sunt verecundiae. Nam caeteras hujus narrationis varietates consulto

Verba Osberni.

W. Malmsb. Joh Capgrav. Simeon Dunelm. Fabianus. Roff. Histor.

Henr. Huntingdon.

Ab An. Chr. DCCCCLIX. | Ad An. Chr. DCCCCLXXXVIII.

ſulto omittimus. Rex Dunſtanum proſcripſit, nec aula ſolum ſed regno ejecit, monaſterii Glaſconienſis bona poſſeſſioneſque diripuit, & in monachos, qui tum in Anglia pauci fuerunt, ea geſſit, quae in Odonis vita ſupra commemorata ſunt. Dunſtanus in Flandriam profugit, & in Gandavenſi, vel Blandinenſi coenobio uno anno exulat. Poſt ejus diſceſſum ſcribunt monachi auditam de cryptis monaſteriorum vocem plaudentis Diaboli gracilem & canoram, quaſi mulierculae immoderate ridentis & cachinnantis: Cui Dunſtanum fingunt reſpondentem, ut de exilio ſuo non laetetur; quod eo reverſo triſtior erit, quam nunc exulante gaudere poſſit. Interea Mercii & Norrenſes, ac inter Humbrum & Thameſim mediterranei in regem arma capiunt. A quibus autem hic tumultus motus fuerat, monachi caute omittunt. In hoc tumultu Edgarus regis frater regni partem obtinet. Hi multis utrinque illatis praeliis regni vires labefactarunt; ſed Edgarus tandem potior, convocato ad Brandanfordiam regni concilio, fratris Edwini acta & decreta reſcindit, ablatas eccleſiis & monaſteriis opes reſtituit, Dunſtanumque ab exilio ad priſtinum honorem revocat; deinde ad Epiſcopatum Wigornienſem nolentem, ut aiunt, & volentem promovit; poſtea ad Londinenſem, tandem biennio vix tranſacto ad Cantuarienſem Archipraeſulatum. Hos omnes Epiſcopatus invitum & importuniſſimo regis rogatu victum Dunſtanum ſuſcepiſſe monachi ſcribunt: ſed Dunſtanum laudandi potius quam veritatis declarandae ſtudio provecti vanitatem ſaepe adhibent orationis. Alibi enim ſcribunt; cum Eadredus Cridienſem ei Epiſcopatum obtuliſſet, iſque, quanquam acerrime petente & inſtante tam rege, quam regina ejus matre, repudiaſſet; proxima nocte adfuiſſe ſibi in ſomnis Petrum, Paulum, ſanctumque Andream ſtrictos gladios manibus tenentes. In Petri gladio haec ſententia literis aureis inſculpta fuit. "In principio "erat verbum." In Pauli & Andreae gladiis nomina tantum ſua. Hos illi gladios offerebant. Andreas, qui patronus & vitae ſuae Deus aſſidue ab eo cultus fuit, hilari eum vultu intuens: "Tollite, inquit, jugum me"um ſuper vos," &c. Petrus autem juſſit eum laevam extendere, quam his verbis molliter ferit. "Sit haec plaga poena tibi abjecti, & ſignum "ulterius non abjiciendi pontificatus." Dunſtanus regi poſtridie hoc viſum narrat. Rex conjector ſomnii: "Increpavit te, inquit, Petrus, quod ju"gum Domini contempſeris. Tres Apoſtolorum gladii praenunciant te "in eccleſiis illorum nominibus dicatis pontificiale jus habiturum, in Wi"gornienſi ſcilicet atque Londinenſi. Sed quod in Petri gladio ſcriptum "fuit. In principio erat verbum. Verbum autem eſt unigenitus Dei Fi"lius, indicat te Cantuarienſi eccleſiae, quae Chriſti nomini dicatur, quon"dam praeficiendum." Hoc fabuloſum cum interpretatione regia ſomnium, ex ſua ipſa ipſius hypocriſi natum & monachorum ſuperſtitione divulgatum, inanis hominis ambitionem, gloriaeque & honorum cupiditatem oſtendit: Nam ex omnium ſcriptis conſtat Elfſinum hominem a Dunſtano ac Odone totoque monachorum ordine, & illo adulterino coelibatu alienum, Dunſtanum tam in Wintonienſi, quam Cantuarienſi praeſulatu antevertiſſe. Hunc monachi, quibus in amore atque odio nihil inanius, futilius, aut mendacius, contumeliis atque probris exagitant: Sedes Epiſcopales largitione invaſiſſe atque tenuiſſe ſcribunt; quodque Romam pro pallio tendens, in Alpibus frigore nivis atque gelu correptus moritur: id illi mendaci oratione amplificant, & mirabili divino ſupplicio aſcribunt.

Osbernus. W. Malmsb. Jo. Capgrav.

Osbernus.

Osbernus. Jo. Capgrav.

bunt. Sed Dunſtanus, qui unum oblatum Epiſcopatum reſpuit, idem poſtea duos, Wigornienſem atque Londinenſem, conſcientia ſalva minimeque turbata, ſimul tenere poterat. Cujus exemplo poſtea Leofwinus tempore regis Edgari Lindisfarorum, qui nunc dicitur **Lincolne**, & Leogeceſtrenſium duos Epiſcopatus copulavit: & Oſwaldus, de quo crebra futura deinceps eſt mentio, Eboracenſi Archiepiſcopatui, & Wigornienſi praeſulatui, eodem Dunſtano adjutore, una praeſidebat. Quem etiam ſequutus Adulfus utramque eccleſiam poſſidebat. Quibus hoc indulgent & ignoſcunt, omnium iniquiſſimi cenſores, monachi, quia ex eorum grege ordineque fuerant: at Wlſtanum eandem ob cauſam, qui habitu diſcrepabat, reprehendunt: Dunſtani quaecunque dicta, facta, geſta, miracula fingunt. Cum in Wigornienſem Epiſcopatum Cantuariam conſecrandus veniſſet, Odo Archiepiſcopus in toto conſecrationis ritu Archiepiſcopali eum honore tractavit: ob quod ab aſtantibus clericis reprehenſus; "Scio, inquit, Filii, quid in me operatur Deus; non poſſum "non illud facere, quod faciendum Spiritus Dei dignatus eſt praecipere. "Me vivente Wigornienſis eccleſia hunc habet paſtorem, me autem "mortuo & Cantiorum erit Archiepiſcopus, & adverſus mundi princi-"pem fortiſſimus praeliator." Cum vero Odone mortuo Cantuariam poſtulatus veniſſet, primo adventus ſui die cum altari aſſiſteret, populoque ex veteri more panem diſtribueret, domus nube repente contecta eſt, & columba e coelo delapſa, dum miſſale ſacrificium faceret, illi inſedit. Peracto autem ſacrificio columba ad Odonis volans tumbam ibi quieverat; quae in pyramidis modum ex auſtrali altaris latere conſtructa fuit. Ab illo die Dunſtanus Odonem ſemper coluit & reveritus eſt, eoque tranſiens flexis genibus & capite nudato conſuevit dicere: "Requieſcat Ode "Se gode," id eſt, Odo bonus. Haec & hujuſmodi daemoniaca ſpectra pro veris diviniſque miraculis in Dunſtano laudanda commemorant monachi; quod eorum acerrimus dux & propugnator contra pios verbi miniſtros licite conjugatos fuerat. Nam adepto Cantuarienſi Archiepiſcopatu omni opera & contentione in propagando per totum regnum monachiſmo, & abrogando miniſtrorum conjugio, laborabat. Ad hanc ſumma ei adjumenta & praeſidia tam a Johanne papa & Edgaro rege, quam ab Oſwaldo & Ethelwaldo Epiſcopis, atque monachis, undique comparata ſunt. Qui omnes quales fuerint, non alienum erit paucis indicare. Johannes, papa ejus nominis decimus tertius, totam vitam in vario concubinatu peregit; tandemque cum ſe ſtrenui cujuſdam viri uxore ex urbe ambulans oblectaret, ab eodem pugione perculſus multiſque confoſſus vulneribus octo poſt diebus interiit. Edgarum ipſum regem monachi tradunt homicidam, tyrannum, & mulieroſum fuiſſe: Cujus libido in illam arctiſſimam monialium caſtitatem irrepſit. Id Wlfhildae monachae adumbrata indicat ſanctimonia: cujus libidine fervens diu rex tandem ſeptennali poenitentia reſipiſcit. Oſwaldus Odonis Archiepiſcopi avunculi ſui conſilio peregre Floriacum in Guaſconia ſtudii cauſa profectus, illas vaticinandi & recondita proferendi artes, quas Manticas appellant, veſanas ſane & praeſtigioſas, interque eas Necromanticam omnium teterrimam, apprime didicit. Ex hac prodigioſa ſchola auditores multos in Angliam evocavit; quos, induto monachiſmo, abbatiis multiſque affecit honoribus. Hinc eodem tempore prodiit nequiſſimus impoſtor Gilbertus; qui papatum poſtea gerens, Sylveſter ſecundus dictus eſt. Hic, ut

W. Malmſb. Ranulph. Ceſt.

Oſbernus. W. Malmſb. Jo. Capgrav.

Jo. Capgrav. in vita Wlfhildae.

Ab An. Chr. DCCCCLIX. — Ad An. Chr. DCCCCLXXXVIII

ut ars sua valeret fortior, daemonibus se addixit atque consecravit. Quod a suae sectae scriptoribus proditum est. Eodemque tempore in eadem schola vixit monachus Constantinus: Grammatica professione clarus, sed Necromantica infamis; inter cujus transmarinos amicos & familiares in Anglia fuit Oswaldus quidam huic nostro cognatus. Porro Ethelwaldus in Glasconiensi coenobio educatus monachismum suscepit sub ipso Dunstano. Cujus juvenilis aetas primo palam, deinde clam in libidinibus acta, senilis ambitiosissima fuit, & in his daemoniacis stupendis horrendisque praestigiis desiit. Hic, ut sanctas & in paradiso a Deo omnium conditore institutas nuptias deleret, dum paradisum sanctitate superare contendit, Anglicanam ecclesiam impuro coelibatu, & spurco monachatu atque clero polluit. Ad Johannem papam pro pallio profectus petiit authoritate papali ejiciendi e coenobiis conjugatos clericos, & monachos inducendi, sibi concedi potestatem. Hoc moechus papa, qui legitimo thoro astringi noluit, indulsit facile. Deinde in Angliam reversus cum rege Edgaro concubitu pariter vago delectato, de suo regio consensu tam infelici negotio adhibendo agit. Is eadem mente & facilitate, qua papa tam impurus, assensus est. Quicquid enim Dunstanus voluit, quasi a Deo profectum fuisset oraculum, id rex statuit atque vetuit. Nihil jam his nefandis suscipiendis conatibus defuit, quam ut Oswaldus & Ethelwaldus ad pontificales veherentur dignitates. Quod Dunstanus facile impetravit. Erant tunc temporis plures & digniores Episcopi consanguinitate tum copulati. Odo enim Cantuariensis & Oskitellus Eboracensis Archiepiscopi sanguine propinqui fuerunt. His duobus Oswaldus consanguineus. Dunstani ex altera parte cognatio fuit cum Athelmo Cantuariensi Archiepiscopo, Elphego Calvo Wintoniensi, & Elphego juniore abbate; qui postea etiam Wintoniensis Episcopus fuit; tum Wlfsino Sciréburnensi Episcopo, qui prius abbas Westmonasteriensis fuerat. His cognationibus juncti se invicem potiundis Episcopatibus, tanquam propriis haereditatibus, juverunt. De quo adhuc extant ab illis saeculi atque sectae scriptoribus variae querelae. Itaque regem acriter hortatur Dunstanus, ut Oswaldus praedecessoris sui Odonis fratruelis, & Ethelwaldus Abindoniae abbas, Episcopi crearentur. Oswaldum illico consecravit Dunstanus Wigorniensem Episcopum, anno Domini 960. annoque sequenti, mortuo Brithelmo, Ethelwaldum Wintoniensem Episcopum. His gestis, de ejiciendis e coenobiis & celebrioribus ecclesiis conjugatis clericis actum est. Haec enim hujus consilii reique gerendae ratio fuit; ut quaecunque Dunstanus decreverat, ea rex & papa authoritate sua rata facerent: Oswaldus vero & Ethelwaldus a Dunstano decretorum & imperatorum ministri, & mandatarii executores fierent. Primum itaque hi monachales Episcopi delatorum & accusatorum personas gerunt; criminibusque instructi adeunt Dunstanum Primatem suum. Narrant ordinem clericalem, qui integerrimus esse debet, jam ea turpitudine notari, ut laici in vitae conditione clericis potiores haberentur. Crimina hoc tempore in specie contra clericos exposita non fuerunt; sed scriptores incerta & varia multa referunt. Quidam eos elatione, insolentia, ac luxuria depravatos sacrorum celebrationem negligere, uxores repudiare, aliasque illicite ducere, gulae & ebrietatibus vacare, bonaque ecclesiae dissipare, & substitutis vicariis, quibus modica alimenta decernebant, chori laborem subterfugere, scribunt. Quos, cum corrigi nollent, rex praebendis mulctavit,

W. Malmsb. Platina. Sabellicus. Benno Card. In vita Hildebrandi. Joh. Capgrav. Osbernus. Simeon Dunelm. Rog Hoven. Jo. Capgrav.

mulctavit, easque vicariis contulit; qui hac dignitate elati alios suo loco posuerunt vicarios, & prioribus ipsi pejores extiterunt. [W. Malmsb.] Quidam, nullo objecto crimine, recusasse tantum monachalem habitum presbyteros affirmant. Alii nihil in eos dicunt acerbius, quam etsi religiosi & dignissimi essent clerici, tamen thesauros, quos congessissent avidius, non ad ecclesiae honorem, sed suis solebant dare uxoribus. [Monachus Wig. in vita S. Oswaldi.] Rex ipse Edgarus oratione ad clerum habita inter alia crimina clericis objicit; non fuisse illis coronam patentem, nec tonsuram convenientem. Sed quocunque notabatur sacerdotum vita vitio, hi delatores & calumniatores conjugiis insidiantes petunt a Dunstano consilia correctionis. Is se monachisque dignam proferens sententiam: "Aut canonice, inquit, vivendum est, aut ecclesiis exeundum." Horum itaque fuit hanc duram a Dunstano pronunciatam exequi sententiam. Canonicum nihil statuebant, quod cum legitimis nuptiis conjunctum fuit. Itaque conjugati, dum monasticam illam vitam execrarentur, cum liberis & uxoribus nunc primum ex celebrioribus collegiis & ecclesiis sunt exclusi. Qui, rege adito, Dunstanum injuriarum accusant, se virtutis religionisque sectatores magis quam monachos esse asserunt; petunt, ut is de hac injuria coram rege conveniatur. Rex causam judicibus delegavit; qui cum Wintoniae in monachorum conclavi frequenti consessu de ea re agerent, pluriumque jam suffragiis de presbyteris restituendis decerneretur, prodigiosa vox audita subito est: "Non bene sentiunt, qui presbyteris favent." [Annales Episcoporum ecclesiae Wintoniensis.] Vel, ut in pariete scribebatur, teste Joanne Capgravo, qui hoc ipse suis oculis vidit: "Humano more crux praesens edidit ore. Coelitus affata, quae perspicis hic subarata. Absit hoc ut fiat: absit hoc ut fiat: Judicastis bene, mutaretis non bene." Omnis jam turba sedata discessit, reque pene desperata, ac animis demissis presbyteri cedunt monachis. [Polydor.] Nova jam per australem Angliae regionem surgunt monachorum moenia, sumptibus regis, consilio Dunstani, assiduitate vero & indefessis laboribus Oswaldi, sed potissimum Ethelwaldi. [W. Malmsb.] Incredibile illius aevi scriptoribus visum fuit, unius urbis Episcopum tot tantaque condidisse monasteria, quae ne regiis quidem facultatibus erigi posse quis putarit. Huic indicio sunt Eliense, Burgense, & Thorneiense, coenobia: quorum Ethelwaldus prima jecit fundamenta, eaque perfecit. Nec dubium esse potest, quin his aliisque condendis sumptus regii ministrabantur; quorum tamen eo mortuo multa diruta, extenuata vero & diminuta certe sunt singula. [W. Malmsb.] Hac Dunstani, Oswaldi, & Ethelwaldi vehementia & atrocitate incitati Beornellus Scotorum Episcopus, & Seclo vir doctus: ille his coeptis restitit in sua dioecesi: [Leland.] hic acerrimis verborum ac sententiarum aculeis carmine scriptis monachorum turbam lacessivit tam argute & facete; ut legenti singulis pene versibus non minorem fidem de illius ordinis sordibus & improbitate faciat, quam ad eorum ludibrium & contemptum risum moveat. [Simeon Dunelm.] Sed illi nullis maledictis aut opprobriis ab incoepto desistunt. Ethelwaldus itaque primus hoc regis & Dunstani decretum executioni mandavit: annoque Domini 963. jussu regis Edgari presbyteros conjugatos cum liberis & uxoribus veteri monasterio Wintoniensi exclusit; [Annales Episcoporum ecclesiae Wintoniensis.] eorumque loco monachos recepit anno Domini 967. novumque monachorum coenobium cum Middletonensi coenobio prope civitatem Wentanam, quae Hida dicebatur, eodem anno condidit. Quo etiam anno rex Edgarus in monasterio Ramesiae, quod avus suus Edwardus major construxerat, monachas collocavit;

Ad An. Chr. CCCCLIX. | Ad An. Chr. DCCCCLXXXVIII

cavit; quibus Merwinam abbatissam praefecit. Tum biennio post Dunstano, Oswaldo, & Ethelwaldo praecepit, ut e majoribus per Merciam coenobiis, amotis conjugatis, monachos collocarent: Hujusmodi usus oratione.

Oratio Edgari.

“QUONIAM magnificavit misericordiam suam Dominus, facere nobiscum dignum est, O Patres reverendissimi, ut innumeris illius beneficiis, dignis respondeamus operibus. Neque enim in gladio nostro possidemus terram, & brachium nostrum non servavit nos: sed dextra ejus, & brachium sanctum ejus; quoniam complacuit illi in nobis. Justum proinde est, ut qui omnia subjecit sub pedibus nostris, subjiciamus illi & nos & animas nostras: & ut hi, quos nobis subdidit, ejus subdantur legibus, non segniter elaboremus. Et mea quidem interest laicos cum aequitatis jure tractare, inter virum & proximum suum justum judicium facere, punire sacrilegos, rebelles comprimere, eripere inopem de manu fortiorum ejus, egenum & pauperem a diripientibus eum. Sed & meae solicitudinis est ecclesiarum ministris, gregibus monachorum, choris virginum & necessaria eorum procurare, ac saluti & quieti vel paci consulere. De quorum omnium moribus ad nos spectat examen: si vixerint continenter, si honeste se habeant, ad eos qui foris sunt: si divinis officiis soliciti, si ad docendum populum assidui, si victu sobrii, si habitu moderati, si in judiciis sint discreti. Pace vestra loquor, reverendi Patres, si ista solerti scrutinio curassetis, non tam horrenda & abominanda ad aures nostras de clericis pervenissent. Taceo, quod non est illis corona patens, nec tonsura conveniens. At in veste lascivia, insolentia in gestu, in verbis turpitudo, interioris hominis produnt insaniam. Praeterea in divinis officiis quanta sit negligentia, cum sacris vigiliis vix interesse dignentur, cum ad sacra missarum solennia, ad ludendum, subridendum magis quam ad psallendum congregari videantur. Dicam quod boni lugent, mali rident: dicam dolens, si tamen dici potest, quo modo diffluant in commessationibus, in ebrietatibus, in cubilibus & impudicitiis: ut jam domus clericorum putentur prostibula meretricum, conciliabulum histrionum. Ibi aleae, ibi saltus & cantus, ibi usque ad medium noctis spatium protractae in clamore & horrore vigiliae. Sic patrimonia regum, eleemosynae pauperum, imo, quod magis est, illius pretiosi sanguinis pretium profligatur. Ad hoc ergo exhauserunt Patres nostri thesauros suos? Ad hoc fiscus regius, detractis redditibus multis, elargitus est? ad hoc ecclesiis Christi agros & possessiones regalis munificentia contulit, ut deliciis clericorum meretrices ornentur, luxuriosae convivae praeparentur, canes ac aves & talia ludicra comparentur? Hoc milites clamant, plebs submurmurat, mimi cantant & saltant: Et vos negligitis, vos parcitis, vos dissimulatis. Ubi gladius Levi, & zelus Simeonis; qui ut scorto abutentes filia Jacob Sychemitas, eorum habentes figuram, qui Christi ecclesiam pollutis actibus foedant, etiam circumcisos succiderunt? Ubi spiritus Moysis, qui caput vituli adorantibus etiam domesticis sui sanguinis non pepercit? Ubi

“pugio

“ pugio Phinees ſacerdotis, qui fornicantem cum Madianita confodiens ſancta hac aemulatione Deum placavit iratum? Ubi ſpiritus Petri, cujus virtute perimitur avaritia, haereſis Simoniaca condemnatur? AEmulamini, o ſacerdotes, aemulamini vias Domini, & juſtitias Dei noſtri. Tempus inſurgendi contra eos, qui diſſipaverunt legem Dei. Ego Conſtantini, Vos Petri, gladium habetis in manibus. Jungamus dextras, gladium gladio copulemus: ut ejiciantur extra caſtra leproſi, ut purgetur ſanctuarium Domini, & miniſtrent in templo filii Levi: qui dixit patri & matri, Neſcio vos; & fratribus ſuis, Ignoro vos. Agite quaeſo ſolicite; ne poeniteat nos feciſſe quod fecimus, dediſſe quod dedimus: ſi viderimus illud, non in Dei obſequium, ſed in peſſimorum luxuriam, impunita libertate conſumi. Moveant vos ſanctorum reliquiae, in quibus inſultant: veneranda altaria, ante quae inſaniunt. Moveat vos anteceſſorum noſtrorum mira devotio, quorum eleemoſynis veſania clericalis abutitur. Proavus meus Ethelwlphus, ut ſcitis, omnem terram ſuam eccleſiis & monaſteriis decimavit. Sanctae memoriae atavus meus Aluredus, ut eccleſiam ditaret, non theſauris ſuis, non patrimonio, non ſumptibus, non redditibus parcendum putavit. Avus meus Edwardus ſenior quanta contulerit eccleſiis, paternitatem veſtram non latet. Pater meus & frater quibus donariis Chriſti altaria cumulaverint, meminiſſe vos decet. O Pater Patrum Dunſtane, contemplare quaeſo patris mei oculos ab illa lucida coeli plaga in te radiantes. Audi querulas ejus voces cum quadam pietate in tuis auribus reſonantes: Tu mihi pater Dunſtane: Tu mihi de conſtruendis monaſteriis, de eccleſiis aedificandis conſilium ſalubre dediſti: Tu mihi adjutor in omnibus & cooperator extitiſti: Te quaſi paſtorem, patrem, & Epiſcopum animae meae, morumque meorum cuſtodem elegi. Quando tibi non parui? quos unquam theſauros tuis conſiliis praetuli? Quas poſſeſſiones te praecipiente non ſprevi? Si quid pauperibus erogandum exiſtimabas, praeſto fui: Si quid conferendum eccleſiis judicabas, non diſtuli: Si quid monachis, clericiſve deeſſe querebaris, ſupplevi. AEternam dicebas eleemoſynam eſſe, nec aliam fructuoſiorem, quam quae monaſteriis eccleſiiſve confertur; qua Dei ſervi ſuſtententur, & quod ſupereſt, pauperibus erogetur. O pretioſam eleemoſynam, & dignum animae pretium. O peccatis noſtris ſalubre remedium: quod a ſinu Sibyllae in peregrini muris pellicula foetet, quod ejus auriculas ornat, quod componit digitulos, quod corpus delicatum in byſſo ſtringit & purpura. Ecce, Pater, eleemoſynarum mearum fructus, & tuae permiſſionis effectus. Quid huic querimoniae reſpondebis? Scio, ſcio: Cum videbas furem, non currebas cum eo, nec cum adulteris portionem tuam ponebas. Arguiſti, obſecraſti, atque increpaſti. Contempta verba ſunt; veniendum eſt ad verbera, & non deerit tibi poteſtas regia. Habes hic tecum venerabilem Patrem Ethelwaldum Wintonienſem Epiſcopum. Habes reverendum Praeſulem Wigornienſem Oſwaldum. Vobis iſtud committo negotium; ut & epiſcopali cenſura, & regia authoritate, turpiter viventes de eccleſiis ejiciantur, & ordinate viventes introducantur.”

Simeon Dunelm.

HAC oratione Oſwaldus animatus, exemplo Ethelwaldi, preſbyteros conjugatos, quique monachalem reſpuebant habitum, ex Wigornienſi eccleſia ejecit. Retinuit autem eos, qui ſibi aſſenſere, eiſque Winſinum decanum praefecit. Tanta deinde vigilantia & celeritate a tribus his monachorum anteſignanis confectum negotium eſt; ut neque cujuſquam, nec ſua ipſorum opinione commodius citiuſque geri potuit. Nam ex illa regis oratione, eos ſolos ordinate vivere judicabant, qui a nuptiis abſtinuiſſent; conjugatos autem, etſi immaculati thori jura ſervaſſent, impudice. Itaque deturbatis ex frequentiſſimis eccleſiis preſbyteris, quadraginta & octo coenobia, procurante Dunſtano, paucis hujus regis annis, monachis completa fuerunt. Sed cum monachorum ſtatus tanta iſtorum arte & induſtria compoſitus, firmiſſimus putabatur; poſt obitum regis Edgari magnam calamitatem & vaſtitatem, pene etiam interitum occaſumque, ſenſit. Anno antequam deceſſit Edgarus, grandis & horribilis terrae motus totam Angliam quateſecit. Is, anno aetatis ſuae triceſimo tertio, regnique in Mercia Northumbriaque provinciis undevigeſimo; in tota vero Anglia decimo ſexto, mortale corpus exuit. Eo mortuo ejecti ante preſbyteri repetunt dignitates; quibus tam injuſte peneque hoſtiliter ſpoliati ſunt. Hos juvant tam Alfrida regina regis demortui conjunx, quam Alferus Merciorum princeps, & plerique regni proceres, indignum judicantes veteres colonos novae religionis praetextu ab advenis & peregrinis deturbari: Hoc tam atrox & inſigne praejudicium clericorum ab aliis regni incolis juſte timendum eſſe, niſi illud mature ſuccidatur. Itaque abbates atque monachos ex Merciorum & occiduae Angliae coenobiis ejiciunt, & preſbyteros cum liberis & uxoribus reſtituunt. His Athelwinus orientalis Angliae dux, & Alfwolfus germanus ſuus, ac Brithnothus comes acerrime reſtitere. Qui ſe non laturos profitentur monachorum expulſiones; quorum ſcenica & adumbrata divini cultus ſpecie erant allecti: &, ut monachos in ea provincia clauſtris ſuis ſeptos defenderent, arma capiunt. Inter hos motus orta eſt gravior de rege eligendo diſſenſio. Nam quidam Edwardum ex Ethelfleda Candida, Ordmeri ducis filia, quam rex non in conjugio, ſed in concubinatu, complexus eſt, natum; quidam Ethelredum regis ex Alfrida regina juſta conjuge filium, ſed pene infantem, popoſcunt. In hunc major pars nobilium convenit. Sed Archiepiſcopi Dunſtanus & Oſwaldus cum Epiſcopis & abbatibus conſpirantes, in alteram partem, qua de Edwardo concubinaria regis prole aſſenſum eſt, diſceſſionem fecerunt, hoc ſibi & monachis tutius eſſe cernentes. Ethelredus enim minor & vix ſeptennis adhuc erat, qui jure regni in matris eſſe debuit tutela; cujus erga monachos voluntas ante nota & perſpecta fuit. Itaque reclamantibus regina & plurimis proceribus Dunſtanus Edwardum conſecrat, regemque ungit, anno 975. Eodem anno cometae ſtella Anglis apparuit, quam & agrorum ſterilitas & dira hominum fames, & jumentorum atque pecorum lues mox ſequuta eſt. Dunſtanus autem nactus ex ſententia regem, de monachorum ſuorum rebus certius ſtabiliendis ſolicitus, concilium in orientalis Angliae villa, quae **Kirtling** dicebatur, anno 977. indixit. Ibi cum monachorum labenti conditioni ſuccurrere voluit, nihil profecit. Itaque hoc diſſoluto concilio aliud in regia villa in Wilceria, quae **Calne** vulgo appellabatur, coëgit. In hoc concilio prodigioſum ſe Dunſtanus, non argumentoſum,

Simeon Dunelm. Roff. Hiſtor.

Simeon Dunelm.

Simeon Dunelm.

gumentoſum, oſtendit. Cum enim multis rationibus de preſbyterorum conjugiis & monachorum coelibatu utrinque cum ſumma contentione controverteretur: Alfrida regina Alferum Merciorum comitem provocavit, ut Beornellum Scotorum Epiſcopum, de quo ante diximus, huic concilio curaret intereſſe. Is doctrina & facundia ſingulari ſacerdotum conjugia defendit, & ſimulatam monachorum caſtitatem oppugnavit: Adverſarios apertis Scripturarum locis obruit ac refellit: Et conjugatorum pars in hoc concilio ſuperior fuiſſet, niſi Dunſtanus prodigiis potius quam argumentis certare ſtatuiſſet. Nam & ante regem, quem continuo obſequio & adulatione tractavit, ab hoc coetu abeſſe voluit, cauſans aetatem, cum tamen, ſuperiori concilio interfuiſſet. Et cum monachorum cauſam labefactari ſenſit; ſenio, cum paulo amplius quam quinquagenarius eſſet, ſe jam debilitatum, & pluribus in eccleſia exantlatis laboribus fractum conqueſtus eſt: Non eſſe ſuum aut ſtudiis incumbere, aut de argumentorum vi, vel Scripturarum authoritate, haerere ac perpendere. Hujuſque generis diſputationes ſibi moleſtas ac odioſas videri: "Quibus, inquit, ipſa, quam in hoc concilio partam putatis, victoria e manibus veſtris eſt illico exciſura; neque veſtras rationes aut voluntatem in ea parte ſequemur." Sic ait: Et dicto citius, coenaculum, in quo totus omnium ordinum coetus conſidebat, poſtibus axibuſque, quibus aedificium cohaerebat, ſolutis ſubito concidit; unaque praeſules, proceres, equites, nobiles pariter ac ignobiles corruerunt: Quorum interempti multi, plerique mutilati fuerunt. Dunſtanus ſolus ex trabe quadam apprehenſa reſtitit, ſine caſu aut aliqua laeſione ſalvus. Qui legendam Dunſtani ſcripſit, ut hoc prodigium inſtar miraculi divini haberetur, dicit ſolos Dunſtani hoſtes praecipitatos, & ruentium trabium pondere oppreſſos, reliquos ſolo caſu turbatos, nullo diſcrimine aut laeſione affectos. At hic, qui per aetatem ſuam cauſam Scripturis & ratiocinando defendere nequit, quinquageſimum jam tertium attigit aetatis ſuae annum. Fuiſſet haec aetas, ut in pleriſque noſtri aevi ſenibus, potiſſimum Epiſcopis atque clericis, conſpicimus, & viribus ac ſanitate corporis ſatis fulta, & in Scripturis erudita, aut illis percipiendis dedita; niſi Dunſtani vitioſa adoleſcentia, animuſque praeſtigiis imbutus & involutus ei jam tantillo ſeni & corpus effoetum, & mentem a Deo ſanctiſque Scripturis alienam reddidiſſent. Sed nec hujus domus, in quam omnium ordinum tam conſpicui clarique viri conſulto convenerunt, tam repentina ruina humana fraude & ope diabolica carere potuit. Quis autem crediderit divinam opem, aut ab eo invocatam, aut ei datam fuiſſe, cui in aliqua controverſia ſacrarum Scripturarum, Verbique citata loca & teſtimonia diſplicuerant? Divina praeterea vindicta, ne Sanctis implorantibus, in juſtiſſima cauſa ſemper adeſt. In qua quidem re legimus, quam pie atque juſte Salvator noſter Apoſtolos rogantes, ut ignem e coelo deſcendere juberet, his verbis reprehendit: "Neſcitis cujus eſtis ſpiritus." Credendum denique aut ſuſpicandum non eſt, Dunſtanum, ejuſve aſſeclas, in monachorum cauſa moderati unquam aliquid & manſueti vel re egiſſe, vel ulla deliberatione cogitaſſe: quin omnem, ut aiunt, lapidem ſedulo moviſſe, ut conjugatorum clericorum ſtatu penitus amoto, omnibus modis monachi firmarentur. Hoc itaque tam exitioſo prodigio perempta conjugatorum cauſa, monachique ſuis ſedibus poſſeſſioneque fixi ſexcentis annis in hoc regno permanſerunt; donec, ut ſub finem hujus hiſtoriae

Henr. Huntingdon. Oſbernus.

Infra in vita Cranmeri.

Ab An. Chr. DCCCCLIX. riae dicetur, ab inclyto rege Henrico octavo tam exiguo temporis intervallo ejecti & dissipati, quo a Dunstano collecti & confirmati, fuerunt. Ad An. Chr. DCCCCLXXVIII

Post hanc portentosam Calnensem synodum, omnes clades & calamitates tanquam e divina vindicta in Anglicam gentem invectae fuerunt: quae nunquam destiterunt, donec Normannis Marte obtigisset imperium. Proximo enim anno nubes media nocte per totam Angliam, nunc sanguinea, nunc ignea visa est; deinde in varios radios ac colores mutata, proxima aurora, dispergitur. Haec sequutae stragis & vastitatis fuit praenuncia. Nam eo tempore Edwardus rex Alfridae reginae novercae suae jussu, qui in obsidione urbis Roffae defendere noluit ejus civitatis Episcopum Dunstani discipulum, sicut Ethelwaldus contra fratrem suum Ethelredum, qui apertas ei inimicitias denunciaverat, a militibus est interfectus. Monachi, ut a se suoque Dunstano transferrent omnem irritati divini Numinis culpam, huic reginae facto, regiaeque necis causae, attribuunt omnia. Osbernus. Eaque ab hac origine ab Apolline Deoque suo Dunstano praedicta fuisse scribunt. Neque exquirunt, quo occulto Dei judicio rex ille spurius, cujus authoritate Dunstanus legitimo thoro copulatos spoliavit, tam subito sublatus fuerit. Sed ut ea referamus, quae monachi scribunt. Occulta semper reginae Alfridae cum Dunstano simultas his de causis intercessit. Obstitit primo acerrime Dunstanus, ne jam contracta & desponsata regi Edgaro matrimonio jungeretur. Ex Hist. veteri abbatis Johannis Brompton, quam contulit Jornall. monast. Illico enim ei ad se adductae Edgarus propter pulchritudinem, nuptiarum fidem dedit, & in thalamum duxit. Dunstanus, ut ante diximus, cubilibus aulicis regiisque assuetus, solita impudentia seu monachali verecundia ingressus thalamum, quaesivit a rege, quaenam esset illa, quam in lecto & amplexibus tenuisset. Rex illam reginam consortemque suam fuisse respondit. Dunstanus hoc, inoffenso Deo, & illaesa institutione Romanae ecclesiae fieri haud posse affirmat, ob spiritualem cognationem, quam ante cum ea contraxerat, cum filium ejus de sacro fonte levaverat. Itaque saepius cum rege egit, ut eam a se dimitteret, & a sua consuetudine separaret. Quod Dunstani consilium rex insuperabili tam venustae mulieris desiderio motus amori suo postposuit. Ex hac rex primo Edmundum genuit, qui puer obiit, deinde Ethelredum, postea, ut mox dicemus, regem. Hunc monachi scribunt, cum a Dunstano baptizaretur, ex vesica urinam in baptismatis lavacrum profudisse. Quo signo vaticinatus est Dunstanus, Anglorum exterminium suo tempore futurum. His diu & clam gestis inimicitiis, regina Edwardo caeso proceribus regni stipata accersivit Dunstanum archiepiscopali jure regem coronaturum. Simeon Dunelm. W. Malmsb. Is etsi offensus peneque invitus, senex tamen atque tremulus resistere non audet. Sed diadema componens, ut monachi referunt, spiritum illum suum non continuit: quin & regis & regni exitium jamjam adesse praenunciaret. Eademque praedictione, monachis testibus, regem octo postea annis voluit perterrefacere, cum Roffam ob antedictas cum Episcopo inimicitias obsideret; nec eam Dunstani jussu ante grandem ab eodem Dunstano acceptam pecuniam vellet liberare. Quamobrem Dunstanus malis ominibus ei maledixit. Paulo post Dacorum impetus & incursus in Anglos factus est. Primum Southamptona maritima ac portuosa locuplesque villa a Dacis piratis expilata est; ac incolae vel trucidati, vel captivitate abducti. Qui hujus villae spoliis elati **Tenetlonde** insulam devastarunt; tum in maritimis Cornubiae ac Dorcestrensis provinciae Simeon Dunelm.

oris

Ab An. Chr. DCCCCLIX. Ad An. Chr. DCCCCLXXXVIII.

oris praedabantur. Portlandiam inſulam depopulabantur, & monaſterium Petroci confeſſoris in Cornubia diripiebant. Eodemque tempore a Norvegienſibus piratis Legionum civitas ſpoliata fuit, Londinumque igne conſumptum. Haec malorum initia a monachorum inſtitutione profecta, eorumque deſidia & ignavia non depulſa, ad ruinam & interitum ſtirpis regiae, & Anglicanae nobilitatis, poſtea creverunt. Ethelwaldus mona- W. Malmſb. chorum ſub Dunſtano patronus, ſuperſtite Dunſtano, cruciatu viſcerum cruriumque tumore ita cruciatus, ut inſomnes diu noctes duceret; vix ſenectutem attingens moritur: Poſt cujus mortem monaſteria, quae condiderat, multa ſunt diruta, reliqua praediis terriſque detractis diminuta. De hoc non erit ab hujuſmodi narrationibus alienum, ridiculum quoddam Dunſtani ſomnium a poſterioribus monachis ſcriptum enarrare. Dunſtanus, ut ante diximus, hujus magiſter erat, eumque Glaſconiae abbatem praefecit. Illico proximo, poſtquam eum praefecerat, ſomnio ſibi viſus eſt vidiſſe arborem, inuſitata magnitudine atque celſitate per omnes mundi plagas diffuſam atque patulam: Cujus rami innumeris, parvis magniſque, monachalibus cucullis onuſti eſſent atque referti. Culmen autem hujus arboris grandiſſimum cucullum caeteras omnes tegentem, coelumque ipſum attingentem, geſtabat. Cumque hoc viſo attonitus eſſet, adfuiſſe illi veneranda & angelica canitie ſenem, ab hoc quaeſiviſſe Dunſtanum de ſibi viſae arboris conjectura; ſenemque reſpondiſſe: Ar- W. Malmſb. Jo. Capgrav. Legendae. borem inſulam fuiſſe Glaſconiam; cucullos infinitam ex illo coenobio profecturam turbam multitudinemque monachorum, qua tota Anglia ſcatebit ac replebitur. Ille vero ſummus ad coelum erectus reliquoſque tegens cucullus, Ethelwaldus abbas eſt, caeteros monachos in coelum praeiturus. Sed, ut de ſomnio omittamus, certum eſt illam monachorum, ut ita dicam, ſcaturiginem pinguedine ſoli ſaturatam regni opes & vires exhauſiſſe; ut poſt Ethelwaldi mortem neceſſe fuerit, reipublicae theſauros a monachis ad militarem opem, quanquam ſero, traducere. Daci enim, ea capta occaſione, quod a ſegnibus & torpentibus monachis regni facultates eſſent abſorptae, in gentem noſtram, tanquam divina vindicta incitati, vehementius ſaeviebant. Eodemque tempore inſtabant novae & Anglorum genti incognitae peſtes atque contagiones; quae ventris profluvio tam animalium greges, quam hominum coetus deleverunt. Auctaque indies Dacorum vis ob Anglorum ſub monachis redactorum ignaviam maritima regni occupavit littora, totam gentem ad mediterraneam depaſcendam medullam compeſcuit atque redegit. Hinc & civilia orta ſunt multa diſcrimina; quae Dacos effecerunt victores. A quorum furore ſi quid immune eſſet atque tutum, id monachi alicui ſui ordinis inter Sanctos relato tribuebant. Nam in Dacorum invaſione nulla magis depopulata & expilata fuerunt regni loca, quam mona- W. Malmſb. Tho. Spottus. Eadmerus. ſteria. Et ſi quacunque occaſione evitaſſent Dacorum invaſiones, Sancto ſuo imputabant. Veluti in monaſterio ſancti Aldhelmi, omnibus undique monaſteriis ſpoliatis, cum jam Daci accederent, monachi, amotis omnibus monaſterii theſauris praeter ſcrinium ſancti Aldhelmi, id hoſtibus, ſi non ab ipſo Aldhelmo tutaretur, permiſerunt; qui ſi ſe habitaculumque ſuum non defenderet, tam hoſtium, quam ſe colentium ludibrio exponeret. Hoſtis, quem improba fames, ut ſcribit monachus, avidiorem effecerat, cum arrepto cultello gemmas vellet amputare, ſcrinio retro, tanquam furore, actus eſt; & in pavimentum eliſus poena ſua fugavit caeteros.

SIMILE

Ab An. Chr. DCCCCLIX. SIMILE refert alius monachus de sancti Augustini ab hostibus Dacis servato monasterio. Cum omnia tam in Cantio, quam in urbe Cantuaria; vastarentur monasteria, hostisque Augustanum introiisset: unus sancti Augustini pretiosum pallium clandestino furto ademit, & sub axilla texit. Sed pallium, tanquam nativa cutis, axillis suis adhaesit, neque vi aut arte avelli poterat; donec coram sancto Augustino, ejusque monasterii fratribus fur, deprecatus veniam, crimen agnovisset suum. Quod miraculum totam Dacorum multitudinem ita perterruit, ut caeteris jam vastatis, hoc monasterium non modo non invaderent, sed tuerentur ac defenderent. Haec & similia monachorum deliria omnium, multis astantibus, animos tanta superstitione tenuere, ut verissima crederentur. Dunstani vero omnia dicta, facta, gesta, atque somnia, tanquam certissima aeterni fati omina ab illis tradita sunt. Qui cum viginti & septem sedisset annis, moritur decimo quarto Kalendarum Julii, haec mala, contra ficta de se prodita vaticinia, videns in humanis. De quibus in Episcopi Lupi ad Anglos oratione fusissime explicatur. Ad An. Chr. DCCCCLXXXVIII

W. Malmsb. Simeon Dunelm.

Leofan men. ge cnawað þ soþ is:· Ðeos worold is on ofste. ⁊ hit nealæcð ðam ende. ⁊ ðy hit is on worolde a a swa leng swa wyrse. and swa hit sceal nyde.—— ær Antecristes to cyme. yfelian swyðe. &c.

QUAE nimium prolixa est, ut inseratur tota; ideoque ejus summam brevibus articulis comprehensam perstrinximus.

I. HUJUS universitatis finem instare docuit; quoniam peccatum exuberat, idque ita praedictum in sacris Scripturis ante adventum Antichristi futurum; eaque mala ostensa palam, quatuor annis ante Ethelredi regis obitum.

II. GENTES cum christianis conferens eas antetulit, planeque ostendit, quod in illo impio divino cultu falsaque religione multo sint justiores, ferventiores, & observantiores, quam christiani; quorum vita indies fit sceleratior. Nam ecclesiae vastantur; sanctitas e vita tollitur; ordo clericalis ludibrio habetur & contemptui; viduitas ad secundas nuptias adigitur invita; ima plebs proditorie è regno, sumpto pretio, venundatur; infantes ab ipsis incunabulis ad miseram servitutem sumpti & redacti sunt, omnisque benignitas & eleemosyna periit: ipsi denique liberi avita libertate & ingenuitate frui, & in servili conditione constituti bonis, magnis partis laboribus, aut aliunde concessis, uti prohibentur.

III. ALIAQUE illorum temporum vitia commemorat multa. Parentum, liberorum, conjugum, amicorum, propinquorum atque agnatorum non esse christianis, aut hominibus dignam amoris & officii inter se retributionem & vicissitudinem. Clericos, amussi regulaque sua arctiori contempta, & laicos, communi humana lege spreta, vivere. Quaecunque mala jam esse ubique diffusa atque dissipata; eaque, quae ad rempublicam labefactandam & evertendam summa sunt: Proditionem nempe atque falsum testimonium in ipsos dominos atque heros. Cujus fuit indicium Edwardi regis ipsis hostibus traditio; parentumque ac filiorum impietas, quod illi liberos, hi matres pecunia concedebant. Ostendit ex hac christianae vitae & integritatis deterioratione pervenisse ad hanc

 gentem

gentem ignominiam & infamiam: Deinde bellum, famem, incendia, homicidium undique gentem delere.

IV. Furtum autem, egestatem, pestem, latrocinia, & rapinas esse gentis propria & intestina mala: Quibus praeter solitum accessere divinitus coeli atque aëris intemperies & sterilitas agrorum.

V. Alia cum his punienda in regno frequentia obtinere ostendit vitia, perjuria, mendacia, & foederum atque pignorum fractiones & violationes.

VI. Piratas ipsa divina ira ac vindicta in hanc gentem praevaluisse. A quibus invasoribus saepe decem aut viginti una mulctati; conjuges atque filiae, inspectantibus parentibus & maritis, stupratae; domini ipsis servis servire coacti; christiani instar pecudum agminis una ducti & vinculis copulati, in pelagos varios acti; eos, qui pecunia, vinculis, infamia, rapina, contumeliisque ac sceleribus omnibus se male tractabant & in navigia cogebant, honorabant.

VII. Has omnes dicebat calamitates regno invectas, incenso divino Numine; quia haec gens multifariam multisque modis deliquit; homicidio, avaritia, gula, furto, profusione, pace ac induciis insidiose constructis, barbarismo, proditione atque technis vaferrimis, legum atque religionis contemptu, fraude atque desertione, propinquorum oppressione, ordinum contemptu, & maculato conjugio, incestu atque adulterio, juramenti, foederis, promissi, fidei, jejuniorum atque feriarum crebra fractione, mendaciis, orationisque vanitate. Inesse praeterea in ordine clericali apostatas, & deficientes atque renunciantes fidei; &, inter laicos, permultos, qui summo odio clerum prosequuntur, legemque divinam atque Christi imperium contemnunt. Quorum exemplo, qui ex fama populari magis quam ex divina aut humana lege pendebant, ex facinoribus magis quam ex recte gestis gloriam atque commodum quaesiverunt.

VIII. Ad extremum, poenitentiam, vitae prioris emendationem atque novitatem, omnisque mali vitationem suadens, peroravit.

Habuit & aliam ad populum Anglicanum concionem, quae hujus temporis historiae non est propria; quia ad vitam, ad virtutem fingendam, nosque ad divinam voluntatem reducendos, quod vulgare est Theologorum thema, non ad illius aetatis corrigenda vitia, pertinuit.



XXIV. AEthel-

Ad An. Chr. DCCCCLXXXVIII.

XXIV. AEthelgarus.

Ad An. Chr. DCCCCLXXXIX.

Defuncto Dunſtano ſucceſſit AEthelgarus, abbas primo novi monaſterii Wintonienſis ab Ethelwaldo Wintonienſi Epiſcopo creatus, deinde Seleſeienſis Epiſcopus factus, poſtea, Dacis hanc inſulam infeſtantibus, ad archiepiſcopalem celſitudinem evectus eſt. De hujus geſtis, propter temporum injuriam paſſim omnia loca occupantem, nihil memoriae proditur. Aſt ubi annum unum & menſes tres ſediſſet, vita exceſſit. Sepultus in eccleſia Chriſti Cantuariae jacet.

Simeon Dunelm.
W. Malmſb.

Ad An Chr. DCCCCLXXXIX.

XXV. Siricius.

Ad An. Chr. DCCCCXCIII.

Ucceſſit AEthelgaro Siricius, qui ex monacho Glaſconienſi Auguſtinienſis coenobii abbas Dunſtani Archiepiſcopi beneficio creatus eſt. Poſtea vero ſub eodem Dunſtano ad Epiſcopatum Wintonienſem evectus fuit. Deinde AEthelgaro defuncto archiepiſcopalem ſedem anno Domini 989. obtinuit. Qua potitus, etſi ante volvente rota fortunae variabili, ut verbis utar Wilhelmi Thornae, monachi propter eorum inſolentiam ſedibus pulſi, & clerici introducti eſſent: Hic tamen caeca, neſcio qua, cupiditate ductus clericos ſaeculares ejicere coepit: conſtitutis rurſum monachis; cujus veſtigiis inſiſtens Aluricius ſucceſſor illius conatum ad effectum perduxit. Et plane Wilhelmus Nubrigenſis ipſe monachus, tamen refert, clericos ſuo ordini adverſos in Cantuarienſi & Wintonienſi eccleſiis, ante inductum monachiſmum, olim miniſtraſſe. Poſt haec Siricius pacem chriſtianis ab infidelibus Dacis decem librarum millibus redemit, ad ignominiam ſane peneque perniciem totius regni. Plura hujus acta non commemorantur. Itaque poſtquam obierat, in eccleſia Chriſti Cantuariae ſepultus eſt. Dedit libros ſuos valde bonos eccleſiae Chriſti Cantuariae.

Chron. Huntingd.
W. Thorne.
Liber Londinen.
W. Nubrig.
Chron. Steph. Byrchinton.



XXVI. Aluri-

Ab An. Chr. DCCCCXCIII. — Ad An. Chr. MVI.

XXVI. ALURICIUS.

Histor. Petriburg.

Chron. Steph. Byrchinton.

LURICIUS, qui & Alfricus dictus eſt, ex Glaſconienſi coenobio ſimiliter prodiit. Primoque abbas Abendoniae, deinde Wiltonienſium Epiſcopus; tandemque vero Cantuarienſis Archiepiſcopus, deſignatur, & a papa Johanne pallium accepit. Ubi Cantuariam venit, a clericorum ordine, a quo minus vellet, ſuſceptus eſt. Hic Siricii praedeceſſoris ſui de clericis ejiciendis propoſitum adimplevit; omneſque clericos ſuis cedere coëgit, & monachos introduxit. Hoc etiam tempore ſedes epiſcopalis Lindisfarnenſis Dunelmum tranſlata eſt. Aluricius, ubi plures annos Cantuarienſem eccleſiam ab incurſu crudeli Dacorum pie fortiterque defendiſſet, obiit anno Domini 1006. & Abendoniae primo ſepultus, poſtea ad ſuam Cantuarienſem eccleſiam deductus, ibique humatus jacet.

Ab An. Chr. MVI. — Ad An. Chr. MXII.

XXVII. ELPHEGUS.

LPHEGUS etiam ex prioratu Glaſconiae profectus eſt; primum abbas Bathoniae conſtitutus eſt: a ſplendidiſſimis parentibus originem ducens. Adoleſcentiae annos tranſegit in monaſterio de **Hyrst**; ubi religionis habitum ſuſcepit. Poſtea monaſterio egreſſus Bathoniam ſe contulit; ubi conſtructo habitaculo ſe incluſit, ut corpus nimio vigore redundans jejuniis & continentia coerceret: unde ad eum magna monachorum turba & majorum ſuorum origine & tam exacto genere vitae inſtituto ducta confluxit. Quibus ille continentiae legem indicens, ſe anguſta habitatione concluſit. Mox monachi ab eo inſtituti plerique fidei & profeſſionis immemores, praeſcriptis ab eo continentiae regulis non parebant: ſed media nocte gulae potationique operam dabant; tum ad laſciviam & omnem intemperantiam proclives ea, quae dictu turpia ſunt, perpetrabant. Mortuo deinde Wintonienſi Epiſcopo Ethelwaldo, ejuſdem eccleſiae monachi cum clericis de novo Pontifice eligendo ſummopere contendebant. Siquidem clerici ejuſdem eccleſiae ſceleratiſſimam vitam contra canonum ſtatuta degentes, cum a praefato Antiſtite ſaepius, ut pravos mores corrigerent, neve, quae prave geſſerant, pertinaci ſpiritu defendere vellent, rogati; nec ejus monitis obſequuti, ſanctione ac decreto excluſi ſunt: eorumque loco acciti alii, qui vita digniores habebantur. Itaque clericis exterminatis monachi admittuntur; unde in Epiſcopi electione clerici clericum, monachi monachum, utrique ſuae voluntatis fautorem, optabant. Quod cum animad-

Ad An. Chr. MVI.

Ad An. Chr. MXII.

animadvertiſſet Dunſtanus, ad orationis anchoram confugit, Deumque futurorum ſcientiſſimum ſupplicavit, quatenus dignaretur oſtendere, quis regendae eccleſiae dignus foret. Cumque crebro a Deo precibus inſtaret, ſibi viſus eſt videre Andream Apoſtolum talia dicentem. “Quid, “inquit, “chariſſime, contriſtaris? quid tam lugubres querelas lacry-“mando effundis? Surge, & Elphego abbati manum impone, & Epiſco-“pum deſolatae Eccleſiae conſtitue; nec te aliquorum potentia prohi-“beat; cum non ab homine, ſed a Deo, haec de illo ſententia proceſ-“ſit. Nec vero de me te ſolicitum reddam. Ego ſum Andreas Filii “Dei Apoſtolus, tuaeque ſalutis diligentiſſimum cuſtodem me eſſe nove-“ris.” Sicque exhilaratus Dunſtanus Elphegum, ut juſſus fuerat, Epiſcopum Wintonienſem conſecravit, & ad ſedem ſuam cum honore remiſit.

OMNIS tunc & papae & Dunſtani in promovendis monachis, clericiſque deprimendis, cura & ſolicitudo verſabatur: ſicut enim in Wallia quatuor Epiſcopatus, & in Anglia ſeptendecim fuerunt; ita octo eorum Epiſcopos monachos eſſe debere, quod in aliis provinciis aut nuſquam, aut raro invenies, ſtatuerunt: Quia primi Romani in Anglia praedicatores, Auguſtinus, Mellitus, Juſtus & Laurentius monachi ante fuerunt. In aliis autem octo epiſcopalibus ſedibus canonicos ſaeculares, & in uno canonicos regulares, inſtituendos Epiſcopos decretum. Cujus rei teſtimonium ex Johannis papae ad Edgarum epiſtola de Wintonienſi Epiſcopatu lucidum habemus: nec procul a vero eſſe poteſt ſimiles papae epiſtolas pro reliquis Epiſcopatibus, ubi monachi praefuerunt, emanaſſe.

Robertus Abbas.

Ex Archivis.

“JOHANNES Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Edgaro regi excel-“lentiſſimo, atque omnibus Epiſcopis, ducibus, comitibus, ab-“batibus, & cuncto fideli populo Anglicae gentis chriſtianam ſalutem & “apoſtolicam benedictionem. Quoniam ſemper ſunt concedenda, quae “rationabilibus quaeruntur deſideriis, oportet, ut veſtrae piae petitionis “ſtudium in privilegiis minime offendatur praeſtandis. Scimus enim, “glorioſe fili, imperii veſtri dignitatem zelo divinae legis ita undique “munitam, ut indeſinenter pro venerabilium locorum percogitet ſta-“bilitate; quatenus proveniente pro labore ſchola Dominici multiplice-“tur ſervitii, & largitori omnium Deo abunde fructus referantur mille-“ni. Quare, rex inclyte ac fili chariſſime, quid veſtra excellentia per “fratrem & Coepiſcopum noſtrum Dunſtanum ab hac apoſtolica ſede, “cui licet immeriti praeſidemus, expoſcit, omnibus modis concedimus; “authoritate apoſtolica ſancientes, ut de monaſterio in Wintonia civi-“tate, in honorem ſanctae Trinitatis, & beatiſſimorum Apoſtolorum, “Petri & Pauli, conſtructo: quod Vetus, differentia Novi illius quod “juxta eſt coenobii, cognominatur, canonici Domino & Epiſcopo ſuo, “omnibus catholicae fidei cultoribus, ex patentibus culparum ſuarum “turpitudinibus odibiles, & in eiſdem ſecundum impoenitens cor eorum “inverecunde perdurantes, cum ſuo praepoſito, utpote vaſa diaboli, e-“jiciantur; & ſicut veſtra ſublimitas deſiderat, dilectiſſimus frater & “Coepiſcopus noſter Ethelwaldus regularibus diſciplinis apprime imbutus “monachorum ſecundum praecepta regulae viventium gregem enutriat, “eiſque inibi perpetuam manſionem ſtatuat. Ille, qui eorum vitam ita

Ab An Chr. MVI. — Ad An Chr MXII.

" ſanctitatis moribus exornet, ut paſtore ad laboris ſui praemium vocato, " non aliunde quam ex illa congregatione alteri in locum regiminis ſuc" cedat. Quod ſi, impedientibus, quod abſit, peccatis, ad hoc ponti" ficale officium in eadem congregatione idoneum inveniri minime poſſe " contigerit, authoritate Apoſtolorum principis Petri, cui Dominus ac Sal" vator noſter ligandi ſolvendique poteſtatem contradidit, praecipimus; " ut nemo ex clericorum ordine ad hujus regimen eccleſiae promovea" tur: ſed potius ex alia qualiter congregatione, qui dignus inventus fu" erit, monachus aſſumatur, & huic eccleſiae praeficiatur. Si quis enim " interea, quod non credimus, haec apoſtolicae ſedis privilegii decreta " irrita facere, & ea, quae a nobis pie indulta ſunt, intaminare praeſump" ſerit, authoritate ejuſdem coeleſtis clavigeri Petri, omniumque ſucceſ" ſorum ejus, ſciat ſe anathematis vinculo innodatum, & in illo mag" ni judicii die perpetualiter damnandum. In Chriſto valeas, Domine " Fili.

SED poſteaquam hoc decreto elatiores facti monachi; intolerabilis illorum arrogantia tam regibus, quam Epiſcopis ipſis ac proceribus, viſa eſt; ab Henrico rege poſt conquaeſtum ejus nominis primo, intercedentibus & poſtulantibus id Epiſcopis, inſtitutum fuit, ut monachi amplius in Epiſcopatibus non praeficerentur. Cujus decreti cauſam & hiſtoriam in vita Rodulphi Cantuarienſis poſt Anſelmum Archiepiſcopi inferius recitabimus.

ELPHEGUS autem, ut monachi ſcribunt, ita ſe omnium moribus conformavit, ut & omnibus charus eſſet, & nemo, quod rarum eſt inter homines, ejus gloriae invideret. Tum ſummae in omnes extitit miſericordiae: In ſe tamen nimium ſeverus, & quaſi carnifex apparebat. Nam brumae media nocte ſurgere, nivem & glaciem nudis pedibus tranſire, & ad auroram orationi vacare, conſuevit. Et pranſus, tam vacuus cibo fere a menſa ſurrexit, quam acceſſit; unde corpus illius ad tantam maciem redactum eſt, ut cum manus in altum porrigeret, per medias palmarum juncturas, claritas aeris perſpici poſſet. Tam apertae praeterea & ingenuae fuit naturae, ut quivis ex ejus ſermone animi ſui ſenſum facile colligere potuiſſet.

SED conſueverunt ſemper pontificii de ſuis Sanctis ſtupenda quaedam & monſtri ſimilia commemorare; veluti, quod Peoronius ambulabat edens, ne carni ſuae placeret. Pambus noluit plus uno verſu, i. e. " Dixi; " cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea," diſcere, dum ipſum compleret. Qui interroganti ſe de eodem verſu reſpondit: "Vix qua" draginta & novem annis ipſum implere potui." Qui rogante Epiſcopo Athanaſio, ut ab eremo ſecum veniret ad Alexandriam, flevit de ornatu mulieris. Ammonius, dum cum Athanaſio veniſſet Romam, nullum ibi vidit niſi Baſilicam Apoſtolorum Petri & Pauli: qui ad Epiſcopatum tractus, ne Epiſcopus eſſet, ſuam abſcidit aurem. Johannes pater trium millium monachorum. Serapion pater decem millium monachorum. Dioſcorus pater centum monachorum, qui ante communionem conſcientias ſingulorum fratrum pandebat. Theonas triginta annis tacuit. Helenus ignem in ſinu portabat. Helias decem ſupra centum monachorum pater in eremo ſolus annis ſeptuaginta. Apelles faber ferrum ex fornace crudum trahens

Histor. Petriburg. Latine.

Ab An. Chr. MVI. — Ad An. Chr. MXII.

trahens manu, nocte faciem daemonis, fingentis ſe in formam mulieris pulchrae, percuſſit. Iſidorus ſuum clauſit monaſterium intus habens neceſſaria. Apollo annis quadraginta vixit in exteriori ſolitudine. Dorotheus, cujus cibus erat panis ſex unciarum, & faſciculus unus oleris, & aqua. Piamon preſbyter, cui offerenti corpus Chriſti in ſacramento angelus circa altare apparuit, nomina abſentium fratrumque praeſentium ſcribens. Marcus, cui hora communionis angelus corpus Chriſti praebuit. Moſes vaſa fratrum nocte aqua implevit, per decem ſtadia, viginti vel triginta eam afferens: quique quatuor latrones ſuum hoſpitium infeſtantes ligavit, craſtino eos in commune fratrum humeris portans. Julianus ſeptuaginta annis in cella recluſus, nec viſus nec locutus tamdiu eſt. Haec & his ſimilia infinita, non deliria, ſed portenta, quis chriſtianus aequo judicio tolerare poteſt? Sed ad Elphegum revertamur; qui Wintonienſis Epiſcopus, Aluricio mortuo, Romae tandem Cantuarienſis eccleſiae pallium accepit. Vir omnibus rebus ornatus, & propagandae pietatis ſtudio etiam barbaros, qui inter hoſtes erant, ad verae religionis cultum praedicatione & exemplo adduxit. At ſaevientibus ob non ſolutum tributum Dacis, eccleſia Chriſti ſpoliatur, ipſa Cantuaria capitur, utraque demum comburuntur. Grex monachorum, turba virorum & mulierum, decimantur; ut decimo quoque per ſortes liberato atque ſalvo, caeteri omnes trucidentur. Ita pro octingentis quatuor vita condonatis, ſeptem millia, ducenti triginta ſex ſunt interfecti. Ipſe porro Elphegus ſeptem menſibus, carceribus detentus, poſtea Grenovicum adductus, ab infidelibus ſecuri percuſſus obiit, Swano Dano in Anglia regnante. Sed Dacos hoc furore ſaevientes ira Dei conſumpſit. Sepultus erat Elphegus in eccleſia Paulina Londini; indeque mandato Canuti regis ad eccleſiam Chriſti Cantuariae tranſvectus in ſepulchro conditur. Tanta tamen in delinquentes ſeveritate fuit; ut quendam furem pro multiplici reatu flagellis caeſum mitti juſſit in cippum, acrioribus ſuppliciis cruciandum; qui diu in poenis jacuit. Ethelwaldum proxime ante ſe Wintonienſem Epiſcopum ſummo ſemper honore coluit & aeſtimavit.

Lelandus. Simeon Dunelm. W. Malmſb.

Jo. Capgrav.

Ab An. Chr. MXIII — Ad An. Chr. MXX

XXVIII. LIVINGUS.

LIVINGUS, cognomento Elſtanus, ab Epiſcopatu Wellenſi, quem ante geſſerat, poſt Elphegi mortem ad Cantuarienſem Archiepiſcopatum poſtulatus venit. Hujus tempora, quoniam ob Dacorum crebras incurſiones turbulentiſſima, plenaque vaſtitatis fuerunt, ſine alicujus rei tanquam ab Archiepiſcopo geſtae commemoratione ſcriptores omnes pertranſeunt: Sed certum eſt monachorum otium totam Anglorum gentem in tantam ignaviam atque ſocordiam exemplo ſuo deduxiſſe; ut ad repellendos undique influentes hoſtes, nec erigere animos, nec vires atque copias colligere valeret. Ita nobilis & perbeata patria, indigenis inſpectantibus, nec reſiſtere audentibus, vicinis barbaris expoſita praedae eſt. Hujus rei vitium monachi, parum aequi judices

Chron. Steph. Byrchinton. Cant. monach. de Archiepiſ.

W. Malmsb. De Pont. Chron. Eccl. Metrop. Cant.

judices, ut a se transferrent, Ethelredo regi totum tribuunt; quem etiam insolenter & immodeste, praeterque suum officium, regiamque majestatem, quia illos nimium exultantes coercuit, onerant maledictis: Miserum, inertem, vecordem atque supinum vocant. Sed quid ageret? cum omnes pene regni facultates a re militari traductae essent ad otia monachorum. Quos etiam certissimum est allexisse, suarumque divitiarum cupiditate incendisse Danos; quos tam grandi data pecunia arcere & abigere suis finibus putabant. Namque Dani, quo majori largitione affecti fuerunt, eo saepius facturi praedam accessere. Quae quidem insania, hostes atque praedones muneribus, non armis, profligare, ab ipsis monachis primo profluxit. Siricius enim primus decrevit, ut grandi soluta pecunia Dani discederent; qua accepta discesserunt. Sed paulo post lucri suavitate deliniti cum maxima copia & multitudine rediere, & in ipsa monasteria, quae opulentissima ex acceptis prius donis experti sunt, majori impetu, quam in alia quaecunque regni loca, irruerunt. Rex ipse saepe eos insecutus est, & ut patriam liberaret, interfici jussit. Quo quidem facto etsi rejecta aliquandiu eorum juga ab Anglis fuerunt, parata tamen classe copiosa, crudeliores reversi sunt. Quos hoc adventu, dum Siricius avertere pecunia vellet, eos quidem locupletavit: sed sibi atque patriae incaute & imprudenter, ut diximus, prospexit. Edgari insignis classis, & bellicae copiae, quae solae resistere debuerunt, coenobiis ditandis a Dunstano ante dissipatae & distributae fuerunt. Nec dubium est, quin bellica regni vis enervata, & otiosorum hominum affluentia hostibus satis nota, hujus invasionis atque belli causa fuit. Sed hic Livingus, de quo agimus, cum patriam ita captam & direptam ab hostibus animadverteret; postquam ipse a carceribus, quibus eum Dani septem mensibus inclusissent, evasisset, profugit in exilium. Ibi de afflicta patria lugens, cum Swani morte pacatae res essent, & rex Ethelredus rediisset, ipse quoque reversus est. Cui reverso contigit, ut Ethelredo mortuo, primo Edmundum Ethelredi filium, qui ob fortitudinem cognomento, Ferreum Latus, dictus est, regiis sacris Londini initiaret. Cumque post indictum singulare illud certamen inter eum & Canutum Swani Daci filium, regnum ea conditione, ut utrique ab armis discederent, inter eos divideretur, ac Edmundo, ex Eadrici cujusdam insidiis, ferreo veru postea interempto, totum regnum in Canuti potestatem jam venisset; ei etiam Londini regium diadema imposuit. Ita duobus ab eo regibus sacratis optabilem pacem post tantas turbas in fine vitae vidit. Et postquam septem sedisset annis, ecclesiamque Cantuariensem plurimis ornasset donis, cum gaudio moritur, & in ecclesia Christi Cantuariae sepultus in pulvere jacet, anno Domini 1020.

Gervasius de gestis regum. — Supra in vita Siricii. — W. Malmsb. De Pont. — Gervasius de gestis reg. — Steph. Byrchinton.



XXIX. Agel-

Ab An. Chr. MXX.

XXIX. AGELNODUS.

Ad An. Chr. MXXXVIII.

GELNOTHUS, qui idem Egelnotus, Athelnothus, atque AEthelnothus, a ſcriptoribus varie dictus eſt, propter eximiam & inſitam virtutem onomaſtice Bonus appellabatur. Hic nobilis viri, comitis Agelmari, filius fuit. Hoc tempore in eccleſia Chriſti Cantuarienſi permiſti cum monachis canonici cathedrales habitum quidem monachalem gerebant; ſed regula atque profeſſione diſcrepabant. Itaque cum in illa ſaeva Cantuarienſium per Dacos decimatione, de qua in Elphegi vita ſupra diximus, monachi, exceptis quatuor, omnes trucidati fuiſſent; canonici jam numero potiores praefectum ſeu praepoſitum ſuum, ex aliarum eccleſiarum cathedralium more, Decanum appellabant. Hinc Agelnothus, extinctis conſumptiſque pene monachis, ad id muneris aſſumptus, eccleſiae Chriſti Cantuarienſis decanus dictus eſt. Deinde ad Archiepiſcopatum electus, Romam profectus eſt anno Domini 1020. Ibi a papa Benedicto & pallium & Primatus honorem accepit; ab eoque brachium divi Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi, a papa centum talentis argenti comparatum, in Angliam reportavit, ac Coventrenſi eccleſiae dono dedit. Hanc autem papalem in concedendis palliis auri argentique voraginem, tanquam Charybdin reprehendit emendavitque poſtea Canutus rex: qui ex illorum temporum caeco more, cum Edmundo mortuo totum imperium ſolus in Anglia geſſit, ad ſcelera ſua expianda paſchali quodam tempore profectus Romam, dona quidem in papam contulit ingentia atque regia; ut illum inexplebilem ſatiaret gurgitem: ſed ab eodem obtinuit, ut ſchola Anglorum inſtituta Romae a cenſu pendendo liberaretur: deinde ut Angli atque Daci ſui ſubditi, dum Romam ſive peregrinationis, ſive cujuſcunque negotiationis cauſa proficiſcerentur, a Telonio, quod viaticum eſt vectigal, eſſent immunes. Ad extremum expoſita de immodico papali in palliis tribuendis lucro narratione, etiam impetravit, ut id deinceps concederetur gratis. De qua impetratione atque conceſſione laetus ſcripſit ad Agelnothum Cantuarienſem, & Alfricum Eboracenſem Archiepiſcopos, alioſque regni praeſules atque proceres. Cujus verba, quae ad hanc rem neceſſaria ſunt, inſeruimus.

Chron. Steph. Byrchinton. De Cant. Archiep.

Chron. Eccl. Cant.

Matth. Weſt. W. Malmſb.

Pallii conceſſio gratuita eſſe debet.

" CANUTUS rex totius Angliae, & Danemarchiae, & Norregiae & " partis Swanorum, Agelnotho Metropolitano, & Alfrico Ebo" racenſi Archiepiſcopo, omnibuſque Epiſcopis & Primatibus, & toti " genti Anglorum, tam nobilibus, quam plebeiis, ſalutem, &c." Et infra. " Conqueſtus ſum iterum coram Domino papa, & mihi valde diſ" plicere dixi, quod mei Archiepiſcopi interim angariabantur immenſi" tate pecuniarum, quae ab eis expetebantur, dum pro pallio accipien" do ſecundum morem apoſtolicam ſedem expeterent; decretumque eſt, " ne id deinceps fiat. Cuncta enim, quae a Domino papa, & impera-

" tore, & a rege Radulpho caeteriſque principibus, per quorum terras " nobis tranſitus eſt ad Romam, pro meae gentis utilitate poſtulabam, " libenter annuerunt. Et conceſſa etiam ſacramento confirmarunt, ſub " teſtimonio quatuor Archiepiſcoporum, & viginti Epiſcoporum, & in- " numerae multitudinis ducum & nobilium, qui aderant, &c.

Ita pallium ex hac conceſſione atque juramento papali, non emptum, ſed gratuitum, deinceps ſemper fuit; etſi infinitis aliis artibus atque dolis immenſos theſauros illa pontificia fraus expreſſit atque hauſit. Agelnothus autem jam cum pallio reverſus Cantuariam, eccleſiam Chriſti nondum poſt Danicam vaſtationem integre reparatam, totam reſtauravit; Canutoque regi charus in intimis ſemper adfuit conſiliis: Qui cum Edmundo regi interfecto condere magnificum atque regium voluit monaſterium, adhibuit ſibi tum Agelnothum; cujus ſolertia preſbyteros eo loco amovit, monachoſque ſtatuit. Etſi in preſbyteris extrudendis tam rex quam Archiepiſcopus humanitate ſumma uſi ſunt: namque eos aut ad monaſticam profeſſionem habitumque perduxerunt, aut ſi profiteri habitumque illum gerere noluerunt, collatis ſibi aliis rebus, ex quibus ſolito abundantius victum haberent ac veſtitum, in alia loca migrare fecerunt. Haec regalis ſane & archiepiſcopalis, etſi in re ſuperſtitioſa, ſcripta nobiſque ab ipſis monachis prodita benignitas, exemplo debuit eſſe poſteris pontificiis; qui tanta impietate & ſaevitia conjugatos clericos & a foedere conjugii, & ab omnium poſſeſſionum jure, nulla facta compenſatione, ſeparabant. Monachatus autem iſte in ſingula celebriora regni loca ſe irrepſit; tamen plerumque cum ſacerdotalis ordinis viris permiſtus fuit: Id quod cum ex permultis conſtat hiſtoriis, tum ex ipſorum monachorum ſcriptis maxime. Ut enim ea non repetamus, quae ante commemorata ſunt: Aluricius, qui ſuſceptos Siricii conatus in clericis e monachorum grege penitus extirpandis perfecit, cum pro Archiepiſcopatus capienda poſſeſſione veniſſet Cantuariam; a clericorum ordine, a quo minime vellet, receptus eſt: de quibus ab eccleſia ſua amovendis, quod tum in animo conſilium habuit, poſtea cum rege communicavit. In quo narravit, " ſuam eccleſiam Cantuarienſem ex prima ejus per Gregorium & Auguſtinum inſtitutione non ab alio ordine, praeterquam a monachorum, " poſſideri oportere; clericos autem, quorum jam multitudo non modo " ſuam, ſed pleraſque alias monachales eccleſias in regno impleviſſet, " neceſſitate, non lege, inductos: Nam tempore Ceolnothi Archiepiſcopi monachorum turbam peſte adeo conſumptam, & ad tantam " paucitatem redactam, ut in eccleſia Chriſti Cantuarienſi ne quinque " monachi ſupereſſent. Hac neceſſitate coactum Ceolnothum capellanos ſuos, & parochiales preſbyteros, ut numerus orantium aſſiduus " compleretur, ad monaſterium ducere, & cum monachis conjungere. " Jam autem adaucto iterum monachorum numero non eſſe fas, quod " tunc neceſſitatis, quae nunc ceſſat, tantum fuit, in juris aut conſuetudinis poteſtatem transferre." Rex aſſenſus Aluricio ſuaſit, ut pro pallio profectus quam celerrime Romam, cum papa de hac re ageret. Clerici, accepto hoc regis cum Aluricio communicato conſilio, auro & argento, cujus interventu de papae judicio ac ſententia certi ſtatuebant, onuſti Romam properant. Sed Archiepiſcopi Aluricii nuncii, celerius antegreſſi,

Ex Cantuarienſis eccleſiae hiſtoriola

Ipſius authoris verba.

Ab An. Chr. MXX. — Ab An. Chr. MXXXVIII.

antegreſſi, papam prius in ſuam ſententiam traxerunt. Ita clericorum inanis labor pecuniam ſaltem tantam ſibi ſalvam fecit. Aluricio poſtea accedenti papa cum magno honore ad Petri altare pallium ipſe impoſuit: cui etiam decedenti, quod Aluricius optavit, papa imperavit; ut in eccleſia ſua non alium virorum ordinem toleraret, quam monachorum a Gregorio praeceptum, ut ipſi tradunt, Auguſtino: Id quod reverſus ſine mora perfecit. De qua tam atroci clericis facta injuria, in Elphegi proximo ſequuti Archiepiſcopi vita, ſupplicium divinitus ſumptum eſt. Ut enim ante, praeſidente Ceolnotho, monachi fame perempti ad quinquenarium, ſic iterum ſub Elphego Dacorum juſta crudelitate deleti, & ad pauciorem, nempe quaternarium numerum diminuti, fuerunt. Quae renovata, ultione divina, paucitas clericos iterum introduxit. Et quamvis Wilhelmus Malmſburienſis exiſtimet, hoc veriſimile non videri; perturbatos ab Aluricio clericos, & monachos introductos fuiſſe; tamen, utcunque res geſta ſit, Wilhelmus Thorne, ipſe monachus, hanc monachorum atque clericorum in poſſidendis eccleſiis viciſſitudinem, neque belli, neque peſtis, neque paucitatis ratione, quod alii ſibi adulantes fingunt monachi, ſed ipſorum monachorum inſolentia contigiſſe ſcribit. Sed Agelnothi Archiepiſcopatus in hoc felix fuit; quod regem Canutum bonis artibus inſtruxit, aut, ut authoris verbis utar, permulſit. Quo quidem verbo, non aliud indicari voluit, quam reges praeliis atque caede crebra incenſos pacari non poſſe commodius, quam humanitatis artibus. Ut Horatius:

[W. Malmſb. Lib. i. de Pont. cap. 10.]
[W. Thorne.]
[Wil. de Reg.]
[Horatius, l. 1. Epiſtolarum. Epiſt. 1. ỷ. 39.]

Nemo adeo ferus eſt, ut non miteſcere poſſit;
Si modo culturae patientem commodet aurem.

DEINDE, quod duos ejuſdem Canuti liberos, primo Haroldum, deinde Hardecanutum, ſacravit; Canuti memor, qui hujus boni Archiepiſcopi dictis ſemper acquievit. Elphegi corpus decennio Londini ſepultum, Cantuariam deductum in Chriſti eccleſia inhumatur. Ipſe Agelnothus, cum octodecim annis ſediſſet, quarto Kalendarum Novembris diem clauſit extremum, & in eccleſia Chriſti Cantuariae ſepultus jacet: Quo etiam anno crebrae fuerunt in Anglia mortes Epiſcoporum.

[Chron. Ecc. Metrop. Cant.]
[Idem Steph. Byrchinton.]
[Matth. Paris.]



XXX. EDSI-

Ad An. Chr. MXXXVIII. | Ad An. Chr. ML.

XXX. Edsinus.

[Steph. Byrchinton.]



EDSINUS, saepe Elsinus, Ealsius, atque Eadsinus dictus, sacerdos saecularis, & Haroldi regis primo fuit capellanus; a quo ad Wintoniensem Episcopatum promotus est. Deinde tam Haroldo rege, quam Agelnotho Archiepiscopo, mortuo ad Cantuariensem Archiepiscopatum postulatus & expetitus, a Benedicto papa pallium accepit, regnante Hardecanuto Haroldi fratre. [W. Malmsb. De Pontif.] Hunc archiepiscopalem honorem Edsinus administrare per infirmam atque adversam valetudinem non potuit. Itaque archiepiscopalia omnia jura & emolumenta, cum ipse tanto oneri impar esset, Siwardo cuidam demisit & delegavit. Ex eo Siwardus, vicarius, chorepiscopus, & Archiepiscopi vices moderans, dictus est. [W. Malmsb. De Pontif.] Scribunt quidam Hardecanuto mortuo, Edwardum minorem Ethelredi regis filium, qui in Normannia pauperrime exulaverat, atque Emmam matrem adversam sibi senserat, Godwino comite cum Danis renitentibus, in quorum tum potestatem regni copiae pervenissent, ad obtinendum hoc regnum hujus Archiepiscopi opera consilioque adjutum. Quod ob magnam regis in eum gratiam a vero alienum existimari non debet. [Steph. Byrchinton.] Edwardus enim jam regno potitus ab eodem Edsino, die paschali, Alfrico Eboracensi Archiepiscopo, omnibusque regni Episcopis & magnatibus astantibus, Wintoniae consecratus & coronatus est; eumque, ut patrem, coluit ac observavit. [Chron Eccl. Metro. Cant.] Sed Edsinus diuturna invaletudine intabescens, cum ab ea recreari nullo remedio se posse intellexerat, omni administratione sponte, ut diximus, abdicatus, se morti paraturus, egit cum Edwardo rege, & Godwino comite, secreto atque longo sermone, ut Siwardus Abendoniensis abbas, vicarius & coadjutor suus, [W. Malmsb. De Pontif.] se mortuo, in archiepiscopali sede succederet. Verum, quia Siwardi magna fraus & ingratitudo in ipsum Edsinum, qui eum honoribus tam amplis auxerat, & opibus locupletaverat, regi comperta postea fuit; designatus jam Edsini successor amotus est: Concessus tamen ei ob Edsini honorificam memoriam Roffensis Episcopatus fuit; quo facti pudorem tegeret, & amissae dignitatis moestitiam auferret. Fraus haec fuit, quod omnia Archiepiscopatus bona, quae in suam custodiam ab Edsino data essent, tam cupide misereque sibi reservavit, ut ne alimenta quidem necessaria infirmo Edsino, qui in ejus potestatem se posuerat, administraret: Quae aegritudo citius Edsinum, quam vis morbi, consumpsit. Itaque [Steph. Byrchinton.] Edsinus, postquam undecim annis infirmissima valetudine Archiepiscopus fuisset, quinto Kalendarum Novembris obiit, & in ecclesia Christi Cantuariensi sepultus est. Nomen suum hoc modo scripturis supponere consuevit: "Ego Edsinus Archiepiscopus Christi ecclesiae subscripsi." Hujus tempore sedes episcopalis Cridiensis ad Exoniam deducta fuit; quae jam una dioecesi Devoniam atque Cornubiam complexa est. Siwardus autem aegritudine ex proprii facinoris indignitate ac turpitudine confectus, defertur Abendoniam; ibique duobus mensibus in morbo decumbens moritur,

[A]d An. Chr. [M]XXXVIII. — Ad An. Chr. ML.

ritur; ac ſepultus eſt. Edſinus ex voluntate Edwardi regis inter Sanctos relatus eſt. In his Archiepiſcopis, quorum turbulenta tempora nihil memorabile pepererunt, etſi ſimus breviores, ea tamen recenſuimus, quae commemorantur a ſcriptoribus. In his, qui ſequuntur, Archiepiſcopis ob regni atque imperii ad Normannos mutationem, prolixiora ſcribendi argumenta dabuntur.



[A]d An. Chr. ML. — Ad An. Chr. MLI.

XXXI. ROBERTUS.

ROBERTUS, gente Normannus, ex coenobio Gemiticenſi venit in Angliam, accerſitus ab Edwardo rege; cui, ob ſua in eum antea in Normannia exulantem merita amicitiamque, quae regi cum Wilhelmo Normanniae duce tunc interceſſerat, charus fuit. Primum Londinenſis Epiſcopus, deinde Cantuarienſis Archiepiſcopus, ejuſdem regis gratia inſtitutus eſt. Hujus acta etſi pauca, tamen inſignia & mirabilia poſteritati traduntur. Hic enim author atque conſiliarius fuit tam pio ſanctoque regi, ut a quibuſdam aſſeritur, quod liberis caruiſſet, ut Gulielmum Normanniae ducem haeredem regnique ſucceſſorem inſtitueret. Ideoque una cum Haroldo tunc comite in Normanniam miſſus eſt, ut regis benevolentiam, regnique potiundi ſpem duci declararet. Et Haroldus de regno poſt regis obitum duci tradendo fidem ſuam juramento tunc Rothomagi obligavit; quam poſtea fregit, regnumque contra juramenti ſui religionem doloſe occupavit: Cujus rei poenas, in praelio poſtea victus a duce, amiſſo regno morteque perſolvit. Sed Archiepiſcopus, cum & regis Edwardi & ducis ſucceſſuri, obtenta per hanc legationem gratia, potentiam ſuam a quocunque periculo munitam tutamque exiſtimaret, nec cujuſquam authoritatem ſuae parem ferre poterat; Emmae reginae, Edwardi regis matris, cujus & regi populoque gratiam, virtutiſque famam, & amicitiis divitiiſque firmatam potentiam, in Anglia tunc maximam eſſe perſpexerat, exitium inaudito & inuſitato fraudis genere, cujus eventus ſibi exitioſus fuit, fabricavit. Primum, regem ipſum facillimis moribus praeditum, & accuſationibus quereliſque aures patefacientem, in eam incendit; quod nec ſe exulantem excepiſſet, fraternaeque caedis cum Godwino comite rea fuiſſet: Tum quod conſuetudine Aldwini Wintonienſis Epiſcopi in Wintonia, ubi morabatur, uteretur familiarius, quam neceſſe eſſet probae; quippe ſolo contentae Hardecanuto filio, qui ante regnabat, & ſoli intentae pontifici, quem colebat. Horum criminum rea poſtulata, bonis praediiſque ſpoliata, & in coenobium Warwellae detruſa, deductis facultatibus & regalibus ſumptibus, parciſſime ex fiſco in arctiſſima cuſtodia alebatur. Godwinus in exilium cum filiis ſuis actus, ejuſdem Archiepiſcopi opera & conſilio, quod reginae favebat. Aldwinus Epiſcopus Emmae dictus amaſius, Wintonienſis civitatis moeniis ſe continere, nec inde ſub poena capitis efferre pedem, juſſus. Regina in his conſtituta anguſtiis, literis ad Epiſcopos, quos ſibi fidos intellexerat, miſſis, & excuſavit ſe, & eos ſo-

W. Malmſb.

Ex Bruto.

Rob. Winton. Monachus in epit. rerum Britan.

licitavit, ut pro ſe intercederent, regemque rogarent, ut lege ageret, & de ſe quamprimum cognoſceret atque ſtatueret. Literarum ſumma erat haec: Torqueri ſe magis aliena quam ſua infamia, probare ſe judicio paratam, & ſe & Wintonienſem Epiſcopum injuſte diffamari, filiique ſui caedis inſontem; nec unquam contra regem aliquid eſſe molitam; placereque ſibi, ad criminum vitationem, etiam candentis & igniti ferri periculum; hoc tantum petere, ut abjecta cunctatione in eccleſia ſancti Swithuni haec ſua probatio purgatioque fieret: Securam enim eſſe ſe cogitationis & conſcientiae proprio teſtimonio: Quod ſi in hoc inquiſitionis negotio rex tardaret & procraſtinatione uteretur, ſeſe morituram: In tanta enim paupertate, quae ſe ridiculam effeciſſet, & vulgi opprobrio moleſtam & inviſam vitam producere non poſſe; regemque filium ſuum majori infamia, vulgique odio flagraturum, ſi ſe reginam ac matrem, nec teſtibus, aut legitimis probationibus, nec ſua confeſſione, judicatam, criminiſque expertem tam famoſa & arcta cuſtodia puniret: Omnibus enim perinde eſſe odioſum, ſi aut mater filium, aut filius matrem tam atroci odio proſequeretur: Eoque magis, quod in excelſo loco dignitatis ambo poſiti, ut virtutes, ſic & vitia, utriuſque in omnium oculos conſpicua & nota magis incurrunt. Epiſcopi acceptis reginae literis Edwardum regem conſulunt, querelam & preces reginae exponunt. Rex facilitate & innocentia ſua, qui nihil unquam ſua ſponte, niſi provocatus ab aliis, commiſiſſet perperam, eorum precibus facillime ſuperatus eſſet, niſi reſtitiſſet Archiepiſcopus; qui ea tunc apud regem exiſtimatione fuit, ut ſi cornicem dixiſſet eſſe candidam, aſſenſum ei fuiſſet. Qui, cum Epiſcopos pro regina acriter inſtare ſenſerat, fraudem ſecum meditatus, qua & illos ludere, & regis animum ad matris gratiam propenſum & inclinantem avertere poſſit, ſic exorſus eſt. "Conveniſtis, " inquit, fratres dominum noſtrum regem, de matre ſua; fera, non foe" mina: Qua interceſſione retorquetis crimen matris in filium. Illa e" nim, omnium petulantiſſima, in regem & minas & convitia evomuit, " & una cum Epiſcopo Wintonienſi adultero ſuo & ſtuprorum ac libidi" num frequentatore, ſocietate conjunctiſſimo, etſi callide ſimulat " ſanctitatem, regem ipſum ſacrilegii reum audet arguere; quod illi in" digno Epiſcopo, quem illa chriſtum Domini nominabat, authoritate " regia juſte bona abſtulerit. Sed rem ipſam tangamus. Illa adultera " Epiſcopum adulterum purgare vellet crimine. Quis autem purgabit " eam? Quae, praeterquam quod eſt adultera, & filii ſui Aluredi interfe" ctionem conſenſu ratam habuit, & Edwardo venenum procuravit; & " quanquam reginali dignitate ſit caeteris foeminis eminentior, tamen " tot tantorumque criminum ſuſpecta, genere diſquiſitionis graviſſimo & " ejuſmodi perſonis inuſitato, & a ſaeculis omnibus inaudito, & ſe, & " amaſium pariter ſuum culpa vacare probet. Quod ſi perferre illaeſa " poterit; ego, quia me huic accuſationi inſcripſi, honoribus meis, ve" ſtro judicio condemnatus, privabor; purgatique reſtituentur; ſin pur" gationis judicio rea deprehenſa fuerit, monaſtica vita perpetua includa" tur. Cujus rei invidiam atque culpam ne penes regem eſſe putetur, in " me recipiam. Ac ne vos de genere purgationis diutius ſuſpenſos te" neam, ſic ſtatuo: Haec infamis foemina novem ignitos & candentes " vomeres nudis pedibus ſupergrediatur & tranſeat; quorum quatuor " pro ſuo, quinque pro Epiſcopi Wintonienſis, quem innocentem aſſerit, " judicio

Summa literarum Emmae reginae matris ad Edwardum regem filium.

Roberti Archiepiſcopi contra Emmam invectio.

Ad An. Chr. ML. — Ad An. Chr. MLI.

" judicio fiant: Si titubaverit, ſi ſingulos vomeres pleno pede non preſ" ſerit; ſi qualitercunque laeſa fuerit, feratur in eam, tanquam fornica" riam, ſententia. Quae etſi aliis durior cenſura videatur, mihi tamen " mitius & indulgentius ſecum actum videtur; quod, quae capite plecti " debuit, pedibus tantum probatur." Itaque ſeveriſſimum hoc Archiepiſcopi decretum, a rege & Epiſcopis, etſi invitis, ſuſcipitur. Adeo tunc archiepiſcopalis authoritas etiam in potentiſſimos valuit, ut ipſa regina, nec ſuis, nec regis filii ſui, nec procerum aut Epiſcoporum viribus, nec alia ratione, quam innocentia ſua, prohibere a ſe tam inſignem contumeliam & injuriam potuit. Dies ad hoc & locus Wintoniae ſtatuitur. Quo & rex & magnates & Epiſcopi ad unum omnes convenere praeter, Archiepiſcopum: Qui Doveriae aegritudinem ſimulabat; ut ſi praeter opinionem ſuam negotii eventus ſequeretur, cito & ſine impedimento poſſit aufugere. Regina hujus decreti certior facta, illius atrocitate non magis turbata fuit, quam ſi optatiſſimum nuncium accepiſſet; regiſque juſſu e monaſterio Wintoniam reducta eſt. Jamque expiationis dies aderat.

Nocte praecedente regina ad ſancti Swithuni tumulum vigilans oravit, illum invocavit; vota ſuae, illo ſi periculo defungeretur, redemptionis permulta fecit: tandem poſt multas vigilias, obrepente brevi ſomno, vidiſſe in ſomnis dicitur ſanctum Swithunum aſſiſtentem, dicentemque: " Conſtans eſto, filia, Ego ſum Swithunus, quem invocas; ego " tecum ſum, ne paveas. Confundentur, qui te perſequuntur: quia " cum tranſieris per ignem, flamma non nocebit te. Tu autem remit" tes hanc noxam filio tuo." In hoc autem monaſterio, ut diximus, omni contentione & interceſſione regina petiit tam periculoſam purgationem ſubire; quia in ſummo fuit omnibus in Wentana civitate pretio, quod multis & ſuis & maritorum ſuorum, Edwardi, Canutique, & Hardecanuti filii ſui, regum praediis divitiiſque illud ante locupletaverat: tum univerſo Angliae clero chara fuit; quod eos ſemper in tanta authoritate atque gratia apud reges tenuiſſet; ut mirum eſſe non poſſit, eorum omnium votis, ſuffragiis, viribuſque eam in tanto diſcrimine fuiſſe ſervatam. Poſtridie rex, aſſiſtentibus ſibi Epiſcopis & proceribus, pro tribunali ſedet: Quo cum frequens populi clerique multitudo conveniſſet; educta in publicum regina interrogatur, an id genus examinationis vellet ſubire. At illa modico uſa ſilentio, his verbis regem affata eſt. " Domine ac fili cha" riſſime: Ego Emma mater tua, quae te utero ſuſtuli, de proditione in " te & Aluredum filios meos, nec non de turpitudine violataque pudi" citia cum hujus ſedis Epiſcopo, impetita, Deum invoco, & in corpus " meum teſtor, me nihil eorum, quae mihi ſunt impoſita, nec re, nec " propoſito, aut cogitatione commiſiſſe: illaque, etſi maxime rigida, ig" nis probatione ſum contenta: nec dubito, quin Dominus Deus eadem " potentia, qua Suſannam ab iniquiſſimis vaferrimiſque judicibus libera" vit, igniſque vim a tribus pueris in ardentem fornacem conjectis pro" hibuit, me etiam in hoc diſcrimine, tum a tam injuſti judicii fraude " & ſeveritate, tum ab ignis ſenſu tuebitur." His dictis, in templi pavimentis, ex ritu & more benedicti, novem vomeres incendio pene flagrantes collocantur: Reginaque inſons, calceis caligiſque exuta, impoſito peplo, ac, rejecta chlamyde, ſuccincta; inter duos tandem Epiſcopos media ad tormentum ducta eſt. Caeteri templo in exteriora atria diſcedunt.

Ab An. Chr. ML. dunt. Totius autem populi clerique quaſi una voce ululantis, ſanctum Swithunum invocantis & exclamantis; "Sancte Swithune libera eam," maximus fletus pene ad coelos ſublatus eſt; tantuſque clamoris ſonitus vocibus viribuſque omnium factus eſt, ut ſanctus Swithunus vel illico ſine mora, vel nunquam occurreret, ut tonitrua reboantia ſuperaret. Credebant enim illa ſua vociferatione, ut author refert, Deum ipſum vim pati, coactumque, ſervum ſuum Swithunum quaſi violenter extractum e coelo, ad liberandam reginam demiſſurum. Epiſcopi ductores, etſi a lacrymis cohibere ſe non poterant, reginam tamen conſolabantur: Et, qui illam hortabantur, ut fortiter hoc perferret, nec timeret; magis ipſi, quam illa, timebant. Illa cujus tota cogitatio ſine formidine in precibus defixa fuit, ad locum accedens, Epiſcopis pedes illius utrinque dirigentibus, novem vomeres novem paſſibus, ſingulos totius corporis pleno pondere premens, cito ſupergreſſa nec ferrum vidit, nec ſenſit incendium. Et ulterius ab Epiſcopis ducta, "Num me, inquit, extra eccleſiam, in "qua probanda ſum, eſtis ducturi? cur ad vomeres non ponor?" At illi a lacrymis gaudio ſubito revocati, ſingultientes reſponderunt: "Domina regina, reſpice; hoc atrox & arduum negotium mirando divino "auxilio illaeſa facile tranſegiſti:" Quae ſublato peplo reſpexit, viditque ferrum, divinumque agnovit miraculum. "Redeamus igitur, inquit, "ad regem filium meum, ut perſpectis meis pedibus, ſciat me non aliud "mali, quam injuriam & intolerabilem infamiam, eſſe perpeſſam." Itaque ad regem reverſi rem omnem narrant: cui uberrime cadebant lacrymae, & ad innocentis matris pedes humi jacens: "Peccavi, inquit, "mater, in Deum & in te; quod, qui omnem a te propellere injuriam "infamiamque delere & abſtergere debuiſſem, tam ancipiti periculo a "viro inimiciſſimo te exponi permiſerim. Itaque indignus ſum filius "tuus dici: Nec ipſum Deum, quem ſemper ſumma pietate colui, pro"pitium ac ſecundum mihi futurum ſuſpicor, niſi hoc meum facinus, "poena aliqua de me ſumpta, expietur, tuaque materna indulgentia re"mittatur." At illa pronum ad terram erigens filium: "Meus erga te, "mi fili, amor, quacunque, inquit, ſive tua, ſive alterius injuria perimi "nullo modo poteſt: mihi itaque plene hac tua ſupplicatione ſatisfa"ctum eſt: Sed de Aldwino Epiſcopo cogitare te oportet, cui perinde "ac mihi injuria fuit illata. Ab eo veniam ſi petieris, & ablata reſtitue"ris, dignum & te rege, & me matre tua facies." Itaque accerſitus Epiſcopus a rege moerente & veniam petente, ordini ac loco, extra quem poſitus eſſet, reſtitutus inter Epiſcopos ſedebat. Poſteaque, ut admiſſum in matrem facinus expiaret, rex ab Epiſcopis virgis caeſus, tribuſque maternis ictibus percuſſus, in matris gratiam populique venerationem rediit: omnia praedia cum fructibus interjecto tempore perceptis, reginae & Epiſcopo Wintonienſi reſtituuntur: Qui divinae liberationis non immemores, utrique, tam regina quam Epiſcopus, novem maneria ad perpetuam novem vomerum reique geſtae memoriam monaſterio ſancti Swithuni ſinguli conceſſerunt. Quas donationes rex & ratas confirmavit, & alia duo maneria, ſcilicet **Meones** & **Portland**, monaſterio praedicto largitus eſt. Poſt haec rex matris aſſiduis precibus comitem Godwinum cum filiis ſuis, redditis eis priſtinis honoribus, ab exilio revocavit, & in ſummo honore habuit: Quorum, ac regis, totiuſque populi odio, tanti- Ab An. Chr. MLI.

que facti invidia Archiepiſcopus laborans profugit, ac in exilium ſe dedit voluntarium: ubi mortuus tandem in Gemiticenſi monaſterio, unde prodierat, ſepultus jacet.

Erat haec Emma ob pulchritudinem venuſtatemque corporis ab Ethelredo rege ad conjugalem conſuetudinem expetita, dictaque flos Normanniae, Richardo Normanniae duce tertio, viro incredibili magnanimitate pectoriſque fortitudine praedito, procreata: Qui, quia nullum unquam periculum formidaverat, Richardus Impavidus, ſeu ſine metu, cognominatus eſt. Hujus conſuetudo fuit, ut, ubicunque prope eccleſiam vel coemeterium tranſiret, equo in eccleſiam oratum deſcenderet: Et ſi eccleſiam clauſam non poſſet intrare, pro foribus templi oraret. Itaque in nocturno quodam itinere eccleſiam procul conſpicatus, ad eam divertit: quam apertam ingreſſus, vidit in feretro humanum cadaver jacens ſine cuſtodibus, ſepulturae deſtinatum. Quo viſo non tardatus ad cancellam oratum feſtinavit. Et chirothecis detractis ac juxta ſe poſitis attollens manus, tacite devoteque oravit. Finita oratione audivit a tergo ingentem ſonitum quaſi commoti & concuſſi feretri, hominemque aperto ore contra ſe brachia extendentem. At ille nullo modo ſtupefactus, impoſito ſibi crucis ſigno, imperavit cadaveri, ut Dei nomine acquieſceret. Quod cum non faceret, indignatus dux pertranſiit, &, educto gladio, corpus illud medio diſſecavit, ut hinc inde ex utraque feretri parte diviſum caderet: egreſſuſque templo ad ſuos venit. Hac de cauſa per Normanniam edixit, ne deinceps cadavera ſine cuſtodibus & vigilia relinquerentur, donec ſepultura conderentur: unde poſtea inolevit conſuetudo, ut mortui ſub vigilum cuſtodia ſervarentur, donec humarentur in ſepultura: Qui mos in Angliam e Normannia fortaſſe traductus eſt.

Petrus de Ickam in An. 957.

Praeclarum ſcilicet fundamentum vigiliae mortuorum.

Ac paulo poſt Godwinus comes, cum in ſplendido & ſolenni convivio ad menſam propter regem ſediſſet, & in eorum conſpectu pincerna cum potu properans, uno pede titubans atque pene lapſus, altero caſum vitans, ſe recepiſſet; comes alludens eventui, quod tam cito pes unus alteri ſubveniſſet, regi dixit: "Hoc modo frater fratri opem ferre oportet." Cui rex illico reſpondit, "Ita & frater mihi opitulari potuiſſet, ſi ſibi licuiſſet per te." Comes ex hoc reſponſo moeſtus, fruſto panis in manus ſumpto, dira ſibi imprecans dixit: "Faxit Dominus Deus, ut haec offa, quam in os mitto, ſit mihi exitialis, ſi faternae tuae caedis author, aut reus, fuerim." Acceptamque offam deglutire non poterat; ſed quaſi ſtrangulatus illico exſpiravit. Quo viſo rex, nec mente nec corpore motus: "Extrahite, inquit miniſtrantibus, delapſum ſub menſa canem." Quod peregerunt, & Wintoniam ductum ſplendide ſepelierunt. Sub haec tempora Aldwinus Epiſcopus deceſſit: cui Stigandus, de quo proxime tractaturi ſumus, ſucceſſit. Et quia ille purgationis modus reginae impoſitus, tum tanti periculi vitatio, morſque Godwini execrationibus optata, incredibilem legentibus admirationem poteſt adferre; commodiſſimum erit hoc in loco, ad illorum temporum notam ea referre, quae in hujuſmodi purgationis & execrationis genere a veteribus obſervata fuerunt.

Si quis itaque furti, adulterii, homicidii, proditionis, falſi perjurii, aut cujuſquam gravioris criminis, ſuſpectus eſſet; ſi nec ſuo teſtimonio, nec teſtibus, nec claris perſpicuiſque probationibus convinci poterat, accuſatore, vel judice, id poſtulante, antiquitus conſtitutum fuit; ut aqua gelida

lida, vel ferventi aut candenti & ignito ferro, manu, vel aliqua parte corporis tactus de criminatione probaretur: ut ſi frigoris, vel caloris vim admoto corpore ſenſiſſet, reus judicaretur: ſin expers ſenſus fuiſſet, a ſuſpicione abſolveretur. In tam incredibilem ſuperſtitionem peneque feritatem illis ſaeculis caecitate perventum eſt, ut humanis ſenſibus vim adferrent, vel elementis detraherent. Quoniam, quae quandoque miracula ad nominis ſui gloriam illuſtrandam, gentibuſque notam faciendam potenter & raro effeciſſet Dominus, ea leviſſimis de cauſis, ſinguliſque privatis noxis, crebro praeſcriptis oratiunculis & exorciſmis ſuis inanibus, & incantationibus ex ore, potius quam corde, emiſſis fieri repetebant. Neque animadvertebant Dominum, cum in carne fuiſſet, ea praeter naturam ſigna poſcentibus ſaepe denegaſſe: Et Apoſtolos eadem niſi raro, ut gentes ad fidem allicerent, edidiſſe. Haec autem curioſa nimis criminum exploratio, a veteribus Anglis & Saxonibus priſco nomine Ordaleum appellabatur. Cujus nominis haec fuit origo & interpretatio. Or in veteri Saxonum lingua, ut quibuſdam placet, privandi particula fuit, cum praeponeretur dictionibus, ſicut α Graece: Ut enim μέρος, pars, ἀμερὴς ſine parte, intelligitur Graece: ſic dæl Saxonice aliquid ſive pars, Ordæl, non pars, ſine parte, expers vel nequicquam, ſignificavit. Et adhuc ejuſdem nominis vis aliqua, moderna lingua retinetur. Paucum enim, parvam partem, **a ſmall deale**, multum, magnam partem, **a great deale**: nullum partem, **no deale**, partirique, **to deale**, dicimus. Ordæl igitur, ſive Ordealeum, appellabant veteres Saxones, id genus inveſtigationis criminum, quo vindicati cruciatibus adhibiti, ſi doloris omnis, & culpae expertes judicarentur: quaſi, qui poenam nequicquam ſenſiſſent, neque quicquam perperam, ut ſuſpicabatur, commiſiſſent. Haec autem credulitas, quae tam multos decepit, a duorum conciliorum Triburienſis & Moguntinenſis decretis, quae zelotypiae legem a Moſe deſcriptam imitabantur, in populum deducta fuit. Triburienſis concilii haec eſt conſtitutio: "Si nobilis homo ingenuus in ſynodo "accuſatur, & negaverit; ſi fidelem eum eſſe ſciverit, cum duodecim in-"genuis ſe purget. Si autem deprehenſus fuerit in furto, perjurio, aut "falſo teſtimonio, ad juramentum non admittatur: ſed ſicut, qui inge-"nuus non eſt, cum fervente aqua, vel ferro calido, ſe purget." Moguntini autem concilii haec conſtitutio eſt: "Qui preſbyterum occidit, "duodecim annos excommunicatio ei ſecundum canones imponatur: aut "ſi negaverit, ſi liber eſt, cum ſeptuaginta & duobus juret. Si autem "ſervus, ſuper duodecim vomeres ferventes ſe purget: convictus noxae "uſque ad ultimum vitae tempus militiae cingulo careat, & abſque "conjugii ſpe maneat." Sed etſi praeter haec aquae & ignis in experiundis reis facta pericula, aliae etiam probationes tam in ſacra coena & euchariſtia, quam in eſculentis & poculentis inſtitutae ſunt: prius tamen de illa elementari, deinde de his poſterioribus inferendi, vel auferendi, criminis modis dicamus. Omnes autem hujuſmodi expiationes praeſcriptis quibuſdam exorcizandi & creaturas adjurandi formulis celebrabantur. Illa vero elementaris duplex, ut diximus, fuit. Aquoſa ſcilicet, & ignea. Aqua, vel calefacta multum & fervens fuit, vel gelida. In hanc accuſatus totus injectus eſt, & tunc ſi crimine vacavit, ad fundum ferebatur; conſcientia vero paventem aqua non recepit, ſed tanquam pondere carentem ſupra levavit ac ſuſtulit. Hoc ultimum genus purgationis

Ab An. Chr. ML. — Ad An. Chr. MLI.

tionis ad purgatorii demonstrationem & confirmationem infert Bernardus pater & doctus & pius: qui ut plurima sancte & erudite scripsit, tamen, ut in proverbio est, Bernardus non vidit omnia. Bernardi verba haec sunt: " Quaesiti, inquit, fidem, nempe hi, qui purgatorium non " credebant, cum de quibus suspecti videbantur, omnia prorsus suo mo- " re negarent; examinati judicio aquae mendaces inventi sunt. Cum- " que jam negare non possent, quippe deprehensi, aqua eos non reci- " piente, arrepto, ut dicitur, fraeno dentibus tam misere quam libere " impietatem non confessi, sed professi, sunt." Haec Bernardus.

Alterum genus aquosae probationis, fuit aquae bullientis & fervidae; in quam postulati brachium cubito tenus immersum: Si sine dolore & laesione proferri possit, liberabatur; sin dolorem aut cicatricem quam minimo indicio significaret, damnabatur. Hoc aquoso probationis genere, rustici, servi, libertini, ascriptitii, & infimae conditionis homines expiari solebant.

Sed interdum & nobiliores criminis suspecti aqua probabantur. Cum Londini ab ipsis civibus nocturna latrocinia perpetrabantur; cujusdam latronis manus, dum divitis mercatoris aedes invaderet, in conflictatione abscissa est: unde is captus & carceribus mancipatus, cum de vita spem pollicitatione judicis acciperet, si socios proderet, indicavit plures; inter quos quidem Johannes, cognomento Senex, nobilissimus & ditissimus, indicatus est. Qui cum judicio aquae se absolvere non potuit, obtulit regi quingentas marcas, ut vitam redimeret: Sed quia aquae judicio periit, rex nummos repudiavit. Itaque Johannes judicio publico condemnatus ac fune suspensus est.

An. 1177. & an. Hen. 2. 23.

Walter Coventren.

De nobilioribus autem & ingenuis suspectis per ferrum candens quaestio habebatur. Quod multiplex fuit: Aut enim simplex Ordaleum dicebatur, cum de uno crimine agebatur; cujus ferrum unius erat librae: aut si de pluribus, duplex triplexque secundum criminum multitudinem Ordaleum adhibitum fuit; quod pro criminum numero multiplicata pondera continebat. Hoc autem modo solitum est hoc Ordaleum perfici. Reus aut ferrum nuda manu candens ferebat, aut nudis pedibus super ignitos vomeres, singulis a se distantes passibus, totidem passibus incedebat: & si adustionem sensisset, aut manibus pedibusve laesus esset, carceribus, morte, exilio, vel ejusmodi legitima poena, plectebatur: vel sine dolore & nocumento solutus discessit. Nunc expositis hujus Ordalei generibus, ostendamus, quibus antiquorum regum Angliae legibus sancita fuerint, ab Ethelstano ordientes. Qui totum hoc de Ordaleo instituit in magna synodo apud Geateleiam, ex prudenti Wlfhelmi Archiepiscopi aliorumque Episcoporum consilio: & rursus in Gratanleano concilio, cui Wlstanus Archiepiscopus interfuit, idem confirmavit. Cujus hae sunt leges.

I. De Ordaleo praecipimus in nomine Dei, & praecepto Archiepiscopi, & omnium Episcoporum; ne aliquis intret ecclesiam, postquam ignis infertur, unde judicium calefieri debet, praeter presbyterum, & eum, qui ad judicium iturus est. Et sint mensurati novem pedes a staca usque ad marcam, ad mensuram pedum ejus, qui ad judicium ire debet. Et si aquae judicium sit, calefiet, donec excitetur ad bullitum, & sit alfætum ferreum, vel aereum, vel plumbeum, vel de argilla: & si Anfealdeꝛ tihtla sit, immergatur manus post lapidem; vel examen sit usque ad

Ex antiquissimis exemplaribus sic referente Chron. Jornalensi.

ꝩꝛiꝛte:

ƿꞃıꞅꞇe: & ſi triplex accuſatio ſit, uſque ad cubitum. Et cum judicium paratum erit, ingrediantur ex utraque parte duo homines, & certi ſint, ut ita calidum ſit, ſicut praediximus. Introeant totidem ex utraque parte judicii ex longo eccleſiae; & ſint omnes jejuni, & ab uxoribus ſuis ſe abſtineant ipſa nocte; & preſbyter aſpergat ſuper eos aquam benedictam, & det eis oſculari textum ſancti Evangelii, & ſignum ſanctae crucis: & nemo faciat ignem diutius, quam benedictio incipiat; ſed jaceat ferrum ſuper carbones, uſque ad ultimam collectam: poſtea mittatur ſuper ſcaphas, & non ſit illic alia loquutio, quam ut precentur ſedulo Deum Patrem, ut veritatem ſuam in eo manifeſtare dignetur. Et bibat accuſatus aquam benedictam, & inde conſpergatur manus ejus, qua judicium portare debet. Et ſic adeat: Novem pedes menſurati diſtinguantur inter ternos; in primo ſigno juxta ſtacam teneat pedem ſuum dextrum, in ſecundo ſiniſtrum; inde transferat dextrum pedem in tertium ſignum, quando ferrum projiciet, & ad ſanctum altare feſtinet, & poſt inſigilletur manus ejus; & inquiratur die tertia, ſi immunda ſit vel munda in ipſa ſigillatione. Et qui leges iſtas fregerit, ſit Ordaleum, ſit judicium vel examen fractum in eo, & reddat regi centum & viginti ſol. witae.

II. Si quis ipſa triplicis Ordalei ſententia in fanum irrupiſſe convincatur, is, prout in libro habetur judiciali, compenſato.

III. De Ordaleo ſimplici ſtatuimus; ut ſi quis furti ſaepius fuerit accuſatus, atque ipſa tandem Ordalei ſententia in reos referendus videatur, nec porro habeat, qui fide eum ſuſtentent ſua; in cuſtodiam mittitor, unde eum cognati, prout antea effati ſumus, liberanto.

IV. Praeterea ſtatuimus, ut unus per omnem ditionem noſtram atque idem ſit nummus, eumque nemo extra oppidum cudito. Atqui ſi monetariorum quiſquam nummos corruperit, ei manus ſcelere violata praeciditor, atque nummariae conſpicienda fabricae affigitor. Sin nummi adulterati poſtulatus aliquis, criminis ſuſpicionem diluere voluerit candentis ferri quaeſtione, manum ſceleris puram atque immunem oſtendito. Quin ſi ipſa Ordalei ſententia reus extiterit; ita, uti antea a nobis dictum eſt, fiat.

De iis, qui ſe ad Ordalei ſententiam ſubituros ſpondent.

VII. Qui ſe Ordalei quaeſtione examinandum obtulerit, triduo, quam id ſit aggreſſurus, ſacerdotem, ut is ſacra de more peragat, adito; atque interim pane, ſale, aqua & oleribus tantummodo veſcitor; miſſae praeterea illis ipſis diebus intereſto, munuſque ſuum offerto: Sub ipſo autem, quo eſt Ordaleum ingreſſurus, die, panem euchariſticum ſumito, ac jurejurando ſe illius, de quo appellatur, ſceleris purum minimeque conſcium jurato: Tum, ſi aqua gelida faciunda eſt quaeſtio, ad ſeſquiulnam funis in aquam mergitor. Sin ferro fiat candenti, per continuum triduum obſignanda non reſignetur manus.

Canuti Leges de Ordaleo.

I. Festis diebus omnibus, quatuor temporum jejuniis, quadrageſima, caeteriſque omnibus, quibus rite fuerit indictum jejunium, diebus, omnis Ordalei ac jurisjurandi juriſdictio intermittitor.

II. Si cujus apud centuriatos labefactata ſit fides, adeoque is crebrae fuerit accuſationis infamia notatus, ut eum tres ſimul viri criminentur; alia

alia, quam ex triplici Ordaleo, excuſatio nulla eſt accipienda. Verum enimvero, ſi herus ejus affirmarit, nec jusjurandum violaſſe ſervum, nec judicio Ordalei, poſt coactum Wintoniae concilium, cecidiſſe, ex eadem illa centuria fidelem unum & alterum herus evocato; qui una ſecum jurejurando confirment, nec fidem jurejurando obſtrictam fefelliſſe ſervum; nec Ordalei ſententia in reos relatum; nec furti nomine perſolviſſe quicquam; niſi quidem praeſto fuerit praepoſitus aliquis, cujus in hac re ſatis habeat ponderis, dicti authoritas. Tum ſi jusjurandum dederint, accuſato fiat eligendi poteſtas; utrum ſimplicis Ordalei ſententiam ſubire, an jusjurandum, quod uni librae & triginta denariis, aequali proportione, reſpondeat, in tribus centuriis praeſtare voluerit. Sin id illi jurejurando confirmare verebuntur, triplicis Ordalei quaeſtione reus examinator. Id autem ad quemnam modum fieri oportebit in lege ſua pluribus refert Canutus. Actor viros, qui praejurent, quinque adhibeto; ipſe ſextus eſt.

III. Servus, ſi ipſa Ordalei ſententia in reos referatur, primo inuſtus compungitor: atque, ſi ſecundo Ordalei quaeſtione examinatus culpae reus fiat, alia quam capitis, poena non eſto.

IV. Si quis ſaluti regis aut domini ſui inſidias tetenderit, vita & rebus ſuis omnibus plectitor; niſi quidem triplicis Ordalei quaeſtione crimen diluerit.

Leges boni Regis Edwardi.

I. Die illo, quo judicium fieri debet, veniat illuc miniſter Epiſcopi cum clericis ſuis, & ſimilis juſtitia regis cum legalibus hominibus provinciae illius, qui videant & audiant, ut aeque omnia fiant; & quos Dominus, per miſericordiam ſuam, non per merita, ſalvare voluerit, quieti ſint & libere recedant: & quos iniquitas culpae, non Dominus, damnaverit, juſtitia regis de ipſis juſtitiam faciat.

De his, qui ad judicium ferri vel aquae judicati ſunt per juſtitiam regis.

II. Si quis captivus, exilio deſtinatus, habuerit uxorem ſuam in patria ſubſiſtentem; & dixerit aliquis parentum murdrati eam nequitiae fuiſſe participem, expurget ſe judicio Dei: i. e. Ordaleo; quam ſi clementia Dei, & innocentia ſua, ſalvaverit, remaneat legalis cum dote ſua & maritagio.

Has & alias leges boni regis Edwardi confirmavit Gulielmus rex; & alii eum ſequentes.

Lex Gulielmi Regis.

Decretum eſt; ut ſi Francigena appellaverit Anglum de perjurio, aut murdro, furto aut homicidio, aut Ran, quod dicitur aperta rapina, quae negari non poterit; Anglus ſe defendat, per quod melius voluerit, aut judicio ferri candentis, aut duello.

Quod Wilhelmi regis decretum ante a prioribus Angliae regibus obſervatum, etiam a poſterioribus regibus uſque ad Johannis regis tempora retentum fuit.

ATQUE haec de Ordaleo aqua ferroque probando. Nunc alia purgandi genera explicemus. Proxima est igitur eucharistica; de qua in concilio Wormaciensi his verbis statutum est. "Sic saepe contingit, ut in monasteriis furta perpetrentur: idcirco statuimus, ut, quoniam ipsi fratres de talibus expurgare se debent, missa ab abbate celebretur, vel ab aliquo ex praesentibus fratribus, & sic expleta missa omnes communicentur in haec verba. Corpus Domini sit tibi hodie ad probationem." Et iterum: "Si Episcopo, aut presbytero, aliquod maleficium imputatum fuerit; pro singulis missam celebrare debet & communicare, & de singulis sibi imputatis innocentem se ostendere. Quod si non fecerit; quinquennio a liminibus ecclesiae extraneus habeatur." Eademque purgatio in Angliam Canuti legibus recepta est, ut in L. sua. §. SI QUIS.

"SI quis itaque, inquit, sacerdotem ad certam aliquam religionis normam viventem in crimen vocarit, atque is nullius sibi sceleris conscius fuerit, missam, si modo id facere non vereatur, celebrato, & eucharistiae perceptione unius calumniam omnem solus contundito: sin trium fuerit accusatio, percepta, si modo ausus fuerit, eucharistia, atque adjunctis sibi aliis ejusdem ordinis duobus, omnem cogitati sceleris suspicionem diluito, &c. Si vero eorum, qui arae deservierint, aliquis amicis orbatus, adeoque, qui secum una pariter jurent, non habens, criminis fuerit postulatus, panem execratione devotum comesto; atque de eo fiat, prout divina feret voluntas; nisi quidem licitum fuerit eucharistiae perceptione se culpa liberare."

HUC spectat, quod Lotharius imperator de adulterio petitus, sub Adriano papa secundo, se, adhibitis proceribus, eucharistiae perceptione purgare voluit. Qui omnes eodem anno perierunt, ut Christianus Massaeus, anno 855. refert libro decimo quarto; divinane ordinata virtute, an occulto veneno, quo, in ejusmodi mysteriis, etiam papae perempti sunt, incertum nobis est. Massaei autem diserta verba repetamus. "Lotharius imperator de adulterio petitus se per literas ad Adrianum papam missas excusare conatus est. Cui respondit pontifex: Si non es adulterii reus, veni Romam, & corpus Christi nobiscum sume." Venit imperator, negavit adulterium; sumpsit eucharistiam una cum principibus suis, qui omnes eodem anno perierunt. Lotharius autem vix Placentiam veniens mortuus est octavo Augusti.

ALTERUM propellendi criminis genus monomachia seu duello expertum fuit. In quo tam accusator seu actor, quam reus, de veritate accusationis & jure actionis in judicio prius propositae, armis decertabant; ut secundum eum, qui vicisset, aut adversarium ad deditionem coëgisset, judicaretur. In hoc genere constitutum fuit, ut partes per se, vel procuratores, liberos tamen homines, duello experiri poterant.

Ex veteribus missalibus & pontificalibus Saxonicis.

ULTIMUM, quod scimus, periculi genus in panis hordeacei & casei comestione fuit. Qui manducatus insontibus alimento, reis autem judicio fuit, utpote a quibus deglutiri non poterat: sed e gula projectus omnes corporis artus tremore ac pallore affecit. Atque haec omnia creaturis per certos exorcizandi modos adjuratis fiebant. Quos etsi varios peneque innumerabiles recensere non possumus, certos tamen ad singula expiationum genera accommodatos demonstrabimus. Ac primum de ferro & aqua exorcizatis dicamus.

Purgatio

Purgatio per ferrum.

POST accuſationem legitime factam, & triduum in jejuniis & oratione conſummatum, ſacerdos, veſtibus ſacris praeter caſulam indutus, ferrum ante altare poſitum forcipe accipiat, & hymnum Trium Puerorum decantans, ad ignem deferat. Quo cum pervenerit; dicat ſacerdos hanc orationem ſuper locum, ubi fiet ignis ad faciendum judicium.

" BENEDIC Domine Deus omnipotens locum iſtum, ut ſit nobis in " eo ſanitas, ſanctitas, caſtitas, virtus, & victoria, & ſanctimonia, hu- " militas, bonitas, lenitas, & plenitudo legis, & obedientia Deo Patri " & Filio, & Spiritui Sancto; haec benedictio ſit ſemper ſuper hunc lo- " cum, & ſuper omnes habitantes, in eo, per, &c."

INDE ſequutae ſimiles ſuper ignem benedictiones; quibus finitis ad miſſam perventum eſt, quae plurimis ejus generis exorciſmis conſarcinata, in celebratione euchariſtiae his verbis ad reum participantem uſa eſt. " Corpus hoc & ſanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit tibi hodie ad pro- " bationem." Qua peracta rurſus pergit ſacerdos ad ferrum purgatorium, multis oratiunculis Sanctos Sanctaſque omnes invocans: quo perveniens legit Evangelium: "In principio erat verbum, &c." quo perlecto, aquam benedictam ſuper ferrum ſpargit, & ſignum crucis faciens dicit: "In nomine Patris, &c." Mox accuſatus accipiens, ad novem pedum menſuram, ferrum perferat. Hujus denique manus ſub ſigillo triduum incluſa tegatur; & ſi ſanies crudeſcens in veſtigio ferri reperiatur, culpabilis & immundus dicatur: ſin autem mundus extiterit, laus & gloria Deo referatur.

PURGATIO per aquam ferventem, eodem ritu, quo per candens ferrum, peracta fuit, paucis verbis immutatis: loco enim horum verborum: " Si hoc candens ferrum tetigerit," haec dicta ſunt: " Si in hanc aquam " ferventem miſerit manum ſuam." Hac purgatione ſanctus Paternus probatus fuit: hujus manus ter immerſa laeſionem non ſenſit; quamvis regis miniſtri illud ipſum attentantes combuſti ſunt.

[Margin: Jo. Capgrav. — Ex catalogo Divorum Wallenſium, ut in vita Paterni, ibid. & Jo. Capgrav. Eadmerus.]

QUO etiam tempore Mulgunnus Borealium Britonum rex edixit per omnem Britanniam, ut omnis mendax aqua ferventiſſima deprehenderetur. Et Cuthbertus Cantuarienſis Archiepiſcopus, quia has examinationes in eccleſia Chriſti metropolitica Cantuariae fieri noluit, aliam eccleſiam in orientali parte majoris eccleſiae, eidem pene contiguam, in honorem ſancti Johannis Baptiſtae, erexit; ut examinationes judiciorum pro variis cauſis conſtitutorum, quae ad correctionem ſceleratorum in eccleſia Dei fieri ſolent, ibi celebrarentur; & Archiepiſcoporum corpora ſepelirentur. Et hic error tantis tenebris eam aetatem obduxerat, ut Wilhelmus Malmeſburienſis ſcribat: " Omnes, qui in eccleſia Glaſconi- " enſi, ferro vel aqua examinandi fuerant, ſi orationem in ea eccleſia " deponerent, omnes, quos illa praeſens memoria confitebatur, uno ex- " cepto, de ſalute ſua tripudiarent."

[Margin: W. Malmſb. De antiquitate Glaſc. eccleſiae cap. de dignit. ejuſdem.]

Purgatio per aquam gelidam.

PERACTIS, ut ante, trium dierum jejuniis, & ſacris de more, ut ſupra deſcripſimus, datur accuſato aqua benedicta, ut bibat, cum hac execratione: “ Haec aqua ſit tibi in probationem hodie.” Deinde aquae gelidae, in quam mittendus eſſet reus, hujuſmodi conjuratio adhibita eſt: “ Adjuro te, creatura aquae, in nomine Dei Patris omnipo- “ tentis, qui te in principio creavit, & juſſit miniſtrare humanis neceſſi- “ tatibus, qui & juſſit te ſegregari ab aquis ſuperioribus. Adjuro te eti- “ am per ineffabile nomen Dei Jeſu Chriſti, Filii Dei vivi, ſub cujus pedi- “ bus mare & elementum diviſum ſe calcabile praebuit: qui etiam bapti- “ zari ſe in aquarum elemento voluit. Adjuro te etiam per Spiritum “ Sanctum, qui ſuper Dominum baptizatum deſcendit. Adjuro te per “ nomen ſanctum individuae Trinitatis, cujus voluntate aquarum ele- “ mentum diviſum eſt, & populus Iſrael ſiccis pedibus ſtatim tranſiverit. “ Ad cujus etiam invocationem Heliſaeus ferrum, quod de manubrio “ exierat, ſuper aquam natare fecerat: Ut nullo modo ſuſcipias hunc “ hominem N. ſi aliquo eſt culpabilis, de hoc, quod ei objicitur; ſci- “ licet aut per opera, aut per conſenſum, vel per conſcientiam, ſeu “ per ullum ingenium: ſed fac eum natare ſuper te, & nulla poſſit eſſe “ contra te cauſa facta, aut ullum praeſtigium inimici, quod illud poſ- “ ſit occultare. Per nomen autem Chriſti praecipimus tibi, ut nobis “ pro nomine ejus obedias, cui omnis creatura ſervit; quem Cherubin “ & Seraphin collaudant, dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus “ Deus exercituum, qui etiam regnat & dominatur per omnia ſaecula ſae- “ culorum. Amen.”

POSTEA recitatis aliis exorciſmis, reus exutis veſtibus aquas introiit: Quibus ſi immergeretur, liberabatur; ſin vero ſuſtentaretur, nec inundari poterat, damnabatur.

Exorciſmus panis hordeacei & caſei.

QUORUM appenſio unius erat unciae; omnibuſque praeſentibus jejunis, ſacerdos primitus Litanias fecit; deinde hujuſmodi precatione uſus eſt.

“ Domine Jeſu Chriſte, qui regnas in coelis & in terris, & immobilis “ es in omnibus operibus tuis, dominator dominantium, Deus Angelo- “ rum & Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Con- “ feſſorum, Virginum, & omnium electorum; praeſta, quaeſumus per “ ſanctum & admirabile nomen tuum, ut qui reus eſt hujus furti, vel ho- “ micidii, aut adulterii, ſeu maleficii, de quo hic nunc requiritur, vel “ in facto, vel in conſcientia, ad appoſitam ei, pro oſtenſione veritatis, “ creaturam panis ſanctificati, vel caſei, faux ejus claudatur, guttur ejus “ ſtranguletur, & in nomine tuo ante illud rejiciatur, quam devoretur; “ Sed & ſpiritus diabolicus, cui nulla communio cum tua ſuperna veritate, “ in hoc negotio ad ſubvertendum judicium pravis praeſtigiorum ſuorum “ molitionibus nil praevaleat; ſed qui reus & conſcius eſt rei praefatae, ad

" ad hoc pabulum ſanctificati panis, vel caſei, & praeſertim per Do-" minici corporis & ſanguinis communionem, quem accepit, tremat, " & tremendo palleat, & nutabundus in omnibus membris appareat. " Innoxius vero & inſcius ſobrie ad ſalubritatem ſui, cum omni facilitate, " hanc partem panis vel caſei in nomine tuo ſignatam manducando di-" glutiat; ut cognoſcant omnes, quia tu es judex juſtus, qui ſalvos facis " ſperantes in te, & non eſt alius praeter te; qui vivis & regnas per om-" nia ſaecula ſaeculorum. Amen."

HAE omnes adjurationes ex veteribus miſſalibus & pontificalibus Saxonum libris verbatim excerptae ſunt. In quibus multa, quae adhuc in uſu a pontificiis habentur, de veſtibus, templis, altaribus, locis oratoriis, campanis, paneque & aqua ſanctificandis, eiſdem adjurationibus ritibuſque deſcribuntur. At illae, tam contrariis legibus, quam deſuetudine, paulatim ſublatae ſunt: Haec vero eadem amentia caecitateque retinentur. Sed mirum non eſt hanc varietatem & inconſtantiam papalibus ineſſe legibus, quae, ut in proverbio eſt, " omnia pretio fingunt atque refin-" gunt." Nam illas omnes, aquae, ferri, duelli, ac euchariſtiae purgationes tanquam authore diabolo fabricatas, Deumque tentantes, tandem poſt multa ſaecula pontifices Romani prohibebant: Et de reis judicia ſumi, non alia ratione, quam ſpontanea confeſſione, vel luculentis teſtimoniis atque probationibus, ſtatuebant. Eamque purgationem, quod a vulgo recepta eſt, vulgarem, hanc ſuis inſtitutis ſancitam, canonicam, appellabant: De qua Gregorius primus ad Brunigildam reginam Francorum, de Menna Epiſcopo purgando meminit & improbat.

Causa 2. Quaest. 5.

POSTEAQUE Stephanus papa quintus, de parentibus partus opprimentibus, coram Huberto Epiſcopo Moguntino purgandis, non admittit ferri candentis, vel aquae ferventis, examinationem. " Spontanea e-" nim confeſſione, inquit, vel teſtium approbatione publica delicta, ha-" bito prae oculis Dei timore, commiſſa ſunt regimini noſtro judicare: " Occulta vero & incognita illi ſunt relinquenda, qui ſolus novit corda " filiorum hominum."

MONOMACHIAM vero prohibuit Nicolaus; quae civilibus, ac Juſtiniani legibus ante interdicta fuit; cum haec & hujuſmodi ſectantes Deum ſolummodo tentare videantur. Sed utrum illa euchariſtica panis atque caſei purgatio ſimiliter tollatur, dubitat, cum ſuis gloſſographis, Gratianus; &, diſceptata paululum controverſia, tandem eam quoque abrogari concludit. Quod quanquam Sixtus papa, coram Valentiniano imperatore, ac Leo poſtea, ea purgatione objecta ſibi crimina diluebant; tamen ipſi reſcripſerunt: " Suum exemplum aliis hoc non eligentibus " formam non dare, neque quenquam nolentem cogere." Id quod evidentius apparet ex ſequentium paparum epiſtolis decretalibus; in quibus non aliam purgationem, quam canonicam, a ſe deſcriptam permittebant. Unde Honorius tertius, qui vixit tempore Johannis regis Angliae, filii regis Henrici ſecundi, eam purgationem prohibuit. Novumne hoc, an uſitatum a pontificiis poſſit cenſeri, ut ea, quae priorum patrum ac conciliorum decretis ſtatuta fuerunt, a poſteris ſuperſtitioſa, Deum tentantia, & contra canones facta fuiſſe dicantur? In quo errorem proprium & mutabilitatem oſtendunt. Etſi enim aſſentior, recte ac ſe-

Decret. lib. 5. tit. de purgatione canonica, & de purgatione vulgari.

cundum Deum egiſſe pontifices, quod hujuſmodi nugis ac praeſtigiis, quae multis ante eos ſaeculis, in ſummo uſu & exiſtimatione a veteribus culta & obſervata fuerunt, fidem omnem ac authoritatem detraxerint: in hoc tamen deſidero illorum ſive pietatem, ſive prudentiam, quod, quae in eo genere corrigere volebant, in alio deteriora effecerunt; ut immutata magis & ad novas ſuperſtitiones traducta, quam penitus deleta & extincta, cernantur. Legat enim, qui volet, recentiores, & noſtro praeſertim aevo editos, pontificales ac miſſales libros; reperiet eos & ceremoniarum multitudine, & peragendi difficultate atque taedio, & exorcizationis amentia, priores illos longe ſuperare. Quibus enim non dicam verbis, ſed portentis haec & ejuſmodi a pontificiis adhuc adjurantur? Primarius lapis, & caementum pro eccleſia aedificanda, ſal & aqua, panis benedictus, dedicatio recentis eccleſiae, altaria, vaſa, indumenta, linteamina & ornamenta eccleſiaſtica: altare portatile, calix cum patina, crux nova, Sanctorum imagines; campanae atque ſigna, cineres, incenſum; tum in militum, ut vocant, regularium erectione, arma, enſes, & vexilla bellica: Haec omnia, quam ſolenni ritu ſanctarum Scripturarum ſententiis ad ſuas decantationes perperam adhibitis pontificii peragunt, paucis videamus. Lapis cum caemento Epiſcopi manibus primum aqua benedicta ſparſus, inſculpto crucis ſigno, his ſententiis in fundamento poſitus eſt: "Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus eſt "in caput anguli." Deinde, "Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram, &c." Poſtea precabantur, ut, qui ad perficiendam eccleſiam auxilium dederint, corporis & animae ſalutem conſequantur. In dedicatione autem eccleſiae jam extructae, Epiſcopus eccleſiam ter circumiens, oſtium baculo paſtorali ferit hoc Pſalmi carmine: "Attollite portas, &c." Cui diaconus intus exiſtens, reſpondet fere exanimatus: "Quis eſt iſte rex glo-"riae? &c." Deinde ingrediens Epiſcopus in fundamento eccleſiae cineribus ſparſo alphabetum Graecum & Latinum baculo deſcribit: tum variis multiſque Epiſcopi clerique inceſſibus, rectis, obliquis, retrogradis & tranſverſis, parietes ac pavimenta aqua ſparguntur. Cruces in parietibus chriſmate cum dextro Epiſcopi pollice depinguntur: & infinitis pene completis ceremoniis, ad extremum precatur, ut populus in ea conveniens per ſacerdotum libamina coeleſti ſanctificatione ſalvatus, animae ſalutem perpetuam conſequatur. Et diſcedens portam his verbis Epiſcopus ungit chriſmate: "Porta, ſis benedicta, ſanctificata, conſecrata, con-"ſignata, & Deo commendata. Porta, ſis introitus ſalutis & pacis. Porta, "ſis oſtium pacificum, per eum, qui ſe oſtium & oſtiarium appellavit." Non his auguriis conditum Salamonis templum fuit, quod pura condentis voluntate oblatum Deo, ab ipſo conſecratum fuit. Altaria autem innumeris hujus generis precibus conſecrantur: Ut, "Quicunque in hoc "altari ſacranda libamina devotus obtulerit, vel ſacrata ſuſceperit, ſubſi-"dia praeſentis vitae accipiat, & remiſſionem pariter omnium pecca-"torum conſequatur, & gratiam ſempiternam redemptionis percipiat." Et: "Mane ſurgens Jacob erigebat lapidem in titulum, fundens oleum "deſuper, votum vovit Domino: vere locus iſte ſanctus eſt, & ego neſ-"ciebam: ac erit nomen meum ibi, dicit Dominus: &, ſtetit angelus "juxta aram templi." Si autem reliquias in ara recondiderat Epiſcopus, addidit: "Nationes ex longinquo ad te venient, & munera deferent, &c." Evangelium autem eo die legebatur ex quinto Matthaei: "Si ergo offers "munus

Ex veteribus Miſſal. & Pontifical. Saxon.

Ab An. Chr. ML. | Ab An. Chr. MLI.

"munus tuum ad altare, &c." Ad devovendum autem altare portatile, decantatis plurimis Pſalmis & oratiunculis, precabatur Epiſcopus: "Deus, qui quondam legem in tabulis condidiſti lapideis, & lapideum metallum ad obſequium tui ſacrificii condidiſti; annue dignanter, ut quicquid huic altari oblatum ſacratumve fuerit, nomini tuo aſſurgat, religioni proficiat, & fidei ſit honori." Calix cum patina hoc modo benedicuntur: "Quemadmodum Melchiſedech ſacratus fuit calix; ſic hoc vaſculum & patina per ſacerdotis benedictionem ſanctificetur; & corporis ac ſanguinis Domini novum ſepulchrum fiat." Tum ſacris ritibus, tanquam Moſis juſſu, a Maria contextis, tributa exorciſmis vis eſt arcendi malignos ſpiritus; & corporalia, nova Redemptoris noſtri ſudaria dicta ſunt. Crux vero novae vitae lignum, per quod veteris ligni ab Adamo ſumptio expiata, appellatur. Quam Epiſcopus benedictam flexis genibus adorans & oſculans precatur, ut orantes ſeque inclinantes ad illam inveniant corporis & animae ſanitatem; & ut ſignum crucis ſit remedium ſalutare generi humano, ſoliditas fidei, profectus operum, redemptio animarum, protectio, ſolamen ac tutela contra ſaeva jacula inimicorum. Et imaginibus ſimilis optata poteſtas eſt, ut quicunque coram illis Sanctum aliquem honoraverit, illius precibus gratiam in praeſenti, & aeternam gloriam obtineat in futuro. Ac vaſis ornamentiſque ſacratis, ut omnis immundus ſpiritus confuſus longe diſcedat, ab Epiſcopo petitum eſt. Pro campanis adjuratis, Epiſcopi interceſſionibus poſtulatum fuit: Ut, "quemadmodum Moſis tuba, populus & ad divinum cultum convenit, & in hoſtes incenſus eſt, & clangore tubarum Hierichuntis moenia corruerunt, & adventu Domini mare fugit, montes exultaverunt, & tota terra turbata eſt: ſic per campanae tactum atque ſonitum fideles invitentur ad ſacram matrem eccleſiam; & cum melodia illius auribus inſonuerit populorum, creſcat in eis devotio fidei, amor ſpiritualis, procul pellantur omnes inſidiae inimici, fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempeſtatum, temperentur infeſta tonitrua, ventorumque flatus fiant ſalubriter ac moderate ſuſpenſi, proſternat aerias tempeſtates dextra tuae virtutis; ut hoc audientes tintinnabulum tremeſcant ac fugiant, ante crucis in eo depictum vexillum." In gladiis, armis, vexilliſque ſacrandis precantur Epiſcopi, ut ſint inimicis ſigna terribilia, at Sanctis intercedentibus ſolidamenta, & victoriae certa fiducia. Panem, ad ſimilitudinem quinque panum Chriſti benedictione multiplicatorum, guſtantibus imprecatus fuit, ut reciperent ſalutem tam animae quam corporis. Jam vero ſalis aquaeque benedictio, eorundemque commixtio, an non diſertis eſt exorciſmus verbis? Nam poſt planum exorciſmum adjurat ſacerdos, ut ſint creaturae exorcizatae; precaturque, ut omnibus ſumentibus ſint ſalus animae atque corporis; ut, quicquid eo ſale tactum aut reſperſum fuerit, careat omni immunditia, ab eoque fugiat & diſcedat omnis phantaſia & nequitia, ac verſutia diabolicae fraudis, omniſque ſpiritus immundus adjuratus; exemplo ejus ſalis, qui ab Eliſaeo Propheta in aquam projectus ſterilitatem delevit: tum ut aqua exorcizata ſumat effectum ad abjiciendos daemones, morboſque pellendos; ut quicquid ea ſparſum ſit, careat omni immunditia, liberetur a noxa: Non illic reſideat ſpiritus peſtilens, non aura corrumpens; diſcedant omnes inſidiae latentis inimici: & ſi quid eſt, quod aut incolumitati habitantium invidet aut quieti, aſperſione hujus aquae effugiat. Ad extremum, ut commixtio

mixtio ſalis & aquae efficiatur ſalutare ſacramentum. Incenſum etiam benedictum creditur recipere hanc poteſtatem, ut omnes languores, omneſque infirmitates, cunctaeque inſidiae inimici, odorem ejus ſentientes effugiant.

Sed quid hujus generis infinita exempla perſequar? Cui enim dubium eſt hujuſmodi exorciſmis papales ritus & ceremonias abundare, qui ab his, quos in ordinatione Ordalei, vulgariſque purgationis antiquitas ſecuta eſt, quam ſero damnabant, aut nihil differunt, aut pluribus magiſque ſtupendis praeſtigiis referti ſunt? Ac ſanctus Auguſtinus, qui ſuo tempore de ceremoniarum multitudine queſtus eſt, ſi jam viveret, quid de hoc immenſo numero & prolixo earum celebrandarum modo exiſtimare poterat? Scribit enim Januario de ceremoniis loquens: "Ipſam tamen religionem, quam pauciſſimis & manifeſtiſſimis celebrationum ſacramentis miſericordia Dei eſſe liberam voluit, ſervilibus oneribus premunt; ut tolerabilior ſit conditio Judaeorum: qui etiamſi tempus libertatis non agnoverint, legalibus tamen ſarcinis, non humanis praeſumptionibus, ſubjiciuntur." Haec Auguſtinus. Et ſane valde deflenda eſt hujus temporis conditio, quod eccleſiae patres eadem mentis acie ab eccleſia reſecare has & ejuſmodi ceremonias, ſeu potius nugas, aut nolunt aut non poſſunt, qua priora illa Ordalei vitia cernebant atque corrigebant. Sed, illis ut ſuperſtitioſis damnatis & deletis, haec, quae mordicus retinent, quamvis puerilia & delira ſint, ex illis tamen fabricantur atque ſtruunt. Quanto modernis pontificibus aequior fuit Gregorius? qui ſcribit: "Quomodo regulae ſanctorum patrum pro tempore, loco, & perſona & negotio, inſtante neceſſitate, traditae ſunt." Hi autem, nulla neque temporis, neque loci, neque negotii, neque perſonae, neque cujuſquam rei, quam ſuae voluntatis atque gloriolae, rationem habentes, ne puſillis in rebus veritati cedere volunt.

Epiſt. 119. cap. 19.

Perpendat ſecum diligenter lector ex circumſtantiis, quas ſecundum rerum geſtarum varietatem atque fidem ex probatiſſimis ſingularum aetatum ſcriptoribus deſcripſimus, illa, quae miracula affirmabant, fuiſſe daemonis tantum ad decipiendum vulgus per papalem clerum exercitata ludibria; nec magis dicenda miracula, quam fuerunt illa a Pharaonis praeſtigiatoribus demonſtrata ſigna.



XXXII. Sti-

Ab An. Chr. MLII. | Ad An. Chr. MLXIX.

XXXII. Stigandus.

Stigandus, unde, aut a quibus originem traxit, neſcitur. Certum eſt autem, quocunque laboraverit vitio, & magno animo & profundo ingenio, & de patria bene meritum fuiſſe. Is in rempublicam & Epiſcopatus gerendos, per gratiam Edwardi Confeſſoris, regis leniſſimi, & ſanctiſſimi principis, cujus fuerat capellanus, virtutene an calliditate irrepſerit, pariter incertum eſt. Nam indoctum & illiteratum plane fuiſſe conſtat. Quae tamen non ſibi peculiaris, ſed toti Anglicano clero fuit tunc communis, inſcitia; ut temporis potius, quam hominis, defectus cenſeatur. Ad archiepiſcopalem celſitudinem his gradibus aſcendit. Primum orientalium Anglorum fuit Epiſcopus apud Helmham: Quem locum deſeruit, non tam libere & ſponte, quam ut Wintonienſi Epiſcopatu longe uberiori frueretur, poſt obitum Aldwini Epiſcopi. In quo occultatum diu avaritiae & ambitionis ſcelus primo prodidit atque patefecit. Quare avarus, ambitioſus, & Simoniacus, paſſim nuncupatur. Quae vitia indicavit apertius, quod Wintonienſi Epiſcopatu non contentus, cum regis animum, in Robertum tunc Cantuarienſem Archiepiſcopum, commotum animadvertiſſet, eodem ſive in exilium ejecto & ſede pulſo, ſive ſponte fugiente, vivente tamen & ſuperſtite, nec abdicato, Archiepiſcopatum occupavit. Hic Robertus antea regi charus, poſtquam Emmae reginae matri ſuae indixiſſet, ut violatae pudicitiae ſuſpicionem, ignitis & incenſis vomeribus, nudis ſuis pedibus ſupergreſſis, deleret & abſtergeret; eidem poſtea inviſus fuit. Hunc igitur ſupplantavit Stigandus, & uſitatis ritibus ac ceremoniis omiſſis, juſſu tantum regio conſecratus eſt, anno ejuſdem regis decimo, & Leonis Romani papae tertio; Roberti tamen pallio uſus, & primus in habitu clericali, ut quidam ſcribunt, ſed inconſulto, Archiepiſcopatu functus eſt. Hinc praedo dictus, & alienae poſſeſſionis invaſor, qui non per oſtium in Chriſti gregem & ovile intravit. Nec tamen Archiepiſcopatu adepto Epiſcopatum Wintonienſem dimiſit, ſed inexplebili ductus cupiditate, contra morem & inſtituta eccleſiae utrumque retinuit. Et quamvis ſaepe a ſede Romana accerſeretur, tamen vafris dilationibus & muneribus evaſit, ejuſque authoritatem contempſit atque deriſit; donec, ut mox dicetur, Wilhelmo regi poenas dediſſet: quem nullius ſuperavit calliditas & aſtutia. Hoc igitur Archiepiſcopatu, ſive aſtu, ſive gratuita regis largitione, potitus, ne ſumma contentione oblatiſve muneribus, a ſede Romana pallium obtinere potuit: etſi tunc omnia Romae perinde eſſent venalia, ac prioribus & recentioribus temporibus. Tandem intervenientibus muneribus, a quodam Benedicto ſui ſimili, & ejuſdem criminis reo, impetravit: Qui excommunicatus & a ſacris prohibitus pari nequitia Romanam ſedem invaſit, qua ille Cantuarienſem tenuit. Haec cum geſſiſſet Stigandus, ratus ea tranquilla & diuturna fore; ſubito ſequuta ſunt tempora, in Anglia aliquandiu turbulenta, & plena

Walter Coventren. W. Malmſb. Matt. Paris. An. 1070. Ex Jornalen. Hiſtor. W. Malmſb. Hiſt. Petrib. Latina. Walter Coventren. Hiſt. Petrib. Latina. W. Malmſb. Jo. Capgrav.

An. Edward. Conf. 10. A. D. 1052. Ex Jornalen. Hiſtor. Chron. Eccl. Cant. W. Malmſb.

Ex Jornalen. Hiſtor. W. Malmſb.

procellis, calamitoſa vero & plane exitioſa Stigando. Nam mortuo Edwardo rege, qui ob vitae integritatem, in regnando juſtitiam & continentiam, legumque ſive a ſe latarum, ſive ex veteribus ſumptarum aequitatem, inter Sanctos relatus eſt, ſucceſſit Haroldus. Cui Gulielmus Normanniae dux, qui, tam ex promiſſo Edwardi, cujus hoſpes in exilio fuerat, quam juramento Haroldi, cujus fratres obſides tenuit, regnum Angliae vendicavit, ob ejuſdem jurisjurandi violatam fidem & religionem, bellum indixit, & accitum Normannorum militem copioſa claſſe tranſvexit in Angliam: ubi cum Haroldo aperto Marte & inſtructa acie de imperio dimicabat. Haroldus, cerebro ex teli ictu transfixo, cum Anglo ſuccubuit: Gulielmus & victoria & regno potitus eſt. Has regnorum mutationes, ne caſu, aut fortuito, nec humanis tantum viribus evenire, non modo a philoſophis, qui naturales aiunt eſſe rerumpublicarum converſiones, ſed a theologis, qui, quod veriſſimum eſt, divinitus fieri aſſerunt, admonemur. Hoc autem Normannorum imperium multis ante Edwardum annis, tacite & quaſi divino oraculo praenunciatum legimus. Canuto enim rege, qui aliquot fuit ante Edwardum annis, Brithwoldum quendam, tunc Wentanum Epiſcopum, cum in nocturnis excubiis & lucubrationibus ſubiiſſet ſibi de ſtirpe regia, quae prope extincta & deleta fuerat, cogitatio, altus compreſſit ſomnus: in quo ſibi viſus eſt videre Petrum Apoſtolum, conſecrare Edwardum regem in Normannia tunc exulantem, coelibi vita, ac viginti quatuor annis regnaturum. Quae res non obſtupefecit, ſed ſic extulit Brithwoldum, ut percunctaretur, quis eſſet in regno ſucceſſurus. Cui hoc reſponſum eſt: "Regnum Anglorum, regnum Dei eſt: Et ipſe ſibi providebit regem." Ac ſane, ut nec concedendum, ſic nec detrahendum, nimium ſomniis. Nam hujus vaticinationis, qui pervetuſtos authores habet teſtes, eventus ipſe certus eſt. Quod admonet propheta oraculi inſtar eſſe divini: Ipſique Gulielmo in ſomnis occurrebat, de ſua in longaevum regnatura gente, & progenie. Quam cum videmus ea felicitate regnare, cur de hujus regis, aut illius Epiſcopi, ſomnii veritate dubitamus? Sed ad Stigandum revertamur.

Tho. Spottus. Anno 1066. — *Ex Jornalen. Hiſtor.*

Tho. Spottus.

Certum eſt, Gulielmo duci, cum Haroldum in acie proſtraverat, totam Angliam ſuam vim & poteſtatem conceſſiſſe, praeter Cantium comitatum: in quo Stigandus, ſive belli renovandi cauſa, ſive ut aequiori alia & tolerabiliori ſubjectionis conditione ſe ac ſuos illius imperio ſubjiceret, delituit. Id tamen effecit pro ſuis Cantiis, quod in ſua patria nemo: Omnes enim inopinata caede Haroldi ſtupore & moerore perculſi in Gulielmi ditionem ſe dabant, praeter Cantios: Qui, conſultore Stigando, ſe domi ſuiſque finibus continebant. Ad quos cum Gulielmus iter perrexiſſet, Stigandus, advocato ſibi Egelſino abbate Auguſtinenſi, qui totius tunc Cantii principatum tenebant, univerſum comitatus populum in unum locum congregabant: quibus & miſeram ac ſervilem vicinorum conditionem, ſub Normannorum juga redactam, & ſua pericula, quae ex Gulielmi adventu imminebant, declarabant. Populus mori potius in acie voluit, quam ab uſitata libertate ad incognitam & inſolitam ſervitutem deduci. Itaque dies ſtatutus eſt, quo apud **Swaneſcombe,** Cantii, oppidum inſtructi armatique rurſus convenirent. Stigandus & Egelſinus, Maccabaeorum more, duces exercitui praefecti; & ut auxilia ſua geminarent, inito conſilio, decreverunt; ut adveniente duce, & praeoccupatis tranſitibus, ſinguli milites ſingulos ramos, ea, ut videtur, magnitudine, qua unuſquiſ-

que

Ad An. Chr. MLII. — Ad An. Chr. MLXIX.

que ſe tegere poſſit, in manibus coram geſtarent. Poſtridie Gulielmus in campeſtribus prope **Swaneſcombe,** totam Cantii multitudinem, tanquam nemus mobile, ſe circumdantem, & paulatim moderato greſſu appropinquantem, attonitus mirabatur. Cantii, cum propius a duce abeſſent, eumque circumvallatum animadvertiſſent, ramos dejiciunt: arcubuſque tenſis, gladiis evaginatis, & haſtis vibratis, caeteriſque armorum generibus extenſis, tubae ſono praelii ſignum dant. Dux cum exercitu ſtupefactus eſt: utpote qui ſuperiori elatus victoria, tanquam in pugno continere ſe totam Angliam exiſtimaret: Nunc hoc ſubito Cantiorum motu perterritus, non de victoria ſolum, & amiſſione exercitus, ſed de ſua vita periclitabatur. Poſtulatum eſt itaque, ut colloquium prius haberetur, antequam iniretur praelium. Stigandus & Egelſinus, Cantiorum duces, mandati ſunt eorundem ad Gulielmum legati, qui pro ſuis Cantiis hac oratione uſi ſunt.

" OCCURRUNT tibi, dux inclyte, Cantii, amici & tuae ditioni pariturі, ſi aequiſſimis eorum poſtulatis conceſſeris; ut, qui libertatem a majoribus acceptam, & leges ac conſuetudines patrias retinere contendunt, nec in ſervitutem inexpertam redigi, aut nova jura tolerare volunt: Regiam enim poteſtatem, non dominatum, ferre poſſunt. Illibata itaque libertate, reſervatiſque moribus, legibuſque priſtinis, recipe Cantios, non ſervos, ſed, fide & amore in te affectos, ſubditos. Sin libertatem legumque immunitatem auferre niteris, una & vitam auferes. Malint enim incerto Marte tecum dimicare, & ſub certis hoſtibus in acie ſuccumbere, quam in foro ſub incertis legibus. Nam quanquam caeteri ſervire Angli ſervitutem poſſunt; Cantiorum tamen eſt propria libertas."

DUX & hac oratione, & novis anguſtiis perculſus, perplexo atque turbato animo, conſilium cum ſuis habuit. Cumque ſibi veniſſet in mentem, quam ancipiti praelio dimicaturus eſſet, aut ſi infecta re diſcederet, quam ſibi non modo ad infamiam ignominioſum, ſed ad jacturam acquiſiti nuper regni periculoſum, foret; ſi Cantium totius regni clavem, reliquo regno non adjungeret, & amicitia magis atque foedere, quam vi retineret; non neceſſitate magis, quam voluntate, conceſſit Cantiis, ut libere ſecundum vetera inſtituta viverent. Itaque inter Gulielmum & Cantios initum foedus fuit, & obſides utrinque dati. Poſteaque depoſitis armis, laeti Cantii laetos Normannos Roſeceſtriam deducunt; ubi duci Gulielmo, & comitatum, & Doverenſe nobile caſtrum in deditionem tradunt. Hic autem vetus mos & conſuetudo Cantiorum in legibus Anglorum municipalibus, appellatur, **Gavelkinde**: quae in toto regno, ante Ducis adventum, frequens & uſitata fuit: poſtea caeteris adempta, Cantiis ſolum ex hac Stigandi & Egelſini armata interceſſione & inſtantia, integra & inviolata remanſit. Quae res ſatis comprobatur ex antiquis ſcriptis de conſuetudinibus Cantii, ubi inter caetera ſic ſcribitur; " Dicit comitatus, quod in comitatu iſto de jure debet de ejuſmodi gravamine eſſe liber: quia dicit, quod comitatus iſte, ut reſiduum Angliae, nunquam fuit conquaeſtus, ſed per pacem factam ſe reddidit Conquaeſtoris dominatui, ſalvis ſibi omnibus libertatibus ſuis & liberis conſuetudinibus primo habitis & uſitatis." Subacto igitur, ſeu potius conciliato, Cantio,

" de

de quo maxime laborabat, quod illic regnum ingredientibus & exeuntibus portus aditusque esset maxime commodus ac opportunus, ad inaugurationem seu coronationem properavit Gulielmus. In quo quanquam moris est, reges a Cantuariensi Archiepiscopo consecrari; tamen a Stigando unctus non fuit, sed ab Aldredo Eboracensi Archiepiscopo: vel, quia Stigandus ab exercendo suo munere per sedem Romanam prohibebatur: vel, quia noluit viro sanguinolento, & per tam diram cladem atque caedem patriam suam occupanti, munus consecrationis conferre: vel, quod est verisimillimum, quod Gulielmus a Stigando suspenso & interdicto, & multorum criminum a sede Romana postulato atque reo, consecrari recusabat. Sed quaecunque fuerit causa, certum est Gulielmum omni externo cultu tractasse Stigandum perhonorifice, & comiter eum permulsisse, etsi pessime de eo senserat: quod tristis ejus exitus declarabit. Namque finitis inaugurationis solennibus, praesidiisque passim dispositis, omnibusque rebus sedatis & pacatis in Anglia, rex Gulielmus in Normanniam reversurus Stigandum, etsi renitentem, secum una cum aliis regni proceribus duxit, honoris, ut dixit, causa. Sed credibilius est, timuisse Gulielmum ejus tum versutum & callidum ingenium, tum gratiam & potentiam, qua valebat in Cantio: ne eo absente novos motus in Anglia concitaret, & defectionis author fieret. Nec passus est eum usquam abs se discedere, antequam rediret in Angliam, etsi benigne atque blande in Normannia retentum. Namque eum patris nomine appellare solitus, occurrit ei saepius cum illis jam obsoletis processionum pompis, longa serie ductis, domumque duxit atque reduxit, & in conventibus cum magna veneratione assurrexit; neque quicquam non modo officii, sed ne obsequii atque observantiae in eum, praetermisit. Sed postquam rebus in Normannia compositis in Angliam reditum est; illa tam diuturna ducis simulatio reipsa in apertum prorupit odium; etsi id verbis adumbravit Gulielmus, & facti invidiam in Alexandrum Romanum pontificem transtulit. Misero enim Stigando structae illico insidiae; & tacita Gulielmi interpellatione, missi ab eodem Alexandro, Hearmenfredus Sedunensis Episcopus, & Johannes ac Petrus presbyteri, Cardinales legati, ut de Stigando Archiepiscopo & Angliae clero instituerent & ordinarent judicia: a quibus huc illuc agitatus Stigandus, nunc in Scotiam cum Egelwino Dunelmensi Episcopo profugit: nunc Eliense coenobium latitandi & se occultandi causa petiit. Tandem totius cleri synodus Wintoniae facta; ubi legati praedicti, multis contra Stigandum objectis criminibus, eum ob tres causas Archiepiscopatu & ordinibus abdicabant. Primo, quod Archiepiscopatum Cantuariensem simul cum Episcopatu Wintoniensi tenuisset: non novo sane aut inusitato in Anglia tunc exemplo; quod recenti ante eum aetate Dunstanus & Oswaldus, quos historiae inter sanctos & integerrimos Patres referunt, in Episcopatibus plurales fuerunt: ille Wigorniensem simul cum Londinensi, hic Eboracensem Archiepiscopatum & Wigorniensem, ubi in ecclesia sanctae Mariae, quam ipse condidit, sepultus jacet, simul tenuerunt. Deinde, quod Archiepiscopatum, Roberto vivente, neque amoto, possedisset. Ad extremum, quod Roberti pallio Cantuariae relicto, qui vi injuste ab Anglia pulsus est, aliquandiu usus est; & postea a Benedicto papa, qui excommunicatus & sacris interdictus fuerat, eo quod pecuniis sedem apostolicam invasit, pallium accepisset. In eodem cleri conventu, multi alii a statu & dignitatibus non jure, sed regali papalique authoritate, per legatos coacti recesserunt:

Roger de Cestria. W. Thorne. Roff Histor. Jornalen. Histor.

Roger de Cestria. Jornalen. Histor.

Walter Coventren. An. 1069. in octavis Paschae. An. Wilhelmi Conqu 4. Polychron. W. Malmsb. Ang. gr. 1070. Radulph. de Diceto. Walter Coventren.


Histor. Petriburg. Latina.

runt: videlicet, frater ejus Agelmarus, Eſtanglorum Epiſcopus, eſt degradatus: Abbates etiam aliqui ibi degradati ſunt; operam dante rege, ut quamplures ex Anglis ſuo honore privarentur: in quorum locum ſuae gentis perſonas ſubrogaret, ad confirmationem ſcilicet regni ſui, quod nuper acquiſierat. Hinc & nonnullos, tam Epiſcopos, quam abbates, quos ſine ulla evidenti cauſa, nec concilia, nec leges ſaeculi damnabant, ſuis honoribus privavit, & uſque ad finem vitae, cuſtodiae mancipatos detinuit: ſuſpicione, ut diximus, tantum inductus novi regni. Stigandus vero ad ſummum jam adductus diſcrimen, deprecatione ad Gulielmum, an juſta expoſtulatione uteretur, incertus, eum per fidem tam firmiter utrinque datam ac interpoſitam inſtanter obſecravit; ne ſe tam iniquis permittat calamitatibus. At rex leniſſimis & manſuetis verbis ejus rei authoritatem & atrocitatem ſibi derogavit, ac papalibus mandatis attribuit: Verumtamen Stigandum exauctoratum, boniſque ac fortunis ſpoliatum, carceribus perpetuis incluſit: ibique famelicum ex fiſco parciſſime alebat, ut extorqueret fortaſſe, quos theſauros condidiſſet. Id enim a Stigando quaeſitum fuit: qui multis & magnis juramentis aſſeruit, ne quicquam ſibi aut aeris, aut bonorum ſupereſſe: vel quia ſpes eum aliqua tenuit libertatis, in qua tam grandi theſauro aut ipſe frueretur, aut ad perniciem ducis uteretur: vel quia tam indignis modis a duce tractatus, pejerare & mori maluit, potius quam tam inſigni beneficio inimicum ducem afficere. Ex fame enim interiit & aegritudine voluntaria; poſtquam archiepiſcopali ſedi ſeptendecim annis incubuiſſet. Eo autem mortuo, exanimati corporis collo clavicula alligata reperta eſt; quae ingentis theſauri indicium dedit, & magnarum opum in ſubterraneis ſpecubus occultarum: chartaeque inventae, in quibus conſcriptae ſunt ſummae theſauri ſui, quibuſque in praediis latebant, cujuſque magnitudinis, ponderis, & qualitatis metalla fuerunt. Quae omnia in lucrum Gulielmi, qui non modo non laeſus, ſed plurimum adjutus ab eo fuit, ceſſerunt. Wintoniae ſepultus eſt.



[Ab] An. Chr. [M]LXX. — Ab An. Chr. MLXXXIX.

XXXIII. Lanfrancus.





Anfrancus, natione Transalpinus, patria Papiensis, quae civitas Mediolanensis est ditionis, a Mediolano viginti mille passibus disjuncta, ab ineunte aetate in literis educatus; & cum adolevisset, progressus in Normanniam venit, fama & celebritate Herluini abbatis Beccensis provocatus. In itinere Rothomagum profecturus, vesperi per sylvam transiens, incidit in latrones; a quibus, manibus ad tergum alligatis, spoliatus & in densum conjectus est. Mane a viatoribus transeuntibus opem clamore petiit, & solutus est. Inde ad Beccense coenobium se contulit; ubi ad inopiam tantam sublevandam, dialecticam stipendio professus, monachus primum, deinde prior, Beccensis fuit: postea Gulielmi ducis dono, abbas scilicet sancti Stephani Cadomensis coenobii, quod dux erexerat. Deinde Gulielmus Angliae regno potitus, Stigando tam turpiter a sede quasi avulso, Lanfrancum omni literarum genere excultum, & in quo summam gerendi regni spem & fidem collocaverat, ad Archiepiscopatum Cantuariensem ex Normannia vocat: quem Lanfrancus, & a rege coactus, & a papa Alexandro jussus suscepit. Celeberrima est autem hujus prae caeteris electio & consecratio. Electus enim est a majoribus Cantuariensis ecclesiae; tum accessit procerum atque Praesulum, totiusque quasi populi, consensus in aula regis: quod sane est instar senatus, seu parliamenti, Anglicani. Ad eum vero consecrandum omnes in Anglia Episcopi convenerunt, servato antiquo & veteri consecrationis more; & qui adesse non poterant, literis & legationibus excusabantur. Consecratio haec tam nobilis & pervulgata quarto calendas Septembris, & quarto anno Gulielmi regis, celebrata fuit Cantuariae; cui interfuerunt Gulielmus Londinensis, Siwardus Roffensis, Walchelinus Wentanus, Remigius Dorcestrensis, Herfastus Helmamensis, sive Thedfordensis, Stigandus Selefeiensis, Hermannus Scireburnensis, Giso Wellensis. Hac tam insigni claritate electus & consecratus fuit Lanfrancus. Paulo post Thomas Eboracensis Archiepiscopus electus, ex more Cantuariam ad Lanfrancum sacrandus venit. Hora statuta est, qua Thomas quaestionem seu examinationem subiret: qua Lanfrancus cum suis suffraganeis in choro lineis induti stabant, Thomam expectantes: Quo adveniente, Lanfrancus ei detulit subjectionis & obedientiae professionem jurejurando confirmandam. Thomas respondit: Non se id facturum, quod salvo jure, & majorum suorum more, & privilegio suae ecclesiae, facere non posset. Itaque nisi scriptis authoritatibus, & tabulis obsignatis, clarisque probationibus sibi de re tanti momenti liqueret, quia noluit exemplo suo Eboracensi ecclesiae quicquam praejudicii generari,

Ex Jornalen. Chron. Sax. Cant. Sigisbert. Gemblac. W. Malmsb.
Aur. Histor. secunda pars.
Wil. Gemiticensis. Roff. Histor.
Roger de Cestria. Jornalen. Histor. Chron. Sax. Cant.
An. 1070. An. Guliel. Conq. 4. W. Malmsb.
Jornalen. Histor. Chron. Sax. Cant.
Walter Coventren. W. Malmsb.

nerari, ſine ſacratione diſcedere maluit, quam ignotam ſibi ſuaeque eccleſiae obedientiam adjuramento profiteri. Et quanquam in ea ſuaſione aperte monſtraſſet Lanfrancus, quod nihil a Thoma flagitaret, quam quod & Cantuarienſis eccleſiae authoritati, & Eboracenſis juri, ac utriuſque conſuetudini, eſſet conſentaneum; tamen Thomas minime ſacratus diſceſſit, & habita ad regem querela eum in Lanfrancum irritavit. Lanfrancus contra, expoſita regi tam probabili facti ſui ratione, eoque pacato atque mitigato, impetravit, ut Thomas, quod ante recuſabat, regis edicto coactus, jam obedientiae profeſſionem Lanfranco ex ſcriptis cum juramento recitaret: in qua ſe Lanfranco obtemperaturum in omnibus, quae ad chriſtianae religionis cultum pertinent, abſolute promiſit. Poſteaque Lanfrancus a reliquis Angliae Epiſcopis, qui prius ab aliis ſacrati fuerant, ſubjectionis profeſſionem, una cum cappis profeſſionalibus, petiit & accepit. Thomae vero Eboracenſis Archiepiſcopi profeſſio verbatim ſic deſcripta eſt.

Chron. Sax. Cant. Polydorus. Radulphus de Diceto. Jornalen. Hiſtor. Hiſt. Eccl. Cant.

" DECET chriſtianum quemque chriſtianis legibus ſubjacere, nec his, " quae a ſanctis patribus ſalubriter inſtituta ſunt, quibuſlibet rationibus " contraire. Hinc namque irae, diſſenſiones, invidiae, contentiones, " caeteraque procedunt, quae amatores ſuos in poenas aeternas demer- " gunt. Et quanto quis altioris eſt ordinis, tanto impenſius divinis debet " obtemperare praeceptis. Propterea ego Thomas, ordinatus Eboracenſis " eccleſiae metropolitanus Antiſtes, auditis cognitiſque rationibus, abſolu- " tam tibi, Lanfranco Dorobernenſi Archiepiſcopo tuiſque ſucceſſoribus de " canonica obedientia profeſſionem facio, & quidquid a te, vel ab eis " juſte & canonice mihi injunctum fuerit, ſervaturum me repromitto. De " hac autem re, dum a te adhuc ordinandus eſſem, dubius fui. Ideoque " tibi quidem ſine conditione, ſucceſſoribus vero tuis conditionaliter, me " obtemperaturum eſſe promiſi."

Jornalen. Hiſtor.

PAULO poſt Lanfrancus cum Thoma Eboracenſi, aſſociato etiam Remigio Dorceſtrenſi Epiſcopo, pallium ab Alexandro papa recepturi Romam profecti ſunt. Lanfranco aſſurrexit papa, motus fama, quae de viri ſapientia & doctrina percrebuiſſet: quod honoris non authoritati, ſed ſcientiae, ſuae detuliſſe dixit. Itaque duo conceſſa ſunt Lanfranco pallia, unum honoris, amoris alterum. Cui Lanfranci ſeu virtuti, ſeu felicitati Thomas invidens, coepit coram papa litem de ſubjectione & primatu, antea regio decreto ſopitam, redintegrare; tum provinciae ſuae fines in Lincolnienſem, Wigornienſem, & Lichfeldenſem dioeceſes dilatare; quas ex veteribus regni inſtitutis ſuae ditionis ambitu contineri aſſeverabat. Quae diſceptatio, quia privilegiis & conſuetudinibus, ac privatis utriuſque Archiepiſcopatus inſtitutis certius, quam jure ſcripto, definiri poſſe videbatur; decretum eſt a papa, ut a rege & regni proceribus dijudicaretur. Qui in Windeſorienſi caſtro, ut ex ſequenti decreto apparet, contra Thomae intentionem provincias Humbro flumine ſeparabant; & Eboracenſem provinciam, ſejunctis illis, quas Thomas vendicabat, dioeceſibus, & Cantuarienſi provinciae aſcriptis, perexiguis, ſi ad Cantuarienſem referatur, finibus concludebant.

Roger de Ceſtria. Walter Coventren. An. Guliel. Conq. 6. Roger de Ceſtria. Roff. Hiſtor. Chron. Sax. Cant.

Conſtitutio

Constitutio super causa de primatu, quem Dorobernensis Archiepiscopus super Eboracensem ecclesiam jure suae ecclesiae proclamabat, ordinata de consensu Domini Wilhelmi, ad tunc regis Angliae, & Archiepiscoporum Cantuariensis & Eboracensis, & caeterorum, qui interfuerunt, Episcoporum.

Hujus controversiae constitutio ex pluribus pontificum literis in lib. 1. cap. 17. plenius W. Malmsb. De Pontif. apparet

“ ANNO ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi 1072. pontifica- “ tus autem Domini Alexandri papae undecimo, regni vero Wil- “ helmi gloriosi regis Anglorum & ducis Normannorum sexto. Ex prae- “ cepto ejusdem Alexandri papae, animante eodem rege, in praesentia ip- “ sius, & Episcoporum, atque abbatum, ventilata est causa de Primatu, quem “ Lanfrancus Dorobernensis Archiepiscopus super Eboracensem ecclesiam “ jure suae ecclesiae proclamabat; & de ordinationibus quorundam Epis- “ coporum, de quibus, ad quem specialiter pertinerent, certum minime “ constabat. Et tandem aliquando diversis diversarum scripturarum au- “ thoritatibus probatum atque ostensum est, quod Eboracensis ecclesia “ Cantuariensi debeat subjacere; ejusque Archiepiscopi, ut Primatis totius “ Britanniae, dispositionibus, in his, quae ad Christianam religionem perti- “ nent, in omnibus obedire. Subjectionem vero Dunelmensis, hoc est, “ Lindisfarnensis Episcopi, atque omnium regionum a terminis Lichfel- “ densis Episcopii, & Humbriae magni fluvii usque ad extremos Scotiae fi- “ nes, & quicquid ex hac parte praedicti fluminis ad parochiam Ebora- “ censis ecclesiae jure competit, Cantuariensis Metropolitanus Eboracensi “ Archiepiscopo, ejusque successoribus, in perpetuum obtinere concessit. “ Ita, ut si Cantuariensis Archiepiscopus concilium cogere voluerit, ubi- “ cunque visum ei fuerit; Eboracensis Archiepiscopus sui praesentiam cum “ omnibus sibi subjectis ad nutum ejus exhibeat, & ejus canonicis dispo- “ sitionibus obediens existat. Quod autem Eboracensis Archiepiscopus “ professionem Cantuariensi Archiepiscopo facere etiam cum sacramento “ debeat, Lanfrancus Dorobernensis Archiepiscopus ex antiqua antecesso- “ rum consuetudine ostendit; sed ob amorem regis Thomae Eboracensi “ Archiepiscopo sacramentum relaxavit, scriptamque tantum professio- “ nem recepit; non praejudicans successoribus suis, qui sacramentum cum “ professione a successoribus Thomae exigere voluerint. Si Archiepiscopus “ Cantuariensis vitam finierit, Eboracensis Archiepiscopus Doroberniam “ veniet, & eum, qui electus fuerit, cum caeteris praefatae ecclesiae Epis- “ copis, ut Primatem proprium jure consecrabit. Quod si Eboracensis, “ Archiepiscopus obierit, is, qui ei successurus eligitur, accepto a rege Ar- “ chiepiscopatus dono, Cantuariam, vel ubi Cantuariensi Archiepiscopo “ placuerit, accedet; & ab ipso ordinationem canonico more suscipiet. “ Huic constitutioni consenserunt praefatus rex, & Archiepiscopi Lanfran- “ cus Cantuariensis & Thomas Eboracensis & caeteri, qui interfuerunt, E- “ piscopi. Ventilata est autem haec causa prius apud Wentanam civita- “ tem in paschali solennitate, in capella regia, quae sita est in castello; “ postea in villa regia, quae vocatur Windesor; ubi & finem accepit, in

" praesentia regis, Episcoporum, abbatum diversorum ordinum, qui congregati erant apud curiam in festivitate Pentecostes."

" ✠ Signum Gulielmi regis. ✠ Signum Matildis reginae. ✠ Ego Lanfrancus Dorobernensis Archiepiscopus subscripsi. ✠ Ego Thomas Eboracensis Archiepiscopus subscripsi. ✠ Ego Gulielmus Londinensis Episcopus consensi. ✠ Ego Hermannus Sciреburnensis Episcopus consensi. ✠ Ego Wulstanus Wigorniensis Episcopus subscripsi. ✠ Ego Walterus Herefordensis Episcopus consensi. ✠ Ego Giso Wellensis Episcopus consensi. ✠ Ego Remigius Dorchacensis Episcopus consensi. ✠ Ego Walchelinus Wentanus Episcopus subscripsi. ✠ Ego Herfastus Helmeanensis Episcopus subscripsi. ✠ Ego Stigandus Cicestrensis Episcopus consensi. ✠ Ego Siwardus Roffensis Episcopus consensi. ✠ Ego Osbernus Exoniensis Episcopus consensi. ✠ Ego Hubertus sanctae Romanae ecclesiae lector, & domini Alexandri papae legatus, subscripsi. ✠ Ego Odo Baiocensis Episcopus & comes Cantii consensi. ✠ Ego Geoffridus Constantiensis Episcopus & unus de Primatibus Anglorum consensi. Ego Scotlandus abbas sancti Augustini consensi. Ego Elfwinus abbas coenobii, quod **Ramesey** dicitur, consensi. Ego Turstanus abbas coenobii, quod in insula, quae dicitur **Hely**, situm est, consensi. Ego Wlwoldus abbas coenobii, quod **Certisei** dicitur, consensi. Ego Elwinus abbas coenobii Evesami consensi. Ego Fredericus abbas coenobii sancti Albani consensi. Ego Geoffridus abbas coenobii sancti Petri, quod non longe a Londonia situm est, consensi. Ego Balduinus abbas coenobii sancti Edmundi consensi. Ego Elnodus Glastoniensis abbas consensi. Ego Toroldus abbas de Burgo consensi. Ego Adelelmus abbas Abendoniae consensi. Ego Rualdus abbas Novi Monasterii Wentoniae consensi."

Ex Jornalen. Histor. Chron. Sax. Cant. Roger de Cestria.

SED Romae, sive ob hanc motam controversiam, sive ob indignitatem Thomae & Remigii commotus pontifex, utrumque pastorali baculo & annulo privavit: illum, quod sacerdotis esset filius: hunc, quia multis opibus Gulielmum in Anglia superanda juvit, & muneribus pactus de Episcopatu, si Gulielmus rerum potiretur. Lanfrancus tamen, ut restituerentur, intercessit, & summa gratia impetravit. Lanfrancus & opinione sui, principisque ac pontificis gratia elatus, coepit reliquos regni Episcopos prae se contemnere, ac imperitiae exprobrare, licet moribus & vitae sanctitate judicio populi longe superiores; quae res multum de fide sua, & existimatione apud regem, proceres, & plebem, detraxit. His ista gestis, successit Alexandro Romae, Gregorius, qui Hildebrandus dictus est: Qui conjugatos sacerdotes novo exemplo a divinis muneribus & officiis amovebat; &, ut multis ac sanis videbatur, temerario & inconsiderato contra sanctorum patrum sententiam praejudicio. Qua de re Lanfrancus synodo Wintoniae habita statuit inter alia, ut nullus canonicus uxorem haberet. Extra urbem in vicis & castellis sacerdotes non compellendos uxores dimittere; prohibendos autem ne matrimonia contraherent, qui jam coelibes essent. Tum Episcopis injunctum, ne quos ausint presbyteros vel diaconos ordinare, nisi coelibatum professos, ut mox indicabimus. Alia synodus celebrata Londini, sub eodem Lanfranco; in quo decretum est, ut quaedam

Matt. Paris. Anno 1074.

Chron. Sax. Cant. Lib. Wigor. ecclesiae. Ranulphus. W. Malmsb.

An. Chr. MLXX. | Ad An. Chr. MLXXXIX.

quaedam ſedes epiſcopales, quae in oppidulis ac pagis antea fuerant, in civitatibus & locis celeberrimis collocarentur. Quo factum eſt, ut Lincolnia, Bathonia, Sariſburia, Exonia, Ceſtria, atque Ciceſtria, civitates novae, Epiſcoporum ſede ac incolatu nobilitatae ſint. Elmhamenſis vero Epiſcopatus ſedes ad Thedfordiam deducta migravit: Quam illinc poſtea Nordovicum tranſtulit quidam Herebertus Loſinga dictus. Extra civitatem Cantuariae in parte orientali erat eccleſia ſancti Martini, ubi ſedes Epiſcopi erat; qui domi, vel in comitatu ſemper manebat, & vices Archiepiſcopi, qui regis curiam frequentabat, per omnia gerebat. Monachos eccleſiae Chriſti, ac ipſe monachus, in obſequium accipiebat: ſolennitates in eccleſia metropolitica celebrabat: quibus peractis ad ſua redibat. Hic & prior eccleſiae Chriſti, quem decanum vocabant, in ſynodis pari ornatu conſidebant: Atque hic mos uſque ad tempora Normannorum perduravit; ejuſque Epiſcopii Praeſul extremus fuit Godwinus. Quo mortuo, anno ſcilicet 1065. Lanfrancus Epiſcopum eccleſiae beati Martini ſubſtituere renuit; dicens, quod in una civitate duo Epiſcopi eſſe non deberent: cum revera in civitate Epiſcopus non fuit, ſed extra civitatem. Is igitur loco Epiſcopi quendam clericum ſuum archidiaconum ordinavit, cujus rei ante mortem eum poenituit. Praeterea Lanfrancus etſi aliis in rebus multa & praeclara edidiſſet pietatis ſimul & eruditionis indicia; Wulſtanum tamen virum integerrimum, nec ſibi, aut cuiquam, pietate ſecundum, ab Epiſcopatu Wigornienſi extrudere nitebatur: ſed ſive totius populi, qua florebat Wulſtanus, gratia impeditus, ſive illo divulgato miraculo, de Wulſtani paſtorali baculo, Edwardi Confeſſoris ſepulchro infixo, nec cujuſquam manu aut potentia praeterquam ipſius Wulſtani avulſo, perterritus, ab incepto non ſine magna infamia deſtitit. Lanfrancus non modo ob eccleſiae, ſed ob reipublicae, adminiſtrationem ſpectatae fuit Antiſtes induſtriae. Abſente enim Gulielmo, omnia Lanfranco mandabantur; qui ſumma prudentia cuncta moderatus proceres atque plebem in officio tranquille, ſine ullo motu aut tumultu, continebat: adeo, ut ſi quae defectionis, aut ſeditionis, ſuſpicio naſcebatur, ad eam illico compeſcendam maximus & potentiſſimus quiſque, opem & adjumentum illi imperanti praeſtitit. Cujus ſapientiae ſic confiſus Gulielmus, ut etiam ad Rothomagenſe concilium eum accerſivit; cui Gulielmus praefuit. Interfuere autem Johannes Archiepiſcopus Rothomagenſis, Odo Baiocenſis Epiſcopus, Hugo Lexovienſis, Michael Abrincenſis, Gilbertus Ebroicenſis, Robertuſque Sagienſis, Epiſcopi. In hoc autem Rothomagenſi concilio Gulielmus permulta non minus de negotiis eccleſiaſticis, quam de novi Angliae regni utilitatibus, decrevit. Sed inter alia Lanfrancus, cum Archiepiſcopatus ſui jura a ſede divulſa ab aliis invaſoribus teneri animadverteret, huic quoque malo ſanando remedium adhibuit. Odo enim quidam tunc Baiocenſis in Normannia praeſul, idemque Cantii comes, plurima Archiepiſcopatus praedia injuſte occupavit; quae recuperavit & ſedi reſtituit Lanfrancus. Et praeter minuta illa praediola, viginti quinque maneria archiepiſcopali ſedi illius opera recuperata fuere. Totam autem ſuam eccleſiam, atque territorium terra marique tam libera, & a vectigalibus, exactionibuſque ac ſervitutibus immunia, atque ipſa regia praedia, praedicabat; praeterquam in tribus: Primo, ſi via regia defoſſa fuerit: Deinde, ſi ſucciſa in ſuo praedio arbor in regiam viam proclivis ceciderit: Tertio, ſi homicidium, vel ſanguinis effuſio, fiat. Idem & eccleſiam Chriſti Cantuariae caducam & partim ruinam

Marginal notes: Sigiſb. Gemblac. — Ex frag. Hiſt. quod in Chro. Roff. proſtat. — Jornalen. Hiſtor. Roff. Hiſtor. — Sigiſb. Gemblac. — Sigiſb. Gemblac. — An. 1074 — Matt Paris. Annales eccleſiae Cant. Radulph. de Diceto. Vide placitum apud Pynendenam inter Lanfrancum & Odonem ex textu de eccleſ. Roffen. per Ernulphum Epiſcopum.

nam minantem, partim magna ex parte combuſtam, inſtauravit; & xenodochia duo juxta urbem Cantuariae, ſcilicet **Harbaldowne** & **S. Johns**, quorum alterum leproſis, alterum infirmis, conſtitutum erat, condidit: *Ex vita Lanfranci.* Quibus de theſauro Archiepiſcopi centum & quadraginta libras ſingulis annis dabat. Praeterea eccleſiam Gregorii extruxit; in qua canonicos poſuit, qui infirmis ſervirent: aliam item eccleſiam juxta aedes leproſorum, in qua Deo ſervierunt, & ſepeliebantur. Fuit etiam in pauperes munificentiſſimus, quibus quingentas libras quotannis eleemoſynae loco erogavit. Cumque fames Angliam graviter premeret, Londinum miſit, ubi vel mille pauperes paſcebat. In conſecratione ejus repertum eſt ſcriptum ſuper caput, dum conſedit, illud Evangelicum: “Date eleemoſynam, “& ecce omnia munda ſunt vobis:” Quod futuram tanti viri liberalitatem antea declaravit. *Sigiſb. Gem. Roff. Hiſtor. Radulph. de Diceto.* Eccleſiam cathedralem Roffenſem, veteri demolita, extruxit, eandemque plurimis opulentis donis affecit; & manerium Lamethae cum patronatu eccleſiae, quam prius Goda comitiſſa eccleſiae Roffenſi dedit, ante Normannorum adventum, eidem ſedi a rege adjungi libenter ſatagebat: ſed poſtea permutatione ſeu excambio hoc Lamethae manerium, a Richardo rege, anno 1195. Cantuarienſi ſedi commodius, Huberto tunc Archiepiſcopo conceſſum fuit: cujus loco manerium Darenta Roffenſi eccleſiae obtigit. Gilbertus tamen tunc Roffenſis Epiſcopus, conſentire noluit, ante obtentam quandam aream juxta eccleſiam beatorum martyrum, Stephani & Thomae; in qua ſibi palatium, muro cinctum lateritio nuper per Johannem Fiſherum, extruxit, quod nunc vocatur **Carlel place**: Itemque annuum cenſum quinque marcarum de eccleſia de Lametha, quas Epiſcopus Roffenſis annuatim Archiepiſcopo pendere conſuevit. Epiſcopi enim Roffenſes Londinum profecti in manerio de Lametha hoſpitio excepti fuerunt; ex eoque foragium, paleam, ligna, caeteraque ad rem familiarem opportune atque commode percipere ſolebant. Id quod charta Huberti Archiepiſcopi de rectore eccleſiae de Lametha, Anno 1196. per priorem & capitulum Cantuarienſe confirmata, Godefredo tunc Wintonienſi Epiſcopo teſtimonium ad id perhibente, manifeſte declaratur. In monachos etiam Albanenſes perliberalis fuit; in quos mille marcas contulit, & manerium de **Redbourne** acquiſivit. Et quamvis ſummam gerebat reipublicae curam, tamen Theologiae ſtudio aſſidue & incontinenter vacabat; nec minorem operam legendo quam ſcribendo dabat. In eo enim ſtudio, ſimul atque adoleviſſet, pater Haribaldus & mater Roſa eum diligenter inſtitui procurabant. Itaque veteris atque novi Teſtamenti libros, a ſcriptoribus corruptos correxit, & emendatos atque ſinceros edidit: *Aur. Hiſtor. ſecunda pars.* Acutiſſimeque contra Berengarium de Euchariſtia in ſcriptis diſſeruit. In Paulinas epiſtolas & pſalmos Davidicos edidit commentaria; & nonnulla alia opuſcula quotannis divulgavit. *Matt. Paris.* Archiepiſcopalem juriſdictionem, etſi leniter & ſine aperta contentione, tamen ſeveriſſime, exercuit: Nam fractis primum viribus Thomae Eboracenſis, in ea controverſia, quae antea de ſubjectione & primatu commemorata eſt, poſtea quaſi nutu rem gerebat. Nec tamen injuriam cuiquam facere unquam putabatur. Ad colloquium illius facilis aditus cuivis patebat; triſtem a ſe neminem dimiſit; ſed ſi quem moerore affectum conſpiceret, cauſa accurate indagata, medelam adhibuit.

W. Malmſb. ANNO poſt ſuſceptum Archiepiſcopatum tertio, monachi Cantuarienſes ſaecularibus omnino ſimiles, venari, aucupari, & genio indulgere conſueverunt;

ſueverunt;

Ab An. Chr. MLXX.

ſueverunt; ut illos conſules magis, quam monachos, ob ſervorum ingentem catervam cenſeres; quorum inſolentiam Lanfrancus auſteritate ſua paulatim repreſſit & extinxit. Eodem etiam anno Lanfrancus Petrum quendam Lichefeldenſem ſeu Ceſtrenſem Epiſcopum Colceſtriae conſecravit, & anno ſequenti Patricium, Dubliniae in Hibernia Epiſcopum, Londini.

Ad An. Chr. MLXXXIX.

Chron. Ranulph.

Chron. Sax. Cant.

Sexto anno celebrabatur concilium apud Wintoniam in haec verba: “Anno ab incarnatione Domini 1076. indictione decima quarta, regnante in Britannia glorioſiſſimo rege Wilhelmo, Praeſidente Cantuariae Lanfranco, totius Britanniae Primate, in Eboraco vero Thoma Archiepiſcopo: Eo, inquam, anno in Kalendis Aprilis habita eſt ſynodus Wintoniae, convocata ab eodem Cantuarienſis eccleſiae Primate. In qua fratris noſtri Ailrici Ciceſtrenſis quondam Epiſcopi cauſa canonice definita, & ad certum finem perducta eſt: Decretumque eſt, ut nullus canonicus uxorem habeat. Sacerdotum vero, in caſtellis, vel in vicis habitantium habentes uxores non cogantur, ut dimittant; non habentes interdicantur, ut habeant: & deinceps caveant Epiſcopi, ut ſacerdotes vel diaconos non praeſumant ordinare, niſi prius profiteantur, ut uxores non habeant. Nulluſque clericus, aut monachus, in Epiſcopatu alicujus ſuſcipiatur, abſque Epiſcopi ſui literis. Si quis vero monachus etiam canonice ſuſceptus fuerit, non permittatur eccleſiis publice deſervire, &c. Statutum eſt etiam, ne aliquis clericus civilis, vel ruſticus, de beneficio eccleſiae aliquod ſervitium reddat; praeter illud, quod fecit tempore regis Edwardi. Laici vero, ſi de crimine ſuo accuſati fuerint, & Epiſcopo ſuo obedire noluerint, vocentur ſemel, & iterum, & tertio. Si poſt tertiam vocationem emendari noluerint, excommunicentur. Si autem poſt excommunicationem ac ſatisfactionem venerint; forisfacturam ſuam, quae Anglice vocatur, oferhyrnesse, ſeu, lahslite, pro unaquaque vocatione, Epiſcopo ſuo reddant. Praeterea ſtatutum eſt, ut nullus filiam ſuam, vel cognatam, det alicui, abſque benedictione ſacerdotali. Si aliter fecerit, non ut legitimum conjugium, ſed ut fornicatorium, judicabitur. Supplantationes vero eccleſiarum omnibus modis interdicimus.”

Ex lib. conſtitutionum eccleſiae Wigorn. p. 101.

Eodem anno Hernoſto Cantuarienſi monacho Roffenſem Epiſcopatum dedit, & Londini conſecravit.

Anno ſeptimo, mortuo Hernoſto, Epiſcopatum Roffenſem in Gundolphum, alium Cantuarienſem monachum, contulit; quem Cantuariae conſecravit.

Eodem anno Thomas Eboracenſis per literas eum rogavit, ut duos ex Cantuarienſi provincia Epiſcopos, ad conſecrandum quendam in Orchadibus, juxta Scotiam, inſulis poſtulatum Epiſcopum, mitteret. Qui Wulſtanum Wigornienſem & Petrum Ceſtrenſem ad hoc muneris legavit.

Octavo anno, publico cleri concilio Londini inito, Elnodum, Glaſtinienſem abbatem, depoſuit.

Undecimo, Wilhelmum Dunelmenſem Epiſcopum in quadam Claudiae civitate, ad Eboracenſem Archiepiſcopatum uſitato ritu tranſtulit; jubente id rege, & ſe conſentiente: eo quod a Scotorum Epiſcopis, qui ſibi ſubjecti ſunt, habere ſibi adjutorium non potuit.

Decimo ſexto anno Donatum, monachum ſuum Cantuarienſem, Dubliniae Epiſcopum ſolitis ſacris inſtituit.

Yy EODEM-

Ab An. Chr. MLXX. | Ad An. Chr. MLXXXIX.

Eodemque anno, concilio Glouceſtriae habito Wlfketellum, Crulandenſis coenobii abbatem privavit; & Robertum Ceſtrenſem, Wilhelmumque Helmamenſem, uno die Cantuariae conſecravit; & paulo poſt Mauricium Londinenſem Epiſcopum Wintoniae ſimilibus ſacris firmavit.

Decimo octavo anno, mortuo Gulielmo rege in tranſmarinis partibus, filium ejus Gulielmum, juxta patris inſtitutum, in regem elegit: quem in eccleſia Petri in occidentali parte Londoniae ſita ſacravit & coronavit. Quo etiam anno Godfredum Ciceſtrenſem, Johannem Wellenſem, Epiſcopos, & Guidonem eccleſiae Auguſtinenſis abbatem Cantuariae ſacravit. Monachi vero huic Guidoni valde reſtiterunt; ut neceſſe Lanfranco poſtridie fuerat, adjuncto ſibi Odone Baiocenſi Epiſcopo, regis fratre, qui tunc e Normannia Cantuariam venerat ad Auguſtinenſe coenobium, ſacratum nuper abbatem ducere, & monachis acriter imperare, ut eum ſuſciperent, eique obtemperarent; juſſis his, qui obſtare vellent, illico exire & monaſterio cedere: Paucis itaque relictis, reliqui diſcedebant. His, qui remanſerant, praeſentibus, Lanfrancus abbatem honorifice in ſede locavit. Quod ipſe facere coactus eſt; quia Elwicini prioris opera tunc inter alios contumacis ad id haberi non poterat: Quem cum nonnullis aliis delicti authoribus Cantuariae carceribus cuſtodiri juſſit Lanfrancus. Quo facto nunciatum eſt ei, caeteros abire juſſos ſub caſtro, ad eccleſiam ſanctae Miltrudis poſito, conſediſſe. His nunciatum ab eo eſt, ſi delicti veniam petituri ante horam nonam ad monaſterium ſponte redirent, impunitos fore: Ea vero hora praeterita, non ut liberos, ſed ut fugitivos, reducendos. Itaque dubii & ſuſpenſi animis, irent an redirent, ſeu fame coacti, ſeu ſponte adducti, major eorum pars pertinaciae pertaeſa obedientiam abbati promiſit: Qui reverſi ſuper Auguſtini tumulum, quod ſacramenti loco habebatur, Guidoni obedientiam jurejurando profeſſi ſunt; reliquos, ut transfugas, cepit, & huc illuc in eccleſiis ſparſos ac disjunctos vinculis compedibuſque tenuit; donec ad ſubjectionem jurandam cogerentur: poſteaque locis ſeparatos reduxit Cantuariam. Sed hujus diſſenſionis ſcintilla poſt has ſumptas poenas in cineribus permanſit. Columbanus enim monachus mortem abbati clam minatus, deprehenſus, & ad Lanfrancum adductus eſt. Is in quaeſtione rogatus, an abbatem voluerit interimere, reſpondit, id ſe praeſto facturum, ſi in ſua eſſet poteſtate: Quo audito ante monaſterii portas, populo inſpectante, ligatus, flagellis caeſus, ac abraſis & amputatis crinibus, monaſterio & urbe excluſus, ignominioſe diſceſſit. Hujus vindicta caeterorum audacia repreſſa eſt. Verum poſt Lanfranci obitum, qui illico, ut videtur, poſt hanc rem geſtam contigit, monachi, cum civibus quibuſdam conjuncti & conſpirantes, Guidonem domi interficere tentabant. Cujus familia cum defenſionem pararet, pluribus utrinque vulneratis, & aliquibus caeſis, abbas in eccleſiam aegre profugit. Quod facinus cum percrebuiſſet, miſſi ſunt a rege Cantuariam, Willielmus Wentanus, & Gundolphus Roffenſis Epiſcopi cum aliis regni proceribus, de eo cogrituri, & ſupplicia de reis ſumpturi. Monachi rei reperti & judicati ſunt: Quos manifeſti criminis reos, cum legati publica poena, juxta delicti qualitatem, corrigere vellent; prior & caeteri monachi, qui inculpabiles fuerunt, reſtitere & interceſſere; ne ratione hujuſmodi infames populoque deſpicabiles haberentur. Itaque occultis poenis ſeorſim a populo plectebantur, & ex Auguſtinenſi monaſterio ejecti, & viritim in ſingula monaſteria diſperſi, eorum loco viginti & quatuor

Chron. Sax. Cant.

Ab An. Chr. MLXX. | Ad An Chr. MLXXXIX.

quatuor novi monachi ſuffecti ſunt: Cives vero armata manu monaſterium ingreſſi effoſſis oculis caecitatem poenam tulerunt.

INCERTUM eſt, quid monachorum & civium odium in Guidonem coegerat: Sed veriſimile eſt, Lanfrancum contra illos, qui ei, cui is ſtuduerat, reſtiterant, nimis acrem & vehementem fuiſſe; ut ne repulſam quidem aequo animo ferre potuiſſet. Namque, Scotlando quodam abbate Auguſtinenſi mortuo, ſumma ope & contentione nitebatur, ut monachus quidam ſibi charus eligeretur: quod cum nec auctoritate, nec precibus, obtinere poterat, rem, quod turpe dictu eſt, tentavit pecunia, ut monachos corrumperet: ad extremum, aggreſſus magna interceſſione regem nihil profecit: Sed ejus mandato alium doctrina celebrem, a monachis electum, invitus ſacravit: Regi nihilominus intimus & chariſſimus populoque gratioſus, de Gulielmo Rufo, quem in militia educaverat, rege poſt patrem creando, etſi fratri minor natu eſſet, ſuaſit: de quo pariter, & injuria Wulſtano illata, etſi caetera cuncta feliciter geſſiſſet, male audiebat. Itaque, Gulielmo Conquaeſtore mortuo, Rufus ſucceſſit, & a Lanfranco Cantuarienſi, Thoma Eboracenſi, archiepiſcopis, nec non a Londinenſi epiſcopo, unctus & creatus eſt. Sed Lanfrancus ab hoc Ruſo adverſi aliquid ſenſit; fortaſſe quod juvenilem ejus animum, in armis & re militari ante ſub eo exercitatum, jam rege, ſano conſilio ad amorem & timorem Dei virtutemque vehementius hortatus ſit. Cum annis novendecim ſediſſet, archiepiſcopatus muneribus & hujus vitae moleſtiis perfunctus, febri, quemadmodum optaverat, laborans obiit quarto Junii, anno Domini 1088. Vacavit ſedes quatuor annis.


W. Thorne.

Aur. Hiſtor. ſecunda pars. An 1081. Giſbornen.



XXXIV. An-

XXXIV. Anselmus.





Anselmus ex Augusta, Burgundiae civitate ad Alpium radices posita, oriundus, ac illustribus parentibus, Gundulfo patre ac Hermenberga matre, prognatus & a pueritia ingenue liberaliterque institutus, ad Beccense coenobium, permotus Lanfranci fama discendique studio, venit. Ibi aetatis suae anno vicesimo septimo primum fit monachus; deinde Lanfranco ad Cadomensem abbatiam profecto, in Beccensi prioratu successit: in quo ordine quindecim annis stetit. Tum Herluino Beccensi abbate mortuo, Anselmus abbas creatur: quem gradum quindecim etiam annis gessit. Tandem ab Hugone Cestriae comite graviter aegrotante, celebritate sui nominis pervulgata, in Angliam accersitus venit; ut quaedam illius comitis negotia procuraret, & Cestrensis monasterii coetum, exclusis sacerdotibus, monachis compleret. De quo cum Gulielmus Rufus accepisset, eum Cantuariensem archiepiscopum nominavit. Omnes autem archiepiscopatus proventus toto quadriennio rex perceperat, plurimasque ecclesias venales habuerat, & triginta coemeteria in ferarum pascua redegerat, & ecclesiarum vacantium fructus sibi reservaverat: Cujus lucri suavitatem cum vel prorsus amittendam, vel valde minuendam, ex archiepiscopatus concessione senserat; poenituit eum illico hujus tam promptae & propensae in Anselmum beneficentiae. Itaque, ut ejus animum a suscipiendo oblato archiepiscopatu averteret, simulate primo exposuit: etsi amore & meritis ejus ductus Cantuariensem archiepiscopatum ipsi contulisset; tamen se jam cernere, gravitatem & magnitudinem provinciae Cantuariensis majorem esse, quam quae ab homine monasticis occupationibus, vigiliis lucubrationibusque divinis dedito, perferri ac sustentari posset. Sed cum neque hac suasione quicquam profecisset, proque certo comperisset, proceres populumque Angliae adversos, aut minus fidos sibi, Anselmo favere, eumque ad archiepiscopi munus jam oblatum flagitare, aperte contradicere noluit: veruntamen excepit possessiones rerum ecclesiasticarum, quas illo vacationis quadriennio fecerat, ut Anselmi quoque auctoritate & sententia ratae essent: Ad quae Anselmus nolle se dixit illi ecclesiae nocere, in quam officii nihil contulisset. Itaque cum archiepiscopatum deserere noluit, abbatiam Beccensem, obtenta Rothomagensis episcopi licentia, in cujus dioecesi fuit, sponte, sed non sine uberioris spei causa, deserens, archiepiscopus Cantuariensis a Walchelino Wintoniensi tum episcopo confirmatur & consecratur; fidelitatemque Rufo regi de more fecit. Tum vero in ea sede locatus & constitutus coepit regem liberius atque severius de tam inexplebili cupiditate & rapina bonorum ecclesiasticorum admonere: qua

Roger. de Cestria.

Matt. Paris. Roff. Histor. Jornalen. Histor.

Ex Gisborn. Matt. Paris. Jornalen. Histor.

Ab An. Chr MXCI. Ad An. Chr MCIX.

qua nihil poſſit eſſe certius: quod tot coemeteria feris ipſis, ob ruinam eccleſiarum, compaſcua feciſſet. Sed cum ſuis precibus & exhortationibus de regis animo ſpem nullam concipere potuiſſet; veniam petiit Romam eundi pro obtinendo ab Urbano papa pallio. Qua ſive petitione, ſive nominatione turbatus & accenſus vehementer rex aſſeruit & acriter contendit, hoc Anſelmum contra ſuae fidelitatis promiſſae foedus feciſſe: Fuiſſe enim a patre ſuo decretum, ne quiſquam, qui a rege ſic nuncupatus non eſſet, in Angliae regno eo papae nomine cenſeretur: & qui ſecus feciſſet, laeſae majeſtatis reum regiſque inimicum, quod regni conſuetudinem violaret, judicandum. Hujus vero rei veritatem Eadmerus his verbis deſcribit:

Eadmerus.

"REGEM de tranſmare regreſſum Anſelmus adiit, &, ut ſibi Romam ad papam Urbanum pro ſtola ſui Archiepiſcopatus eundi licentiam daret, humiliter petiit. At ille ad nomen Urbani turbatus dixit ſe illum pro papa non tenere; nec ſuae conſuetudinis eſſe, ut abſque ſua electione alicui liceret in regno ſuo papam nominare. Hinc igitur orta quaedam gravis diſſenſio eſt; ſed in aliud tempus diſcutienda eſt dilata. Jubet ergo, ut totius Angliae Epiſcopi, abbates, & principes ad diſcuſſionem diſſidii hujus apud caſtrum, quod Rochingeham dicitur, una veniant: factum eſt: & tertia ſeptimana quadrageſimae juxta edictum convenerunt. Cauſa in medium ducitur, & Anſelmus diverſis querelis hinc inde concutitur. Siquidem multi, ſed maxime Epiſcopi, regiae voluntati favere volentes, ſpreto aequitatis judicio, id probare nitebantur; quod Anſelmus, ſalva fide, quam regi debebat, nullatenus poſſet in regno ipſius Urbanum ſedis apoſtolicae praeſulem pro papa tenere. Quibus cum plura, quae ratio tulerat, objecta fuiſſent; & Anſelmus eos ex verbis Domini; "Reddite, quae ſunt Caeſaris, Caeſari; &, quae ſunt Dei, Deo:" aliiſque nonnullis, quae ratio nulla refellere poſſet, penitus infraenaſſet; illi, e contra, quod dicerent, non habentes, eum in regem blaſphemare uno ſtrepitu clamavere: quandoquidem auſus erat in regno ejus, niſi eo concedente, quicquid vel Deo aſcribere. Igitur ad unam regiae indignationis vocem, quidam ex Epiſcopis Archiepiſcopo ſuo atque Primati omnem ſubjectionem atque profeſſam obedientiam uno impetu abnegant, eique unitatem fraternae ſocietatis pari voto miſerandi abjurant. Quidam vero in eis tantum, quae ex parte Urbani papae praeciperet, illi ſe negant obedituros. Epiſcopi itaque omnes, Roffenſi ſolo excepto, aut uno aut alio modo debitam illi ſubjectionem & obedientiam abnegant. Rex etiam ipſe cunctam ei confidentiam & ſecuritatem in ſuis omnibus adimit; nec ſe illum pro Archiepiſcopo, vel patre, amplius habiturum jurat, niſi ipſe vicario beati Petri ulterius obediturum ſtatim deneget. Tres dies in iſto negotio, clamoribus in Anſelmum & contumeliis gravidi, expenſi ſunt; tandem in hoc fine concludunt."

AT Anſelmus in ſuo propoſito conſtans poſtulat a rege, ut tutus regno diſcedat: quo ſibi negato, factae ſunt utrinque induciae ad Pentecoſten, & plena pax & tranquillitas promiſſa. Nihilominus Anſelmus, hominibus ſuis captis & ſpoliatis terriſque vaſtatis, in immenſum afflictus eſt. Poſt haec tamen Urbanum, per Walterum Albanenſem Epiſcopum, qui pallium Anſelmo a Roma Cantuariam detulit, pro papa ſuſcepit. Cujus ſtylus, etſi Urbano & Anſelmo adverſus regem & praelatos benignior eſt; tamen oſtendit non eſſe novum, papalem juriſdictionem ab Angliae

Zz regibus

Ab An. Chr. MXCI. — Ad An. C. MCIX

Annales Eccleſ. Auguſt.

regibus recuſari. In hac autem tractanda controverſia, rex cum Urbano papa privatim egit de Anſelmo ab Anglia penitus abducendo. Sed cum ob eximiam viri doctrinam morumque probitatem id efficere non poterat; Anſelmus, accepto jam pallio, archiepiſcopalem curam & auctoritatem, rege connivente, exercuit; & Samuelem quendam Dublinenſem Archiepiſcopum, Malchumque Waterfordienſem primum Epiſcopum, ad regis Murchertach populique in Hibernia petitionem, alioſque Epiſcopos, accepta ſubjectionis profeſſione, Lamethae conſecravit. Sed poſt Cambrenſem expeditionem reverſus rex expoſtulare cum Anſelmo coepit, de militibus ab eo miſſis, ad tantum gerendum bellum parum idoneis; & nova crimina inferre de his, quae Anſelmus de eccleſiaſtica libertate recuperanda atque retinenda, necnon de vaſtitate & ruina eccleſiarum, quae regis invaſione acciderant, liberius & palam & ſecum privatim egiſſet. Quibus ſuis factis & dictis recenſitis, datur illico Anſelmo utriuſque rei facultas atque optio;

Eadmerus.

ſive manendi in regno Angliae, cum ea praeſtatione fidelitatis & obſequii regi, quam jurisjurandi ſacramento promiſerat, & a ſuperioribus Archiepiſcopis praeſtari conſuevit, & ne quacunque de re ad papam de rege provocaret & ad ſedem apoſtolicam appellaret: vel ex Angliae regno diſcedendi; quod homini peregrino atque advenae difficile non fuerat. Itaque Anſelmus conſtitutis ſibi undecim dierum induciis, intra quos confectis rationibus ſuis transfretaret: "Ego, inquit regi & proceribus, vado; vo-" bis tamen benedictionem meam, ſi non contemnitis, impertior." Quam cum ſe rex non ſpreturum dixit: Anſelmus ei, levata dextra benedixit, & Cantuariam diſceſſit. Ibi quatuordecim dies manſit: Et poſtridie navem Doveri conſcenſurus, tanquam inſignis alicujus criminis reus, a quodam Wilhelmo clerico, regis ad id nuncio, detinetur; donec magna plebis aſtante corona, ſupellectile ſua tota perſcrutata, bonis omnibus exutus, ſuperato mari, alieno litori nudus expoſitus eſt. Poſt ejus diſceſſum, rex proſcripſit omnia, quae Anſelmi juris erant, & in ſuum dominium tranſtulit; & quaecunque ſtatuerat, irrita pronunciavit. Anſelmus autem Lugdunum perrexit. Inde Romam a papa accerſitus; qui perbenigno eum hoſpitio accepit. Interim Romam venit Wilhelmus, qui Anſelmum in litore diſcedentem ſcrutatus eſt, regis ad papam legatus, ut de Anſelmi cauſa inducias ad ſequentem Michaelis Archangeli feſtum impetraret. Quo conceſſo; Anſelmus id aegre ferens, Lugdunum reverti conſtituit:

Roger. de Ceſtria. Matt. Paris.

ſed a papa ad concilium, quod tum convocatum fuit, retentus eſt. Inter caeteras illius concilii ſanctiones, excommunicationis ſententia lata eſt, tam in laicos eccleſiarum inveſtituras dantes, quam in clericos eaſdem a laicis accipientes. At pendentibus de Anſelmi cauſa induciis obiit papa; & paulo poſt Rufus rex, qui, ſe vivente, nec ſynodos eccleſiaſticas ad vitia corrigenda celebrari, nec plurimas eccleſias a clericis poſſideri, permiſit, ſed earum fructus percepit; jocoſe ſemper hoc verſu illudens toti clero: "Panis Chriſti, panis pinguis eſt." Anſelmus dum varias regiones in exilio peragrat, charta nocte quadam quaſi divinitus lapſa eſt in manus clerici, in qua ſcriptum erat: "Gulielmus Rufus occiſus eſt:" Quod poſtea contigit: Namque haud ita multo poſt, allatum nuncium eſt ei de Rufi morte: qua intellecta ad ſedem Cantuarienſem reverſus eſt. Rufo autem mortuo ſucceſſit frater ejus Henricus, a Mauricio Londinenſi Epiſcopo conſecratus;

Jornalen. Hiſtor.

qui calamitoſum & diſcerptum a fratre eccleſiae ſtatum reſarcivit, Anſelmum ab exilio revocavit, eique procurationem eccleſiaſticam commiſit. Quantum autem Anſelmo faverit, ex ſuo ad Londinenſes de Anſelmi ſervorum

& fa-

AD AN CHR. MCIX.

& famulorum immunitate, eosque bene humaniterque tractando, misso diplomate; quo petit, ut Anselmus ac sui, tam liberi & quieti esse possint, ac Lanfrancus cum suis fuerit, e concessione Gulielmi Conquaestoris; intelligi potest. Et ut perspiciamus, quam fuerit illa aetas aperta & simplex, minimeque prolixa & curiosa verbis; non erit alienum ipsum diploma Latine Angliceque scriptum verbatim inserere; quod totum in utraque lingua comprehensum ne palmae latitudinem attingit. Magnum autem regis sigillum, quod nunc in fine diplomatum appendi solet, in hoc antiquo diplomate ad modicam membranae partem paulatim extensam & excisam ex diplomatis sinistro latere adhaeret. Sigilla vero antiquitus diplomatibus suis reges non appendebant; quod tamen ab Edwardo regum Angliae primo inductum fuit; qui chartis suis ad veritatis testimonium ceram impressam appendebat. Gervas. in vita Edwardi. Confess.

Diploma Henrici regis.

"H. Rex Anglorum, Hugoni de Boclande, & W. Baignardo, & " omnibus ministris meis Londoniae, salutem. Praecipio & " volo ut omnes homines Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi, quos in " Londonia habet, & omnes sui in ea villa euntes & redeuntes, ita quieti " de omnibus consuetudinibus sint, sicut unquam Lanfrancus Archiepis" copus suos in ea melius & quietius habuit tempore patris mei; & videte, " ne eis ullam injuriam faciatis. Teste Hug. Comite de Cestria apud " Westmonaster."

H. Ænglelandes kining. gret Huge de Boclande ⁊ W. Bainard. ⁊ ealle mine wicnæres on Lundene. Ic wille ⁊ bebeode. þ ealle Anselmes Arcebiscopes mænn þe he hæfð on Lundene. and ealle his oðre mænn þe cumeð and fareð into þære burh. þ hi beon swa saclease of eallen gewunen swa swa Landfranc Arcebiscop his mænn betst hæfde on mines fæder time. ⁊ hawigeð þ geheom naht ne misbeoden. T. Hug. Comite de Cestra ap. Westmonst.

ANSELMUS vero ecclesiasticam suam procurationem diligenter exercens totius cleri synodum Londini convocavit; in qua plurimos ab ecclesiasticis dignitatibus ob Simoniacas pactiones, aliaque flagitia dejecit: Guidonem abbatem de Perscore, Wimundum de Tavestoche, Aldwinumque Rameseiensem, Simoniacos: Godricum Petriburgensem, Haymonem Cernellensem, Egelricum Middletonensem, quod in clero non essent ordinati: Richardum Eliensem, & Robertum Sancti Edmundi, ob varios defectus & excessus. Illius autem synodi, quae anno tertio Henrici primi celebrata fuit, constitutiones sunt hae. Aurea Histor. W. Malmsb. Simeon Dunelm. Ex Archivis.

I. UT Episcopi saecularia officia ne suscipiant; nec sint sicut laici; sed ordinatas vestes, ut religiosas personas decet, habeant; ut semper & ubique honestas personas testes habeant suae conversationis.

II. UT archidiaconatus ne dentur ad firmam.

III. UT archidiaconi ad minus sint diaconi; & ut nullus archidiaconus, presbyter, diaconus, canonicus, uxorem ducat, aut ductam retineat.

IV. SUB-

IV. SUBDIACONUS, ſi poſt profeſſionem caſtitatis uxorem duxerit, eadem lege conſtringatur.

V. PRESBYTER, quamdiu illicitam converſationem mulierum habuerit, non ſit legalis, nec miſſam celebret, nec ab aliis audiatur.

VI. UT nullus ad ſubdiaconatum, vel ſupra, ordinetur ſine profeſſione caſtitatis.

VII. UT filii preſbyterorum non ſint haeredes patrum ſuorum.

VIII. UT clerici ne ſint ſaecularium praepoſiti, ſeu procuratores, aut judices ſanguinis.

IX. UT preſbyteri ne eant ad potationes.

X. UT veſtes clericorum ſint unius coloris, & calceamenta ordinata.

XI. UT clerici, qui ordinem ſuum abjecerunt, aut redeant, aut excommunicentur.

XII. UT clerici patentes coronas habeant.

XIII. UT decimae non niſi eccleſiis dentur.

XIV. UT eccleſiae, aut praebendae, ne emantur.

XV. NE nova capella fiat ſine conſenſu Epiſcopi.

XVI. NE eccleſia ſacretur, donec provideantur neceſſaria & preſbytero & eccleſiae.

XVII. NE abbates faciant milites, ut in eadem domo cum monachis ſuis manducent aut dormiant.

XVIII. NE monachi compatres, aut monachae commatres, fiant.

XIX. NE monachi teneant villas ad firmam.

XX. NE monachi eccleſias, niſi per Epiſcopos, accipiant; neque ſibi datas ita ſpolient ſuis redditibus, ut preſbyteri ibi ſervientes in aliquo penuriam patiantur.

XXI. UT fides inter virum & mulierem occulta, & ſine teſtibus de conjugio data, ſi ab alterutro negata ſit, irrita habeatur.

XXII. UT criniti ſic tondeantur, ut pars aurium appareat, & oculi non tegantur.

XXIII. UT cognati uſque ad ſeptimam generationem ad conjugium non copulentur, vel copulati ſimul non permaneant; & ſi quis hujus inceſtus conſcius fuerit, & non oſtenderit, ejuſdem criminis participem ſe eſſe cognoſcat.

XXIV. NE corpora defunctorum extra parochiam ſuam ſepelienda portentur, ut preſbyteri parochiae perdant quod inde illis debeatur.

XXV. NE quis temeraria novitate corporibus mortuorum, aut fontibus, aut aliis ritibus, quod contigiſſe cognovimus, ſine Epiſcopi authoritate, reverentiam aut ſanctitatem exhibeat.

XXVI. NE quis illud nepharium negotium exerceat, quo hactenus homines in Anglia ſolebant, veluti bruta animalia, venundari.

Jornalen. Hiſtor.

SYNODUS iſta, Londinenſis ſynodi appellatione etiam vulgo ferebatur; cujus conſtitutiones ſtatim ſpretae atque contemptae fuerunt. Nam Gerardus Eboracenſis Archiepiſcopus, cum illos canones edixiſſet ſervandos, totus illius provinciae clerus recuſavit; unde Anſelmo ſcripſit:

In fine libri Epiſtolarum Anſelmi.

" SITIO clericorum meorum integritatem. Sed praeter in paucis ad-
" modum, vel aſpidis ſurditatem, vel fabuloſi cujuſdam Prothei mutabili-
" tatem invenio. Variis linguarum aculeis modo minas, modo convitia
" infligunt. Profeſſiones vero mihi penitus abnegant canonici illi, qui
" ſine

An. Chr. MXCI. — Ab An. Chr. MCIX.

" sine professione ad sacros ordines inordinabiliter sunt provecti: hi etiam; " qui in presbyterio vel diaconatu constituti, & uxores sive concubinas in " publico hactenus habuerunt, & ab altari nulla se reverentia continue- " runt. Cum vero ad ordines aliquos invito, dura cervice renituntur, ne " in ordinando castitatem profiteantur."

Obstitit etiam, ne canones hujus synodi legum vim & potestatem sortirentur, ingens inter regem & Anselmum discordia, & contentio de ecclesiarum investituris orta. Nam toto illo triennio, quo abfuerat Anselmus, sedibus episcopalibus & ecclesiis vacantibus rex arbitratu suo viros ecclesiasticos praeposuit; earumque possessionem per investituram, & baculi pastoralis & annuli donationem, tradidit. Quod quidem investiendi ac in possessionem inducendi jus christiani principes tunc temporis sibi vendicarunt atque reservarunt. Ex his igitur, qui authoritate regia Episcopatibus & ecclesiis inducti fuerunt, petiit rex; ut, qui sacrati non essent, ab Anselmo consecrarentur: qui vero, absente eo, ab aliis Episcopis consecrati essent; in consortium & consuetudinem suam, & Episcoporum coetum permitteret. In utroque horum Anselmus regi restitit; tum quod caeteri laici, regis exemplo, authoritate privata presbyteros sine legitima Episcoporum approbatione sacerdotiis praeficerent; tum quod Urbanus Romanus pontifex superiori concilio statuisset; " Ne quis de manu regis, aut laici, " ecclesiae alicujus investituram acciperet, aut laicali authoritate potesta- " tem apprehenderet." At rex, regnique proceres, Episcopi, & cujuscunque generis aulici, hoc praeter regni consuetudinem ab Anselmo factitatum indigne ferentes, asserebant sese nunquam tam iniquo papae decreto assensuros: & potius tam Anselmum regno exterminaturos, & ab ecclesia Romana penitus discessuros, quam hanc papae sententiam, a jure regio regnique consuetudine prorsus alienam, ratam haberent. Quem procerum & Episcoporum secum conspirantem & congruentem sensum cum animadvertisset rex; Gerardo Eboracensi Archiepiscopo suasit & mandavit, ut ipse hoc consecrationis munus susciperet & absolveret. Gerardus hoc oneris in se assumpsit, diemque ad consecrationis hujus celebrationem Londini in Paulina ecclesia praescripsit. Quo cum plures convenissent, Wilhelmus Wintoniensis Episcopus tunc sacrandus, baculum pastorale & annulum, quae a rege accepisset, iterum regi tradidit: dixitque, " Quae injuste accepisset, amplius se non posse retinere." Cujus facti novitate, quod praeter omnium expectationem tam subito & inopinato accidit, perculsus rex, Wilhelmi bona proscripsit, eumque regno ejecit. Postea multis in utramque partem, sicut in omni dissidio fieri solet, huc illuc inclinantibus, ad discordiam tantam, quae regi, recentis regni victoris filio periculosa foret, sedandam; conventum est, ut ad sciscitandum papae, tanquam Apollinis, oraculum, Anselmus, & Wilhelmus Werelast regis legatus, qui semper Anselmi partibus adversus fuit, Romam proficiscerentur. His Romae ante papae tribunal hanc causam agentibus, Anselmus papae causam, coram papa praesente & judice: Wilhelmus regis sui absentis, nec judicis, causam, tractavit. Cumque Wilhelmus vehementius in regis propositum affectus, dixisset: Regem suum, ne pro regni Angliae amissione, jus ecclesias donandi & earum possessionem tradendi amissurum: Respondit Paschalis papa, ut verbis Eadmeri authoris utar: " Si, quemad- " modum dicis, rex tuus nec pro regni sui amissione patietur ecclesiarum

An. 1103. Jornalen. Histor. Walter Coventren.

Gisbornen. Roger de Cestria. Roff. Histor.

Matt. Paris.

Eadmerus.

" dona-

"donationes amittere: ſcias, ecce coram Deo dico, quia nec pro ſui capitis redemptione, eas illi aliquando Paſchalis papa impune permitteret habere." Hoc itaque papae tam excelſo & magnifico reſponſo, cauſa ſecundum Anſelmum contra regem definita eſt. Alii ſcribunt Anſelmum audiviſſe Paſchalem papam illam diram & cruentam excommunicationis ſententiam in laicos inveſtituras dantes, & clericos eas a laicis capientes, fulminantem; eaque perterritum, principi ſuo a majoribus ſuis uſitatum jus vendicanti conſentire non auſum. Nam in illa excommunicatione papa hujuſmodi verbis uſus eſt: "Execrabile videri manus, quae in tantam eminentiam excreverant; ut, quod nulli Angelorum conceſſum eſt, Dominum cuncta creantem ſuo miniſterio creent; & eundem ipſum pro redemptione & ſalute totius mundi, ſummi Dei Patris obtutibus offerant, in hanc ignominiam tradi; ut ancillae fiant earum manuum, quae die ac nocte obſcoenis contagiis inquinantur, rapinis & injuſtae ſanguinis effuſioni addictae commaculantur." Itaque Anſelmum non auſum permittere clericum quemcunque a regis, aut laici cujuſvis manibus eccleſiarum inveſtituras accipere; ne clericorum ſanctae manus, quae in quotidianis miſſis Chriſtum frangunt, a prophanis laicorum manibus contaminentur, illaque contagione corpus Chriſti corrumpant. Sed certum eſt, ante Paſchalem papam, hanc de inveſtituris controverſiam ſuſcitatam, & ſimilem excommunicationem ab Urbano papa prolatam, in eo concilio, cui Anſelmus, ex Anglia per Rufum ejectus Romamque ab Urbano acceritus, ut ſupra diximus, interfuit: ut veriſimilius ſit, Anſelmum praefractum & contra reges obduratum, ut ſuis dictis factiſque majorem authoritatem crearet, regumque decreta frangeret, conſilium & cauſam Romanis pontificibus illius excommunicationis ſententiae promulgandae tacite dediſſe: ut illius authoritate & praetextu regiam juriſdictionem minuere, & in ſe transferre poſſit. Certum enim eſt Henricum imperatorem Romam ad ſedandam hanc diſcordiam, quae inter regem & clerum coepta eſſet, tanquam orbis chriſtiani ſcandalum, veniſſe. Hoc autem inveſtiendi jus a Gregorio ſeptimo, dicto Hildebrando, regibus primo detrahi coepit. Deinde a ſucceſſoribus ejus, Victore & Urbano; maxime autem a Paſchali, ſub excommunicationis cenſura interdictum fuit: ſed a Carolo Magno, Franciae rege, imperatore, & a ſequentibus imperatoribus, qui trecentis amplius annis imperabant, quibus annorum ſaeculis ſexaginta tres Romani pontifices ordine ſequuti ſunt, hoc inveſtiendi & in poſſeſſionem mittendi clericos in eccleſiaſtica beneficia, jus, per virgae & annuli traditionem frequentatum & retentum fuit. Contra hanc Caeſarum principumque authoritatem & conſuetudinem cenſebant ſynodali judicio Pontifices: nec poſſe, nec debere, per virgam, vel per annulum, Epiſcopatus aut eccleſiae alicujus inveſtituram poſſeſſionemque, a principis aut laici manu apprehendi; &, qui id facerent, ſententia lata excommunicabant. Hanc igitur potiſſimum ob cauſam Henricus imperator Romam properat, Longobardoſque in via ſibi reſiſtentes fortiter proſternit. Tum Romam ingreſſus, accepto diademate, papam cum Epiſcopis & Cardinalibus capit, & ſub arcta cuſtodia detinet. Die Paſchae reconciliatio intervenit; quo die, poſt lectum in miſſarum ſolennibus Evangelium, ad altare Apoſtolorum Petri & Pauli in oculis quamplurium principum, Paſchalis papa tradidit imperatori privilegium; ut is ſolus in ſuo regno inveſtituras eccleſiarum, per virgae & annuli traditionem in clericos transferret: ita, ſi poſt

Ab An. Chr. MXCI. — Ab An. Chr. MCIX.

inveſtituram, ab Epiſcopo, cujus dioeceſis eccleſiae ſint, conſecrationem canonice accipiant. At hoc modo inveſtiendi jus, ſynodali tantum conſtitutione a papa caeteris demptum principibus, in illo regno ſolum retinetur: tantum tum terroris anathematum & excommunicationum a papa projecta fulmina regibus incuſſerunt; ut pavido & trementi alicui Herculi clavum, ut dicitur, extorſiſſent. Sed Henricus illa tonitrua vibrato Marte compeſcuit, & tonantem illum Jovem carceribus permulſit, placidumque ad aequas conditiones coegit. Haec pax in miſſarum ſolennibus per inveſtiturae privilegium compoſita, per illud papalis arae ſacramentum ſic confirmata eſt. Papa celebrans imperatori ſacramentum his verbis porrexit: "Domine imperator, hoc corpus Domini, natum ex Maria Virgi-" ne, paſſum in cruce pro nobis, ſicut ſancta & apoſtolica tenet eccleſia, " damus tibi in confirmationem verae pacis inter me & te." Sumptoque ſacramento imperatoris pacem amiſſione inveſtiturarum papa conſecutus eſt. Nunc ad Anſelmum redeamus: Qui Roma diſcedens Lugdunum pervenit: cui, una illuc proficiſcens regis legatus Wilhelmus, ex regis mandato interdixit in Angliam reditum; niſi omnes regni conſuetudines a patre ac fratre regis retentas ac obſervatas ſe quoque ſervaturum certo promitteret; poſtpoſita ſedi Romanae ſubjectione & obedientia. Sed Anſelmus a ſententia diſcedere noluit. Itaque Lugduni cum Archiepiſcopo Hugone triennio pene toto permanſit. Rex omnes Archiepiſcopatus reditus in fiſcum deferri juſſit. Tandem, per Adelam comitiſſam Bleſenſem regis ſororem, hoc caſu Anſelmus regi conciliatur, & ad Archiepiſcopatus jura reſtitutus eſt. Adela graviſſimo & periculoſiſſimo morbo diu laboraverat: ad hanc in tanta corporis infirmitate conſolandam acceſſit Anſelmus: Cujus adventus tantum & tam repentinum gaudium comitiſſae tam aegrae attulit; ut profligato morbo valetudinem recuperaverit. Itaque regem fratrem in Normannia ſuae ditioni redigendae occupatum pro Anſelmo adiit, & in regis colloquium adduxit; tandem in regis gratiam accepto Anſelmo, prior illa de eccleſiarum inveſtituris controverſia, quae eos antea disjunxerat, Paſchalis judicio iterum relata eſt. Is, ne regis animum, quem irritabilem antea ſenſerat, in Anſelmum iterum accenderet, nec tamen de inveſtiturae jure quicquam diſcederet, mediam quandam in hujus cauſae deciſione viam ſequutus eſt: ut Epiſcopi a rege ante inveſtiti, quos Paſchalis excommunicaverat, ab illa ſententia ſolverentur, & in ſedibus ſuis confirmarentur: ſed, ne tale quid in poſterum a rege, aut laico quocunque fiat, cavit atque ſtatuit. Quo papae decreto rex acquievit, & W. Malmſb. Anſelmum omnibus bonis & fructibus exilii tempore a ſe perceptis & retentis plene reſtituit. Redit igitur in Angliam Anſelmus ſummo totius populi applauſu, a regina & optimatibus perhonorifice in regnum acceptus. Rex enim Normannico motu detentus erat; quo ſedato Normanniam iterum ſuo ſubjecit imperio: Reverſuſque concilium regni publicum Londini indixit; in quo ſtatutum fuit, non licere regi, vel cuicunque laico, per Roff. Hiſtor. baculum & annulum, Epiſcopum, vel preſbyterum, quemcunque inveſtire; ſatis eſſe, ut homagium ab Epiſcopis regi fiat pro poſſeſſionibus temporalibus. His ex Anſelmi ſententia geſtis, coepit prioris illius Londinenſis a ſe celebratae ſynodi decreta executioni mandare, & ſacerdotum legitimas nuptias prophanare atque diſſolvere: ſed, cum rex animadvertiſſet majorem melioremque cleri partem, aut eſſe maritos, aut filios ſacerdotum conjugatorum, illoſque Londinenſis concilii canones de uxoribus renunciandis,

andis, & vovenda continentia, plurimis displicere; permisit clericis matrimonia; sicut patris fratrisque sui temporibus sub Lanfranco Archiepiscopo erant permissa. At Anselmus tunc regis obstitit indulgentiae, & sacerdotes uxorum consuetudinem habentes ecclesiasticis beneficiis spoliavit; cujus projectae praefractaeque pertinaciae cessit tandem rex: Qui, quod authoritate potuisset efficere, maluit Anselmi importunitati concedere. Sub haec tempora, mortuo Gerardo Eboracensi Archiepiscopo, Thomas, Sampsonis Wigorniensis Episcopi filius, Archiepiscopus electus est: qui, cum ab Anselmo consecrandus esset, provinciae suae clero eum pellente & instigante, subjectionem Cantuariensi sedi debitam, & a prioribus Eboracensibus Archiepiscopis praestitam, profiteri recusavit. Ob quam contumaciam Anselmus, nec eum consecrare voluit, & ne ab alio quoque Episcopo sacraretur, per literas vetuit. Itaque Thomas sine consecratione, toto Anselmi tempore vitae, electus tantummodo stetit: eo vero mortuo rex regni proceres atque Praesules, ad ineundum de Eboracensis Archiepiscopi consecratione consilium, Londinum convocavit. Episcopi enim ab Anselmo prohibiti consecrare illum noluerunt. Quod cum Thomas comes Meletensis, cujus tunc fuit cum rege intima maximaque gratia, sensisset; vultu sermoneque saeviori quaesivit: An quisquam hujusmodi literis parere auderet, sine regis authoritate & scientia? Quo perterriti & stupefacti Episcopi, Sampsonem Wigorniensem Episcopum, Thomae Eboracensis Archiepiscopi patrem, accersitum rogarunt, ut filium suum consecraret; qui id se facturum negavit, nisi Thomas Cantuariensi sedi subjectionem ex more professurum promitteret. Cui & rex assensus est, jussitque, ut quinto Kalendarum Julii proximi in ecclesia Paulina, praesentibus Episcopis, Thomas sacraretur, & praestitam a superioribus Archiepiscopis professionem faceret. Quo tempore, convenientibus Episcopis, qui sacras ceremonias absolverent, porrigitur Thomae professio sigillo obsignata, jam olim a suis praecessoribus legi solita: quam cum summa gravitate & reverentia, qua decuit, aperte legisset; Episcopo Londinensi ecclesiae Cantuariensis decano, priore etiam ejusdem ecclesiae praesente, tradidit. Professionis forma haec erat:

Ex Archivis.

"Ego Thomas Eboracensis ecclesiae consecrandus Metropolitanus profiteor subjectionem & canonicam obedientiam sanctae Dorobernensis ecclesiae, & ejusdem ecclesiae Primati canonice electo & consecrato, & successoribus suis canonice inthronizatis, salva fidelitate Henrici regis, & salva obedientia mea Romanae ecclesiae."

W. Malmsb.

ANSELMUS vero Cantuariae, quarto Idus Augusti, Wilhelmum Wintoniensem, Rogerum Salisburiensem, Raynelmum Herefordensem, Urbanumque Glamorganensem, Episcopos consecravit, praesentibus Gerardo Eboracensi Archiepiscopo, & aliis Cantuariensis provinciae Praesulibus. Multum autem & operae, & sumptus, contulit, in ornando & instaurando ecclesiam Christi Cantuariensem; & in instituendo Cestriae monachorum coenobio, ab Hugone comite, prius extructo; cujus Richardum, capellanum suum, abbatem fecit. In scribendis epistolis frequens & assiduus fuit; quarum trecentae sexaginta & septem ad nostra tempora reservantur. Scripsit tractatus varios: Primo, de veritate: Secundo, de libertate arbitrii: Tertio, de casu diaboli: Quarto, de grammatico & discipulo: Quintus,

Aureae Hist. secunda pars.

Ab An. Chr. MXCI. | Ad An. Chr. MCIX.

Quintus vocatur, Monologion: multas dialecticas quaeſtiones propoſuit & ſolvit. Scripſit etiam libellum ſententiarum, Proſlogion: librum epiſtolarum ad diverſos: librum de incarnatione Verbi: librum, "cur Deus "homo:" adhaec de conceptu Virginali: orationes contemplativas: & de proceſſione Spiritus Sancti. Et biennio poſt ſecundum in Angliam ab exilio reditum tranſacto, in abbatia Sancti Edmundi graviſſima febri correptus Cantuariam feſtinavit; ibique diu lecto decumbens, undecimo Kalendarum Maii, anno 1109. aetatis ſuae ſeptuageſimo ſexto, & Pontificatus anno decimo ſexto, obiit, tumuloque ad caput Lanfranci ſepultus & conditus jacet.

Chron. Roberti.

Eadmerus. Jornalen. Hiſtor.

ANSELMUS etſi doctus, & in omni vita continens, habebatur, tamen in ſua ſententia pertinax a veritate & doctrina chriſtiana ſaepe deflexit; humanaeque laudis gloriolam & inanem famam, potius quam virtutem ipſam, adamavit. Nam & de ſe ſupra chriſtianam modeſtiam jactitare ſolitus eſt: & in haec ſacerdotum conjugia vehementius & ſuperſtitioſius, quam homini docto & chriſtiano par fuit, incaluit. Ipſe enim de ſe dixit: Nullum ſe unquam verbum voce protuliſſe, cujus recordatione gravari poſſit conſcientia: Et tamen cum piſciculum crudum incautus in coena comediſſet, ingemuit & deflevit tantum peccatum, quod contra Dei ſanctionem de crudo ſumpſiſſet. Cujus autem ſpiritus eſt iſta ſimulatio & jactantia, ut ſe perhiberet, ne verbo unquam erraſſe; tum, ut in crudi comeſtione, quae caſu contigit, tantum delictum agnoſceret? At in diſſolvendis ſacerdotum lege divina permiſſis nuptiis, ne obfirmatum ſenſum deponeret, ſaevus & ſupra omnem modum atrox eſſe potuit. Hic enim primus nuptias ſacerdotibus omnino interdixit. Nam priores, Dunſtanus, Ethelwaldus, & Oſwaldus, qui monachorum patres dicti ſunt, conjugatos clericos ab uxoribus non ſeparabant; ſed monaſteriis ſolum excludebant: neque hos ſolum, ſed quoſcunque ſaeculares, ſi monachatum non ſuſciperent. Scribit de Anſelmo his verbis Hiſtoriographus: "Anſelmus Archi"epiſcopus ad feſtum Sancti Michaelis concilium tenuit apud Londoniam: "in quo prohibuit uxores ſacerdotibus Anglorum, antea non prohibitas; "quod quibuſdam mundiſſimum viſum eſt, quibuſdam periculoſum, ne "dum munditias viribus majores appeterent, in immunditias horribiles ad "chriſtiani nominis ſummum dedecus inciderent." Sed quem effectum ſortita ſit haec Anſelmi prohibitio, perinde eo vivo atque mortuo videamus: Tribus enim exilii ſui annis irritam fuiſſe declaravimus. Reverſus autem tanta eam ſeveritate exercuit; ut & conjugatos beneficiis amoverit, & uxores non deſerentes proſcripſerit, eorumque bona dioeceſis Epiſcopo adjudicarit, & eos cum uxoribus adulterii damnarit. Quo ſuo exemplo permovit, ut diximus, regem praeter ſuam conſuetudinem, exhauſtis ſuis in Normannico bello facultatibus, ex clericorum conjugiis, quae prius approbaverat, & de quibus ipſum Anſelmum, etſi fruſtra, interceſſerat, pecuniarium quaeſtum facere, & penſionibus ad retinendam illius Anſelmi conſtitutionis poenam, & retinendas uxores, clericos ſupra ſuas vires onerare: quas tandem & remiſit, & ſacerdotum conjugia permiſit; ut ducentis pene poſt Anſelmi conſtitutionem annis rata manerent: etſi frequentia ſequentium Cantuarienſium Archiepiſcoporum edicta prohibitoria promulgabantur. Nec multus eſſe volo in eo, quod multi admirabantur, cum nefandum illud praeter naturam vitium

Henr. Huntingdon.

Ab An. Chr. MXCI. — Ad An. Chr. MCIX.


tium ita tunc temporis in monachis & religioſis inoleverit; quo animo aut propoſito nuptias Anſelmus vetuerit. Id quod ſanctus Bernardus uberius teſtatur: "Tolle, inquit, de eccleſia honorabile conjugium & torum immaculatum; nonne reples eam concubinariis, inceſtuoſis, ſeminifluis, mollibus maſculorum concubitoribus, & omni denique genere immundorum?" Sed Anſelmus, praeterquam, quod ab eo, quod ſemel apud ſe ſtatuerat & addixerat, ſive id aequum ſive iniquum fuerat, avelli nulla ratione poterat; fuit etiam in principes regnique proceres adverſus, peneque imperioſus: quod ex multis ſuis contumaciis, leviſſimis de rebus, regibus appoſitis facillime cernimus. Nam cum, ut diximus, de inveſtituris controverſiam regi Henrico, qui eum unice dilexerat & ab exilio revocaverat, moviſſet; nec morem ullum regi, proceribus, atque Praeſulibus gerere vellet; ſponte, nullo penitus cogente, ut ait Eadmerus, regno Romam diſceſſit. Quo exemplo, quod a pluribus reprehenſum tum fuit, animavit ſucceſſores ſuos regibus adverſos eſſe; & querelas de illis Romano pontifici deferre, regnumque ſacris interdicere; ut populum Romanae ſuperſtitioni deditum, ad inteſtinos tumultus provocarent. Deinde Romam profecturus, cum rogaretur, ut regis ad papam legatum una ſecum in itinere proficiſci permitteret; elatus nimium & inhumanus, etſi multorum exhortationibus & precibus petitus, noluit: ſed obfirmato animo reſpondit: "Quod dixi, dixi." Adhaec cum a rege ipſo Henrico rogaretur, ut Thomae Eboracenſi Archiepiſcopo ſacrando deliberandi inducias daret de profeſſione ſubjectionis; proterve & iracunde reſpondit: Satius eſſe ſibi vivo in fruſta diſcerpi, quam unius horae moram ad eam deliberationem, quae convellat praedeceſſorum ſuorum inſtituta, capiendam indulgere. Itaque in ipſo ſenio, cum jam haud procul abeſſet a morte, obſtinatiae & iracundiae calore ductus ad Thomam ſcripſit arrogantius: Privare ſe eum omni ſacerdotali ordine, quem ab aliquo ſuorum Suffraganeorum accepiſſet, interdixitque, ne paſtorali ſe cura ullatenus immiſceret, donec ſubjectionem profiteretur, his verbis: "Tibi quoque, Thoma, interdico ſub anathemate, ex parte Dei, ut nunquam Epiſcopatus Eboracenſis benedictionem ſuſcipias, niſi prius profeſſionem facias, &c." Atque harum literarum copiam ſingulis Angliae Epiſcopis miſit; quibus ſub eodem anathemate praecepit, ne quiſquam ei manus imponeret. Atque haec ſane Anſelmi & Archiepiſcoporum ſimilis contumacia regibus cauſam juſtam praebuit, cur, illis mortuis, tam multis annis penes ſe Archiepiſcopatum tenuiſſent; ut de moderato aliquo & pacifico viro, qui pertinacia ſua hos tumultus in regno permiſcere noluit, ad tantum onus ſuſcipiendum providerent. Sed non tam durum & iniquum in his Anſelmus ſe oſtendit, quam facilem & proclivem in gravioribus ſceleribus tolerandis: pro pluribus enim Simoniacis interceſſit; de quo lepide Matthaeus Paris: [Matt. Paris.] "Anſelmus Archiepiſcopus pro Epiſcopis & abbatibus degradatis, multa precum inſtantia, papam rogare coepit, ut cum illis miſericorditer diſpenſaret; ut poſſent amiſſas recipere dignitates. Tum ſedes clementiſſima, quae nulli deeſſe conſuevit, dummodo albi aliquid vel rubei intercedat, proſcriptos pontifices & abbates ad priſtinas dignitates revocavit, &c." Hic igitur tam conſtans & pius pater, ob caſtitatis ardorem incenſus contra conjugatos, ob papae lucrum Simoniacis, quos omnia divina humanaque jura deteſtantur, aequabilis & benignus, fuit.

Ab An. Chr. MXCI. — Ad An. Chr. MCIX.

ANSELMO mortuo Eliensis Episcopatus ab Henrico rege, a Lincolniensi dioecesi sumptus, erectus est; quo Hervaeus, tunc Banchorensis Episcopus, primus functus est. At rex, post Anselmi obitum, patris fratrisque sequutus vestigia, cum, praeter suum institutum, jam ad quaestum animum intenderat; tam Cantuariensis Archiepiscopatus, quam aliarum ecclesiarum vacantium, emolumenta atque jura in suos usus contulit. Et illa rigida Londinensis synodi de prohibitis clericorum conjugiis decreta servari mandavit, illiusque reos pecunia mulctavit: tandemque generalem & lucrosam mulctam omnibus indistincte clericis, sive conjugatis sive solutis, indixit: Ex Archivis. & Episcopatus quoscunque vacantes, pacto & recepto pretio, concessit. Episcopatum Dunelmensem Ranulpho capellano suo mille libris donavit; & Thetfordensem Hereberto Losingae, muneribus intervenientibus, contulit: qui illam sedem ad Norvicensem civitatem, in qua nunc permanet, primus traduxit.

Ab An. Chr. MCXIV. — Ad An. Chr. MCXXII.

XXXV. RODULPHUS.

RODULPHUS, patria Normannus, monachus Benedictinus, auditor Lanfranci in coenobio Cadomensi quondam fuit. Sagiensis primo abbas, inde ab Anselmo ad Roffensem Episcopatum deductus est. Cumque Archiepiscopatum Cantuariensem multasque alias sedes & ecclesias vacantes multis annis penes se Henricus rex primus tenuisset; continua procerum atque Praesulum interpellatione tandem superatus, multis ad se ad castrum Windesor convocatis, deliberavit de dignis Praesulibus sedibus vacantibus praeficiendis: inter quos Farecium Abendoniae abbatem rex ad Cantuariensem Archiepiscopatum designavit: virum spectatae gravitatis & prudentiae. E magnatibus autem complures, qui monachos odisse coeperunt, aliquem e regiis capellanis, aut saecularibus clericis, ad archiepiscopalem dignitatem sumi volebant. Cui reclamatum est, quod a prima sedis illius institutione, quam Augustinus posuit, saecularis ordinis, ut asserebant, nemo eam sedem tenuisset, praeter Stigandum; cujus infelix exitus tam sanctae institutionis violatae signum ostendit. Itaque ab omnibus pene Rodulphus ad archiepiscopalem celsitudinem postulatus, a rege, mutata sua de Farecio sententia, probatus, & in frequenti Episcoporum conventu ab Wilhelmo Wintoniensi Episcopo Cantuariae consecratus est, anno Paschalis decimo quinto, & Henrici primi decimo quarto; palliumque quinto Kalendarum Julii proximi, a Paschali missum per Anselmum quendam, Sanctae Sabinae abbatem, Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis nepotem, Cantuariae magnifico quodam & instructo apparatu, frequentique populi corona,

Matt. Paris. Jornalen. Histor. Aur. Histor. secunda pars. W. Malmsb. Chron. Coenob. Martini. Roger de Cestria. Roff. Histor. Ex Archivis.

Matt. Paris. Radulph. de Diceto. Walter Coventren. W. Malmsb. Roger de Cestria. Roff. Histor. Ex Archivis.

Ad An. Chr. MCXIV. — Ad An. Chr. MCXXII.

corona, accepit: Quo die etiam Theulfum Wigorniensem Episcopum Cantuariae consecravit. His temporibus, sive Anglorum indignitas, sive regum in peregrinos potius & Normannos propensio, sive, quod saepe in usu est, eorum, quos domi noverimus, etsi multo digniores sunt, fastidium, tulit; ut Episcopatibus gerendis Angli non censerentur idonei; Normannique, quantumvis indigni, judicarentur apti. Ex quo paucis annis evenit, ut eminentiores ecclesiasticas dignitates quasque Normanni possiderent. Namque hic Rodulphus, senex, valetudinarius, paralyticus, & pedibus aeger, fuit; praeterea difficilis ac morosus; ad extremum, in regem ipsum, a quo promotus fuit, ingratus. Cum enim Henricus Normanniam subjugasset; reversus ad Windesoriense castrum regni proceres deliberandi & consilii capiendi causa convocavit, ibique nuptias cum Atheleida Godefridi Lotharingiae ducis filia celebravit; Sarisburiensis tunc Episcopus ad desponsationis munus a rege & regina expetitus, & vestibus sacris indutus ac paratus, a Rodulpho Archiepiscopo desistere jussus est; illudque negotii ab eodem Rodulpho, Wintoniensi Episcopo committitur. Deinde, cum rex apud Barkleiam tempore Paschae fuisset, & post, sub Pentecosten Londinum rediens corona insignitus in throno sederet; & tum regina consecranda & coronanda esset: Rodulphus Archiepiscopus tunc missam celebrans ad regem, quod absente, ut supra diximus, Anselmo, a Thoma Eboracensi Archiepiscopo, in consecratione diadema impositum ei est, accessit: Cui accedenti rex comiter assurrexit. Quaesivit Archiepiscopus, quis ejus capiti diadema imposuerit: Mea, inquit rex, "haud refert; ideoque neque illius memini." At Archiepiscopus atra bile percitus inquit: "Nullo id jure fecit, quisquis ille fuerit: proinde aut "tua gerenda corona cessabis, aut ego ab administranda missa." Ad haec rex nihilo turbatus vultu placido & modesto respondit: "Si, ut ais, "hoc diadema capiti meo non jure imponitur, tu id facias, quod juri "censeas consentaneum, ego non refragabor." Quo dicto accessit propius Archiepiscopus, manusque ad diadema regis capiti detrahendum attollens; cum rex etiam fibulam sub mento ligatam, qua diadema capiti vinciretur, solveret, proceres regis modestiam, & Archiepiscopi iracundiam, admirantes, una voce in Archiepiscopum ferebantur; instabantque, ne in tam solenni reginæ coronatione regi diadema auferret. Quorum clamoribus actus Rodulphus acquievit, & regi astans canticum, "Gloria "in excelsis," exorsus est, & subsequente, ut consuevit, choro missa illa quiete peracta est. Ex quo perspici possit, quam intempestive & impudenter lenitate principis illius generis homines abusi sunt: qui monachali sanctitate se digniores reliquis, & in principes habere imperium, putabant. Henricus enim rex urbanitate, comitate, affabilitate, lenitate, justitia & fortitudine omnes sui temporis principes anteire putabatur. Huc etiam accessit, quod omni literarum genere Cantabrigiae, Lutetiaeque instructus a pueritia, ita profecit, ut Gulielmus ejus pater eum episcopali muneri aptum censuerit: Qui doctrinae praesidio, & saluberrimas multas leges ipse condidit, & papales technas & saepe olfecit, & caute vitavit: Ut, si eam opportunitatem, quam Henricus octavus, nactus fuisset; & papalem jurisdictionem exterminasset, & praefractum ac a papa concitatum in se clerum in officio tenuisset. Hoc autem Rodulphi factum, non modo regi & proceribus, sed ipsis Episcopis, totique clero tam invisum & indignum fuit, ut aperto ore omnes dicerent: se nunquam permissuros

Jornalen. Histor.

Roger de Cestria.

Rudburnus.

Ad An. Chr. MCXIV.

Ad An. Chr. MCXXII.

ſuros ut monachi amplius Archiepiſcopatus gererent; nec eorum imperium aequo animo laturos: quorum conſenſum rex laudavit, & jure ratum ſtatuit. In Elphegi vita ſupra deſcriptum eſt, octo Epiſcopatibus monachos praefuiſſe; & quod ad Edgari regis petitionem Johannes papa ſub anathemate ſtatuiſſet, Wintonienſem Epiſcopum neminem, niſi monachum, inſtituendum. Nunc videmus, eodem anathemate ſpreto & contempto, tam regio quam Epiſcoporum conſenſu & decreto detruſos ad inferiora clauſtra rurſus monachos, & ab archiepiſcopali celſitudine & epiſcopali dignitate dejectos. Quod tamen primo illo decreto non praevaluit: nam duo tunc ſequuti Archiepiſcopi monachi fuerunt, tertius Beckettus, primus poſt Stigandum canonicus, Archiepiſcopus Cantuariae ſacratur. Hujus etiam Archiepiſcopi temporibus denuo repetita fuit illa toties de Archiepiſcopi Eboracenſis profeſſione Cantuarienſi ſedi mota contentio: Nam mortuo Thoma Eboracenſi Archiepiſcopo, ſucceſſit Thurſtanus, qui & aulicus fuit ac ambitioſus; & in propoſito tam pertinax atque ſtrenuus, ut Archiepiſcopatum illum tanta ſua ac amicorum opera expetitum atque ambitum maluit deſerere, quam debitam ſubjectionem profiteri. Hic cum omnia Romae venalia ſciviſſet, & quod ab uno papa decretum eſt, ab altero pretio reſcindi poſſe ſperabat; cum Calixto tum papa egit, ut ab eo Romae conſecraretur. Et quanquam in illo publico regni concilio, quod Saliſburiae de Matilda regis filia Henrico imperatori nubenda celebrabatur, multum de hac controverſia altercatum ſit; Thurſtanus tamen, cum ſe retroactis regum judiciis in hac cauſa facile vinci poſſe perſpexiſſet, ne illo concilio de cauſa judicaretur procuravit; poſteaque Romam profectus, conſecrationem a Calixto, invito rege & Archiepiſcopo Cantuarienſi, obtinuit. Quo audito Rodulphus in ipſo ſenio & infirmiſſima valetudine Romam etiam properat: expoſitaque papae adventus ſui cauſa, cum de ſedis ſuae praerogativa, per hanc Thurſtani ſurreptam, clam ſe, a papa conſecrationem, multum violata egiſſet; verbis ſane benignis & perhumanis permulſus eſt. Reſponſa vero in utramque partem ambigua, Apollinis oraculis ſimillima, accepit: Papam nihil contra Cantuarienſis eccleſiae privilegium facturum; utrique ſedi pariter favere & indulgere: ſed omnia jura epiſcopalia in papae ſinu recondita eſſe; eaque papae, cum ſibi libuerit, licitum exercere: ut hoc conſecrationis negotium Archiepiſcopo Cantuarienſi non poſſit jure diſplicere. Quae quam in partem Rodulphus acciperet incertus, in Angliam re principi nunciata reverſus eſt. Rex hunc Thurſtani morem indigne ferens, edixit, ne in Angliam rediret. Papa horrenda excommunicationum fulmina in regem & Rodulphum jaculatus, coegit eos Thurſtanum ſaltem in Eboracenſem provinciam recipere; hac lege, ne extra propriam dioeceſin quicquam adminiſtraret, eccleſiaeque Cantuarienſis ſedi debitam ſubjectionem profiteretur. Ad hanc rem multa ex eccleſia Cantuariae vetera monumenta eruta & deprompta ſunt; quae cauſae finem imponebant: quae ab Eadmero verbatim deſcripta ſunt. Calixtus ſub haec tempora Petrum quendam monachum ad regem miſit, quem ſuum in Anglia moraturum legatum ſtatuit. At rex non ſe permiſſurum ullum in ſuo regno papae legatum reſpondit: Id enim & contra morem regni & regis privilegium eſſe; Calixtumque papam ſummam ſibi & Cantuarienſi ſedi in conſecrando Thurſtano injuriam feciſſe. Oſtenſa igitur illa vetera monumenta Petro legato fuerunt; quibus perſpectis, Petrus, papam illud Cantuarienſi ſedi illatum praejudicium

Matt. Paris. Simeon Dunelm. Jornalen. Hiſtor. Radulph. de Diceto. Giſbornen. Roger de Ceſtria. Roff. Hiſtor.

Simeon Dunelm. Matt. Paris.

Ex Archivis.

Jornalen. Hiſtor. Matt. Paris. W. Malmſb. Ex Archivis. Roff. Hiſtor.

Ab An. Chr. MCXIV. dicium correcturum, & privilegia pristina restituturum, spopondit. Sed Rodulphus ad firmam jam senectutem provectus, & paralysi perpetuo triennio laborans, non tam corpore, quam animo, aeger, postquam octo annis sedisset, decimo tertio Kalendarum Novembris, anno Domini 1122. obiit, mortuusque triduo in media parte navis ecclesiae Cantuariensis sepultus jacet. Vir fuit affabilitate praestans, nullo delicto notabili suspectus; nisi quod ad jocos & risus inclinatior erat, quam gradum & aetatem suam decebat; ideoque nugax dicebatur. Ad An. Chr. MCXXII.


Eadmerus.



XXXVI. Gu-

Ab An. Chr. MCXXII. | Ad An. Chr. MCXXXVI.

XXXVI. Gulielmus.





De hujus Archiepiſcopi ortu, & juvenili inſtitutione nihil comperimus; cognomento autem Corbel, vel Corbois, dictus eſt, quidam Willielmum de Turbine, eum nominant. Primo clericus ſaecularis, deinde monachus Benedictinus; poſt ſanctae Oſithae de Chiche prior fuit. Annoque viceſimo ſecundo Henrici primi, tertioque Calixti papae, in purificationis feſto, tam hujus Archiepiſcopatus ab Henrico rege, quam legatinae authoritatis a Calixto papa, munus ſuſcepit: conſecratus a Willielmo tunc Wintonienſi Epiſcopo, Londinenſi Epiſcopatu vacante; peractoque ſacrationis ritu Romam profectus eſt, ut pallio donaretur. Ibi tum Thurſtanus Eboracenſis Archiepiſcopus, de quo in Rodulphi vita antea diximus, nactus, ut putabat, tempus idoneum; inſtabat iterum Calixto papae, ne ſua ſedes Cantuarienſi ſubdatur: ſed, quia Calixtus regis procerumque ac Praeſulum animos, ad Cantuarienſis ſedis dignitatem minuendam prorſus alienos & averſos, commovere in ſe noluit; veritusque, ne, quod antea ſenſerat, ſi praeter eorum mentem & expectationem quicquam ſtatueret, ad dedecus & ignominiam papalis authoritatis penitus reſcinderetur; eam litem a ſe penitus amovit & abdicavit. Etſi chronica Petriburgenſis Saxonica diſerte teſtatur, his verbis: " Quod aurum & argentum hanc controverſiam " diremit." Itaque tam Gulielmus, quam Thurſtanus, una redeuntes ad Henricum regem in Normannia tunc agentem accedunt, eoque ſalutato, veniunt in Angliam. Rebus ſic compoſitis Gulielmus archiepiſcopale munus jam gerere & excercere coepit: ac primum Epiſcopatum Roffenſem vacantem Johanni archidiacono ſuo Cantuarienſi dedit. Deinde Alexandrum Lincolnienſem Epiſcopum Cantuariae, & Godefridum regni cancellarium Bathonienſem Epiſcopum Londini conſecravit. Quarto ſuae conſecrationis anno frequentem cleri ſynodum, in monaſterio ſancti Petri, Londini celebravit; cui Johannes Cremenſis, Honorii ſecundi tum papae legatus, interfuit: Qui, cum acerbiſſimis contumeliis clericorum conjugia exagitaſſet, ſequenti nocte in propatulae meretricis ſinu & amplexibus, foediſſimaque voluptate deprehenſus eſt. Cujus rei turpitudine & infamia coactus, legationis ſuae infectis negotiis, nulliſque ſalutatis aut reviſis, clam diſceſſit. Poſt hanc ſynodum, cum & nuptiae jam eſſent clericis iterum interdictae, & clerici ad illius impuri coelibatus juga, per Gulielmum, humilis & puſilli animi virum, arceri non poterant; egit cum eo rex, ut eorum corrigendorum authoritatem atque jus ſibi permitteret: Quod Gulielmus facile conceſſit: ex quo rex quaeſtum magnum conflavit; quod ſacerdotalia conjugia venalia fecerit. Haec ſynodus Gulielmi

Ex Archivis, Giſbornenſis. Matt. Paris.

Sigiſb. Gemblac.

Sigiſb. Gemblac. Ex Archivis.

Ab An. Chr. MCXX.I.

Ad An. Chr. MCXXXVI.

Gisburnensis. Sigibert. Gemblac.

lielmi synodus dicta est. Eodemque anno Henrico primo mortuo, cum Henricus secundus diademate regio sacrandus esset, Thurstanus nullam veteris suae simultatis & querelae occasionem praetermittens, contempto ob animum pusillum atque modicum Gulielmo, regis capiti diadema imponere nitebatur: sed tam a rege quam a magnatibus Praesulibusque ignominiose turpiterque repulsam pariter ac ludibrium tulit; tum cruciger ejus una cum cruce, quae ante Thurstanum gestabatur, prostratus, cum risu & cachinnis e regis capella probrose ejectus est, & coronationis ceremonia a Gulielmo celebrabatur.

Ex Archivis.

Hujus Archiepiscopi tempora insigni calamitate & incendio Londinensis urbis & Paulini templi commemorantur. Urbs enim ab ecclesia sancti Clementis, quae Danorum ecclesia dicebatur, ad pontem exusta & vastata fuit anno Domini 1130. qui octavus fuit consecrationis suae annus. Eodemque anno ecclesia Christi Cantuariae simili flagravit incendio atque concidit, quam Gulielmus iterum extruxit, & splendido ac magnifico apparatu dedicavit, rege, regina, ac Davide Scotorum rege, & utriusque regni proceribus praesentibus. Huic ecclesiae jam sacratae rex donavit ecclesias sancti Martini Doverensis: Neque quicquam praeter hoc a Gulielmo munere suo dignum gestum est. Animi tam angusti & debilitati fuit, ut ab Henrico de Blesse Wintoniensi Episcopo, Stephani regis fratre, qui hospitium Sanctae Crucis prope Wintoniensem civitatem condidit, in legationis jure, quod tacite obtinere conabatur, superatus pene cessit. Primum enim Henricus pro legationis munere Romam petiit; hunc Gulielmus sequutus est ut Henrico resisteret: Sed ita valuit Henrici authoritas, ut cardinalis creatus Gulielmo mortuo in legatione succederet. Declaravit etiam inconstantiam Gulielmi, Stephani regis coronatio, quam

Walter Coventren. pag. 36.

primus contra jurisjurandi fidem, in Londinensi concilio a se primum, deinde ab omnibus optimatibus Praesulibusque, Matildae Augustae ejusque haeredibus de regni successione promissi, celebraverat. Cui una cum Gulielmo Henricus Wintoniensis, & Rogerus Sarisburiensis, cum nonnullis ab-

Ex Polycrat. Roger de Ceftria. Matt. Parr.

batibus, proceribus vero quam paucissimis, interfuerunt. Gulielmo autem perjurii conscientia trementi atque pavido in ipsa coronationis ceremonia & missa celebranda e manibus excidit hostia: posteaque, anno 1136. aegritudine moestitiaque concubuit, cum quindecim annis & novem mensibus sedisset moritur, in ecclesia Cantuariensi humatus. Quo anno obierunt etiam Episcopi Exoniensis & Roffensis; & statim postea obiit Thurstanus iste praedictus Eboracensis Archiepiscopus, qui jussu & admonitione sua excitavit Boreales regni proceres ut resisterent Scotis, qui crudeliter

Walter Coventren.

cum innumerabili exercitu in Northumbriam promoti erant. Ipse vero Archiepiscopus, cum aegritudinis causa huic pugnae interesse non posset, misit loco suo Rodulphum Dunelmensem, sive, ut alii volunt, Orcadensem Episcopum ad populum exhortandum.

Annal. Ebor. Archiepisc.


Hic Thurstanus non tam juris alieni oppugnator in detrahenda sedi Cantuariensi pristina subjectione, quam sui strenuus assertor & vindicator fuit. Nam coram papa, praesentibus Scotiae regis oratoribus, acerrime vindicavit, Scotiam & suae Eboracensis esse provinciae, & Scotiae regem Angliae regis vasallum. Posteaque de hac quaestione cum Davide Scotorum rege armis & praelio dimicavit, eumque superavit. At animo aeger cum se frustra toties ac tam diu contra Cantuariensis sedis dignitatem contendisse vidisset, sponte dimisso Archiepiscopatu, ad monasterium Pontis Fracti secessit, ibique monachismo induto reliquam vitam peregit.

XXXVII.

An. Chr. ...XXXVIII

XXXVII. THEOBALDUS.

Ad An. Chr. MCLXI.





GULIELMO successit Theobaldus, cujus etiam originis & institutionis ignota est historia. Sed ex monacho Benedictino, abbas Beccensis fuit: deinde anno secundo regis Stephani in Londinensi concilio, per Albericum Hostiensem Episcopum, Romani pontificis legatum, coacto, a Suffraganeis electus est Cantuariensis Archiepiscopus; praesente Jeremia Cantuariensi ecclesiae priori: ab eodem etiam legato, eodem in concilio consecratus est. Ac Romae ab Innocentio secundo pallium accepit; a quo etiam Legati Nati titulo donatus est: qui sedi & successioni suae attributus ab omnibus Cantuariensibus Archiepiscopis inde usque retinetur. Parum eruditus, sed moribus commodis, ingenioque miti ac mansueto, fuisse perhibetur, ut tam regibus quam proceribus populoque gratiosus fuerit. Huic monachi omnia sua praedia permiserunt, & ab ipso foti ac nutriti fuerunt; sed postea liberam eis rerum suarum possessionem restituit. Consecravit primo Walterum, Cantuariae archidiaconum, in Roffensem Episcopum, a monachis Roffensibus jussu suo electum. Roffensis enim ecclesiae Cantuarienses Archiepiscopi primi ordinatores, & patroni deinceps semper fuerunt. Deinde Rogerum, Cantuariensem archidiaconum, ad Eboracensis Archiepiscopatus culmen evexit, eumque, accepto obedientiae juramento, consecravit. Archidiaconatum autem Cantuariensem Thomae Becket, de quo proximo loco dicendum est, contulit; quem tanta gratia regi conciliavit, ut regni cancellarius, quod maximae dignitatis est officium, a rege constitueretur. Sylvestro deinde, priori Augustinensi a monachis abbate electo, consuetam benedictionem denegavit, quod esset infamis; is provocavit ad papam, qui crebris eum interpellavit pro Sylvestro benedicendo literis. Diu rem distulit Theobaldus, sed papalium literarum multitudine & instantia coactus, pontificalem benedictionem, in Augustinensi coenobio, Sylvestro tandem impertivit. Jeremiam autem priorem, qui suae electioni interfuit, summa sibi fide & benevolentia conjunctum diu, ut ei crebro vices suas committeret, occulta interveniente simultate, quae firmissimas amicitias dissolvit, tandem infestavit, & loco movit. Sed appellatione ad papam interposita, Jeremias per Henricum tunc Wintoniensem Episcopum & papae legatum, ejus mandata peragentem, restituitur: Quod Theobaldus praeter suam consuetudinem indigne ferens, jurejurando affirmavit se ab omni sacrorum administratione cessaturum, quamdiu Jeremias praeesset ecclesiae. Itaque Jeremias metuens, ne sua causa monasterium grave aliquid ab Archiepiscopo, tam graviter sibi infenso, pateretur, monachorumque odia in se concitaret, acceptis

Jornalen. Histor. Walter Coventren.

Ex Archivis. Roff. Histor. An. 1138. Matt. Paris. Sigisb. Gemblac.

Hist. Eccl. Cant.

W. Thorne.

Gervas. Dorobernen.

[illegible]

centum marcis, quibus creditoribus satisfaceret, prioratui sponte cessit; & tota reliqua vita in Augustinensi coenobio privatus delituit. Anno hujus Archiepiscopi consecrati decimo, Eugenius papa generale concilium indixit Rhemis, ad quod Theobaldus accitus est. Itaque Henricus tum Wintoniensis Episcopus, papae legatus, qui in eo munere saepe cum Theobaldo contenderat, ut Theobaldum, virum apertum, simplicem ac fidelem, in regis, aut papae, odium traheret, versutissime egit cum utroque: cum papa, ut Theobaldum ad concilium vocaret; cum rege, ut eum in Anglia retineret: ut, si papae non pareret, censuram ecclesiasticam; si regi, proscriptionem & civilem poenam, timeret. Rex Henrici consilio Theobaldo interdixit e regno exitum, omnesque maris portus observari praecepit, ne exiret. Sed, ut illa caeca & misera tulerunt tempora, papis magis est quam principibus, praesertim a clero, obsequutum.

Robert. abb. Sancti Mich.

Itaque omnium custodum atque vigilum manus evasit Theobaldus, transfretavit, ac Rhemensi concilio interfuit. Regis postea mandato proscriptus est: isque regem atque regnum vicissim interdicti sententia percussit. Concilio autem dimisso rediit in Angliam, & in Norfolcia aliquantisper resedit; & Episcoporum intercessione regi conciliatus interdictum relaxavit. Postea tantum valuit in Anglia authoritas ejus atque gratia, ut Stephanum regem & Henricum Matildae Augustae filium, pro jure regni Marte dimicaturos, sua opera & diligentia Wallingfordiae conciliaverit: quo & bellum atrox ac intestinum avertit, & patriae tranquillitatem incolumitatemque peperit. Reversus autem Theobaldus exegit modicam argenti summam a sancti Augustini monachis pro datione chrismatis, quinquaginta tantum solidos & septem denarios; quorum solutionem monachi negabant. Theobaldus censuris eos coegit. Res per appellationem ad papam delata est.

Gervasius.

Is rescripsit ad Henricum Wintoniensem Episcopum & Robertum Herefordensem Episcopum, ut de causa cognoscerent eandemque definirent; qui sententiam contra monachos secundum Theobaldum tulerunt. Pacatis in Anglia rebus concilium Romae iterum indictum est: Ad quod Theobaldus cum Waltero Roffensi, Simeone Wigorniensi, Rogero Coventrensi, Robertoque Excestrensi Episcopis, cum totidem abbatibus, vocatus accessit; eoque finito omnes comiter, nulla lite aut discordia mota, reversi sunt.

Chron. Roberti.


In hoc quieto & tranquillo reipublicae statu Theobaldus frequentem cleri synodum habuit Londini, anno Domini 1152. qui fuit suae consecrationis decimus quartus.

Walter Coventren.
Chron. Pet.

Huic concilio interfuit rex Stephanus cum Eustachio suo filio; cujus, ut est verisimile, provocatione convenerunt. Postulavit enim, ut Eustachio regi creando consentirent; ad quod papae literis ac mandato vetiti adduci non poterant. Itaque rex & Eustachius ira perciti eos omnes synodo inclusos ac obsessos minis exagitabant, ut metu ac terrore efficerent id, quod authoritate atque gratia non poterant. Ac plerique ad regis voluntatem ac nutum redacti sunt. At Theobaldus synodo clam ac cautissime egressus, cymba per Thamesim ad ostium maris vectus,

Annales Eccles. Augustin. Cant.

naviculam conscendit, & ad transmarinas oras trajecit. Cujus discessione rex multo turbatior eum iterum proscripsit, ejusque bona fisco adjudicavit. In eodem etiam concilio, multa frivolarum appellationum genera prohibita sunt, quae ab Henrico Wintoniensi Episcopo, regis fratre & papae legato, viro robusto atque strenuo, suam potentiam supra archiepiscopalem dignitatem efferenti, omnesque causas ad suum tribunal trahenti, suscitata fuerunt. Quamdiu enim tam elati & insuperabilis animi vir papali



Theobaldi Sepulchrum.

Ab An. Chr. MCXXXVIII — Ab An. Chr. MCLXI

pali legatione fungebatur, infinitae ac inusitatae appellationes undique ad eum adferebantur. Graves idcirco inter Theobaldum & Henricum Wintonienſem inimicitiae gerebantur. Nam Cantuarienſis in Wintonienſem ordinariam, & Wintonienſis in illum legatinam, poteſtatem exercuit. Quibus duabus poteſtatibus invicem collidentibus, & fracta eccleſiae pace, ad Romanum pacificatorem convolarunt; cui quaeſtionem eo gratiorem, quo ponderoſiorem, attulerunt: Et alter quidem cauſa potior, ſed neuter inexhauſto ſacculo, reverſus eſt. Mortuo Stephano ab exilio revocatus eſt Theobaldus, ac Henrico ſecundo ob morum placabilitatem atque conſtantiam, multo majori gratia quam Stephano fuit. Thurſtanus, ſeu Gulielmus ejus ſucceſſor, iterum clam & ambitioſe tentavit, ut Henricus a ſe Eboraci coronaretur. Sed rex contra Cantuarienſis dignitatem nihil fieri paſſus, non niſi ab eo, aut ejus mandato, coronari voluit; ut ex literis ejus conſtat, quas hic inteximus.

Gervaſ.
W. Nubrigenſis.

"Henricus rex Angliae, & Dux Normanniae & Aquitaniae, & "comes Andegaviae, Theobaldo Cantuarienſi Archiepiſcopo "ſalutem. Super hoc, quod mihi mandaſtis, quod audieratis me coro-"nandum ad natale ab Archiepiſcopo Eboracenſi, apud Lincolniam, in "provincia veſtra: Sciatis, quod nullo modo me ibi coronabit, nec alibi "contra dignitatem veſtram. Ibi enim me coronabit, ſicut mandaſtis, "Lincolniae Epiſcopus; ſi praeſentiam veſtram habere non potero, quam "multum deſiderarem. Sed hac vice parco labori veſtro, & cum Domi-"nus Lincolnienſis Epiſcopus poſſit modo ſupplere vices veſtras, nolo "quod ad me veniendo tanto labore vexemini. Et hoc pro certo ſciatis, "quod nec in his, nec in aliis, quamdiu coronam portabo, veſtram of-"fendam gratiam, nec divinam dignitatem. Teſte T. cancellario apud "Nottingham."

Idem vero Gulielmus cum a rege repulſam tuliſſet, rem Romae tentavit; ubi cum nihil profeciſſet, reverſus in Angliam in miſſa hauſto ex calice veneno expiravit. Et tamen rex a Theobaldo poſtea coronatus, anno 1155. qui ſuae conſecrationis fuit decimus ſeptimus, ejus conſilio in maximis rebus regnique adminiſtratione ſemper aſſenſus eſt. Theobaldus placidam & hilarem, concordemque cum Henrico rege ſenectutem produxerat: ſed languente valetudine, ipſaque ſenectute, quae morbus eſt, infirmus ſuas vires indies ſine labore ac moeſtitia, ipſo die atque tempore tolli ac labefactari ſenſerat. Itaque de pie acquiſitis pie teſtari voluit: Teſtamentumque condidit, in quo ſingula, quae ſuperfuerant illi, bona pauperibus & in pios uſus contulit. Hujus tempore Roffenſis eccleſia atque civitas combuſta eſt, fereque Cantuaria tota, & eccleſia cathedralis Eboracenſis. Tum Nordovici ad contemptum & ludibrium Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti affixus cruci puerulus a Judaeis fuit. Novus itidem nummus uniformis per totum regnum percuſſus fuit. Sed ſuae tandem ſenectutis & languidae vitae moleſtia pertaeſus Theobaldus bene, ut fuerunt illa tempora, anteactam vitam morti perſolvit, anno Domini 1160. cum viginti duobus annis ſediſſet, ac in eccleſia Chriſti Cantuariae ſepultus in pulvere dormit.

Sigiſb. Gem.
Rog. Hovedén.
Roff. Hiſtor. Giſbornenſis. Jornalen. Hiſtor. Aureae Hiſt. ſecunda pars. Annal. Aug. Eccleſ. Cant. Walter Coventren. Gervaſ. Dorobernen.

Ad An. Chr. MCLXII.

XXXVIII. Thomas Becket.

Ad An. Chr MCLXX.

Ex Archivis. Roff. Hiſtor.





E hoc Thoma multa varie, magis quam vere, ſcribuntur. Itaque danda nobis opera eſt, ut veritate diligenter indagata, in lucem ea proferamus, quae certiſſimae fidei eſſe poſſint. Patria & civitate Londinenſis fuit, patre Gilberto Becket mercatore, matre peregrina, nempe Syria, prognatus. Puer a priore Mertonenſis coenobii primis literis imbutus; cum & ſedulus & docilis, aetateque provectior fuerat, ad academiam Pariſienſem miſſus eſt. Ibi cum & doctrinam uberiorem, & linguam Gallicam calleret, Londinum reverſus juſticiarii munus aliquandiu adminiſtravit. Sed ejus pertaeſus, in Theobaldi, de quo antea diximus, tum Cantuarienſis Archiepiſcopi, familiam & clientelam irrepſit: ab eoque ob ingenium & doctrinam unice dilectus in Italiam miſſus eſt, ut jus civile perdiſceret; ne quid in eo deſiderari poſſit, quod ad adminiſtrationem reipublicae, ad quam Theobaldus eum jam animo deſtinarat, pertineret. Itaque juris civilis ſcientiam conſequutus ad Theobaldum redit; a quo archidiaconatu Cantuarienſi, praepoſitura Beverlacenſi, & rectoria de **Bromfeld**, donatus

Hoveden. Walter Coventren. Roff. Hiſtor. Jornalen. Hiſtor. Roger de Ceſtria.

eſt. Deinde ejuſdem Theobaldi commendatione in regis familiam acceptus, totius regni cancellarius, qui ſummus eſt in Anglia magiſtratus, conſtituitur; opimis tam ſpiritualium quam ſaecularium dignitatum reditibus locupletatus: Quem tanta fide prudentiaque geſſit, ut regis erga ſe benevolentiam indies cumularet. Theobaldus, ut diximus, ſub haec tempora, cum ſenio confectus & infirma valetudine eſſet; quo minus reipublicae operam navare potuiſſet, eo plus authoritatis ad Thomam acceſſit. Idque eo quidem conſilio feciſſe Theobaldum ſcriptores tradunt; quod cum

Verba Herb.

Thomam, "in conſiliis fidum, diligentem & cautum, in dubiis provi-
" dum & intrepidum, in adverſis fortem & magnanimum, comperiſſet;
" regem vero etſi adoleſcentem, ſapientem tamen & argutum cognoviſ-
" ſet; veritus, ne rex procerum atque laicorum conſuetudine & conſilio ab
" eccleſiaſtica juriſdictione tuenda ſe ad laicam augendam inclinaret, in
" hoc cancellariatus munere Thomam regi conjungeret; ut adverſa clero
" conſilia labefactaret, & regiorum miniſtrorum audaciam reprimeret,
" qui publicae poteſtatis juriſque praetextu, tam eccleſiae quam provincia-
" lium facultates diripere conſpiraverant."

Willielmus Cantuar.

Itaque Thomas aulam ingreſſus, quo gratior regi & proceribus atque aulicis haberetur, clericalem amictum conſuetudinemque depoſuit, & aulicum ſplendorem ac magnificentiam induit. Ac, ut regi ſe in omnibus accommodaret, eoſdem pene mores, eandemque vitae degendae rationem ſibi finxit, eaſdem epulandi, atque dormiendi horas ſtatuit, una ſive in ſeriis, ſive in jocoſis rebus ſem-

per

Ab An. Chr. MCLXII. — Ad An. Chr. MCLXX.

Roff. Histor.

per adfuit, in omni curiali lepore festivus & concinnus fuit, gloriam, auram popularem, & multorum clientelam ambivit. Praeterea aucupio, venatione, vestium splendore, egregioque corporis cultu, copioso frequentique famulatu, equis generosis; argenteis auratisque ornamentis, epularum & conviviorum crebra lautitia, omnique aulico nitore tam profuse utebatur, ut multi dicerent, ei archidiaconatus sui, quem retinuit, & ordinis clericalis, diaconus enim jam fuit, sibi in mentem non venire. Adhaec papalia atque clericalia jura tanta severitate defendit, ut multorum procerum a se voluntates alienaret, & regi ipsi nonnunquam resisteret: Quod aequiori animo tulit rex, quia in caeteris cunctis rebus gerendis utilem sibi fuisse ejus operam experiretur. Non minus enim domi quam militiae regi magna admiratione laudeque profuit. Gisortium & alia quatuor loca munitissima, quae in Gallia ad regem pertinebant, cum a Gallo occuparentur, recuperavit. Eas urbes, quas rex in agris Tolosanis ultra Guasconiam bellum gerens cepit, dum rex in bello progrederetur, Thomas militibus instructus, donec rex rediret, conservavit; aliqua etiam castella ipse oppugnavit. Sed in hac tanta gratia & potentia, multorum, qui occultas in eum struebant insidias, invidia conflagravit. Quae eo vehementius exarsit, quod cum Maria regis Stephani filia, abbatissa de Rumesia, Matthaeo Boloniae comiti nupsisset, duasque filias ei peperisset; Thomas hoc tanquam ingens & indignum facinus prorsus aperteque damnavit: quod comitis multorumque procerum in eum odia accendit. Quae tamen non minus caute vitavit, quam despexit; regis tanta gratia fretus, ut magno peneque regio apparatu, ut Margaretam Galli filiam triennem Henrico regis filio septenni sponsam acciperet, Parisios mitteretur. Haec sponsalia, Henrico Pisano & Willielmo Papiensi cardinalibus, & papae legatis, in Burgo sacra ministrantibus, celebrata anno 1160. quarto nonas Novembris: omniaque inter regem atque Gallum odia dissidiaque pacata, pacisque diuturnae foedera pacta, sunt. Obiit paulo ante Adrianus papa, qui natione Anglus fuit, & Hiberniam insulam regi Henrico secundo subjugandam papali diplomate concessit, ea conditione, ut pro singulis ejus insulae domibus denarium annuum beato Petro solveret. Sed, eo mortuo, cardinales, qui diversarum partium & factionum fuerunt, quidam enim Caesarem, quidam regem & Gallum sequebantur, duos antipapas elegerunt: Caesariani videlicet Octavianum, alteri Alexandrum; inter quos, durante, ut dicemus, schismate diuturno, Alexander tandem potior & superior evasit. His gestis Theobaldus Cantuariensis, ut diximus, Archiepiscopus longaeva aetate vitaque functus est: Cujus mors in Archiepiscopatum ingressum, tanquam in perpetuae cum rege dissensionis seminarium, & ad propriam ruinam ac perniciem aditum, Thomae patefecit. Rex enim etsi totis suis viribus pro Thoma, ut Archiepiscopatu potiretur, contendit, tamen tanto, tam assiduo ac tam utili ejus semper obsequio, quinque continuis annis, in quibus cancellariatum gessit, usus; existimare non potuit Thomae studium, in reipublicae praesertim causa, jam, aucta sua dignitate, sibi adversum esse potuisse. Itaque Theobaldi morte per nuncios in Normannia, ubi Thomas secum tunc egit, cognita; rex, cui maximae curae fuit, ut is Theobaldo in Cantuariensi sede succederet; ne monachi Cantuarienses, quos satis praefractos & pertinaces cognoverat, alterum eligendo suum propositum & desiderium anteverterent, primum Thomam ad se vocavit: ei & Cambrorum infestationes, & se in Normannia, atque

Matt. Paris. Flor.

Matt. Paris.

Herbertus.

Gallicanis provinciis occupato Anglorum ad deficiendum mobilitatem facilitatemque indicavit. Quae mala eo ſe magis dixit pertimeſcere, quod Theobaldus prudentiſſimus & fidiſſimus ſibi Praeſul nuper obiiſſet: cujus mors ſe abſente perturbationum ac novorum in republica motuum cupidos citius excitare poſſit; ea vero, antequam naſcerentur & in apertum diſcrimen erumperent, cohiberi ſine tumultu atque ſuſpicione ulla poſſe, ſi Thomas in Angliam properaret, & authoritate atque praeſentia ſua regni ſubditos ad fidem Henrico regis filio jurejurando praeſtandam adduceret. Quod ſimul atque perfeciſſet, rex ei Cantuarienſem Archiepiſcopatum promiſit, ut, filio ſuo etſi minori in regno & Thoma in ſacerdotio collocato, ipſe tutius ac ſine ullius perturbationis aut defectionis metu & diſcrimine externa bella gerere poſſit. Ad haec Thomas fertur (Herbertus.) reſpondiſſe: "Ea, quae ad rempublicam componendam, jus regium, fidem-" que filio ſuo publice dandam ſpectarent, ſe ex animo regis curaturum;" ſed de Archiepiſcopatu Cantuarienſi cum meminiſſet, quam diſſimilis ſibi ab aulica vitae inſtituendae ratio ſuſcipienda ſit, dixiſſe regi: "Si id con-" tingat, tantam regis gratiam, quae ſuo diuturno & continuo obſequio " collecta fuiſſet, non eſſe duraturam. Quod in ſacerdotio tanto poſitus, " a quo detrahere ſtuderent nobiles atque curiales, non modo morem in " omni re, perinde ac in cancellariatu ſolebat, regi gerere non poſſit; ve-" rumetiam, ſi de regni & eccleſiae dignitate atque juribus contentio naſ-" ceretur, in ejus partibus tuendis atque conſervandis ita regi reſiſteret, " ut haec jam ſumma gratia in atrox & exitiale aliquod odium verteretur." Verum rex, qui jam de utriuſque tam regiae quam eccleſiaſticae juriſdictionis certis finibus ſtatuendis ſenſit, Thomam ad id commodiſſimum ratus, cum rem perfici ſine mora voluit; intimum ſibi ac fidiſſimum conſiliarium Richardum de Lucy vocavit: ei narrat perinde ſibi curae fore ut Thomas in Archipraeſulatu Cantuarienſi, ac ut filius ſuus Henricus in regni Angliae ſolio, collocaretur: proinde eum una in Angliam proficiſci juſſit, operam daturum ut res ad eum, quem rex propoſuit, exitum perduceretur. (Roff. Hiſtor. Matt. Paris. Flor.) Ac cum in Angliam Thomas, Richardus Lucy aliique regis legati veniſſent, primo Praeſules atque proceres, deinde reliquos ſpectatae conditionis ſubditos Henrico regis filio fidem jurejurando publice praeſtare adegerunt. Hoc juramentum, quod Fidelitatis dicebatur, Thomas primus juravit, ſalva fide regi patri quamdiu viveret ac regno praeeſſe vellet; & reliqui ordine ſecuti eodem modo jurarunt. Hac itaque juratoria ſecuritate praeſtita, totius Cantuarienſis provinciae clerus edicto regis Weſtmonaſterii convenit, (Matt. Paris. Flor. Herbertus. Jornalen. Hiſtor.) ac Thomam, rege per nuncios acriter ſolicitante, Archiepiſcopum Cantuarienſem, nemine praeterquam Londinenſi Epiſcopo contradicente, ſumma conſpiratione & conſenſu elegit, anno Domini 1162. regni Henrici ſecundi ſeptimo, pontificatus Alexandri tertii ſecundo, ac aetatis ipſius Thomae electi quadrageſimo quarto. Deinde preſbyter ab Waltero Roffenſi Epiſcopo, ante enim diaconus tantum fuit, Sabbato Pentecoſtes ordinatus, poſtridieque ab Henrico Wintonienſi Epiſcopo ſolenniter conſecratus, & in throno archiepiſcopali Cantuariae collocatus, eſt: Qui primus poſt Normannorum victoriam Anglus Cantuarienſem dignitatem occupavit. Conſecrationi huic tam illuſtri interfuit Henricus regis filius cum pleriſque regni proceribus, & quatuordecim Cantuarienſis provinciae Epiſcopis, innumeraque plebis multitudine atque copia. Ea peracta Adamus abbas Conchamenſis ad Alexandrum papam, qui rebus novo

ſchiſmate

Ab An. Chr. MCLXII.

Ad An. Chr. MCLXX.

ſchiſmate Romae turbatis in monte Peſulano in Alpibus morabatur, pro pallio miſſus eſt. Quod ſimul atque Thomas accepiſſet, tam diſſimili & immutato genere vitae a priori illa curiali fuit, ut monachalem ſuperſtitionem ſub veſtitu clericali texerit. Nam, ut ſcribit Trivetus: "Poſt ſuſcep-

Roff. Hiſtor. Arch. Nic. Trivet.

"tum paſtoris officium ſupra humanam aeſtimationem factus eſt Deo devotus. Conſecratus enim cilicium clam induit, femoralibus etiam uſus eſt uſque ad poplites cilicinis, & ſub veſtis clericalis honeſtate habitum celans monachalem, &c." Et Willielmus Cantuarienſis: "Paucis

Wil. Cant.

"conſciis ſub lorica fidei militabat, gaudens quia in triplici veſte triplicem perſonam gereret; exteriori clericum exhiberet, interiori monachum occultaret, & intima eremitae moleſtias ſuſtineret." Ex quo quidem exiſtimare facile eſt, quamvis monachorum ſibi ſtudia hac diſſimulatione adjunxerit, quantum tamen regis, Praeſulumque, atque procerum animos abalienaverit, ſi quis ea, quae de communi omnium voto, de monachis ab epiſcopali dignitate deinceps repellendis in Rodulphi vita antea ſcripſimus, animadverterit. Atque haec prima eſſe poterat offenſionis & diſſenſionis regiae cauſa; quod, cum antea politius urbaniuſque vixiſſet, jam odioſam illam monachalem inſtitutionem ſuſceperit, ſive ſponte ſua, ſive quod illam obſoletam papalis excommunicationis ſententiam in Elphegi vita antea deſcriptam timuerit. Quae nova religio etſi tam ſubito Tho-

Raduiph. de Diceto.

mae inceſſerit, archidiaconatum tamen Cantuarienſem ſuſcepto Archiepiſcopatu, etiam rege acerrime poſtulante, diutius diſtulit dimittere. Ideoque regis gratiam hoc ſibi merito ademptam primo, poſtea tamen redintegratam non agnovit ad plenum. Itaque, cum antea Thomas & regis gratia & authoritate in republica quam maxima floreret, ex hac commutatae vitae dignitate, maximae & ſine ulla reconciliatione perpetuae diſſenſionis tempora ſubito inciderunt. Cujus rei veritatem ut ab ipſis monachis, copioſiſſimis Thomae praeconibus accepimus, ita declarabimus; ne, quod ab hiſtoria noſtra alienum eſſe volumus, ad alteram partem nimio motu ac fervore rapi videamur. Ad ſummum jam apicem & faſtigium aſcenderat authoritas papalis; contra quam etſi principes luctarentur, tamen a Praelatis atque clero, qui omnes papae nexibus, non tam conciliorum & reſcriptorum papalium decretis, quae pro legibus ſervabantur, quam ſuperſtitione & religionis inſcitia mentiſque caecitate & cauteriata conſcientia, aſtricti fuerunt, dum eccleſiae ſuae dignitatem immunitatemque defenderent; coram Romanis pontificibus ſacerdotali quam regali authoritati propenſioribus ſuperabantur. Itaque Thomas, etſi ante ſemper regi aſſenſus ſit, & in ſingulis deliberationibus, conſiliique capiendi congreſſibus a regni jure regiaque dignitate nunquam diſceſſerit; tamen, cum animo ſemper elato excelſoque fuerat, Archiepiſcopus jam Cantuarienſis ſacerdotali magis quam regiae dignitati amplificandae ſtuduit, & ex occulta papae clerique ſuaſione totus ac ſupra modum eccleſiaſticis privilegiis incubuit: a quibus ne digitum unquam, ut aiunt, latum receſſit; quin pro illis augendis jus omne reliquum tam regni quam regis extenuaret. Ac Archiepiſcopatu ſuſcepto, ut a mundanis rebus totus ad eccleſiaſticas traductus videretur, cancellariatu ſeſe abdicavit, nunciosque ad regem tunc in Normannia detentum, cum regni ſigillo miſit; nec poſſe ſe ſcripſit curiae & eccleſiae ſimul vacare. Rex, qui Thomae operam in regni admi-

Matt. Paris.

niſtratione cum ſua filiique ſui adhuc minoris conjunctam eſſe voluit, jam ſui facti, quod eum ad Archiepiſcopatum extuliſſet, poenituit; ſimulque pertimuit,

pertimuit, quorſum haec praepropera Thomae abdicatio, cujus elationem magnificentiamque cognovit, evaderet. Itaque magnam ex hac re aegritudinem, cujus tamen cauſam in ſe retorſit, atque animi perturbationem rex alta mente repoſuit. Deinde Thomas, cum eccleſiae ſuae Cantuarienſis juribus augendis & conſervandis tanquam ad aras ſeſe devoviſſet, multos plebeios atque nobiles pro praediis, quae Cantuarienſis eccleſiae fuiſſe propria aſſerebat, in jus vocavit; & authoritate, juriſque ſcientia potior

Herbertus.

ea recuperavit. De quibus, tanquam illatis injuriis, confertim multi regem in Normannia adierunt; ac de Thoma graviter conqueſti ſunt, quod praetextu eccleſiae in omnium pene bona poſſeſſioneſque involaret. Quibus de cauſis a monachis propugnator atque vindex jurium eccleſiaſticorum, ſed a caeteris rerum alienarum expilator atque praedo, dicebatur. Paulo

Anno 1163.

poſt rediit e Normannia in Angliam rex, ut effraenem Thomae clerique

Verba Mat. Paris.

potentiam exiguis magis certiſque finibus coerceret. Cui una cum regis filio occurrit obviam Southamptonae Thomas, qui a rege in oſculum, ſed non in gratiae plenitudinem receptus eſt, ſicut vultus ejus ſtatim averſus, omnibus, qui aderant, palam indicavit; animi tamen motum adhuc repreſſit atque cohibuit. Hic regis reditus ex tranſlatione corporis Edwardi regis atque Confeſſoris, quam Thomas Weſtmonaſterii peregit, celebris ac inſignis habebatur. Eodem etiam anno Alexander papa Turonenſe concilium celebravit: cui Archiepiſcopi & Praelati Angliae regis permiſſione ac licentia interfuerunt; ac a dextris papae Thomas cum ſuis ſuffraganeis, a ſiniſtris vero Eboracenſis Archiepiſcopus cum ſolo Dunelmenſi Epiſcopo ſederunt: Ibi capto de eccleſiaſtica quadam ſupra regiam libertate pertinaciter retinenda conſilio, a papa ocyus dimiſſi & in Angliam reverſi ſunt.

Matt Paris. Sigiſbert. Gemblac.

Poſt hoc Turonenſe concilium, cum omnibus pene in rebus clerus ſe a populo disjunxiſſet, coepit in Anglia de regni atque ſacerdotii authoritate atque vi, multo varioque ſermone diſceptari, factaque perturbatio gravis de praerogativa atque privilegiis ordinis clericalis. Regi enim in regni tranquillitate cuſtodienda, quietiſque ac pacis perturbatoribus exterminandis occupato a judicibus ac miniſtris ſuis nunciatum eſt, furta, rapinas, homicidia, & ejuſmodi delictorum genera a clericis frequentius quam a laicis perpetrari; quos a ſaeculari brachio atque gladio tuebatur & vendicabat excommunicationis eccleſiaſticae fulminatio. Quam Praelatorum & cleri licentiam ut reprimeret, & ſaecularis regiaeque poteſtatis jus a ſacerdotali diſtingueret, rex conſuetudines quaſdam, quas regni vocavit, ab Henrico primo rege avo ſuo deſcriptas, ſed nondum editas, ſtatuit promulgare. Quod ut tutius faciliuſque facere poſſit, nuncios ad papam miſit, ut ab eo prius confirmarentur; ne Praelati, ac maxime Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus, qui ſe jam ante regiam celſitudinem efferre coepit, reluctari poſſint. Sed in Turonenſi priori concilio inter papam & Angliae Praelatos interveniſſe tam occulta foedera veriſimile eſt, ut ſuam magis quam regiam dignitatem extollere conſpiraverint. Namque illarum conſuetudinum capitulis a papa rejectis, regii legati re infecta reverſi ſunt. Hoc ita regem commovit, ut, quia Praelatos atque clerum, duce Thoma, in unam ſententiam contra ſe coiiſſe animadverterat, toto jam animo a clero averſus in omnibus cauſis atque privilegiis laicalem

Will. Cant.

ordinem contra clerum adjuvaret. Thomas vero regis offenſam & aegram mentem non amplius jam obſequio lenivit, ſed majori pertinacia irritavit. Nam, cum rex vectigal quoddam a ſingulis terrae hydis ad regni defenſionem

Ad An. Chr. MCLXII.

Ad An. Chr. MCLXX.

defenſionem, tunc pendi conſuetum, in fiſcum quotannis ſuum deferri juſſerit; Thomas obſtitit, eamque penſionem arbitrariam atque liberam cuique debere eſſe dixit, non a rege praeſcriptam aut coactam. Tum in atrociſſimis facinoribus per laicos judices ac regios miniſtros deprehenſi quidam clerici, in quos rex a ſuis judicibus poeniſque legitimis animadverti maxima ſeveritate voluit, a Thoma tanquam patrono ſervati, mitiuſque quam delictis par erat caſtigati, omnes, quae ſequebantur, tragoedias excitarunt. In his unus in Sariſburienſi dioeceſi a regiis judicibus pro homicidio ad Epiſcopum ductus eſt, regis officialibus & interempti propinquis atque neceſſariis inſtanter, ut de eo judicium fieret & ſupplicium ſumeretur, flagitantibus. Ei vero acriter inficianti, cum teſtibus & probationibus luculentis juxta juris in cauſis criminalibus exigentiam convinci non poterat, canonica purgatio indicta eſt; in qua cum defeciſſet, Epiſcopus Archiepiſcopum de poena imponenda in jure conſulit. Archiepiſcopus autem conſultus mandavit, ut, omni privatus eccleſiaſtico beneficio, exauthoraretur, & in monaſterio ad agendam anguſtiſſimae vitae perpetuam poenitentiam recluderetur. Quo quidem ſupplicio rex contentus non fuit; ſed, ut ad mortem ſubeundam produceretur, & ſaeculari poteſtati, cum ſe coram judice eccleſiaſtico purgare non poterat, puniendus traderetur, flagitavit. Sed Thomas jam dux & author cleri, ne id fieret, reſtitit. Haud ita multo poſt, cum papalis clerus hac Thomae ferocia nimium exultaret, Philippus quidam Broc canonicus ad regium tractus tribunal, juſtitiarios regis in jure ſedentes multis probris contumeliiſque affecit; cujus audacia regem non modo in ipſum, ſed in totum clerum commovit: & quanquam Thomas jam ſero regem placare ſtudens, eum virgis publice caeſum, ab omni eccleſiaſtico beneficio munereque ſuſpenderit; tamen regis indignatio ita crevit, ut occultos clericorum inquiſitores per regnum collocarit, quibus ſingula clam luſtrantibus, tantam facinorum copiam in eccleſiaſtico ordine deprehendit & conquiſivit; ut quia levibus Praelatorum caſtigationibus augerentur indies clericorum flagitia, ad ea corrigenda regia & atroci animadverſione opus jam eſſe cerneret. Itaque dum rex populi pacem, Archiepiſcopus cleri libertatem, tuerentur, Praeſulum procerumque concilium Weſtmonaſterii convocatum eſt. In eo facinoroſiſſimis clericis ſcatere jam regnum ubique conqueritur; qui in talibus deinceps flagitiis deprehenſi vel convicti, niſi ſuis lictoribus eccleſiae praeſidio ac patrocinio deſtituti tradantur, eccleſiam brevi nihil aliud quam latronum aſylum, regnumque ei praedam eſſe futuram. Nam parum curare eos eccleſiaſticum adimi ſibi ordinem, qui ejus veneratione a tam gravibus delictis nollent contineri: didiciſſe praeterea ſe dixit rex ab utriuſque juris peritis, clericos facinoroſos tanquam infames ab eccleſiae corpore amputandos, & ad laicalem animadverſionem detrudendos: proinde ſe, cum rex eſſet, gladiumque ad facinoroſos coercendos a Deo datum gereret, non magis clericorum deinceps ſcelera quam laicorum impunita paſſurum. Ad quae Thomas cum ſuis Suffraganeis & Praelatis reſpondendi diem poſterum petit. Eo die multa pro eccleſiae libertate ac immunitate, ne ad alia quam ad ſua tribunalia pro quibuſcunque rebus ducerentur, protulit. Regem rogavit, ne novas leges aut nova exempla in cleri praejudicium aut gravamen ederet; quod ſi faceret ſe nec debere ſuſtinere, nec poſſe. Rex cum omnes reliquos Praelatos in Thomae ſententiam conſpiraſſe cerneret, ſe nec legibus nec exemplis novis uſurum,

Herbertus.

Herbertus.

sed pristinas regni regiasque consuetudines ab Henrico primo avo suo collectas & repetitas, ab omnibus regni incolis teneri praecepturum respondit; rogavitque, an illi eas essent servaturi. Ad quod Archiepiscopus, "se "& confratres suos illas observaturos esse, dixit, salvo ordine suo:" Reliquique omnes, tanquam in ejus verba jurassent, a rege sigillatim interrogati eodem modo responderunt, praeter unum Hilarium Cicestrensem Episcopum; qui cum regem ea adjectione turbatum perspexerat, se regias & regni consuetudines bona fide servaturum promisit. Sed rex cum, ira excandescente, mitigari non poterat, paratam vidisse contra se clericorum, instructam sub Thoma duce, aciem dixit, quam alio remedio dissiparet; ac denuo jussit, ut absolute & sine conditione ulla eas se consuetudines observaturos promitterent. Archiepiscopus non alia se ratione hoc promissuros, quam de membro & honore terreno jurarent; i. e. salvo ordine suo: Ita cum longa altercatione pene advesperasset, a rege insalutati omnes discesserunt; a quibus Cicestrensis Episcopus, quod a conceptis Thomae verbis recedere praesumpserit, singulorum convitiis exagitatus est. Postridie rex accitum Thomam omnibus quibus eum in cancellariatu muneribus auxisset, praeterquam Archiepiscopatu amovit; & crastino clam ante lucem Londino Oxonium discessit. Interea Thomas, cum ita intercessisset, & quasi tribunitiam potestatem interposuisset regiis consuetudinibus; clericos etiam facinorosissimos a regni jure & potestate regia vendicavit, & ad suum tribunal tam ipsos quam laicos illos accusantes compellere studuit: Qui conatus & reipublicae perniciosus & ad regiam majestatem amplitudinemque minuendam spectare ab omnibus putabatur. Rex e contra commotus permissam fuisse clericis, ecclesiasticae jurisdictionis praetextu, tam impie nequiterque delinquendi licentiam, graves poenas sanxit, quibus clerus perinde atque populus teneretur. In qua tam acerba, quasi inter regnum atque sacerdotium, digladiatione etsi Thomas pertinaciter aliquandiu perstitisset; tamen ejus Suffraganei, Lexoviensis Episcopi Normanni interventu, ad regis sententiam adducti, cum parari sibi aliquam exitiosam machinam a rege formidarent, Thomam deseruerunt. Paulo etiam post Thomas, ejusdem & Herefordensis Episcopi suasu, Robertique Venduniae comitis, nec non abbatis de Eleemosyna, qui se a papa missum ad Thomam dicebat, ut regi obtemperaret; Oxonium ad regem profectus, ea, quae regem tantopere offendebat, clausula detracta, se pure & absolute observaturum regias consuetudines promisit. Quo facto exhilaratus rex, diem, quo ea de re ultra deliberaturi secum adessent, Clarendoniae statuit. Cumque eo convenissent, praesidente Johanne de Oxonia, coram omnibus Praelatis & proceribus regni, facta est recognitio consuetudinum sive libertatum regiarum propter eas dissensiones, quae inter clerum & regis justitiarios, regnique magnates tum frequentes inciderunt: Quas singuli bona fide in verbo veritatis observaturos spoponderunt. Deinde rex has consuetudines regni, populo jam convocato, in tripartitis & indentatis membranis tribus copiis describi mandavit; quas Archiepiscopi & Episcopi tam juramento quam sigillis & chirographis suis communirent, & se pro jure culturos promitterent: quarum unam penes Archiepiscopum Cantuariensem, alteram penes Eboracensem, tertiam penes se in regiis Archivis reponendam voluit permanere. Sed cum descriptas consuetudines perlegisset Thomas, dubitare se dixit, an illarum quaedam inter consuetudines essent habendae: itaque diem deliberandi, antequam sigillum & chirographum

Herbertus. Archiva.

De his consuetud. Vide in Arch. Gervasio, Matt. Paris, & in Quadr. Thomae.

AB AN. CHR. MCLXII. — AD AN. CHR. MCLXX.

phum adhiberet, petiit. Eo concesso Wintoniam profectus, cum esset in itinere, ex necessariis suis quidam eum liberius increparunt, quod tanta facilitate regiis consuetudinibus assensus sit; quorum sermone varie & inconstanter a priori assensione lapsus, abstinuit, quasi sua conscientia suspensus, a divinis, donec promisso atque juramento regi praestito authoritate papae solveretur. Papa, ad solvendam quam confirmandam fidem promptior, hujus promissi liberationem indulsit Thomae, damnavitque eas, quas rex ratas esse voluit, consuetudines; quia ecclesiasticam jurisdictionem, quam dilatari voluit, coercebant. E quibus una fuit ea, quae de ecclesiarum jure patronatus descripta, ab eodem Alexandro papa in rescripto, quod jam inter decretales extat, reprobatur. Postea Thomas cum regem in se hostiliter affectum cognovisset, quod a papa fide regi data liberatus esset, apud Rumeney navem conscendit ad papam profecturus; sed reflante vento in Angliam rejectus est. Concilium tum rex Northamptoniae tenuit: eo a lictoribus regiis tractus Thomas repetundarum, peculatus, perjurii, proditionis, falsi, pro his, quae in cancellaria regis gesserat, tam a rege ipso, quam a Praesulibus & proceribus impetitur: Et Episcopi regi promittebant se Thomam eorum criminum reum coram ipso papa docturos. At Thomas, quia ab Henrico regis filio, ejusque in absentia justitiario liber & absolutus ab omni anteacti magistratus ratiocinio Archiepiscopus Cantuariensis designatus fuit, ne eorum, quae tunc gessit, judicium pateretur, ad papam appellavit; & sub poena anathematis suffraganeis suis Episcopis, caeterisque praecepit, ne in se patrem suum atque judicem sententiam ullam promulgarent: Qui, appellatione sua rejecta & spreto anathemate, sententiam nihilominus protulerunt. Itaque condemnatus crucem, quam manu tenebat, in altum erexit, & a curia palam recessit; nocteque sequenti ad mare quam celerrime contendit, fragilique cymba tribus tantum comitatus trajecit in Belgium. Inde ad Alexandrum papam, qui schismate adhuc durante Senonis fuit, se recepit; a quo ad Pontiniacense coenobium commendatus, securus aliquandiu delituit. Ibi omnes conservatores earum libertatum & consuetudinum, quae Clarendoniae a rege propositae ac promulgatae fuerunt, multosque regis fautores nominatim excommunicavit; quas quidem consuetudines non libertates, sed execrandos abusus appellavit. Rex deinde Thomam proscripsit, Archiepiscopatum Cantuariensem custodiae Ranulphi de Broke commisit; & Gilbertum Londinensem Episcopum, aliosque nonnullos tam ad Flandriae comitem, quam ad Gallorum regem, atque papam legatos misit, ut Thomam proditorem atque profugum suis ditionibus non reciperent: tum a papa petiit, ut consuetudines Clarendoniae promulgatas confirmaret. Papa rem a suis legatis inter regem atque Thomam definiendam respondit; regisque legatos dimittit. Gallus, cum fugato ex Anglia Thoma turbas & rerum novarum causas cieri existimaverat, pacis foedera, ex ingenito Gallis more, indicta causa violavit; Montemque Calvum, Gisortium, aliaque regis in Normannia castella subito oppugnavit. Thomas ex illo Pontiniacensi coenobio in omnes Cantuariensis provinciae Episcopos nova excommunicationum fulmina jaculatus est. Multae utrinque inter regem atque papam de hac causa legationes; quas longitudinis atque vanitatis causa, quia nequicquam profecerunt, praetereo. Sed rex cum Thomae audaciam ita a Gallo atque papa adjutam intellexisset, primum illum ex Pontiniacensi coenobio, qui locus Thomae maxime placuit, Cisterciensium concilio

c. quanto ext. de Judiciis.

Jornalen. Histor. Arch. Walter Coventren. Roff. Histor.

cilio in Anglia coacto, in quo omnibus Ciſtercienſibus fratribus minatus eſt regno in exilium abituris, niſi Thomam omnibus Ciſtercienſibus coenobiis excludi curarent, deturbavit: deinde omnes ejus cognatos, & amicos quoſcunque, a quibus rex eum ſublevari ſuſpicabatur, regno exterminavit ac proſcripſit. Roff. Hiſtor. Epiſcopi, qui a Thoma excommunicabantur, ſynodo convocata in ejus abſentia, ne, muneribus ſuis epiſcopalibus excommunicati fungentes, irregulares efficerentur, communem appellationis vocem emiſerunt: Quam appellationem Thomas reſcriptis ad eos literis refutavit. Epiſcopi & Gilbertus maxime Londinenſis Epiſcopus, in quem inveterato quodam odio, quod is ſolus, ut diximus, ejus electioni detraxiſſet, Thomas potiſſimum ſaevit, opem regiam, ut a Thomae ſaevitia tutarentur, implorarunt. Thomas, cum in Pontiniacenſi coenobio per fratrum Ciſtercienſium authoritatem, regiſque gratiam, locus illi tutus eſſe non poterat, ad papam Alexandrum ſimili quoque fortuna huc illuc a Frederico imperatore ob ſchiſma tum pulſum iterum confugit. Ibi exul exulem ſimili pertinacia praefractum invicem juvit atque conſolatus eſt. Quod ubi rex Henricus comperiſſet, cum & repulſam in ſuis aequiſſimis poſtulatis ab Alexandro pati, & hoſtem atque perduellionem ſuum Thomam ab eodem ſublevari tolerare non poterat; duos facundos viros clericos ſuos, Johannem de Oxonia, & Richardum de Yvelceſtria legatos ad Fredericum Caeſarem deſtinavit; quibus mandavit, ut quia Lodovicus antipapa jam mortuus eſſet, eum de altero eligendo ſolicitarent. Nam regem Alexandri, qui ſibi tantopere adverſus fuit, omnem authoritatem repudiaturum, unaque cum Caeſare contra Gallum atque papam omnem ſuam operam atque vires conjuncturum, ut Alexandro papatu depulſo, alter papa crearetur, confirmabant. Caeſar aſſenſus hoc negotium Colonienſi dedit Archiepiſcopo, ut Romanis artibus edoctus cardinales ad id tam Caeſaris quam regis nomine adduceret. Interea per totum regnum edixit rex, ne quis ad Alexandrum papam, aut Thomam appellaret, nec eorum excommunicationes, bullas, praecepta aut decreta quaecunque inferret regno, ediceret, recitaret vel publicaret; ſi quis fecerit, ut capite tanquam perduellionis reus plecteretur. Tum omnes regni puberes jurejurando aſtrinxit, Alexandro papae ejuſque authoritati renunciare. Gallum etiam literis rogavit, ut a ſe ablegaret, nec tantis officiis hoſtem ſuum Thomam tractaret atque retineret. Sed Gallus manere eum apud ſe, qui rebus in Anglia turbandis aptus eſſet, pati maluit, quam Henrico regi gratificari. Hinc Herbertus. tanta benevolentia, tantis ſtudiis, mutuiſque animis coaleſcere inter ſe Caeſar atque rex coeperunt, ut papa eorum potentiam, ſimulque ea, quae in ſe parabantur, veritus; cardinales, ut regem placarent eique Thomam conciliarent, duos δωροφάγους, & relegatione quam legatione digniores, in Angliam miſit. Hi, cum multis inanibus promiſſis regem ineſcaſſent, praemiis doniſque pro inutili legatione affecti, nulla reconciliatione procurata, ad papam reverſi ſunt. Poſt quorum reditum Thomas a Gallo contra regem animatus, & multo quam ante pertinacior, nova in Epiſcopos, & qui quotidie cum rege verſabantur aulicos, excommunicationum projecit fulmina. Acceperat enim ante praefatam cardinalium legationem, novam a papa poteſtatem, quoſcunque in Anglia ſibi adverſos Matt. Paris. habuerat, rege, regina, regiiſque liberis proximiſque cognatis ſolummodo exceptis, excommunicandi; qua jam cum Gallo regis inimico conjunctus nimis inſolenter abuſus eſt. Itaque rex Alexandrum papam promiſſi per

cardinales

cardinales nuncios ſuos ſibi haud ita pridem facti admonet. Papa ſe illius antiquatae authoritatis, Thomae ante cardinalium adventum conceſſae, ſed nuper revocatae, praetextu excuſavit. Gallus legatos ad papam atque cardinales miſit, ut Thomae cauſam contra regem tuerentur; eumque tanquam oculi ſui pupillam defenderent. Papa in his difficultatibus inter regem atque Gallum poſitus, quid ageret, aut cui magis obſequeretur, incertus fuit. Tandem, ut utriuſque invidiam vitaret, regem rogavit, ut cum Gallo de hac re communicare dignaretur: Gallum etiam monuit, ne regem in ea re commoveret, propter eam cum Caeſare conjunctionem, quae rege in priori amicitia foedereque retento averti poſſit; eo vero offenſo & alienato Romanae curiae ipſiuſque Galli detrimento maximo futura ſit. Atque hoc in loco admirari libet varietatem & inconſtantiam monachorum: qui ipſum papam atque cardinales, quod in hoc diſcrimine regi propenſiores fuerint, tantis inſectentur opprobriis; Gallum autem, cum bella & apertas inimicitias contra regem geſſit, quod Thomam contra regem atque patriam ſibi conjunctum dilexerit, pietatis virtutiſque laudibus ornent: adeo proditiones omnes & ſcelera probant; quaecunque pro eccleſiaſticae pietatis ambitione & libidine ſuſcipiuntur. Verum inter regem atque Gallum reſarcitis, ex papae conſilio, ante fractis foederibus, rex ex Anglia in Normanniam, indeque ad inviſendum Gallum Pariſios venit; ubi caeteris rebus tranſactis, de Thoma cum rege conciliando colloquio agi coepit. Atque aderat in aula Thomas: ſed in regis conſpectum nondum venit; ideoque ea, quae ad concordiam ineundam neceſſaria putavit, in ſcripta redacta ad regem miſit. In his erat, ut Archiepiſcopatum Cantuarienſem, omniaque ab eo recepta, plene reſtitueret; tum alias poſſeſſiones, poſtquam Archiepiſcopus fuit, ablatas redderet. Quibus poſtulatis rex reſpondit: reſtituere ſe nihil ei poſſe, qui ſponte eccleſiam deſeruerit; itaque cum e regni conſuetudine regiſque dignitate, Cantuarienſis eccleſiae, quam Thomas fuga voluntaria pro derelicta habuit, fructus vacantes certis jam perſonis contuliſſet; nolle ſe dixit ea, quae, prout jure regni potuit, contuliſſet, in irritum dubiumve revocari; etſi paratum ſe Thomae ſatisfacere, vel coram ipſo Gallo, vel ſenatu Pariſienſi, aut, ſi id Thomas mallet, coram diverſarum provinciarum in Lutetia academia ſtudentibus ſcholaribus. Quo dicto omnium animi, Thomae ſimulatione antea a rege averſi, conciliati ei ſunt; ſtatimque intromiſſus Thomas ad pedes regis Angliae his verbis procidit: "Domine rex, totam cauſam, unde inter nos orta eſt diſſenſio, tuo committo arbitrio: ſalvo honore Dei." Qua adjectione graviter commotus rex, regiae dignitatis munificentiaeque immemorem, & ingratum eum appellavit: Et ad Gallum converſus: "Quicquid iſti, inquit, diſplicuerit, dicet honori Dei eſſe contrarium: ſed, ne videar vel Dei, vel ſuo honori in aliquo velle reſiſtere, hoc tantum poſtulo. Multi in Anglia extiterunt reges, quorum quidam majori, quidam minori authoritate atque ditione fuerunt, quam ego ſum: Multi rurſus Archiepiſcopi Cantuarienſes praeter hunc, magni atque ſancti viri: Itaque, quod officii ſuorum anteceſſorum maximus meorum minimo praeſtitit, hoc mihi Thomas praeſtet, atque acquieſcam." Quae cum dixiſſet rex, ab aſtantibus undique acclamatum eſt, "Rex ſatis ſe humiliat." Cumque Thomas aliquantiſper ſiluiſſet; Gallus, "Quid, inquit, Domine Archiepiſcope, vis eſſe major ſanctis viris, vel major Petro? Quid dubitas?

Matt. Paris.

Herbertus

Alanus abbas Theokeſburienſis.

"Ecce pax pro foribus." Ad haec reſpondit callide ſatis & elate Thomas: illorum temporum atque horum non fuiſſe rationem eandem; illos, pedetentim reges ad Chriſtum obſequio allexiſſe; cum omnia, quae ad religionem ſpectarent, uno momento perficere non poterant; ſe, ab his non eſſe receſſurum, quae jam eccleſiae acquiſita atque lucrifacta ſunt. Praeterea lapſos illos in multis, ut homines, ipſumque Petrum, ſingulos fuiſſe; quorum exempla ſequi neceſſe non haberet: creviſſe eccleſiae facultates ſemper conſtantia Praelatorum; quas ſuae jam acquiſitas eccleſiae ut diminuantur nunquam eſſe paſſurum. Quibus reſponſis cum pertinax & moroſus fuiſſet; utriuſque regni proceres impedimentum pacis arrogantiae Thomae imputabant, indignumque eſſe aiebant, ut, qui e patria fugit, aleretur in Gallia. Et tamen intercedentibus utrinque multis ad concordiam utcunque reducti eſſent rex & Archiepiſcopus, niſi tam temere emiſiſſet eam adjectionem Thomas, "ſalvo honore Dei." Omnem enim aliam

Matt. Paris.

ſecuritatem promiſit illi rex, praeter oſculum pacis; Archiepiſcopus autem omnes alias concordiae conditiones repudiavit. Cum itaque diſceſſiſſent; rex eo die ſatis ultam proditoris ſui dixit ſuperbiam, Praeſuleſque atque proceres, concordiae mediatores, multa recedentes Archiepiſcopo in

Verba Alani.

os objecerunt: "Quod ſemper ſuperbus, elatus, ſapienſque in oculis ſuis "fuiſſet, propriaeque ſemper ſectator voluntatis; quodque per ipſum ex "parte jam deſtructa, penitus cito deſtrueretur eccleſia:" Quorum atque aulicorum clamoribus actus Thomas aula diſceſſit, nec, quo ſe reciperet, certo cognovit. Sed, rege in Angliam reverſo, ſolita ſua perfidia Gallus Thomam iterum per nuncios ad ſe vocavit, eumque omnibus rebus abunde inſtructum miſit ad Senones. Rex, deinde, ne inteſtini in Anglia motus ex hac Thomae turbatione naſcerentur; cum Galli mobilitatem verſutiaſque perſpexiſſet, filium ſuum Henricum Angliae regem corona ſacrare

Matt. Paris. Flor. Wil. Cant.

decrevit; ut ipſe tranſmarinas ſuas provincias, de quibus a Gallo timebat, ſecure adminiſtrare poſſet. Itaque omnes regni Praeſules atque proceres Idibus Julii 1170. Weſtmonaſterii juſſit convenire. Quod cum Thomas accepiſſet; impetravit a papa literas ad Eboracenſem Archiepiſcopum reliquoſque Angliae Epiſcopos, ne ſine ſuo mandato, & eccleſiae Cantuarienſis conſenſu, quis regem ſacrare praeſumat. Sed, antequam literae promulgatae eſſent, haec regalis coronatio a Rogero Eboracenſi Archiepiſcopo in eccleſia ſancti Petri Weſtmonaſterii peracta eſt, Londinenſi, Sariſburienſi, & Roffenſi Epiſcopis praeſentibus; qui de jure eccleſiae Cantuarienſis, ad cujus dignitatem atque jus regum Angliae coronatio ab antiquo pertinere dignoſcitur, proteſtati ſunt. Perfectiſque coronationis ſolennibus rex trajecit in Normanniam, atque Gallum adiens de Thoma tantis ab eo officiis culto, tantaque liberalitate ſublevato, acerbius expoſtulavit. Is, cum & jus regni firmatum filio, & res in Anglia ſedatas atque compoſitas, cognoviſſet; regis jam praeſentia nonnihil perterritus, ſolummodo de reconciliatione procuranda ſe ſtuduiſſe dixit, petiitque a rege ut id ſuo interventu fiat: Thomam enim jam ejus diuturno ſuaſu ad omnem obſervantiam regi deferendam eſſe paratum. Quae Galli oratio regi non diſplicuit: itaque acceſitus Thomas, cum nihil ad ſummam reconciliationem, praeter oſculum, defuiſſet, in ipſo jam amplexu atque

Matt. Paris.

oſculo, "in honore, inquit, Dei vos oſculor." Quibus verbis turbatus iterum rex ab oſculo receſſit; nihil praeter occultam diſſimulationem ſub his conſuetis Thomae clauſulis, "Nunc ſalvo ordine meo, nunc ſalvo

"honore

Ab An. Chr. MCLXII. — Ad An. Chr. MCLXX.

Matt. Paris. Herbertus. — Herbertus. Matt. Paris. — Roger de Cestria. — Matt. Paris.

" honore Dei, nunc salva fide Dei," & similibus absconditum esse suspicans. Sed paulo post Rothomagensi atque Senonensi Archiepiscopis atque Nivernensi Praesule papae nomine procurantibus, rex Gallum in die Mariae Magdalenae ad Fractam Vallem iterum convenit; quo adductus Thomas cum rege hoc modo in gratiam rediit. In quandam planitiem equis vecti, ut privata inter se colloquia conferrent, secesserunt; factaque reconciliatione Archiepiscopus se ab equo demisit, & ad pedes regis se projecit. Rex vero inclinato Archiepiscopo ab equo descendens, eum mediis ulnis elevavit, atque equum ascendenti fraenum & ascensorium aptavit atque tenuit; quae curiositas duobus tribusque spatiis factis iterum repetita est, omnibus, qui aderant, cernentibus & admirantibus, sed causas nescientibus. His gestis cum a rege restitutionem petiisset; jussit rex, ut prius Cantuariam proficiscatur, & se quiete gerat in provincia: quod si fecerit, omnia se illi, perinde atque vellet & optaret, redditurum. Ac ad filium suum Henricum, nuper coronatum regem, scripsit, reconciliatum esse se Cantuariensi Archiepiscopo Thomae; proinde sibi atque his, qui secum Angliam exiissent, restituat ea, quae tribus ante eorum discessum mensibus habuerunt. Thomas, cujus animus sola elatione & vindictae cupiditate saucius fuit, antequam rediret Cantuariam, quasdam excommunicationis & anathematis sententias a papa diu ante latas, & suo arbitrio permissas, in Angliam praemisit. In quibus Eboracensem Archiepiscopum, Londinensem, & Sarisburiensem Episcopos, aliosque nonnullos, qui regis minoris coronationem celebrarant, nominatim ferit. Quo facto, majori fastu atque arrogantia post septem annorum exilium reversus est, quam aufugit. Illi ad regem in Normanniam trajiciunt; queruntur omnia rursus a Thoma novis papalibus censuris esse perturbata; se, quia in filii coronatione obtemperabant regi, a papa atque Thoma quasi aqua & igni interdictos. Rex renovatum sibi ex hac iterata Thomae pertinacia dolorem continere non potuit; illisque, qui ex Anglia venerant, Episcopis ad filium regem remissis, caeteris autem audientibus famulis, acerbissimas contra Thomam voces & querelas emisit: Non posse se amplius ab illo homine fidem & observantiam sperare, qui vix dum restitutus, omnes novarum offensionum & reipublicae perturbationum causas conquireret: execrandum sibi esse illum diem, quo Thomam ad Archiepiscopatum extulerit, aut restituerit; qui contumacia majestatem violat regiam, totumque sine vindice conculcat regnum: omnes, quos nutrierat, aut beneficiis affecerat, iri maledictos, si aliquis de sacrificulo, qui ipsum atque regnum indesinenter perturbat, dignam poenam non sumat. Huic funestae regis execrationi interfuerunt quatuor milites, Reginaldus Filius Ursi, Hugo de Morvilla, Gulielmus de Tracy, & Richardus Brito; qui ex tam tristi regis sermone collegerunt gratissimum se illi obsequium praestituros, si Thomam interficerent. Interea Thomas maximo equitatu atque famulatu stipatus Cantuariam venit: ibi a monachis summo gaudio receptus, papales illas censuras in suos Suffraganeos promulgavit. Deinde eadem magnificentia atque pompa venit Londinum, & in Londinensem iterum Episcopum totumque suae dioecesis clerum eas diras papales sententias repetit. Inde cum ad regem filium, qui tum apud Woodstock prope Oxonium egit, properaret; regis nomine a militibus regiis Cantuariam reverti, easque sententias, quas in Episcopos atque clerum denunciasset, revocare jussus est. Quo accepto nuncio ad manerium,

Ab An. Chr. MCLXII. — Ad An. Chr. MCLXX.

rium, ſive munimentum quoddam ſuum, de Harwel, quod ſeptem milliaribus a coenobio ſancti Albani diſtabat, divertit. Venitque ad eum poſtridie de reditu ab exilio gratulatum abbas ſancti Albani; quem rogavit Thomas, ut regem filium adiret, eique, ut Thomae adventum ad ſe admitteret, molli aliquo ſermone ſuaderet. Sed cum rex offenſus Thomae fuiſſet, quod ſuam coronationem, a ſuſpenſis Epiſcopis & adminiſtrationem ſui officii non habentibus, celebratam fuiſſe ubique praedicaret; ne ipſum abbatem a Thoma accedentem admiſit. Reverſo abbate, Thomas, etſi irritatum utriuſque regis animum, commotoſque cunctos in ſe ſuos Suffraganeos cerneret, elatos tamen ſpiritus non remiſit; ſed criſtas erigens rediit tumens & ſuperbus Cantuariam; a multis tamen ſpretus & contemptus, qui eum a rege in itinere repulſum rejectumque cognoverant. In his erat quidam Robertus Broke, ejus Ranulphi frater conſanguineus, qui Thoma, prius ut diximus, proſcripto, regis mandato Cantuarienſis Archiepiſcopatus fructus percepit. Hic cujuſdam jumenti, quod Thomae fuit, & culinae neceſſaria vehebat, caudam amputavit, illudque mutilatum ludibrii cauſa duxit ante Thomam. Poſtridie, qui dies Chriſto nato feſtus fuit, Thomas e ſuggeſtu in regis clientes atque famulos nimis intemperanter invectus eſt; & Ranulphum de Broke, qui Cantuarienſis Archiepiſcopatus praedia regio juſſu, ſe abſente, tenuit, ejuſque conſanguineum Robertum, cum multis aliis, maligno ſpiritu perpetuo percuſſit anathemate. Et, quia natalis Chriſti dies eo anno in diem Veneris inciderat, etſi ex publico more caeteri veſcebantur carnibus; is tamen, qui ſolus omnibus religioſior videri voluit, a carnium eſu abſtinuit. In qua tamen praeſcripta ſibi a carnibus continentia in Eboracenſem Archiepiſcopum & Epiſcopum Londonienſem reliquoſque Epiſcopos, regiſque clericos ac miniſtros, qui ex regis voluntate & mandato quicquam geſſiſſent, nunquam deſtitit contumelioſe debacchari. In quibus inſolentiae ac elationis ſuae furiis, die Lunae, qui Innocentibus in Bethlehem Herodis crudeli juſſu trucidatis ſacer habebatur, e Normannia in Angliam ſecundis ventis appulerunt illi, quos antea nominavimus, regis execrationi praeſentes quatuor milites: Qui poſtridie ad Thomam ingreſſi nunciarunt ei, mandaſſe regem, ut filium ſuum regem, cujus coronationi apertis calumniis detraxerat, reverenter adeat, eique homagium atque fidelitatem pro Archiepiſcopatus ſui Baronia juramento praeſtet: Tum, ut clericos, quos ab exilio peregrinos in Angliam ſecum duxerat, ſi hic remanere volunt, de regis atque regni ſecuritate jurent: tertio, ut Epiſcopos caeteroſque excommunicationis & anathematis ſententia irretitos abſolutione laxaret. His Thomas reſpondit: Regem vel a ſe, vel ab aliquo ſuorum clericorum, juramentum, quod exigere jure non poſſit, nulla vi rationeque extorturum: Epiſcopos autem alioſque, qui coronationem regis minoris celebrantes, ſibi & eccleſiae ſuae Cantuarienſi manifeſtam injuriam intuliſſent, a papa, non a ſe, excommunicatos: qui, ſi reſarcire damnum atque praejudicium juramento promitterent, eos abſolveret. Ipſum enim regem voluiſſe dixit, ut hanc eccleſiae ſuae factam ab Eboracenſi & Epiſcopis contumeliam authoritate eccleſiaſtica reformaret. "An "igitur, inquiunt milites, regem filii ſui deſignas proditorem; ut is ſu"am coronationem ratam non haberet, aut infectam eſſe vellet? Quo"nam animo, ſi iſta ſcirent, utroſque laturos putas?" "Mea, inquit Tho"mas, haud refert: nam ſi mihi, meaeve Cantuarienſi eccleſiae, a regi"bus,

Herbertus.



Thomae Beckel
Feretrum.

Ad An. Chr. MCLXII. — Ad An. Chr. MCLXX.


" bus, aut alio quocunque, fiat deinceps injuria, in promptu eſt remedi-" um." Quod de regni interdicto a papa diu ante interminato dictum acceperunt milites. Itaque multis minis utrinque datis ac relatis, diſcedentes milites monachis a rege praeceptum aiunt, ut Thomam, ne exiret, intus ſervarent; atque hora veſpertina armati, in Thomam atque monachos ſacra facientes, irruentes exclamarunt: " Ubi eſt regni regiſque proditor Archi-" epiſcopus?" Ille a tertio quartove preſbyterii gradu, quem aſcenderat, eis obviam regreſſus ab unoquoque militum gladio capite, uno ictu, percuſſus atque trucidatus gradibus cecidit. Cujus cadaver cum milites aut in mare vel amnem aliquem projicere, vel in minuta fruſta diſcerpere vellent; a priore atque monachis ſine ulla lotione mox humo conditum eſt. Papa omnes generaliter, qui Thomae, quem inter martyres ſuoſque Sanctos retulit, necis rei conſciique fuerunt, excommunicavit. Rex ipſe per legatos juramento ſe purgare coactus eſt: Abſolvi tamen non poterat, niſi certis poenarum generibus peractis. In his erant, ut in Angliam reverſus ad Thomae tumulum flexis genibus devote oraret, & in monachorum capitulo a ſingulis ordine fratribus uno virgae ictu percuteretur: tum ducentis militibus Hieroſolymis alendis trecentos aureos uno anno praeberet: poſtremo, ut conſuetudines, quas ſanxit Clarendoniae, revocaret atque faceret irritas. Thomas etſi celebri teſtimonio martyrii a papali clero pro eccleſiae ſuae Cantuarienſis privilegiis candidatus, & in eccleſia Chriſti humili primum in crypto poſitus, deinde ſublimiori & excelſo ac ſumptuoſo delubro conditus fuerit; in quo caput ejus ſeorſim a cadavere ſitum, Thomae Martyris Corona appellabatur; ad quod peregrinantes undique confluerent, muneraque pretioſa deferrent, ſtupendaque edita miracula, quae ab Anglicis Latiniſque ſcriptoribus ejus laudes celebrantibus commemorantur; utque perenni gloria, nullaque oblivione interitura floreret, horis matutinis atque veſpertinis preces ab acutiſſimo Theologo Thoma Aquinate, elegantiori ſtylo, tanquam rythmo compoſitae atque concinnatae, quibus auditorum aures mulcerent in ejuſque ſtuporem raperentur, quotidie ei fuſae fuerint: tandem tamen, ſaeculis aliquot labentibus, diligenti ac ſedula indagatione, adhibitis totius regni Praeſulibus ac proceribus; rex &, qualis Thomas fuerit, certo comperit, quam nefanda geſſerat, quantaſque turbas & tragoedias in regno concitaverat. Ideoque nomen ejus in publicarum precum libris, ut ſanctum, ubivis decantatum, deleri penitus & abradi praecepit. Intolerabili enim arrogantia & ſupra regiam authoritatem juraque publica, magiſque quam chriſtianae aut eccleſiaſticae libertatis immunitas divino jure poſtulat, ſe extulerat. Tanta autem fama & celebritate adumbratae ſanctitatis ſuae nomen percrebuerat, ut Cantuariae eccleſia, in qua delubrum ejus ſitum erat, quae, ut diximus, Chriſti Servatoris eccleſia ex prima inſtitutione dicebatur, id nomen amiſerat, & in ſancti Thomae eccleſiae nomen fere tranſierat. Sed hic ſemper eſt adulterinarum & fucatarum rerum exitus; ut, veritate tempore probata, hypocriſis pateſiat & in nihilum concidat.


Annal. Eccl. Auguſt.
Aur. Hiſtor. ſecunda pars.
Roger de Ceſtria.
Matt. Paris.
M. Weſtm.
Giſbornenſis.

Ab An. Chr. MCLXXIII.

XXXIX. Richardus.

Ad An. Chr. MCLXXXIII.





Ex Archivis.

Post Thomae caedem, mense Februario proximo, Robertus quidam Beccensis abbas, Cantuariensis Archiepiscopus electus est: qui tranquilla & placabili vita delectatus, procellas, quibus Thomas exagitatus fuerat, metuens, id muneris consulto vitavit. Egit deinde cum priore & monachis Cantuariensibus rex; ut praeteritarum turbarum & contentionum memores sedatum aliquem & quietum virum suo consensu probandum eligerent; ne in turbulentum & seditiosum rursus inciderent. Respondit ille regi se id facturum. Itaque Richardus monachus Benedictinus, sancti Martini Doverensis monasterii prior, ab illis electus, & ab Henrico rege Cantuariensis Archiepiscopus appellatus, ab Alexandro tertio Anagniae his verbis consecrabatur: "Tibi, Richarde tuisque successoribus Cantuariensis ecclesiae Primatum ita plene concedimus: sicut a Lanfranco & Anselmo aliisque ipsorum praedecessoribus, quondam Cantuariensibus Archiepiscopis, fuisse possessum constat." Et paulo post Archiepiscopus Primas & Romanae sedis legatus cum pallio in Angliam rediit. Hic electus regi fidelitatem juravit, "salvo ordine suo," nulla prorsus facta mentione de prioribus regni consuetudinibus observandis. Causa suae ad papam profectionis haec esse poterat, si credendum sit Cantuariensi Gervasio. Cum procuratione Henrici regis majoris, ut diximus, esset electus, rex filius electioni restitit: Itaque cum Cantuariae consecrandus esset, dilata ejus literis confirmatio & consecratio fuit; quod eo inscio electio intervenisset. Jam enim coeperat patri regi adversus esse rex filius. Sed Richardus, etsi facili atque simplici ingenio fuerat, nec aperte auderet contendere; cum tamen videret, Frederico imperatore & Henrico rege papae cedentibus, quantis intervallis papalis authoritas in illa Caesaris regisque luctatione jam tunc regiam superasset, literis & nunciis clam Romam praemissis, ipse celerrime subsecutus est. Eo cum venisset, sensit sibi acrem contentionem contra gravissimos adversarios sub nummulario judice futuram: quorum potentiam formidans in apertam aciem prodire noluit; sed pecuniarii judicis benignitati confisus, quod virtute effici debuit, id tentavit pecunia: "Clam enim, teste Gervasio, immensam pecuniam profudit. Habebat enim gravissimos adversarios; infectoque negotio domum redire simulabat: Sed cum jam iter paraverat, a papa revocatus, subito confirmatus consecratusque, & more majorum Angliae legatione & privilegiis munitus est." Liberalis, affabilis, prudensque fuisse dicitur; obsequio tam in papam, quam in regem proclivis: quorum neutrius animum voluit in se seu

Gisbornensis. Radulph. de Diceto.

Matt. Paris. hist. min.

Gervasius.

Radulphus Niger. Ex Archivis.

An. Chr. CLXXIII. *Ad An. Chr. MCLXXXIII.*

seu pertinacia seu constantia ulla commovere. Nam Episcoporum electiones ad voluntatem nutumque prioris, sine inquisitione legitima, in camera regis confirmare consuevit; de quo ab Alexandro papa reprehensus est: *C. Qua fronte De appell.* Papalem autem amicitiam pecunia sibi colligavit. *Florileg. Jornalen. Radulph. de Diceto.* Primo suae consecrationis anno, quatuor Episcopos Richardum Wintoniensem, cum Eliensi, Herefordensi & Cicestrensi Lamethae consecravit; totamque provinciam suam, legatinam ubique exercens potestatem, frequenti equitatu ac famulatu stipatus, nimio apparatu atque sumptu ecclesias & coenobia onerans, & in plurimorum malevolentiam incurrens, peragravit. Cumque Glocestriam pervenisset, in ecclesia sancti Oswaldi, quae Eboracensis Archiepiscopi juri suberat, clericos Rogeri tunc Eboracensis Archiepiscopi, qui cum alterius juris essent, nolebant Cantuariensis juri esse subjecti, omnibus pene censuris percussit. Ex hoc omnium discordiarum ac turbarum, de quibus inter Archiepiscopos mox dicendum est, seminarium profluxit. Reliquis duobus annis res ecclesiasticae ex intestinis patris filiique Angliae regum bellis conticuere. Sed illis biennio post tranquilla pace conciliatis, Richardus concilium Westmonasterii celebravit. *Hoveden.* Cui Rogerus Eboracensis Archiepiscopus non interfuit; sed suae provinciae clerus querelam de sui Archiepiscopi cruce in Cantuariensi provincia gestanda renovarunt; ac etiam Lincolniensem, Cestrensem, Wigorniensem, & Herefordensem dioeceses sui Archiepiscopi provinciae ac jurisdictionis jure esse debere asseverabant. Tum novam querimoniam edunt de injuria & anathematis sententia, quam clericis Eboracensibus in ecclesia sancti Oswaldi Glocestrensi ministrantibus, & ad illum accedere ut suae provinciae clericis, monitis, sed recusantibus, intulerat. Super quibus interposita tanquam a gravaminibus appellatione Cantuariensem Archiepiscopum ad papam provocabant. Quo accepto rex hanc litem Wintoniae his conditionibus diremit: Ut sancti Oswaldi ecclesia Eboracensi Archiepiscopo ex dominio & concessione regia adjudicaretur, ejusque ibi ministrantes clerici jure & sententia Archiepiscopi Cantuariensis solverentur: sed de reliquis ferendae crucis, ac provinciarum ambitus, controversiis, ut Rothomagensis Archiepiscopi judicio starent. *Matt. Paris. hist. minor. Florileg. Ex Archivis.* Sequenti anno, qui fuit suae consecrationis quintus, in Cantuariensi dioecesi tres archidiaconatus, quae uno ante contenta fuerat, ordinavit. Eodem anno rex concilium Northamptoniae indixit. Jamque Scotorum rege regi Angliae subjecto & de fidelitate jurato, coeperunt in hoc concilio Archiepiscopi, utrum Cantuariensi an Eboracensi provinciae Scotia subdatur, litigare; multaeque aliae suscitatae lites: quas in adventum papalis legati jam accersiti & expectati rex dimisso eo concilio distulit. *Ex Archivis.* Ipse tamen, ne ob occupatos a se Episcopatus tam diu vacantes male audiret, Lincolniensem Episcopatum septendecim annis vacuum Galfrido notho suo contulit: Qui regis mandato electus, cum tam ob natalium ordinumque defectum, quam alias causas, confirmari consecrarique domi non poterat, Romam peregrinaturus abiit; *Florilegus.* ibique nullis susceptis ordinibus largitione Episcopatum obtinuit. Jamque legatus in Angliam a papa venit nomine Hugotio, *Gervasius. Hoveden. Radulph. de Diceto.* Henrico rege id postulante, tam ut reginam Eleonoram a se divortio separaret, quam ut Primatus inter Cantuariensem & Eboracensem Archiepiscopos controversiam componeret. Hic concilium Westmonasterii in infirmorum monachorum ecclesia coegit; quo ab utriusque provinciae clero confertim conventum est. Cumque dies inchoandi concilii aderat; legatus in sublimi sedens

Ab An. Chr. MCLXXIII. Ad An. Chr. MCLXXXIII.

ſedens ſolio dextras Cantuarienſi Archiepiſcopo conceſſit. Sed Eboracenſis regem ſibi quam Cantuarienſi propitiorem ſperans ſiniſtras reſpuit, & impudentiſſime inter legatum & Cantuarienſem natibus innitens ſedere, tandem in Primatis ſui gremio reſedit. Vix tandem umbone ſuo, quo ad medium locum obtinendum decertavit, Cantuarienſem attigerat; cum a plurimis tam Epiſcopis quam clericis atque laicis turpiter reprehenſus eſſet. Miniſtri Cantuarienſis Archiepiſcopi facinoris indignitate, & juſtae correptionis vehementia incitati, Eboracenſem e domini ſui gremio ereptum, & humi dejectum pedibus conculcant, &, archiepiſcopalibus inſignibus contumelioſiſſime detractis atque laceratis, pugnis contundunt. At Cantuarienſis, cum ſuos tanta ira percitos avocare & continere non poterat, ſaltem ut diſceſſu ſuo ſecum abduceret; concilio exivit. Miniſtri dominum ſequuti Eboracenſem humi proſtratum, veſtibuſque diſcerptis obſitum relinquunt. Tandem Eboracenſis anhelitu frequenti reſpirans ſemianimis ſurgit. Ad Regem, qui cum filio ſuo concilio intererat, horridus ſqualiduſque accedit, querelam contra Cantuarienſem exponit. Rex, accepto Eboracenſis tantum nuncio, in Cantuarienſem primo incenſus eſt; poſtea temeritatis & impudentiae propriae patefacta veritate, eum tam ridiculum ludibriis & cachinnis affectum dimiſit. Cum jam a rege Eboracenſis cum ignominia diſcederet; plerique eum clamoribus inſequuti: "Vade, vade, "inquiunt, traditor ſancti Thomae; manus tuae adhuc foetant ſanguine." Ille autem miſer non jam Thomae, ſed proprio madebat ſanguine. Sed, quia regem minorem ſine Thomae mandato coronaverat; quod, ut ante diximus, redintegratae diſcordiae ac Thomae necis cauſam dedit, exiſtimavit vulgus eum ejus rei & conſcium & authorem fuiſſe. Inter has turbas Hugotio metu perplexus, data benedictione, concilium tam infauſtum ſubito diſſolvit, & Cantuarienſem tanquam hujus pulſationis reum ad papam appellavit: quod & Eboracenſis fecit. Cantuarienſis quoque, ne appellationibus utrinque obrueretur, ſe ſuoſque papali protectioni tam legatum quam Eboracenſem ad Romam appellando ſubjecit: ita ab omnibus pariter appellatum eſt. Sed poſtridie Cantuarienſis, qui pontificiorum morem noverat, muneribus legatum ſedavit: illi itaque conciliati utrinque appellationes remiſerunt: Eboracenſis autem ſuae adhaeſit. Legatus Cantuariam profectus in Archiepiſcopi palatio ſe occultavit, nec ſui copiam ullis

Hoveden.

fecit; teſteque Hovedeno; "abſcondit ſe a facie illorum." Ipſoque Paſchate, cum omnes expectarent, ut ad miſſarum ſolennia prodiret, mare celeriter & clam petiit atque trajecit. Poſtea Archiepiſcopus Cantuarien-

Gervaſius. Hoveden.

ſis & Galfridus Elienſis a Rogero Eboracenſi iterum coram rege accuſati ſunt; quod in concilio Weſtmonaſterienſi violentas ei manus attulerant; qui, cum delato juramento id negaſſent, ſeque purgaſſent, rege mandante reconciliati ſunt. Eodemque authore inter Cantuarienſem & Eboracenſem Archiepiſcopos quinque annorum induciae factae ſunt: Qui jurato invicem promiſerunt, tam de illa verberatione quam de caeteris motis controverſiis ſe Rothomagenſis & Franciae Epiſcoporum arbitrio firmiter

Jornalen. Gervaſius.

ſtaturos. Mortuo jam Henrico rege filio, Richardus Archiepiſcopus regi majori charus, provincia ſua Gilberto Londonienſi Epiſcopo, ſe abſente, commiſſa, ad Siciliae regem proficiſcitur Angliae regis legatus,

Jornalen.

cum Johanna regis filia, eandem Siciliae regi nuptiis conjuncturus. Eodemque anno reverſus Willielmum quendam de Watervilla abbatem ſan-

Gervaſius. Hoveden.

cti Petri de Burgo tam gradu quam dignitate dejecit. Sexto conſecrationis

tionis ſuae anno Guidonem Banchorenſem Epiſcopum conſecravit. Eodem anno Rogerus Auguſtinenſis coenobii electus abbas Archiepiſcopum benedicendus adiit. Id ſubjectione & obedientia ſibi viciſſim promiſſa paratum ſe facere dixit Archiepiſcopus. Hoc monachi, ſe immunes aſſerentes, recuſabant. Sed, poſtea quam accepiſſent abbatem ſuum id munus ſine benedictione adminiſtrare non potuiſſe, his conditionibus conſenſerunt: Ne id in Cantuarienſi eccleſia fieret: Et ut profeſſionis ſchedulae adderetur, "ſalvis utriuſque eccleſiae privilegiis." Cui reſponſum eſt: "Abbatem debite debere profeſſionem facere, ac non ex ſcrip-" "to, ſed a corde, dicere: Salve ſancta parens, vel ſalve feſta dies, vel" "ſalvis privilegiis." Id abbas & monachi ſe facturos negabant, nec verbo, ſed ſcriptura, profeſſuros aiebant. Itaque rejecta eorum petitione Rogerus papam adiit; eique coenobium ſuum reddidit vectigale. Papa itaque ad Archiepiſcopum reſcripſit, ut omni exceptione & mora ſublata eum ſine profeſſione in eccleſia ſua Auguſtinenſi benedictione ſacraret. Quo mandato perterritus Archiepiſcopus venit ad Auguſtinenſe coenobium ſecundum papae monita facturus: Sed interventu prioris Cantuarienſis eccleſiae, qui multis clamoribus hoc contra eccleſiae metropoliticae dignitatem eſſe arguebat, ceſſavit ab eo, quod facere occoeperat, Archiepiſcopus; Romamque profecturus trajecit in Normanniam. Ibi regi exponit injurias & contumelias, ab Auguſtinenſi abbate eccleſiae ſuae factas. Rex tam infelici tempori morem aliquatenus geſturus Archiepiſcopum ſecum detinuit; ipſe rem authoritate papae compoſiturum promiſit. Romanos enim aiebat, muneribus magis & lucro inhiare, quam juſtitiae ſtudere; ideoque majores inter eos ſeditiones & litigia commoturos. Itaque Archiepiſcopus regi obſequutus rediit. Sed Rogerus papam iterum adiit; ab eoque tam benedictione quam immunitate atque privilegiis decoratus, cum reſcripto, in quo papa coenobium ſancti Auguſtini Cantuarienſe ſuae tantum juriſdictionis, & ab omnibus aliis ademptum, aſſerebat, rediit. Quo facto incertius eſt ſtatuere, utrum papae cupiditatem auri, an ſuam honoris & ambitionis, magis expleverit. Sed anno ſequenti papa, ne Archiepiſcopum, quem etiam ante emunxerat, penitus a ſe hac injuria alienaret; perhumanis eum literis ultro ſcriptis permulſit: In quibus eum certiorem fecit de concordia cum Frederico imperatore conciliata. Eodemque anno Epiſcopus ſancti Davidis in Wallia conſecratus, profeſſionem manu ſua ſcriptam & ore prolatam Richardo tradidit. His temporibus Lateranenſe concilium viginti quinque canonibus concluſum & comprehenſum, beneficiorum & decimarum jura ſtatuens, ab eodem Alexandro celebratum eſt. Hujus Alexandri reſcripta extant in Gregoriano decretalium codice plura, quam cujuſquam papae; quorum pleraque ad Epiſcopos & clerum Angliae data ſunt. Richardus morem papae pariter ac regi gerens, multis benignus ac munificus, cum jam decem annis, octo menſibus, in ſumma papae regiſque gratia ſediſſet, parumque unquam incommodi tuliſſet, improviſa morte migravit e vita. Scribunt enim, cum in praedio ſuo Wrotham ſomno alto compreſſus eſſet, humanam perſonam terroris ac authoritatis plenam ei adfuiſſe & dixiſſe: "Tu quis es?" Cumque Archiepiſcopus pavore expergefactus haud reſponderet, ſubjunxiſſe: "Tu es, qui diſſipaſti bona eccleſiae tibi com-" "miſſa, & ego diſſipabo te de terra." Quo dicto evanuit. Diluculo itaque ſurgens Archiepiſcopus Roffam perrexit, ſtupiduſque familiari cui-

Ex Jornalen.

Jornalen.

Ex Archivis. Florileg.

Gervaſius. Rog. Hoveden.

Ab An. Chr. MCLXXIII. — Ad An. Chr. MCLXXXIII.

dam suo in itinere narravit quid sibi in somnis occurrisset. Cumque finem narrandi fecisset; tanto frigore, horrore & mentis aegritudine confectus est, ut vix ad villam ecclesiae Roffensis, quae **Halings** appellatur, perduci poterat. Ibi lecto decumbens colica passione aliisque morbis vehementer afflictus, postridie decimo quinto Kalendarum Martii nocte exspiravit. Cadaver ejus Cantuariam postea delatum in ecclesia Christi, in oratorio sanctae Mariae, sepulchro honorifice conditum est. Hujus Archiepiscopi tempore Cantuariensis ecclesia exusta est, anno Domini 1177. & Roffensis cum urbe tota, anno 1178. Nummusque uniformis iterum in regno percussus est. Hoc quoque tempore nix ita valles implevit, dumos cooperuit, pressitque arbores; ut infinita pecorum turba, nive resoluta, in aquis perierint. Anno Domini 1177. in Walthamense coenobium, quod Haroldus extruxerat, exclusis clericis saecularibus, primo inducuntur monachi.

Liber Roff. Florileg.

Ex Archivis.




Ab An. Chr. MCLXXXIV. — Ad An. Chr. MCXCI.

XL. BALDWINUS.

Ex Archivis.





BALDWINUS Devoniensis patria, ignoti pauperis filius, Exoniae natus & literis institutus, paucis annis eos fecit progressus, ut ipse scholam aperiret publiceque doceret. Inde in clericali ordine constitutus, moribus vitaque tam conspicuus ut populi lucerna diceretur, archilevita creatus est: Quem honorem sponte deserens, inter candidos monachos seu Cistercienses ascriptus. Transactis in eo ordine aliquot annis Fordensis abbas in Devonia creatur; inde ad Wigorniensem Episcopatum traductus, & demum ad archiepiscopalem celsitudinem, ex sui ordinis monachis primus, evectus est. In quo eligendo inter Cantuariensis ecclesiae monachos & provinciae Suffraganeos, magna discordia, breviter perstringenda, commota est. Electionis jus, clero populoque olim commune, clerus tandem penes se retinuit, excluso populo: Quod etiam non plebeianis clericis permissum; sed in ecclesiis cathedralibus ad conventus & capitula redactum est. Archiepiscopi vero a totius provinciae Episcopis eligi solebant. Sed & in archiepiscopalibus sedibus ita se tandem permiscebant cum Suffraganeis conventus & capitula; ut, interdictis & prohibitis tandem illis, eligendi jus sibi solis vendicarint: Quod in Baldwini electione clarissime patuit. Primum enim egit rex cum priore & monachis Cantuariensis ecclesiae, ut de moderato aliquo atque pio viro ad id muneris apto deliberarent. Deinde cum Episcopis, ut neminem eo munere dignum censerent, qui non prudens, doctus, moribusque tantae dignitati commodis aptisque fuerit; ne, quod ante senserant, rebus sedatis nova reipublicae perturbatio contingat. Episcopi regi parentes agunt cum monachis Cantuariensibus, novo Thomae martyrio elatis, & praefractis, ut in Archiepiscopo

Radulph. Niger.

De electione Baldwini ut descripsimus testantur Gervasius. Gisbornensis. Walter Coventren.

copo

copo eligendo ſecum conſentirent. Hi non ſe permiſſuros reſpondent, ut ei rei Epiſcopi ſe interponant: Suum eſſe jus peculiare atque proprium; quo ſi cedant, eccleſiae Chriſti injuriam ſe facturos timent. Regi res nunciata eſt: is precari ab his, quibus imperare debuerat, coactus, ut in electione convenirent cum Epiſcopis; nec obtinuit. Multa utrinque dicta, reſponſa, ſcripta, reſcripta, ſunt. Ad papam multis regis, Epiſcoporum, prioris ac monachorum nunciis literiſque, crebris itineribus, itum reditum eſt. Obtento tandem Epiſcopis Cantuarienſis provinciae & priori eccleſiae Cantuarienſis papali reſcripto, ut de Archiepiſcopo idoneo provideant & conſentiant; Londinenſis Epiſcopus, qui ſenſum monachorum perpulchre callebat, priore & Epiſcopis ad colloquium congregatis, rogavit priorem, an aliquem adhuc elegiſſent. Is, papalium literarum ignarus, negavit: Quas Londinenſis illico protulit, earumque authoritate communem Epiſcopis cum monachis eligendi facultatem a papa conceſſam oſtendit. Itaque diem ſtatuit, quo electioni adeſſet. Eo die abfuit prior. Quo contumace & abſente, Epiſcopi unanimes ac concordes eligunt Baldwinum Wigornienſem Epiſcopum: quo nihil optatius regi fuit. Ante enim in Thomae vita diximus, Thomam ab Anglia profugum in Pontiniacenſi in Gallia coenobio delituiſſe, indeque Ciſtercienſium fratrum decreto, id exigente rege, ejectum; e quorum numero veriſimile eſt hunc Baldwinum fuiſſe, regique eo nomine charum, quod ab inteſtina & civili diſſenſione abhorruerat. Sed quocunque nomine regi placuerit; certum eſt quorumcunque ſcriptorum teſtimonio, eum pium, doctum, prudentem, & moderatum fuiſſe: Quem Giraldus, ſuus etiam tam in peragranda Wallia quam in expeditione Hieroſolymitana comes, archidiaconus Breconienſis, ſic deſcribit: "Colore fuſco, vultu ſimplici ac venuſto, ſtatura mediocri, habitudine corporis bona, ſed tenui, non craſſa." Moribus iſtis: "Modeſtus ac ſobrius, abſtinentiae magnae, ut vix unquam in ipſum quicquam ſiniſtrum auſa fuiſſet fama praeſumere: Sermone parcus, ad iram tardus, literarum ſtudiis a pueritia imbutus, jugum Domini ad adoleſcentia portans." Hoc igitur ab Epiſcopis electo, fremuerunt monachi, & minarum appellationumque atrocitate atque vi, non regem ſolum ſed Epiſcopos ita deterruerunt; ut regi, papales inſidias & amicitias experto, neceſſe fuit Cantuariam proficiſci, obnixeque a priore atque monachis petere ac inſtare; ne hanc querelam ad papam deferant; quibuſvis ſe ab illis conditionibus datis contentum, ſi in Baldwinum conſentiant. Quid multa? Res aliter tranſigi non poterat, niſi & Baldwinus Epiſcoporum electioni renunciaret, & Epiſcopi eandem electionem caſſarent. Ea lege ſe Baldwinum electuros promittunt. Ceſſerunt monachis & rex & Epiſcopi, prioremque electionem irritam ſtatuerunt. A priore igitur & monachis denuo Baldwinus eligitur, & Epiſcoporum omnium conſenſu confirmatur. Haec eligendi diſcordia novem menſibus duravit; qua tranſacta, per legatos regis & conventus Cantuarienſis nunciata papae res eſt. Is, qui nihil lucri a concordi regno ſperabat, pallium & veterem Cantuarienſis eccleſiae dignitatem facile conceſſit, & per legatos impertivit. Quibus reverſis & a conventu honorifice receptis, Baldwinus pallio donatus, & in archiepiſcopali throno locatus eſt Cantuariae, decimo quarto Kalendarum Junii, anno 1185. annoque regis Henrici ſecundi triceſimo primo. Toto reliquo anno rex Baldwino conjunctiſſimus, monachis ejus voluntati tam ſtrenue reſiſtentibus, ſpeciem quandam bene-

Hoveden. Florileg. Ex Archivis. Giſbornenſis.

Gir. Camb. in itinerario Cambriae.

Gervaſius.

Ab An. Chr. MCLXXXIV. — Ad An. Chr. MCXCI.

benevolentiae prae se ferebat; omniaque tum tranquilla fuere, ut sine ulla perturbatione ac tumultu deliberandi ac consilii capiendi opportunum tempus daretur. Itaque ea consilii ratio regi cum Baldwino habita est; cujus exitus Cantuarienses monachos ob eorum insolentiam regi & Episcopis exosos honore consueto, & eligendi facultate, privasset. Thomae martyrium, per totum orbem christianum a pontificiis scriptoribus diffusum, tam illustre habebatur, ut, qui ejus nomini aliquid consecrassent vel condidissent, sanctis ipsis pares atque similes viderentur. Itaque Baldwinus ex regis proposito & consilio, Divo Thomae martyri novum templum Hackingtoniae in ecclesia sancti Stephani, quae a Cantuaria ad aquilonem posita tribus distat stadiis, extruere & dedicare statuit. In hac ecclesia ad exemplum & similitudinem sancti Thomae, qui ipse saecularis fuit, saeculares clerici, canonici & praebendarii instituendi erant: Numerusque praebendariorum aequalis Suffraganeorum Cantuariensis provinciae numero constitutus fuit: una praebenda regiis sumptibus ordinanda, & regi, ejusque successoribus Angliae regibus conferenda fuerat; ut, perenni quadam & longaeva per haeredes ad finem saeculi ducta poenitentia, caedes Thomae penitus expiaretur: reliquae praebendae Suffraganeis concedendae eorumque sumptibus erigendae erant. Ad hoc opus, quod summa religionis tantique colendi martyris laude omnium ore ferebatur, accessit papae authoritas & licentia Baldwino concessa; quartaque pars omnium oblationum, quae ab illo die Thomae delubro deferrentur. Incepta res est, omneque tigni genus undique conquisitum, ad eumque locum deportatum fuit: Sed monachi, omnibus callidiores, omnium etiam astutiam olfecerunt: Quibus cum Baldwino simultas semper intercessit, invicemque invisi ac infesti erant; omniaque Baldwini instituta & consilia suspecta habebant: nec eos opinio fefellit. Destinarat enim ex regis instinctu Baldwinus frequentes Episcoporum coetus ibi celebrare; quibus rex, quoties voluerit, cum ex eorum numero atque grege esset, interesse poterat: Opereque perfecto & absoluto in eadem ecclesia Episcopos consecrare, synodos habere, oleum cum lacte ad conflandum chrisma permiscere, singulaque, quae ordini suo incumbebant facere, & paulatim non eligendi solum, sed quaecunque alia monachorum Cantuariensium jura eo deducere. Monachi haec, quae certo statuebantur, tanquam vaticinantes, suspicabantur & praedicebant eventura, modisque omnibus avertere nitebantur: ut Juno, quae imperii sui locum Carthagini statuit praeter voluntatem Jovis:

De Hackingtonensi ecclesia Gervasius fusissime tractat. Gisbornensis. Hoveden. Florileg. & Archivi, concordant.

Virg. AEneid. i. ℣. 21.

Hic currus fuit; hoc regnum Dea gentibus esse,
Si qua fata sinant, jam tum tenditque fovetque.

SED AEneae adventu perterrita, ne mutaretur imperii locus, exclamat:

——*Mene incepto desistere victam,*
Nec posse Italia Teucrorum avertere regem?

SIC monachi Cantuarienses illam Hackingtonensis ecclesiae fabricam fore sui fundi calamitatem praescientes, ad Romanum AEolum accedunt:

AEole, namque tibi divum pater atque hominum rex

Et

Et mulcere dedit fluctus & tollere vento:
Gens inimica mihi——
Incute vim ventis——
Sunt mihi bis ſeptem praeſtanti corpore Nymphae:
Quarum, quae forma pulcherrima, Chryſopopeiam   i. e. effectricem auri.
Connubio jungam ſtabili, &c.

Hunc AEolum ſi Neptunus aliquis compeſcuiſſet, regis & Baldwini conſilium ad felicem exitum perductum eſſet: Sed minarum & cenſurarum ejus turbines atque flatus ita omnia permiſcebant, ut eo commoto nec geri nec perfici quicquam poterat. Jam enim paratis ad extruendam hanc Thomae martyri dedicandam eccleſiam cunctis neceſſariis, venit Cantuariam Baldwinus, introducturus quoſdam ſaeculares clericos; a tribus monachis obvius fit in itinere, qui priorem ſuum nomine Cantuarienſis eccleſiae ab ejus inſtituto ac propoſito Romam appellaſſe denunciarunt. Verumtamen pergit Baldwinus, ad ſancti Stephani eccleſiam accedit: Percrebuit eum novos clericos ibi inſtituturum: Miſſi rurſus a priore monachi; qui, appellatione praemiſſa, inhibitiſque tam Archiepiſcopo quam clericis inſtituendis, ac rectore eccleſiae ſancti Stephani, negotii progreſſum impediant. Baldwinus prohiberi noluit, ſed peractis ſacris clericos inſtituit ac inducit, priorem adminiſtratione ſua removet, appellantibus altari interdicit, eum, qui appellationem recitavit, conventu excluſit: A janitoribus exigit jurejurando fidem, ne ſe inſcio monachorum quempiam foribus exire permittant. Prior ipſe, qui Honorius dicebatur, exiens, Romam magnis itineribus contendit. Coruſcationes papales expectantur. Interea rex, hos novos motus metuens, legavit ad monachos Ceſtrenſem Epiſcopum electum, Johannem Nordovicenſem, & Gulielmum Wigornienſem; qui multis rationibus, blandoque ſermone, permixtis interdum minis, ſuaſerunt, ut de his controverſiis, de quibus ad papam provocaſſent, regis atque Praeſulum judicia ſubirent. Illi appellationem ſuam ab Honorio ſuo priore jam ad papam perlatam aiunt; nec poſſe eo abſente ſtatuere quicquam. Epiſcopi ad regem redeunt, & iſta referunt. Turbatus hoc reſponſo rex, Cantuariam ipſe venit, Archiepiſcopum & monachos ad ſe vocavit, litemque diremptur um promiſit. Monachi tenaces propoſiti rem ad papam delatam eſſe aiunt; ideoque ſe alterius judicio eam cauſam non permiſſuros. Itaque infecta pace rex rediit. Miſſi a rege & Baldwino ad papam legati, & a ſingulis Cantuarienſis provinciae Epiſcopis datae literae. Papa legatis ſuo more ſalutatis, lectiſque literis regis & Baldwini, Epiſcoporum literas ad feneſtram rejecit. Diem ſtatuit, quo de cauſa cognoſcere voluit. Eo die ab utraque parte re expoſita, papa ſecundum priorem & monachos judicavit: Ad Archiepiſcopum ſcripſit, & ſerio imperavit, ut priorem ac monachos a ſe amotos, prohibitos, vel excluſos, in integrum reſtituat. Diximus ante, ipſum papam Baldwino operi ſuo aggrediendo authoritatem dediſſe. Sed papis ſemper fuit liberum tam ſua quam aliorum decreta reſcindere. His literis Baldwinus non deſtitit, nec monachos reſtituit; &, quo magis eos irritaret ac incenderet, Chriſma Londini conſecravit. Illi Romam recurrunt, ſe reſtitui per legatos procurant; novas a papa Baldwino literas referunt, quibus ei multis minis injunctum eſt, ut novam eccleſiam, quam poſt monachorum denunciationem conſtruxerat, demoliret; nec in opere incepto amplius per-

 geret.

geret. Itaque ab opere deſtitit Baldwinus, cum rege & totius ſuae provinciae Praeſulibus, petulantiſſimis monachis, papae judicio, ſuccumbens. Sed cum tam contumelioſe ſuperari a monachis nollent, novum conſilium initum eſt; quod ille Romanus AEolus reſcriptorum ſuorum procellis iterum difflavit. Dirui jam ex papae mandato Baldwinus juſſerat omnia, quae Hackingtoniae conſtruxerat. Ea juſſu ſuo ſolo aequata ſubito ſunt. Sed terrarum permutatione acquiſivit ab Epiſcopo & monachis Roffenſibus praedium quoddam in villa Lametha, quae interfluente Thameſi e regione Weſtmonaſterii ad orientem poſita eſt. Ad hoc praedium lapides, caementa & tigna, omniaque, quae ad Hackingtonenſem eccleſiam erigendam paraverat, deferri juſſit. Redintegratum opus eſt, Urbano papa mortuo, qui ſumma ope monachos juvit. Ei ſucceſſit Gregorius octavus regis & Baldwini fautor: Qui animos jam erigunt, & monachi deſpondent; ſicut contrariarum rerum interventu, qui ſtudent partibus, hilariores, aut triſtiores, eſſe ſolent. Sed Gregorius ſecundo papatus menſe fatis conceſſit. Duraverat jam quatuor amplius annis ſub quatuor papis, Lucio, Urbano, Gregorio, Clementeque, haec Hackingtonenſis extruendae, & diruendae, & mutandae, eccleſiae controverſia. Quo ſpatio infinitum eſſet monachorum querelas & ejaculationes, Baldwini ſeveritates, regis ipſius diſſimulationes, excuſationes, & actorum ſuorum revocationes omnes, ipſa temporis neceſſitate coactas, recenſere. Quae brevitati ſtudentes omittimus: ab hac enim eccleſia tanquam a fonte manarunt omnia. Sub haec tempora prior Cantuarienſis Honorius ex peſte interiit; quem cum ſuis aſſeclis Cantuarienſes monachi inter Sanctos venerari voluerunt. Cujus loco regis & Baldwini authoritate & gratia ſucceſſit Rogerus. Jamque Henrici ſecundi prudentiſſimi principis aderat mors: Quae illi obtigit, ut exiſtimare convenit, celerius, quod tam indigna rege atque patre a monachis atque liberis tuliſſet. Quae tamen forti regioque animo toleravit, & prudenti vitavit. Hujus inclytiſſimi regis obitu, quae de Hackingtonenſis, ſive Lamethenſis, negotii exitu dicenda ſunt, ad ſuum locum rejicientur. Sed, inter illas turbas, alia quaedam a Baldwino geſta non ſunt pertranſeunda. Anno conſecrationis ſuae quarto, monachos Cantuarienſes tanto odio habuit, ut, deturbatis e ſanctae Trinitatis coenobio monachis, authoritate regia ſaeculares induxerit. Sed cum ad papam itum eſſet, rex maluit controverſiam ſopiri, & monachos reſtitui. Eodemque anno Weſtmonaſterii Baldwinus Richardo regi diadema impoſuit, tertio Nonas Septembris, praeſentibus Rothomagenſi, Treverenſi, & Dublinenſi Archiepiſcopis. Proximo anno Godefridus Wintonienſis, & Hubertus Sariſburienſis Weſtmonaſterii in ſacello ſanctae Katharinae, & paucis poſtea diebus Richardus Londinenſis, & Willielmus Elienſis Lamethae, ab eodem Baldwino conſecrati ſunt. Eodem etiam anno rex Richardus Archiepiſcopatum Eboracenſem Galfrido fratri ſuo notho, qui ante, nullis ſacris initiatus, Lincolnienſis Epiſcopus fuerat, contulit. Quo electo interceſſit pro ſedis Cantuarienſis dignitate coram rege Baldwinus; eaque de re Gulielmi Normanni decretum protulit, &, tam Galfrido electo, quam omnibus aliis Epiſcopis Angliae, appellatione ad papam promulgata interdixit, ne a quocunque, quam a Cantuarienſi Archiepiſcopo, ordinaretur atque ſacraretur. Johannes regis frater, Dorſeti atque Somerſeti comes, ad Johannem Anagninum cardinalem in Angliam appulſum, & Clementis papae legatum, Baldwinum appellavit; quod comitatum ſuum

Ex an. Gilbertin. Matt. Paris.

Florilegus. Matt. Paris.

interdicto

Ab An. Chr. MCLXXXIV. — Ad An. Chr. MCXCI.

interdicto ſuppoſuerat, ob nuptias, quas cum filia comitis Gloverniae tertio ſibi gradu juncta conciliarat; appellatione ſua ad papam refutata. Hanc appellationem legatus ratam habuit, & Baldwini interdictum abolevit. Idem legatus ſacellum Hackingtonenſe in monachorum gratiam, etſi jam dirutum ſoloque aequatum, atroci ſententia profanavit. Sed interceſſione regis, ne Baldwinus monachorum calumniis infeſtaretur, conſenſum eſt, ut modica in eo loco capella, ſine lavacro & coemeterio, unius ſaecularis clerici miniſterio contenta, extrueretur. Rogerus etiam, qui Honorio priori ſucceſſit, monachorum odia ſuſtinere non poterat: Itaque ſub hoc legato Cantuarienſibus monachis ceſſit, & ad Eveſham coenobium, regis & Baldwini gratia, abbas migravit. Florileg.

RICHARDUS rex patris ſui, ſeditionibus & conjurationibus ſuis laeſi, memor, peccatum, quod deflevit, expeditione Hieroſolymitana abolere ſe poſſe putavit. Quam quidem ad rem omnia inquirit atque parat; & ad grandem pecuniam conflandam tributa popoſcit, regias poſſeſſiones vendit, locat, pignorique dat. Inter alia Hugo de Pudſey, vir glorioſus & multis criminibus infamis, cum Epiſcopatum Dunelmenſem quadraginta annis ſine ordine clericali tenuiſſet, Northumbriae comitatum a rege pretio acquiſivit. Cumque ex more accingendus comitatus gladio, comitiſque nomine appellandus a rege eſſet; ſubridens rex: "En, inquit, ego, mi-" rus artifex, ex veterano Epiſcopo comitem feci juvenem." Multi crucis & illius expeditionis votum cum rege ſuſceperunt. Inter quos Baldwinus, Hubertus Sariſburienſis, & Ranulphus de Glanville totius regni ſub rege procurator, & Hugo Dunelmenſis fuere. Verum Ranulphus illo munere procuratorio ſe abdicavit, ut ad profectionem Hieroſolymitanam commodius ſeſe praepararet. Sed Hugo regi jam ad iter parato mille marcas obtulit, ut, abſente rege, in Ranulphi locum regni procurator generalis deſignaretur, domique a militia vacaret atque maneret. Quod datis nummis impetravit: Sed poſtea, ob voti ſui redemptionem, Romanae ſedi, "quae nulli deeſt petitioni argenti," infinitam pecuniam largitus eſt. W. Nubrigenſis, lib. iv. cap. 3. Verba Matth. Paris.

BALDWINUS cum rege profecturus concilium Weſtmonaſterii habuit: Ibi rebus ordine compoſitis, majoris excommunicationis ſententiam in omnes pronunciavit, qui peregrinationis ſuae tempore eccleſiae Cantuarienſis jura perturbarent, vel minuerent. Inde Cantuariam profectus eandem ſententiam promulgavit. Poſteaque acceptis baculo & pera, fidoque comitatus Huberto, Doveriae trajecit: Et ad Syriam, itinere multis regionibus terra marique ſuperatis, provectus, Aconem ad exercitum regis pervenit; cujus pars fame & inopia graviter laborabat, pars aeris inclementia morbum contraxerat, alii diuturnitate temporis, tam longe a patria diſtracti, fatigati ſunt. Quos omnes Baldwinus, verbo, vitae claritate, & ſumptibus ſuis conſolatus, tandem lethali morbo correptus, in obſidione urbis Acon obiit: Poſtquam ſediſſet annis ſex, menſibus undecim, diebus quinque. Ibi teſtamento militibus omnia legavit, bonaque ſua Huberti fidei inter eos dividenda commiſit. Is tam piam teſtationem non minori fide in omnibus executus eſt, mortuumque honorifice humavit. In hunc Baldwinum, etiam mortuum, Cantuarienſes monachi ſaeviebant. Oſbertum enim Briſtolienſem, quem ex Baldwini conſilio Richardus rex ſanctae Trinitatis coenobii priorem conſtituerat, mortuo Baldwino regeque abſente, ejecerunt. Deinde ex optimi hominis bonitate ac virtute

Ab An. Chr. MCLXXXIV. — Ad An. Chr. MCXCI.


tute calumnias fabricarunt. Nam, quia natura mitis ac lenis fuit, torpentem ac tepidum vocant: Et, quia regi obsequutus est, ab Urbano papa, monachorum fautore, in epistola his verbis reprehensus est: "Urbanus "papa servus servorum Dei, monacho ferventissimo, abbati calido, Epis-"copo tepido, Archiepiscopo remisso:" Ex quo monachi affirmant, quod melior monachus simplex quam abbas, melior abbas quam Episcopus, melior Episcopus quam Archiepiscopus, fuerit. Sed facile est tam papalem, quam monachorum, in bonum virum invidiam & maledicentiam animadvertere: quorum hi invisum eum habebant, ille placabilem & moderatum Archipraesulem non tulit; sed tumultuosum aliquem, qualis Thomas fuit, optavit. Hic Baldwinus legatina authoritate Walliam primus visitavit, & in singulis cathedralibus Walliae ecclesiis solennes missas, pontificalibus indutus ornamentis, celebravit: Primusque illam totam provinciam in Cantuariensi statuit. Etsi quidam Wallenses Episcopi, etiam subjectione professa, a Cantuariensibus Archiepiscopis ante sacrati fuerunt. In qua peragratione complures Wallenses cruce signatos militiae christianae ascripsit, secumque ad bellum Hierosolymitanum perduxit.

Girald.Camb.



XLI. Re-

XLI. Reginaldus.





Eginaldus etſi poſt electionem improviſa morte abſorptus caruit conſecratione; tamen omnino non eſt praetereundus ſilentio: quoniam & praeter voluntatem regis electus eſt, & monachi, elatos animos adhuc non demittentes, in eo eligendo non arrogantiam ſolum, ſed & virulentiam ſuam, prodiderunt. Baldwino jam mortuo datae ſunt illico a rege ad priorem & conventum Cantuarienſem literae: Quibus eos rogavit, ut aliquem ſuo judicio probandum eligerent. Acceptis his cum tam laeto nuncio literis, incredibile dictu eſt quantum monachi geſtiebant. Sed, ut in improviſa beneque accepta novitate eſſe ſolet, dubitabant monachi, an ea, quae acceperant, quaeque vera eſſe maxime optabant, certane, an ſecus, eſſent. Hac incertitudine perplexi atque ſuſpenſi, de regiis literis deliberaturi convenere ter, antequam certi quicquam ſtatuiſſent. Interea Rothomagenſis Archiepiſcopus, qui poſt Elienſis Epiſcopi fugam a rege abſente praefectus regno fuit, de regis voluntate agit cum Epiſcopis. Hi Londinenſis Epiſcopi mandato, qui decanus habetur Cantuarienſis ſedis, Cantuariam convenerunt. Quorum adventu inter monachos ſuſpicio orta eſt, eos ex regis voluntate rem acturos. Clam itaque de Reginaldo Bathonienſi Epiſcopo, qui monachis confoederatus privati monachi habitum ſumpſiſſet, conſenſerunt. Cum Epiſcopis aderat Cantuariae Rothomagenſis Archiepiſcopus, praefectus regno; veneruntque ad priorem & monachos regis mandatum expoſituri. Prior in Epiſcoporum & conventus ſui praeſentia, regis per Rothomagenſem voluntate prius declarata, "Ecce, inquit, authoritate regia ex mandato veſtro parata ſunt omnia. In nomine ſanctae Trinitatis Reginaldum eligimus Bathonienſem." Quem praeſentem protinus apprehendunt monachi, etſi, ut aiunt, invitum, renitentem, plorantem, & clamantem; in eccleſiam violenter trahunt, & in ſede metropolitana, quaſi re bene geſta atque rata, ſtatuunt. Sedata aliquantulum hac monachorum inſolentia atque turba, Rothomagenſis, regis nomine, appellationem ab his monachorum geſtis interpoſuit; paucisque inde diebus, convocatis Londini Epiſcopis & regni proceribus, Bathonienſis a Rothomagenſi interrogatus eſt; an monachorum de ſe electioni conſentiret? Bathonienſis de ſua in regem fide atque obſervantia praefatus: "Monachi, inquit, matricis eccleſiae, ad quos ſpecialiter ſpectat electio, "perſonam noſtram elegerunt, renitentem & reclamantem, ut ipſi vidiſtis: nunc autem, quia quaeritis, quid ſentiam, dico vobis mente "munda ab omni contagione ambitionis; quod ſi ſuae electioni ſtare vo-

Hujus hiſtoria a Gervaſio ſumpta eſt.

Verba Gervaſii.

Verba Gervaſii.

" luerint monachi, anxius & invitus consentio: si vero resipuerint, gratulabundus cedo. Verumtamen, quia contumelias quorundam & minas " audivimus; prohibemus ex parte Dei & authoritate Cantuariensis electi, sub appellatione sedis apostolicae & anathematis interminatione, " ne Cantuariensi ecclesiae, vel Bathoniensi, aliqua praesumatis inferre " gravamina." Dixitque prior Cantuariensis: " Ab electione, quam tam " juste & legitime fecimus, non resipiscimus: sed unanimi consensu firmiter stamus; & ne quolibet molimine praepediatur, sedem apostolicam " appellamus."

VELOCES hac de re nuncii ad papam ab Archiepiscopo electo & priore missi advolaverunt. Quibus sine mora traditum illico pallium, & satis benigne confirmata est electio. Nulla res unquam a monachis felicius atque celerius Romae peracta est: Quae sane Romanae faecis atque αἰσχροκερδίας suspicione non caret; quod infimae & abjectae conditionis hominibus, cum regibus totiusque regni magnatibus non modo contendendi audacia, sed & vincendi spes, ingenita fuerit. Sed ipse Deus, omnis ultor contumaciae atque malitiae, hanc monachorum cum Bathoniensi conjurationem in ipso jam electo vindicavit. Interea enim dum Romae de mittendo pallio, & electione stabilienda agebatur; Reginaldus Bathoniam proficiscens obiit in itinere Dogmetsfeldiae, quae in Southamptonensi comitatu pagus est, decimo quinto die, postquam electus fuerat: Ipsoque Christi nativitatis festo cadaver ejus Bathoniam vectum, & sepultura conditum est. Cujus inexpectata mors tanto luctu a monachis plangebatur; ut, si divus Thomas jam eorum preces exaudiret, aliquidve tanto numine dignum praestare poterat; dubium non est, quin Reginaldus ad vivos a mortuis rediisset. Sed credibilius est Reginaldum, eodem sanctitatis praemio cum Thoma affectum, vivorum consortia penitus deseruisse, & mortuorum latebras sempiternas sectari. Hoc tempore Hugo Episcopus Cestrensis e Coventrensi ecclesia exclusit monachos, eorumque loco introduxit clericos saeculares: Sed Hugone mortuo, ejectis rursus clericis, monachi recepti ac restituti sunt.

Gervasius, Hoveden. Matt. Paris. hist. min. Radulph. de Diceto.

Lib. Roff.



XLII. Hu-

Ab An. Chr. MCXCIII. — Ad An. Chr. MCCV.

XLII. HUBERTUS.





NTER hás domi factiones atque partes, quas tanto ſtudio & ſedulitate ſectabantur monachi, Richardus rex, multis praeliis feliciter geſtis, Cypro & Acone captis, totaque Syria ſuperata, dum ad hos novos monachorum motus compeſcendos in Angliam properaret; ex Philippi regis Galliae, & Henrici imperatoris conjunctis & occultis inſidiis, ab Auſtriae duce in quadam civitatula, quae Gynacia nuncupatur, captus, & imperatori traditus eſt. Quibus conſtrictus difficultatibus, de Anglia tamen, quae jam tam regali, quam ſacerdotali, poteſtate careret, ſuſpenſus magis & ſolicitus, quam de ſe, fuit. His tot ſimul congruentibus malis exiſtimavit rex neminem citius faciliuſque ſuccurrere poſſe, quam Hubertum: Cujus & erga ſe fidem, & in rebus agendis ſolertiam, tam ex illa veteri cum Baldwino neceſſitudine, quam ex multis aliis argumentis domi militiaeque, perſpectam & cognitam habebat. Hic Hubertus in villa Weſtderehamiae in Norfolcia natus eſt: Educatus vero a Ranulpho de Glanville, praeclarae prudentiae viro, juriſperito, regnique generali procuratore: Decanus primo Eboracenſis, deinde anno primo Richardi regis a Baldwino, ut ante diximus, Sariſburienſis Epiſcopus ſacratus, ejuſque Hieroſolymitani itineris comes, ac teſtamenti haeres fidei commiſſarius, mortuoque Baldwino regi intimus, per quem omnia militaria & caſtrenſia negotia gerebantur, fuerat.

Florileg.

Wil. Nubr. lib. iv. cap. 3.

CUMQUE decanus eſſet Eboracenſis, emit a Galfrido Galfridi filio de Weſtdereham quicquid terrarum in eadem villa & pertinentiis habuit, vel habere potuit, cum pertinentiis, cum advocationibus eccleſiarum, & omnibus libertatibus, &c. Ex quibus Praemonſtratenſis ordinis monaſterium, pro ſuae, ut ait, patriſque ac matris, & Ranulphi de Glanville, & Bertrae uxoris ejus animarum ſalute, a quibus, inquit, nos nutriti ſumus, fundavit atque condidit: Quam conceſſionem eiſdem pene verbis, cum eſſet Epiſcopus Sariſburienſis, poſtea renovavit.

Ex chartis fundationis monaſteriorum.

HUNC igitur literis ad reginam Eleonoram matrem ſuam, & Rothomagenſem Archiepiſcopum, quem regno praefecerat, expeditum in Angliam quam celerrime proficiſci juſſit; ut turbulentum rerum ſtatum pacaret, & ſe redimi quam citiſſime curaret. Quam quidem ad rem etſi virtute ſingulari ingenioque polleret; tamen, ne authoritas illi tam gravia & difficilia munera obeunti deeſſet, Archiepiſcopum Cantuarienſem eum creari voluit: Quod ut fieret, & matrem Eleonoram & Rothomagenſem literis inſtanter rogavit. Ab his Epiſcopi regio nomine ſolicitati fidem dederunt, ſe hoc negotium invitis monachis curaturos. Scripſerat eodem tempore

tempore ad monachos rex, ut de pio Antiſtite Cantuarienſi eccleſiae praeficiendo convenirent; nec de Huberto mentionem ullam fecit: Id illi in eam partem interpretabantur, ac ſi eis rex libera electionis jura ſine quacunque interceſſione aut nominatione permiſiſſet. Sed rex, qui hoc invitis illis perficere nitebatur, rogare eos amplius noluit, a quibus, prioribus literis, *Gervaſius.* repulſam tam indignam tuliſſet. Regina jam & Rothomagenſis, convocatis Londini Epiſcopis, priori & conventui Cantuarienſi nunciarunt, ut quarto Kalendas Junii ad Cantuarienſem Archiepiſcopum eligendum adeſſent. Illi, cum de tacita regis voluntate ſuſpicarentur, veriti quid in tanto rerum diſcrimine contingere poſſit, Hubertum, inſignem prudentia & pietate virum, eligunt. Dieque ſtatuto prior in Epiſcoporum concione *Verba Gervaſii.* Londini Hubertum, "quo non viderent aliquem in Anglia praeſtantiorem," electum declarat. Res praeter reginae & Epiſcoporum expectationem accidit, ut eorum de Huberto eligendo conatus a monachis, quos ſolos obſtaturos putabant, juvaretur. Itaque Londinenſis Epiſcopus ſtupore affectus: "Bene, inquit, feciſtis, qui praeſentaſtis nobis noſtrum electum." At prior: "Nos, inquit, ad quos de jure ſpectat eligendi poteſtas, regiae "curiae noſtrum praeſentamus electum." Qua re tam feliciter ex omnium votis perfecta, miſſi ſine mora Romam pro pallio & legatina poteſtate legati. Hubertus interea in Mertonenſi coenobio monachatu initiatus eſt, *Ex Archivis. Willielmus Parvus. Hoveden. Gervaſius.* quo monachos Cantuarienſes, Baldwino familiari ſuo ob illius ordinis contemptum infenſos, commodius ſibi res grandes molienti devinciret. Poſtea de rege redimendo agit. Ad eam rem ex quadrante proventuum totius regni, rebuſque ſacris ac eccleſiis dedicatis venditis, tum Ciſtercienſium monachorum exacta lana, centum & quinquaginta marcarum millia *Ex Archivis.* congerunt: Quae aequiſſimis omnium animis tam inclyto regi liberando perſoluta ſunt. Richardus rex, redemptionis pretio & certarum conditionum obſidibus imperatori datis, captivitatis nexu ſolutus in Angliam feſtinat.

Florileg. INTEREA a Coeleſtino papa nuncii cum pallio & legatinae authoritatis mandato redeunt: Quibus anno Domini 1194. ſolenniter ſuſceptis, una cum archiepiſcopali & legatina poteſtate totius regni adminiſtrationem geſſit; & tam foro eccleſiaſtico Archiepiſcopus, quam laicali cancellarius, & criminalibus atque capitalibus judiciis ſummus Angliae juſticiarius, praeſidebat. Neque enim unquam in Anglia quiſpiam tanta atque hic imperandi coercendique poteſtate praeditus fuit. In qua tamen non *Gervaſius. Hoveden. Tho. Spottus. Wil. Neubr.* modo moderatus atque pius fuit, regiſque gratiam populique benevolentiam conciliavit; ſed etiam facinoroſos acriter caſtigavit, tumultus prudenter ſedavit, ſeditioſiſque atque conjurantibus fortiter reſtitit ac repugnavit: Ut difficile dictu ſit, quanta temperantia lenitatem cum ſeveritate permiſcuit. Willielmum quendam Longobardum leguleium atque factioſum, qui, in pendendo illo pro rege captivo redimendo tributo, cives Londinenſes atque plebem ad tumultum pene concitaverat, capite punit. *Gervaſius. Hoveden. Wilhelm.* Hic Willielmus, cum ea ſuaſione populi ſeditionem commovere non poterat, capeſſendam a vulgo aequalem atque parem cum ſuperioribus libertatem, & a cervicibus ſuis dejiciendam illam locupletum potentiorumque authoritatem, omni ſervitute intolerabiliorem, ſaepius pro concione praedicavit. Huic ingens plebis multitudo adhaeſit, quae eum ubique ſequuta eſt: Ut ipſi ſummi judices regnique conſiliarii eum ad ſe vocatum, tanta multitudine deterriti, dimittere cogerentur. Hinc tantos ſibi ſpiritus ar-

rogantiamque

Ab An. Chr. MCXCIII. — Ad An. Chr. MCCV.

rogantiamque ſumpſit, ut civem Londinenſem ſibi occurrentem trucidaret: Quo per urbem cognito, Willielmus undique armis petitus, &, multitudine ſua diffuſa atque diſſipata, cum concubina & octo ſociis in arcuatum templum actus eſt. Ibi ſe tanquam in aede ſacra, unde quenquam vi eximi nefas eſſet, diu continuit; donec Huberti mandato flammis templo adhibitis ultro exivit. Tum deprehenſus, & tam atrocis concitationis reus judicatus, per plateas civitatis equorum caudis ligatus, & ad Londonienſem turrim tractus, laqueo gula circumducto, a furca paululum pendebat; illico praeciſo laqueo ſemivivus demiſſus; viſcera ei & inteſtina evulſa ſunt, capiteque amputato corpus in quatuor partes diſſectum eſt. Qui cum eo ad arcuatum templum confugerunt, laqueis a patibulo gula pendentes ſuffocati ſunt. Hunc tam gravi ſupplicio damnatum inſana plebs ut martyrem diu colebat, corporiſque membra atque oſſa ut ſanctas reliquias venerabatur. Conjuratorum cum eo numerus multorum millium fuit; qui Huberti moderatione & prudentia depoſitis armis pacati ſine ſupplicio ad ſua ſeceſſerunt. Ita, conjuratione deleta, de ducibus ſumpta poena, & multitudo ſervata eſt: Nec minus ſolers atque ſagax Hubertus fuit, in Johannis comitis contra regem fratrem jam captivum ſentiendis & antevertendis inſidiis. Nam rege capto Johannes, contra fraternam neceſſitudinem & fidem datam, cum Philippo Galliae rege foedus, idque jurato, inierat. Quo nequiter ſtabilito, Philippus regi, in imperatoris cuſtodia vigilantiſſimi ſervato, ſine ulla cauſa bellum denunciavit. In illa impia confoederatione pactum eſt, ut, ſuſcitatis una & undique ad bellum inferendum copiis, Gallus Normanniam, Johannes Angliam, ſubito occuparent; ut, nulla reſpiratione aut intercapedine data, captivum adhuc regem & Angliae regno, & Gallicarum regionum dominio prorſus exuerent. Sed tam ſceleratis inceptis obſtitit, regemque abſentem juvit, ſumma ſubditorum per Hubertum conciliata retentaque fides & obſervantia. Johannes caſtrum Windeſor, ejecto Elienſi Epiſcopo regnique cancellario, tenuit; id militibus copiiſque clam inſtruxit ſuis; eas copias poſt bellum in Syria geſtum doloſe ſubtraxit fratri; auxilia a Belgis, Cambris, & Scotis expectavit. Belgae jam copioſa claſſe ad Anglicanas oras appulerant ipſis paſchalibus feriis; ſed confluente omnium ordinum, nobilium pariter & ignobilium, infinita multitudine atque turba a litore prohibentur. Itaque mutata velificatione & converſa puppi diſcedunt. Cambri Kingſtoniam praetergreſſi, cum ad caſtrum appropinquarent, annonae caritate praedae ſe dabant, agros vaſtabant; jamque fame pene enecti, ſine ordine palantes, a populo fugati & exacti ſunt. Scotus auxilium plane denegavit. Hubertus interea quamcunque cogere potuiſſet pecuniam ad reginam miſit, qua exercitum inſtrueret. Ipſe Weſtmonaſterii cum Epiſcopis & Praelatis conſilium inivit, in quo comitem Johannem anathema pronunciavit; niſi hoſtilitate adverſus regem depoſita delictum agnoſceret, & in regis gratiam ſuppliciter redire ſtuderet. Regina jam copioſum exercitum paraverat, ei Rothomagenſem ducem praefecit. Is caſtrum Windeſor, quod vincere potuiſſet, longiore obſidione tenere ſuſpicabatur, quod Normannis quibuſdam in eo militibus pepercit. Praeterea parum regi fidus putabatur, quod poſt Huberti adventum regni adminiſtratione motus fuerit. Itaque regni proceres fide in regem integri, animiſque infracti, abjecta Rothomagenſis procraſtinatione & tarditate, ſe accingunt, & Johannem hac conditione ad caſtri deditionem compellunt, ut milites ſalvi diſ-

Ex Archivis.

Wil. Neubr. Florileg.

Hoveden.

Wil. de Burg.

cedant. Quo concesso ipse in Gallias profugit, & Philippo regi turpiter adhaesit. Philippus interea Gisortium in Normannia, proditione magis quam virtute, cepit. Deinde Rothomagum acceleravit. Sed advolans citius Leycestriae comes regem antevertit, civiumque animos firmavit. Regique advenienti patefiunt portae civitatis: quas cum ingredi vellet, fundis & sagittis ex urbe jactis, tum aqua ferventi immunda atque turbida ab ipsis mulierculis, civitatis moenia in virili amictu tenentibus, in milites effusa, tam ignominiosam & turpem repulsam perpessus est; ut, deserta penitus Normannia, ad suam regionem cum infamia festinaret. His itaque duobus intestinis tumultibus, periculi atque discriminis plenis, prudenter aversis & profligatis, regeque liberato, primus Huberti consecrationis annus optimis auspiciis transactus est. Jamque regis adventus a regina matre, & regina sponsa, ab Huberto omnia moderata & secunda juxta regis desiderium gerente, & a cunctis ordinibus regi obsequentibus, avide expectatur. Interea perfectis istis feriis ante regis adventum interponamus jocosa. Omnes jam ordines adventanti regi occurrunt. Inter quos Galfridus Eboracensis Archiepiscopus, regis, ut ante diximus, ex illicito coitu frater, cum in itinere cruce ante se lata Cantuariensem provinciam attingeret, regia via progredi cum cruce metuit. Itaque, ne crucem videretur deponere, per devia atque dumos progressus crucem magnifice gestans, Sandwici, quo rex appulerat omnesque concurrebant, ei obviam dat. Id Hubertus aegre tulit, & de injuria illa cum rege conquestus est. Rex has sive nugas, sive minutas controversias, a se ad papam transtulit. Idem Galfridus in Episcoporum conventum, qui de Huberti electione Londini habitus est, ante cum cruce gloriosius venerat: Cui, a Roffensi Episcopo graviter & acute reprehenso, omniumque clamoribus cum cruce exploso, a nemine assurrectum est. Tum vero in plateis incessit cum cruce magnificentius, adulterina sua nobilitate & cognatione fretus. Sed minis civium, quos fastu suo incenderat, & consilio magnatum, qui regis causa ei prospexerant, crucem deposuit; &, ne vi rumperetur, aut adimeretur, abscondit. Controversia etiam inter Londinensem & Roffensem Episcopos, cum Hubertus pallium crucemque susciperet, de inthronizatione mota est. Inthronizandi enim jus Londinensis ut decanus, Roffensis ut capellanus, Archiepiscopi sibi vendicavit. His autem litigantibus interponunt se monachi, suumque jus asserunt esse: Tum totus Episcoporum coetus instabat, & ad se tam inthronizationem, quam consecrationem, spectare affirmabant. Hac dissensione turbata aliquantulum pallii suscipiendi ceremonia fuit. Tandem sic composita lis est: ut, in throno sedentis Episcopus Londinensis, pallium autem suscipientis Episcopus Roffensis, Archiepiscopi dextras occuparet. Sed his omissis ad regem redeamus.

Florilegus. Wil. de Burg.

Gervasius.

PAULO ante regis adventum missae a comite Johanne ad confoederatos literae; quibus interceptis Hubertus castrum Marleburgense, quod erat comitis, obsidione cepit, exercituque disposito & ad obsidendam Notinghamiam locato, regi occursum redit: Qui Roffae obvii, mutuis se amplexibus lacrymantes tenuere. Tum Notinghamiam properant, urbemque ac castellum capiunt: Conciliumque totius regni eo regis jussu coactum est; in quo Hubertus dextras, & Galfridus Eboracensis sinistras, regis tenuerunt. In eo concilio, amputatis omnium dissensionum causis, motibusque pacatis, omnia, quae rex vendiderat, aut leviter concesserat ante

Ad An. Chr. MCXCIII. | Ad An. Chr. MCCV.

ante bellum Syriacum, reſtituta ſunt. Hugoque Dunelmenſis, de quo in Baldwini vita antea diximus, Northumbriae comitatu reddito, comes eſſe deſiit, & in Epiſcopatum reverſus eſt. A rege autem poſtulatum eſt; ut, quoniam captivitate, quae ſervituti aequiparatur, regalia jura videbatur amiſiſſe, diadema ſibi imponi, ſceptrumque tradi denuo permitteret: Cui libenter aſſenſus eſt. Ad eam rem Wintoniae ab omnibus ordinibus mira celebritate conventum eſt. Ibi ab Huberto Cantuarienſi Archiepiſcopo diadema atque ſceptrum iterum ſuſcepit. Poſtea, reipublicae cura illi commiſſa, navem Hamptoniae conſcendit, & in Normanniam trajecit. Hubertus Londinum reverſus eſt, ibique Herebertum, Cantuarienſem archidiaconum, Sariſburienſem Epiſcopum ordinavit. Paulo poſt Hugo Dunelmenſis obiit, "cui mundus non crucifixus, ſed infixus, fuit." Huic Philippus ſucceſſit. Hubertus, ut aiunt, accinctus gladio, ut Eboracenſis faſtum & arrogantiam minueret, venit Eboracum. Ibi tam eccleſiaſtica, quam temporalia, exercuit judicia, totamque Eboracenſem provinciam ad nutum redegit ſuum. Sed Galfridus Eboracenſis Archiepiſcopus Romam advolavit; ut ſe ſuamque provinciam ab Huberti poteſtate eximeret: Ibi nihil profecit. Tum ad regem fratrem in Normanniam venit, cujus aures nunquam cuiquam contra Hubertum querenti patefactae ſunt. Itaque, inani labore ſumptuque ſuſtentato, domum reverſus eſt. Hubertus eodem anno Gloceſtriam viſitavit. Ibi Robertum abbatem de **Thornay**, in ſua praeſentia conſtitutum, dignitate privavit. Is provocavit ad papam: Sed ſpreta appellatione Hubertus legatinae & metropolitanae ſuae juriſdictioni adhibens ſaecularem, eum anno & ſemeſtri tempore carceribus & vinculis Gloceſtriae tenuit. Huberto jam omnes, tanquam regis & papae vicario, parebant. Iſque, ne fide erga regem deeſſet, novam juramenti formam deſcripſit; qua in toto regno pervulgata cunctos aſtrinxit, ut pacem regis totis viribus ſervarent. Sub haec tempora Cambri refertis agminibus erumpunt in Angliam, praediſque ac incendiis agros & oppidula vaſtant. Hos Hubertus, collectis quam celerrime militibus, in ſuas regiones fugavit & coegit. Tum caſtellum de **Poole** obſidione cepit, & inſtruxit militibus. Ab hac autem Cambrorum fuga rediens Johannem de Conſtantiis Wigornienſem Epiſcopum electum Stratfordiae conſecravit. Hubertus, toto biennio ſummos tam in eccleſia quam in republica Anglicana gerens magiſtratus, invidia jam, quae ſecundarum rerum comes eſt, multorum coepit flagrare. Ad eam vitandam callide, hac diſſimulatione, regis de ſe ſenſum tentavit. Egit cum rege nunciis atque literis defeſſum ſe jam eſſe atque imparem tanto oneri ferendo; nec valere regnum ſimul cum eccleſia adminiſtrare: ideoque ſe vehementer cupere, ut regni negotia alteri delegarentur, ut eccleſiae gubernationi diligentius poſſit proſpicere. Rex hoc primo tulit gravate; quia nemo ſimilis ei in regni jure deſcribendo & conſervando fuerat: Sed tamen precibus tanta ratione nixis rex conceſſit; multum laudata illius diligentia & fide in adminiſtrando officio; quod corpore debili & valetudinario fuiſſet. Hubertum jam ſuus dolus fefellit; qui expectavit, ut rex invitum eum in regni adminiſtratione retineret. Itaque poenituit eum hujus tam facile citoque impetrati poſtulati. Expertus enim eſt, quod "in cuſtodiendis illis eſt retributio multa." Ut igitur, quod imprudenter fecerat, conſultius vitaret; antequam adminiſtrationem deponeret, collectis jam ſuis rationibus, quas regi reddere paraverat, ad regem ſcripſit; ſe illo biennio ad opus

Verba Will. Parvi.

Hucuſque ex Gervaſio & Wil. Parvo. Walt. Coventren. Rog. Hoveden. Gervaſius.

Ex Archivis.

Verba Walt. Coventren.

opus regis ex Angliae regno acquiſiviſſe undecies centena millia marcarum: Itaque, ſi opera diuturnior ſua regi placere poſſit, non ſe laborem recuſaturum; ſeque curaturum, ut ne ſenectus ſua quanquam ingraveſcens impedimento ſibi in hujuſmodi negotio fiat. Hubertus, etſi prudens atque placabilis, hoc tamen indicio ambitionem & cupiditatem oſtendit ſuam. Neque enim noſtri fuit inſtituti in Huberto deſcribendo, virum bonum, ſanctum, aut Evangelicum, ſed prudentem utilemque regi ac reipublicae magiſtratum, proponere: Qui longe majori uſu & peritia in aula, foro atque caſtris, quam in eccleſiis, fuerit.

Id quod ex Giraldi, de quo in Baldwino antea diximus, teſtimonio ſatis liquet. Qui, cum in eum ante ſcripſiſſet acerbius, & tam latinae linguae, quam literarum, inſcitiam, varias mercaturas, regiique ſigilli, cui praefuit, abuſum, liberius metro taxaviſſet; ea cuncta, potius malignitate famae conficta, quam a veritate profecta, revocavit, his verbis: "Ut Girald. " enim ea, quae de ipſo vere dici ac ſcribi poterant, paucis aperiam. Erat itaque vir ille, vir animoſus ac ſtrenuus, & inter virtutes varias incomparabiliter dapſilitate conſpicuus: Unde, ut ad animi magnitudinem res illi ſuppeterent & facultates, fuit in acquirendo modis omnibus ſolicitus nimis & curioſus. Attamen erat hic principis fraenum, & tyrannidis obſtaculum, populi pax & ſolatium, majorum pariter & minorum, ſuis diebus, contra publicae poteſtatis oppreſſiones in neceſſitate refugium." Haec ille.

Neque enim, ſi verum indicare volumus, in republica chriſtiana quicquam ſani atque integri ſaeculum illud tulit: Fictaque & adumbrata religionis ſpecie propoſita, totus clerus in ſceleribus, muneribus, honoribus & rapinis, neglecto penitus verbo, impune volutabat. Hujus mali origo ab hoc profluxit; quod, contra orthodoxorum Patrum decreta, clerus
Ex frag. quodam veteri. nimium mundanis ſe negotiis immiſcuit. Nam & eodem tempore eccleſiae Paulinae Londonienſis decanus aerarii regii cuſtos fuit, ſive, ut vocant, theſaurarius: Is eo fungens officio ingentem clam theſaurum coacervavit: Tandem in lethalem morbum incidit: Cumque jam valetudinis nulla ſpes eſſet, ab Epiſcopis & magnatibus admonetur de ſumendo corpore Chriſti; quo audito cohorruit, remque conſulto diſtulit. Quod illi mirati regem rogant, ut ad ſacramenti perceptionem eum compelleret. Accedens rex eum rogavit, monuit, atque juſſit. Is ſe id facturum craſtino promiſit. Interea ad teſtamentum condendum monitus eſt. Ad quod paratus, exire, praeter unum ſcriptorem, caeteros voluit. Is teſtamentum ſcripturus, expectans quid decanus dictaret, ex more teſtamentorum ſic orſus eſt: "In nomine Patris, & Filii, &c." Quod cum decanus
Willielmus Parvus. comperiſſet, iratus juſſit id deleri, & haec verba tantum ſcribi: "Lego omnia bona mea domino regi, corpus ſepulturae, & animam diabolo." Quo dicto expiravit. Rex cadaver illius juſſit curru exportari atque in amnem projici & demergi. Cujus generis exempla idcirco proferenda ſunt: ut deterreatur a vectigalibus regiis exigendis & civilibus publiciſque occupationibus clerus, & Evangelio propagando praecipue ſtudeat ac incumbat. Huberti autem ſaeculo omnium pene rerum poteſtas penes clerum fuit. Nec civilia ſolum, ſed & bellica, officia ſaepe gerebant. Hinc & illud ſcitum dictu eſt: Quod, cum in bello cum Gallis geſto Richardus rex Bellovacenſem Epiſcopum tanquam exercitus ducem cepiſſet, eum diu compeditum tenuit, ne armis quidem, quae in bello geſſerat, exutum:

exutum: Pro quo papa intercessit, ac mirari se scripsit, cur tam duriter & acerbe dilectum suum filium Bellovacensem Episcopum tractaverit. Richardus, illico detracta Bellovacensi Episcopo lorica, & missa per legatos, interrogavit papam: "Nunquid haec est vestis filii tui?"

Atque hoc in loco curiosis & nimis exquisitis cleri jam censoribus commode respondere possumus. Queruntur abesse eos a judiciis consiliisque regni publicis, tum a negotiis muneribusque reipublicae abstinere: Olim vero, cum Episcopi & viri ecclesiastici rempublicam capessebant, & collegia extructa, & uberiora ab his merita in laicos longe, quam jam, profecta fuisse. Quibus de rebus ut aequiores cleri judices esse possint: Intelligendum est, haec, de quibus nunc tractamus, tempora in cleri conditione atque statu ab his nostris longe aliena & diversa fuisse. Ecclesiastici tum viri administrabant omnia, non ecclesiastica solum, sed civilia, saepe etiam ipsa bellica, officia. Cum Urbanus quintus papa, tempore Simonis Langham Cantuariensis Archiepiscopi, mandaret, ut de his, qui plura ecclesiastica beneficia contra canonica decreta simul possiderent, inquisitio in Anglia haberetur; compertum est clericos fere omnibus curiis & tribunalibus regiis fuisse praefectos; inter quos saecularia regis munera distributa fuerunt: his ecclesiastica beneficia, quibus animarum cura annexa non fuit, confertim & cumulatim accessere. Ex quibus cum quidam cancellarii, quidam justiciarii, quidam thesaurarii regni essent, aliique in singulis foris regiis alia regis munera negotiaque procurarent; percipiebant ex praebendis dignitatibusque ecclesiasticis, quibus animarum cura non imminebat, proventus annuos ducentarum, trecentarum, aut quingentarum, saepe etiam mille librarum. Alii etiam beneficia ipsa curata, ut aiunt, coacervabant, & saepissime quinque, decem, viginti, ac nonnunquam plura tenebant: Ut in veteribus monumentis, in quibus tam clericorum quam ipsorum beneficiorum nomina, una cum eorum locis atque parochiis, sigillatim descripta sunt, abunde declaratur. In hac bonorum exuberantia, tum honorum atque munerum tantorum dignitate atque fastu, quid clero esse potuit lautius, aut elatius? Nihil enim eis ne ad regalem magnificentiam defuit. Qua sane affluentia & elatione jam inflati atque tumidi, anno tertio Henrici regis tertii, a civilibus magistratibus honoribusque semoti sunt, instigantibus hoc atque flagitantibus illustribus viris laicis, quibus eadem munera commissa sunt. Sed isti laici tam perperam rem gesserunt, &, extenuatis regiis publicis vectigalibus, ac in suam rem versis, tanto detrimento reipublicae fuerunt; ut eidem regi, adhibitis sibi in consilium viris moderatis ac prudentibus, necesse fuit clericos in pristinis muneribus collocare; quia, quae per eos gerebantur, & regi & subditis commodiora multo ac utiliora fuerunt. Sed ut cuivis, si libeat, liceat plebeianae ac vulgaris orationis inconstantiam & mutabilitatem admirari: His ipsis praesentis argumenti temporibus extiterunt ex singulis ordinibus nonnulli, qui clerum tum hoc nomine acerrime taxarunt; quod, qui ad illum divinitatis gradum, quo nihil in humana vita sanctius censeri debet, evecti essent, saecularibus negotiis tanquam servilibus operis impedirentur, & in pecuniariis ac fiscalibus, a suae vitae dignitate alienissimis, rebus, a divinis abducti haererent. Ex quibus quidam, ut ex decani illius Paulini exemplo patet, conscientiae atque animae jacturam naufragiumque passi sunt. Cujus generis exempla, etsi repeti ex monumentis

Vide Regist. Langham. fol. 12.

Vide Peckham. fol. 22.

Ex alb. lib. & regist.

Ex regist. Simon. Langham. fol. 12. & in alb. fol. 22.

Wil. Neubr. Verba authoris.l.iv.c.4.

mentis multa possent, silentio tamen, ne historiam multitudine ac prolixitate turbemus, praetereamus. Cujusdam saltem authoris verba, qui, cum omnium rerum tam civilium quam ecclesiasticarum potestas penes clerum erat, scripsit, verba recensenda sunt. Is de Dunelmensi Episcopo Hugone, quem in Baldwino antea tetigimus, quod immiscuit se temporalium negotiorum procurationi, his verbis facit mentionem: "Idem officium, nempe procuratoris regni, Dunelmensi Episcopo, nec obluctanti, "a rege commissum est: qui nimirum proprio contentus officio, divini "juris multo decentius, quam humani, minister extitisset; cum nemo "possit utrique, prout dignum est, deservire; atque illud dominicum "ad Apostolos, "Non potestis Deo servire & Mammonae," maxime suc-"cessores Apostolorum respiciat. Si enim velit Episcopus, ut coelesti "pariter & terreno regi placeat, ad utrumque se officium dividere; certe "Rex coelestis, qui sibi vult ex toto corde, tota anima, tota virtute ser-"viri, ministrum dimidium non approbat, non diligit, non acceptat. "Quid si Episcopus nec saltem dimidius, quae Dei sunt, & decent Epis-"copum, exequatur, sed vices suas indignis & remissis exequutoribus com-"mittat, ut terreno vel foro, vel palatio totus serviat? Nam nec terreni "principis ratiocinia quisquam dimidius sufficienter administrat." Hactenus ille. Cujusmodi quidem sententiis & exemplis admonemur illam assiduam clericorum in mundanis atque civilibus rebus operam atque curam, quae tardiores eos & ineptiores ad divina facit, esse omni oratione reprehendendam; & valde iniquam esse querimoniam eorum, qui eos notant, quod se saecularibus non immiscent, eosque a divinis, quibus incumbere totis viribus debeant, revocare studeant. Quorum conatus non minus inanis & inutilis ecclesiae censeri debet, quam eorum, qui a quacunque administratione, & rerum ad bene vivendum necessariarum copia clericos, tanquam mercenarios, ad inopiam & infamiam obtrudere vellent. Nam & satis superque eis ad vitam honeste decoreque degendam suppeditari convenit, & his reipublicae muneribus, quae sine ecclesiae detrimento tractare atque exequi commode possunt, vacare debent: Ut ea solummodo in hac re, tam a principibus, quam ab ipsis clericis, teneatur moderatio; ne his negotiis adhibeantur, quae ab ordine suo alienissima judicentur: deinde ut ea, ad quae advocantur, sic exerceant, ut, ecclesiae cura non deserta aut neglecta, Deo maxime placere; deinde utiles reipublicae cives esse, studeant.

Archivi.

Richardus monachus. Willielmus Parvus.

Sed ut, his missis, de Huberto ea, quae omnes historiae produnt, referamus. Etsi in illam aetatem incidit, quae caeca & AEgyptiacis tenebris plena fuit; tamen & regem & patriam amavit, & saluberrimarum legum ferendarum suasor regibus Richardo & Johanni fuit. Cujus consilio illa de vini, olei, & panni ponderibus ac mensuris, necnon de panis aestimatione, quam Assisam vocant, statuta promulgata fuerunt. Nec aliud in eo vitium, praeter ea, quae illa tulerant tempora, in quibus religionis sensus extinctus fuit, regnabat, quam, quae maxima plerumque occupat ingenia, ambitio, honorisque cupiditas. Cujus sane studio, ut ne populi praeconio careret, nihil humile aut minutum cogitans turrim Londinensem & ingenti muro, & fossa, qua aqua undique duceretur, cinxit: domum Praemonstratensium dictam Derham construxit: Coenobium Cisterciensis ordinis Wulferhamptoniae inchoavit: Quod morte abductus non absolvit.

Ab An. Chr. MCXCIII. — Ad An. Chr. MCCV

abſolvit. Archiepiſcopatum autem & magnificis aedificiis decoravit, & multis proventibus ac praediis locupletavit. Praeterea ampliſſimis & ſecuriſſimis privilegiis, quae priſtinis antiqui Anglici juris vocabulis Geld, Danegeld, Hidagium, pecunia pro murdro, opus pontium, caſtellorum, parcorum, clauſurarum, auxilium pecuniae pro exercitu, Wardpeni, Blodwite, & Childwite, & Villenagia nuncupantur, non ſuas tantum poſſeſſiones & praedia, ſed & monachorum, firmavit. In familiae autem copia & ſplendore ipſos regios ſumptus pene adaequavit. Ad quae tot tantaque tam publica, quam privata, negotia, eccleſiaſtica ſua munera ſufficere haud potuiſſent, niſi & civilia adjunxiſſet. Nactus eſt praeterea ex conceſſione regis, impuberum eorumque, qui in minori eſſent aetate, curationes ac tutelas: Quos a rerum ſuarum adminiſtratione & agnatorum haereditatibus diutius abſtinere fecit, ut fructus medii in ſuam commoditatem lucrumque cederent. Sed hunc tanta regis, papae, Praeſulum, magnatum, omniumque ordinum gratia & felicitate fluentem & abundantem ſoli Cantuarienſes monachi compreſſerunt: Quorum dolus peritiſſimos, audacia potentiſſimos, ſuperavit. Quod ut intelligatur, ad illam de Hackingtonenſi eccleſia narrationem in Baldwino commemoratam, & hunc in locum rejectam, redeundum nobis eſt. Hubertus ad regem in Normanniam profectus eſt: Ibi de regni negotiis ſermone ſecreto habito, & exigui temporis mora ducta rediit in Angliam. Poſt reditum illico ad Cantuarienſes monachos tam regio, quam ſuo nomine miſit Walthamenſem, Readingenſem, & Certeſeienſem abbates. Hi molli ſermone tam regis, quam Archiepiſcopi, in Cantuarienſem eccleſiam merita expônunt: Optandum eſſe aiunt, ut monachi utrique ſuam viciſſim obſervantiam oſtendant: Unam rem eſſe eamque facilem, in qua de rege & Archiepiſcopo optime mereri ſimul poſſint; ſi eccleſiam a Baldwino Lamethae inſtitutam, ejuſque morte ac temporum difficultate intermiſſam, jam ſine controverſia perfici & ad exitum perduci ſinant: Cupere enim valde tam regem, quam Archiepiſcopum, omnibus tam ſecundis ſibi & regno a coeleſti Numine praeſtitis, ut aliquod opus inſigne atque celebrandum Deo Sanctiſque dedicaretur. Hoc accepto nuncio, monachi vix dato reſponſo, tanquam rerum fortunarumque ſuarum omnium occaſus & interitus immineret, acti furiis, illico capitales ſuſcipiunt cum Huberto inimicitias, & in contumelioſiſſimam appellationem erumpunt: Eamque, ad papam quam celerrime delatam, hujuſmodi calumniis refertam conſarcinarunt: Omnium jam calliditates & in eccleſiam Cantuarienſem injurias, etiam ipſius Baldwini, hunc Huberti conatum anteire: Civilibus illis officiis & muneribus a diſciplina & cura eccleſiae abduci eum penitus & avocari: Ejus rei argumento eſſe, quod contra jura eccleſiaſtica & immunitatem eccleſiae civilia & criminalia judicia in eccleſia cathedrali Eboracenſi exercuerat; quod Willielmum Longoberdum ex arcuato templo vi eximi mandavit, eumque capitali ſententia damnavit; quod in militia & caſtris dux, author chriſtiani ſanguinis fundendi ſaepe fuerit: Non eſſe ſperandum, ut is rei eccleſiaſticae proſpiciat, niſi authoritate papali ſe abdicare omnibus civilibus magiſtratibus compellatur, & eccleſiaſtica juriſdictione fungenda ſeptus concluſuſque teneatur. Hac appellatione provocatus papa ad regem & Archiepiſcopum ſub anathematis interminatione ſcripſit, ut tam cancellaria regia, quam criminali capitalique tribunali, moveatur. Tum, ut eccleſia Lamethae inchoata, penitus expenſis

Ex Archivis.

Gervaſius.

Richardus monachus.

Archie-

C. Cum ex injuncto lib. v. De novi operis nunciatione.

Archiepiscopi diruatur, &, si qui ibi divina celebraverint clerici, ab officio clericali suspendantur: Quod papae rescriptum inter decretalia jura retulit Gregorius. Ita, rege & Archiepiscopo invitis, Archiepiscopus civilibus magistratibus exuitur: Sed de ecclesia Lamethana instabant. Ad papam veloces ab omnibus tam rege quam Episcopis nuncii literaeque mandantur; monachis conditiones aequissimae offeruntur: Nihil acturum

Gervasius.

Archiepiscopum, quod Cantuariensi ecclesiae praejudicium possit generare. Quorum petitio neque a monachis accepta, neque a papa audita, fuit. Dirui invisam hanc monachis capellam necesse est. Novum consilium initum est; ut ex hujus destructae ecclesiae pulvere altera Maidstoniae suscitaretur. Id etiam a monachis anteversum est: Qui tanta vehementia & ardore hanc litem persecuti sunt, ut hoc ad suum exitium inceptum opus ita deleretur, ut nullam non modo memoriam, sed ne suspicionem sui relinquere possit. Hubertus, invicti animi peneque invictae authoritatis vir, monachorum pressus angustiis cessit. Monachi etsi Romae tam rege quam Archiepiscopo potiores fuerant; tamen cesserunt tandem aliquantulum de jure suo. Itaque arbitrio postea his conditionibus

Florileg. Hoveden. Willielmus Parvus.

conventum est: Ut ecclesia Lamethae extrueretur; quae tamen jacienda non erat super fundamenta operis demoliti: Ejus ecclesiae redditus & proventus annuus non amplius quam centum librarum censeretur: In ea canonici viginti instituendi: Sed in ea sacros ordines, Episcoporum consecrationes, abbatum benedictiones, chrismatis confectiones, Archiepiscopus non celebraret. His itaque tam indignis modis Hubertus a monachis victus & dejectus est. Postea Galfridus filius Petri, Essexiae comes, summus justitiarius Angliae, qui criminalia & capitalia, ut diximus, moderatur judicia, a rege institutus est. Impetravit hoc tempore Hubertus ma-

Ex Archivis.


nerium de Lametha, quod ab Episcopo & monachis Roffensibus, ut in Baldwino ante diximus, terrarum permutatione acceperat, sibi & successoribus suis a Richardo rege confirmari in perpetuum: Eandemque postea confirmationem a Joanne rege obtinuit. Hubertus, deposito magistratu civili, ecclesiae curae totus vacabat: Consecravitque postea Robertum de Salopesberia Episcopum Banchorensem, & Eustachium, qui in cancellarii munere ei successit, Eliensem Episcopum, Westmonasterii, debita accepta ab utroque subjectionis professione: Postea que Galfridum Coventrensem Cantuariae similiter professum. Interea invictus & pius rex Richardus a Pictaviensibus in Gallia ictus balista moritur. Ei Johannes frater successit, & ab Huberto diadema suscepit Londini decimo Kalendarum Junii

Florilegus. Matt. Paris. Chron. major & minor. Hoveden.

1199. Sub haec tempora scripsit ad Hubertum Eugenius papa de decimis, quae ante indistincte, ex voluntate laicorum, quibusvis clericis pendebantur, ne fraus ulterius fiat, soli parocho, in cujus parochia praedia possident, integre persolvendis. Quo etiam anno Gulielmus, genere Normannus, ecclesiae sancti Pauli canonicus, Westmonasterii ab Huberto Londoniensis Episcopus consecratus est. Hubertus, etsi jam sine publico magistratu esset, tamen ob anteacta in rempublicam merita non minus fuit populo, quam ante, gratiosus. Sed a rege alienior; quod illius in fratrem & rempublicam conatus, ut ante diximus, fortiter prudenterque fregerat.

Florileg. Matt. Paris. Chron. major & minor.

Sequenti autem anno Isabellam, quam rex Johannes uxorem duxerat, reginam Westmonasterii consecravit; ac paulo post Maugerium Wigorniensem, Johannem Norvicensem, & AEgidium Herefordensem, Episcopos Westmonasterii sacravit. Eodem etiam anno Johannes rex Christi diem natalem



Huberti Walter.

Ad An. Chr. MCXCIII. — Ad An. Chr. MCCV.

natalem magno apparatu Guilfordiae celebravit; multaque miniſtris ac militibus ſuis munera diſtribuit, & ſplendidis indumentis, quibus ab aliis dignoſci poterant, ornavit atque diſtinxit. Quod & Hubertus, cujus, ut diximus, familiae lautities a pari cum rege contendebat, Cantuariae fecit. Id rex in ſuam contumeliam factum eſſe putavit. Itaque inviſum Archiepiſcopum atque ſuſpectum habuit. Sed poſtea rex ab itinere boreali, quod in Northumbriam ſuſceperat, reverſus, cum Iſabella regina venit Cantuariam ad Hubertum Archiepiſcopum: Ibi in feſto Paſchae diademata regia ſolenniter geſtarunt; quibus Archiepiſcopus Hubertus "copioſas, ne dicam "ſuperfluas, miniſtravit expenſas." Cum tamen perſpexiſſet, quanta fides, & in regiis procurandis negotiis induſtria cum animi magnitudine conjuncta in illo fuerat; tum quanta authoritate cunctis regni ordinibus emineret, conciliatum ad ſe vocavit, & in Normanniam properans cuſtodem regni reliquit. Deinde ad eccleſiam de Feverſham rex praeſentavit archidiaconum Wellenſem. Sed intercedebant abbas & monachi coenobii de Feverſham eam eccleſiam ſuae donationis atque collationis eſſe. Itaque monachi manu militari, ſervata eccleſiae cuſtodia, archidiaconum ingreſſu prohibent: tum appellatione querelam ad papam deferunt. Rex ad Archiepiſcopum ſcripſit. Is cum abbate & monachis vehementer agit, ut regi parerent. Monachi, Cantuarienſium monachorum exemplo incitati, eo duriores fuerunt, quo magis ab Archiepiſcopo rogati fuerunt. Spes illos certiſſima tenuit, regem & Archiepiſcopum papalibus mandatis in hac cauſa ſibi ceſſuros. Rex incenſus mandat monachos e templo flammis exigi: ſed poſtea, mitigato hoc praecepto, juſſit eos a vicecomite Cantii manu militari vi abſtrahi. Is juſſum regis peregit, & armato milite complet eccleſiam. Archidiaconus etiam Cantuarienſis monachos vi tenentes eccleſiam excommunicavit, araſque, tanquam hac vi execratas, diruit, eccleſiae divinis uſibus interdixit. Iterum ad papam monachi appellant. Quo audito Hubertus ita perterritus eſt, ne rei eventus in ſe recideret; ut regem obnixe rogaret, ne cum monachis amplius contenderet, utque omnia ablata reſtitueret: Quod rex Huberti ſuaſu conceſſit. Tum archidiaconus ſua decreta laxavit & revocavit. Ita monachi omnium pene juriſdictione legeque ſoluti animos extulerunt.

Florileg. Matt. Paris.


Tho. Spottus.

HUBERTUS, poſtquam undecim annis octo menſibus ſediſſet, cum Roffam ad conciliandos cum Epiſcopo monachos proficiſceretur, gemina febri percitus eſt; divertitque ad manerium de Tenham; ibi aeger quatriduo animam efflavit. Sed corporis aegritudo neque animi pietatem, neque memoriam, labefactavit: Cujus rei fuit indicium, in ſumma aegritudine, de bonis ſuis legitima piaque teſtatio. Morte tamen ejus nunciata, rex gaviſus, arrepto Cantuariam itinere, in haereditatem ejus invaſit, bonaque omnia cepit: "Sum, inquit, nunc tandem rex Angliae." Cadaver ejus Cantuariam traductum, & in chori pariete ad auſtrum poſito conditum eſt, anno 1205. tertio Idus Julii.


Richardus monachus continuator Radulphi Nigri. Archiv.

Ab An. Chr. MCCVII. — Ad An. Chr. MCCXXVIII.

XLIII. Stephanus Langton.



Matt. Paris. Chron. major & minor. Florileg. Steph. Byrchint. Archiv.



PONTIFICIAM potentiam & dominationem ſuperbam atque faſtidioſam nulla ratione ſe regibus extuliſſe magis, quam monachorum inſolenti pertinacia, ex hac hiſtoria veriſſime conſtabit. Nam Huberto mortuo Cantuarienſes monachi Reginaldum quendam, ſuum ſubpriorem, Archiepiſcopum media nocte elegerunt; veriti, ne ſua contumacia, quam libertatem appellabant, coerceretur a poteſtate regia. Itaque rege inconſulto hunc ſuum electum inthronizabant, & cum literis expeditum miſerunt ad papam, juramento prius praeſtito, ſe hanc electionem nulli patefacturum, aut ſe palam pro electo geſturum, ſine monachorum licentia. Sed ille, ſimul atque trajeciſſet, & veniſſet in Flandriam, elatus gloriola, quodque ſuae electionis famam ante ſuum adventum Romam perferri voluit, id ſuae cauſae multum exiſtimans profuturum, monachorum literis prolatis & oſtenſis, hoc promulgavit. Monachi tanquam inſigni injuria atque proditione accepta ad regem volant, delicti ſui veniam, alterumque eligendi poteſtatem, ab eo petituri. Is eos familiari atque ſecreto colloquio permulſos rogavit, ut Johannem de Gray, Norvicenſem Epiſcopum, eligerent Archiepiſcopum. Quod cum polliciti eſſent; rex Johannem de Gray, qui tum regia quaedam negotia Eboraci procuravit, accerſivit, eumque perhonorifice duxit Cantuariam. Ibi in regis populique praeſentia, in metropolitana eccleſia prior Cantuarienſis Johannem de Gray, ex regis licentia, in Archiepiſcopum Cantuarienſem rite & legitime electum palam pronunciavit. Quo facto, monachi ſine mora hymnos ex more canentes in cathedra archiepiſcopali eum collocarunt. Deinde rex omnium rerum temporalium ad Archiepiſcopatum pertinentium poſſeſſionem ei dedit. Sed monachi, dum non minus leviter & inconſtanter, quam contumaciter, deſideriis propriis obſecuti ſunt, ex hac geminata electione regi totique regno perniciem clademque pepererunt. Nam, cum ad papam Innocentium ventum eſſet; is captavit ex hac monachorum varietate ſuam, tam in principes, quam in clerum, potentiam & dominationem declarandi occaſionem. Atque ipſis monachis delicti ſui formidine perculſis imperavit, ſub illo ſolvendi atque ligandi jure, quod tunc ſuum proprium eſſe ſtatuit, eique omnes imperite ac ſtolide aſſenſi ſunt; ut Stephanum Langton, gente quidem ac origine Anglum, ſed aliarum nationum conſuetudine a patria peregrinum, caſſatis utriuſque tam Reginaldi ſubprioris, quam Johannis de Gray Norvicenſis, electionibus, eligerent. Monachi juratam fidem ante dederunt regi, ſe nunquam in quenquam, praeterquam in Johannem de Gray, conſenſuros. Sed quid agerent inſtante, flagitante, adeoque minante

nante

Ab An. Chr. MCCVII.

Ad An. Chr. MCCXXVIII.

nante papa? Interponebant ſe eodem tempore contra monachos coram papa Cantuarienſis provinciae Suffraganei: Juſque Metropolitani electionis jus ſuum proprium vendicantes, aut ſibi cum monachis commune. Sed papa tulit contra Suffraganeos pro monachis ſententiam: non quidem ob rei atque cauſae merita, ſed, ut monachis propriae temeritatis atque culpae metu perterritis, in ſuamque poteſtatem jam adductis, ſuam in hoc negotio tranſigendo voluntatem imperaret. Reſtiterunt aliquandiu monachi, hac excuſatione uſi; non ſibi praeter regium conſenſum, & totius conventus authoritatem, licere eligere quenquam. Sed papa ſuarum cenſurarum fulmina vibrans, cum jam duae monachorum partes atque ſectae adeſſent Romae; quarum una ſubprioris, altera Johannis de Gray, electionem confirmari ſolicitavit: "Sciatis, inquit, vos, qui hic Romae adeſtis, qui potiores & digniores Cantuarienſis conventus habendi eſtis, plenam poteſtatem ſine caeteris Archiepiſcopum eligendi habere. Regis autem conſenſus in his electionibus, quarum confirmatio ad Romanam ſedem ſpectat, expectandus non eſt: Proinde vobis, qui tot & tales eſtis, ut ad hanc electionem celebrandam aliorum ſuffragia non videntur nobis neceſſaria; in virtute obedientiae & ſub anathematis poena praecipimus, ut illum eligatis, quem nos damus vobis in paſtorem animarum veſtrarum". Monachi jam perplexi, &, regine an papae obtemperarent, haeſitantes, magis tamen papalem, quam regiam, iram ac ſaevitiam expaveſcentes, Stephano Langton coacti & inviti cum tacito fremitu murmureque conſenſum praebuerunt. Solus Helias quidam de **Brantefeld**, monachus, qui regis & Johannis de Gray electi cauſam ſumma fide atque opera procuravit, aſſenſus non eſt; qui papae metuens injurias, Roma clam, & celeriter deceſſit in Angliam: reliqui Romae praeſentes monachi, pſallentes "Te Deum", Stephanum electum poſſeſſionis loco ad altare duxerunt. Qui poſtea decimo quinto Kalendas Julii Viterbii ab ipſo papa conſecrationem accepit. Deinde, monachis Cantuarienſibus in Angliam dimiſſis, quibus omnem papalem benignitatem papa promiſit, quod Stephanum creaturam ſuam elegiſſent, ut Johannem regem mitigaret; ipſorum monachorum rogatu ſcripſit literas pleniſſimas flagitioſae ac aſtutae aſſentationis atque blanditiae: Quibus rogavit regem, ut Stephanum Langton, virum facundia, doctrina, vitaeque bonitate nemini ſecundum, jam electum & conſecratum, virtute & authoritate ſua regia in Cantuarienſem Archiepiſcopatum acciperet. Sed rex his pontificiis dolis juſtoque dolore turbatus atque percitus, monachos, qui Romae eſſent, & hanc in ſuum contemptum atque praejudicium electionem celebraſſent, laeſae majeſtatis reos publicavit; caeteros, qui Cantuariae in monaſterio latuiſſent, proſcripſit; & tam ſuis clauſtris, quam regni finibus, in exilium ejecit; omnia tam Archiepiſcopatus, quam eccleſiae Cantuarienſis, bona atque praedia fiſco & aerario ſuo adjudicavit: Stephano Langton ingreſſum in Angliam ſub laeſae majeſtatis poena interdixit. Hic motus, a papa, Stephano, & monachis Cantuarienſibus concitatus, tantas invexit Angliae regi atque regno contumelias atque ſtrages, quantas ab hoſtili invaſione vix unquam accepiſſe videatur. Stephanus Langton, ſi haec pontificia fraus & calliditas abfuiſſet, ne indignus quidem archiepiſcopali celſitudine exiſtimari a quoquam rite potuit. Erat enim tam corporis, quam animi atque morum, conſtitutione & dignitate, omniſque doctrinae ac humanae inſtitutionis praeſidio, adminiſtrandae

Florilegi verba.

ſtrandae

Matt. Paris. Chron. minor. Ex Archivis.

ſtrandae eccleſiae, juxta illa tempora, ita compoſitus, ut omnium judicio Anglicanae regendae eccleſiae aptiſſimus judicaretur. Nam Pariſiis educatus ſub optimis magiſtris fuit, regique Franciae ac proceribus familiaris & acceptus, academiae Pariſienſis cancellarius conſtitutus eſt. Deinde a papa, qui ſe jure poſſe id affirmat, quod dolo ſaepiſſime fecit, quorumcunque haereditates atque regna a juſtis dominis transferre ad alienos, accitus Romam, & ſancti Chryſogoni cardinalis creatus eſt. Itaque rex hunc, quem elegerunt monachi, patriam deſerentem, Pariſiis inſtructum, regi & magnatibus Galliae familiarem, inde a papa ad Romanum gerendum cardinalatum accerſitum, non minus regni atque ſui inimicum publicum judicavit, quam papam atque monachos; qui hunc, ſe inſcio, etſi contradicere tam ſecretae electioni potuiſſet, & invito, in ſui atque regni laeſionem eligi curaviſſent. Atque illius ſubprioris tam aſtute & clanculum electi querela renovata regi eſt; ut nihil a monachis amplius quam ſimultas atque fraus ſperanda aut expectanda ſit. Ad extremum ſumptus regii, regnique theſauri, ad confirmationem Johannis de Gray a monachis in papam & illum ſordidum cardinalium coetum, e quibus ipſe Stephanus unus erat, profuſi atque conſumpti, ſatis argumento eſſe regi omnibuſque potuit; quam exigua fides verſutiae monachali, atque devotio Romanae avaritiae cupiditatique adhibenda ſit. Itaque ejectis monachis, cum quibus ſibi regnoque ſuo commercium deinceps eſſe noluit, ad papam, cujus e re geſta literiſque ſermonem blandum ſummae fraudi adhibitum perſpexiſſet, cum comminatione & exprobratione reſcripſit: Non poſſe ſe tam inſignem ab illa ſede injuriam pati; quae permultis ab Angliae regibus affecta beneficiis tam indecenter ſe jam geſſerit; ut mala pro bonis reddidiſſet. Papa, qui cenſurarum ſuarum fulmine toties Angliam terruiſſet, regiſque res in Normannia & tranſmarinis provinciis aliquantulum labefactari ſenſerat, hunc Stephanum, ex ordine cardinalium, Romanae ſedi contra ſuam patriam addictum & confoederatum, ut ipſe putabat, nactus, accingit ſe jam ad inferendum huic regno vulnus illud, quo etſi diu ſaucium ſanari non poterat, tandem tamen ipſo papiſmo, veluti totius mali morbo, abjecto & profligato, divinas vires tanquam valetudinem priſtinam recuperavit. Interea, dum de his motibus clam a papa conſilium capitur, in Angliam venit Johannes quidam Ferentinus cum papali legatione huc miſſus: humilis quidem duobus tantum equis, tertioque claudo ſine equite, ſed ductore, ac tribus famulis regnum intravit; ſed, totam perluſtrans regionem, congeſſit grandem & copioſam pecuniam. Deinde, ne coacervandis tantum copiis, non dandis huic regno ſanis conſiliis, operam dediſſe videretur, cleri concilium **Readingam** convocavit: Quo congregato & aliquandiu celebrato, onuſtis illis ſuis ſarcinulis ſecure cauteque diſpoſitis, feſtinans repente ad mare properat, & "transvectus Angliam ſalutavit a "tergo." Miſſi etiam eodem tempore ad perturbandum reipublicae Anglicanae jam vacillantis ſtatum a papa Innocentio inauditae fraudis & malitiae homines, qui minores fratres, vel praedicatores, dicebantur. Hi ſub externa & adumbrata humilitatis ſpecie hypocriſin ſummam occultabant; victu tenues, & veſtitu non obſiti, ſed humiles, fuerunt: Pedibus nudis, griſeis tunicis, funiculis nodoſis cincti, incedebant: Diebus feſtis populo ſemper praedicabant: Quod quia ab Epiſcopis, monachatu, & reliquo tum clero factitatum non erat, odium ſummum ab eis creatum illis fuit. Exortique ſunt alii, qui hanc fictam & ultro ſine neceſſitate ſuſceptam

Matt. Paris. Chron. minor. (beside "Romam, & ſancti Chryſogoni")

Verba Matth. Paris. (beside "ciis tam indecenter")

Verba Matth. Paris. (beside "quandiu celebrato")

tam egeſtatem damnabant; neque ex Chriſti, aut Apoſtolorum & diſcipulorum, exemplo, quos mandata ipſa preſſit inopia, ſed ex proprii ſenſus vanitate, inſtitutam docebant. Verum hi fratres vulgari atque populari aura tantopere florebant; ut brevi acquiſitis facultatibus, etſi ex profeſſo nihil ſui poſſidere ſtatuebant, quaſi nihil habentes omnia poſſidebant; & aedificia ſplendida, quas fraternitates vocabant, extruebant, vicinaque his adjecta praedia comparabant. His tota tellus Anglica referta ſubito & repleta eſt; & non modo urbes atque civitates, ſed ipſi vici & pagi frequentati. Horum praedicatio cum hypocriſi conjuncta conciliavit papae, a cujus dolo fraudeque meditata profecti ſunt, magnam Anglorum benevolentiam: Ut, ex hac improba caterva conjunctis & conciliatis ſibi ſubditis, liberius audaciuſque in regem id moliri & perficere poſſit, quod in Angliae regem regnumque ſe facturum cum cardinalibus decreviſſet. Hoc enim aſtu collecta populi benevolentia ſcripſit ad regem papa; ut omnia ſua, tam in Cantuarienſes monachos, quam in Stephanum Langton, acta, geſta, ſeu decreta reſcinderet, eoſque ſuo in omnibus juri, ſine damno aut amiſſione quacunque, reſtitueret. Mandat negotium Willielmo Londinenſi, Euſtachio Elienſi, & Maugerio Wigornienſi Epiſcopis; ut, ſi ſuaſionibus adducere regem ad ea, quae papa imperavit, non poſſint, totum Angliae regnum eccleſiaſtico interdicto ſupponerent. Qui papae in omnibus etiam contra regem atque ſuam patriam obſecuti, cum regem in eo, quod ſtatuerat, fortiter ſtantem avertere, nec minis nec blanditiis pontificiis, a ſententia potuiſſent; ex papae mandato interdicti cenſuram per totum regnum denunciarunt: eaque denunciata, mox cum Jocelino Bathonienſi, & AEgidio Herefordenſi Epiſcopis a regia vindicta ſe fuga tuebantur. Omnis jam divinorum celebratio in eccleſiis ubique ceſſavit, parvulorum baptiſmate, & auriculari confeſſione, & Euchariſtiae communicatione e vita migrantibus, ſolummodo retentis. Quod ex callida indulgentia papae conceſſum eſt, ut, abalienatis a rege, ſibique conciliatis, regni ſubditis, tam regnum quam regem ſibi ſubjiceret. Quo etiam conſilio Stephanus Langton paulo poſt impetravit, ut in eccleſiis ſaltem conventualibus ſeptimanatim liceret divina celebrare. Rex eccleſiarum omnium proventus edicto in fiſcum diſtringit. Monachorum, fratrum, & ſacerdotum impura & infinita turba regno avolant. Tumultuari populus, & magnates non modo deficere, ſed reſiſtere coeperunt his, quae legitime rex imperitavit. Itaque metuens, ne papa ſubditos ſuos a parendi neceſſitate, & magnates a jurisjurandi religione, abſolveret, eos, quos ſuſpectos habebat, pecunia, libertatibus & poſſeſſionibus mulctavit, vel, obſidibus datis, coercuit & in officio continuit. Eorum Epiſcoporum conſanguineos & familiares, qui papale interdictum promulgarunt, bonis ſumma ſua ſecuritate & aequitate ductus privavit; quia regni hoſtes & profugos ex relictis ſibi facultatibus in tranſmarinis regionibus lautius exhibuiſſent: Qui omnibus affluentes deliciis, "cum lupum " viderunt venientem, dimiſerunt oves, & fugerunt," ſplendideque quotidie ac hilariter convivati ſunt. In hoc tanto motu ductus eſt ad regem homicida quidam, qui ſacerdotem in via publica trucidaſſet; quem rex impune abſolvi & dimitti juſſit; quod inimicum ſuum interfeciſſet. Papa, cum Johannem regio pectore tam firmiter in ſententia judicatoque perſeveraſſe intellexerat, cum prius, iniquo illo interdicto ſuo contra ipſa ſua pontificia jura lato, totam Anglorum gentem ob unius tantum culpam, ſi

Verba Matth. Paris. in Chron. majori, & minor.

Ab An. Chr. MCCVII. — Ad An. Chr. MCCXXVIII

modò regalis in jure ſuo tuendo conſtantia culpa dicenda ſit, biennio toto afflixiſſet, acriori cenſura regem ipſum ſolum ferire ſtatuit. Itaque papalis excommunicationis fulmina in eum nominatim cum cardinalium conſilio jaculatus eſt: Eam ſententiam Londinenſi, Elienſi, & Wigornienſi Epiſcopis, qui poſt interdicti publicationem aufugerunt, jamque laute & delicate in exteris nationibus vixerunt, in omnibus Angliae eccleſiis proponendam committit. Illi a tam ſuavi mollique otio ad periculoſum negotium avelli, ne papali praecepto, potuerunt. Sed his, qui in Anglia manſerunt, Epiſcopis atque Praelatis impoſitum ſibi onus delegarunt. Qui regem timentes, obedire domino ſuo papae non audent; ut a monachis his verbis taxentur: "Effecti ſunt univerſi metu regio, vel favore, "canes muti; non audentes latrare." Verumtamen ex more atque dolo pontificio illius excommunicationis literae per plateas & vias publicas per totum regnum diſſipatae ad ſingulorum notitiam pervenerunt; multoque ſecreto murmure omnium occupavit ora atque colloquia. Inter quos cum ad fiſcum regium Galfridus, Norvicenſis archidiaconus, negotiis regiis intendens ſediſſet; coepit aſſidentibus exponere excommunicationis ſententiam in regem jam latam, affirmavitque non eſſe tutum capellanis, & eccleſiaſticis dignitatibus beneficiiſque affectis, ſervire regi amplius. Ideoque aulam deſerens, ad eccleſiaſtica beneficia, quae regis ſervitio acquiſierat, ſeceſſit. Rex hunc tam proditorie a ſe deficientem per Willielmum Talbot militem prehendi & ad ſe reduci fecit, eumque in publica cuſtodia ſervatum, donec, ſive poenae ſive conſcientiae taedio, pertaeſus vitae fuit & exſpiravit, detinuit. Interea Johannes rex, ne his papalibus perterrefactus diris, regia multa exantlavit, Wallos & Hibernos ſubjugavit, Scotos ſuis conditionibus ad concordiam redegit, clericos Romanos exterminavit, ne Romae, aut extra regnum, cauſae quaecunque tractarentur, edixit: Rebelles in regno compeſcuit, Othoni imperatori conſanguineo ſuo grandem ex Anglia pecuniam conflavit mutuoque dedit, nec papam, nec Stephanum, nec illius ſectae quaecunque formidavit. Cujus rei certiſſimum eſt argumentum; quod, cum Hugo Lincolnienſis Epiſcopus ex regia licentia electus, regique pollicitus eſſet ſe ad Rothomagenſem Archiepiſcopum profecturum ad ſacrationem obtinendam, iſque more pontificio callide ad Stephanum Langton confugiſſet, factaque ei ſubjectionis cum juramento profeſſione ab eo ſacrationem accepiſſet, eum ut proditorem merito proſcripſit, & Epiſcopatus Lincolnienſis bona ſuo fiſco detulit. Papa non minus in Angliae regem, quam in ipſum imperatorem Othonem, elatus, eum etiam ſingulari excommunicatione ferit: Utrique ſane, ut ea fuerunt tempora, gladio papali, nec divina, nec humana acie praedito, percuſſi, attoniti magis & ſtupefacti, quam vulnerati, fuerunt. Vulnus enim ille hebes papalis gladius infligere non potuit probatis; ſed imperitis, nec ſenſu acri praeditis, ſtuporem intulit. In quo tamen, ut diximus, invictam regiamque animi magnitudinem Johannes declaravit; quod nunquam defecit, antequam Stephano Langton cum illis profugis Epiſcopis papam ſolicitantibus, papa inauditam a ſaeculis tulit de rege regno abdicando ſententiam: Cujus impii decreti executionem Philippo Francorum regi, Johanni totique Angliae regno inimiciſſimo, in remiſſionem omnium anteactorum ſuorum ſcelerum atque criminum commiſit ac mandavit. Pandulphus, cardinalis legatus papae, vir ex illa pontificia inſtitutione ſatis callidus & verſutus, hoc negotium ex papae & cardi-

Verba Matth. Paris. in Chron. majori.

Chron. coenob. Martini.

Ab An. Chr. MCCVII. Ad An. Chr. MCCXXVIII.

& cardinalium ſententia tractavit commode. Legatione & procuratione papali primo Galliae regem Philippum inſtigavit ad arma: Quem, cum non modo propenſum, ſed paratum & incitatum, ad bellum pro regno acquirendo gerendum animadverteret, aſtu paulatim ſedavit: Nolle ſe dixit, neque ipſum papam velle, in Angliae regem hoſtilia bella denunciari; antequam in eo deſperatio quaedam, totiuſque voluntatis a Romana ſede abalienatio cerneretur. Hoc plane praeſtigioſo Pandulphi conſilio Galliae rex ab armis contra Johannem ſuſcipiendis continetur. Interea Johannes ad bellum, quod ſatis feliciter adminiſtravit ſaepe contra hos hoſtes, quorum conjurationem acceperat, ſe accinxit, navem & exercitum copioſe paravit ac inſtruxit; ipſeque laceſſere ſuum hoſtem maluit, quam ab eo provocari. Itaque claſſem & exercitum eduxit in Galliam; &, cum claſſe fuiſſet in Oceano, Stephanus Langton cum ſuae ſectae profugis & exulibus rediit in Angliam, ac papalem ſententiam, qua rex amotus regno fuit, promulgavit. Rex tam domi quam foris inter hoſtes undique interjectus, ſubditorum fide, pontificia ſuperſtitione, ſibi detracta, regnoque per proditores occupato, ad papales conditiones per Pandulphum coactus, non ſine magno diſcrimine, fuit. Alioquin, ne conjunctis una papae atque regis Galliae copiis ſuperari potuit. Pandulphus, cum Galliae rex exercitum atque claſſem trajecturus paraviſſet, miſit ad regem Johannem legatos; qui eum de tanto periculo imminente admonerent, ejuſque vitationem ex Pandulphi conſilio habendam docerent. Nihil autem regem magis ad tam turpes papales conditiones adegit, quam quod, ne a magnatibus populoque ſuo deſereretur, pertimuit. Itaque Pandulphi adventum per eoſdem legatos optavit. Is tam atrox inſtanſque periculum omni oratione exaggeravit, vitarique uno tantum modo poſſe docuit: Si, papae Romanaeque eccleſiae ſe ſubmittens, recipere ab eo regnum vellet, a quo privatus eſt: Qui eodem ſpiritu ſorbere ac flare, ſolvere ac ligare, poteſt. Rex, his quaſi compeditus difficultatibus, Pandulpho aſſenſus regna ſua papae reſignavit, ab eoque eadem recepit, pollicita, & ei ſcriptis confirmata, annua mille marcarum penſione. Deinde rex abſolutus, interdictum relaxatum, exules revocati, eccleſiiſque ablata reſtituta ſunt. Sed Stephanus Langton, etſi has injurias & calamitates tam regi quam regno conflavit, tamen, cum rebus compoſitis in Cantuarienſi Archiepiſcopatu cum regis benevolentia ſediſſet quietus; victus amore atque charitate patriae, cum Johannes rex in Pandulphi manus ſceptrum & diadema regium conceſſiſſet, iniquiſſimo id animo ferens, accedens ad altare ob tam indignum papae facinus continere ſe non potuit, quin in appellationis vocem a tam grandi illato Angliae praejudicio prorupit; & in reliquis vitae geſtis amantem patriae, doctumque ac prudentem patrem, ſemper ſe declaravit. Pandulphus, rebus ſic ad papae voluntatem in Anglia perductis, octo librarum millibus onuſtus, laetus reverſus eſt.

HAEC de ambitioſo, reliqua de Stephano Langton, ut de utili patriamque amanti, eodem tamen viro, dicenda ſunt. Anteactum ſeptennium fuit regni tragoedia, ſequitur jam ex ſequuto pontificatu comoedia. Nam, cum papa Johanni ad ſui regnique deditionem aſſenſa omnia atque liberrima jura regia, quod in illius tunc dixit fuiſſe poteſtate, conceſſiſſet,

Ab An. Chr. MCCVII. — Ad An. Chr. MCCXXVIII.

ſiſſet, rexque auferendis privilegiis atque libertatibus coercere magnates a ſe prius deficientes voluit; regi adhaeſit papa, baronibus Stephanus. Ex hac regis & baronum diſcordia, ingens regni perturbatio ſequuta multis duravit annis. In qua rex, pene victus atque ſuperatus, de regno papali ditioni tradendo cogitavit. "Noverat enim, quod papa ſuper omnes mor-" tales ambitioſus erat & ſuperbus, pecuniaeque ſititor inſatiabilis, & ad "omnia ſcelera pro praemiis datis vel promiſſis aptus & proclivis." Hunc itaque muneribus regnique ſpe ſolicitavit rex; ut authoritate ſua Archiepiſcopum & barones ſibi adverſos comprimeret atque coerceret. Multa ſane atque aequa jura, poſt crebras altercationes, baronibus ipſo Marte inſtantibus rex conceſſit, & a papa confirmari procuravit: Quibus cum ſedari non potuiſſent, papa illis juribus privilegiiſque reſciſſis barones in regem rebelles excommunicavit. Hanc ſententiam Stephano denunciandam atque publicandam commiſit. Is jam ad generale concilium, quod papa Romae celebrandum ſtatuerat, Wintonienſi Epiſcopo & Pandulpho papae nunciis, qui mandatum ſcriptum de baronibus excommunicandis attulerant, reſpondit: Hanc papae ſententiam fuiſſe tacita veritate in barones latam; ideoque nolle eandem executioni mandare, antequam papam ipſe conſuluiſſet. At illi ex papae praecepto tam Stephanum Archiepiſcopum, mandata papae exequi tardantem, ab eccleſiae ingreſſu & celebratione divinorum ſuſpendebant, quam barones excommunicabant. Itaque Stephanus Romam properat; ibi ab abbate de Bello Loco, & Thoma de Huntingdona, atque Godefrido de Crancumb militibus, regiis nunciis & procuratoribus, coram papa eſt accuſatus; quod opera & conſilio ſuo barones Angliae regem a ſolio dejicere molirentur; cumque a papa literas accepiſſet, ut eos eccleſiaſtica cenſura a rege perſequendo refraenaret; ipſe a ſacris prohiberi atque ſuſpendi, quam id exequi, mallet. Stephanus his criminationibus victus & perturbatus nulla excuſatione uſus eſt; ſed humiliter petiit a ſuſpenſione abſolvi. Cui papa cum indignatione reſpondit: "Frater, per ſanctum Petrum non ita facile beneficium abſolutionis impetrabis." Itaque ejuſdem ſuſpenſionis ſententiam nova fulminatione duplicavit, denunciarique per Angliam totius Cantuarienſis provinciae Suffraganeis mandavit. Interea Eboracenſis eccleſiae canonici Simonem Langton, Stephani fratrem, Eboracenſem Archiepiſcopum elegerunt; quem papa, jam incenſus contra Stephanum, in eodem concilio ad ſe praeſentatum confirmari atque ſacrari, canonicis ſeverius objurgatis, prohibuit: Sed paulo poſt Stephanus a dicta ſuſpenſionis ſententia, hac ſtipulatione conditioneque interpoſita, quod de his controverſiis, quae inter regem & barones exortae eſſent, papae arbitrio ſtaret, quodque ante eaſdem finitas & pacatas in Angliam non rediret, abſolutus eſt. Concilium autem illud generale, quod more papali grandia prima fronte prae ſe tulit, in riſum & ſcomma, quo Archiepiſcopos, Epiſcopos, abbates, decanos, archidiaconos, omneſque ad id concilium accedentes artificioſe ludificatus eſt, deſiit. Illi enim, cum jam nihil geri in tanto negotio cernerent, redeundi ad ſua cupidi veniam ſigillatim petierant: Quibus papa non conceſſit, antequam ſibi grandem pecuniam promiſiſſent; quam a mercatoribus Romanis prius accipere mutuo papaeque ſolvere coacti ſunt, quam diſcedere Roma potuiſſent. Papa jam, accepta pecunia, quaeſtuoſum hoc concilium diſſolvit gratis, totuſque clerus abiit triſtis. Papa jam Johanni regi conjunctiſſimus, quod ſe ſuumque regnum ſibi permiſiſſet, barones Angliae contra

Verba Matt. Paris. in Chr. majori.

Verba Matth. Paris.

Matt. Paris. Chron. minor.

[Ad An. Chr. MCCVI.] [Ad An. Chr. MCCXXVIII.]

tra regem quicquam molientes, prius generaliter excommunicatos, ad regis rogatum seorsim & nominatim excommunicavit. Qui hac usi sunt in papam execratione: "Exhaustorem pecuniae Anglicanae, & exactorem "nobilitatis Britannicae tibi inclinantem defendis, ut in barathrum Ro- "manae avaritiae omnia demergantur." [Verba Matth. Paris. in Chron. majori.] Papa praeterea statuit ipsum Stephanum Langton regis intuitu deprivare; nisi cardinales restitissent. Cum itaque amovere eum rex ne papa adjuvante potuit; fingunt monachi eum in aegritudinem lethalem & inevitabilem incidisse, ex eoque contabuisse; etsi verius est, eum, ex veneno a monacho sibi, in quo delituit, coenobio ministrato interiisse, ipsorum monachorum intestino odio; qui, neque regem, neque papam, neque quenquam adversos sibi, tolerare atque ferre poterant. Paulo ante Johannis mortem, papa interdicente acerrimeque minante & excommunicationis tela fulminante, invito, a monachis & baronibus instigatus, intravit hanc gentem superaturus Lodovicus Philippi Gallorum regis filius; qui asseruit, tam esse sibi, quam papae, liberum Angliam in suam ditionem vendicare; neque in cujusquam regis aut principis esse potestate regnum sua voluntate in alium transferre, aut alteri vectigale reddere. Proinde, inquit, regnum Angliae, patrimonium beati Petri nec erat, nec est, nec unquam erit. [Verba Matt. Paris. in Chr. minori.] Post has turbas Lodovicus magnos in Anglia motus excitavit, papali omni jurisdictione contempta; donec, post Johannis regis mortem Henrico tertio Johannis filio natu maximo regnante, cum jam barones, miserum suum statum deflentes, resipuissent, & Henrico adhaesissent, de acquirendo regno desperavit, & in suas oras Gallicanas reversus est. [Matt. Paris. Chron. minor.] Sed ante decessum absolutus a papae legato tam Angliae regno, quam a papali sententia, fuit. Sed ab illo absolutionis & pacis beneficio excepti omnes Episcopi, abbates, priores, & praelati, qui, quacunque opera aut consilio, etsi coacti fuissent, Lodovicum juverunt, ut legati faucibus quasi devorandi exponerentur. Simon autem de Langton, & Gervasius de Hobrugg, omnibus beneficiis bonisque spoliati, Romam profecti sunt, papalem misericordiam, quae parva fuerat, experturi. [Verba Matth. Paris.] Hugo autem Lincolniensis Episcopus, de quo ante diximus, cum in Angliam rediisset, qui auri argentique locuples habebatur, pro Episcopatu recuperando ad curandam intercutem seu hydropsin papae mille marcas, & ad extinguendam sitim legati centum, ex probatissima moneta numeravit. Rex Henricus jam decem annis natus in hac minori aetate in Willielmi Pembrokiae comitis, regni marescalli, tutela custodiaque positus, a Petro Wintoniensi & Johanne Bathoniensi, Episcopis, absente Stephano Cantuariensi, primo unctus & sacratus fuit: Deinde Lodovico cum suis Gallis strenue penitusque ejecto, dictoque comite Pembrokiae mortuo, Henricus rex in tutela Petri Wintoniensis Episcopi positus fuit; denuoque a Stephano Cantuariensi Archiepiscopo in frequentissima cleri populique frequentia Westmonasterii coronatus, ejusque consilio crucis signo suscepto in christianam militiam ascriptus est. [Chr. sancti Alb.] Post Johannis regis & Innocentii papae obitus, transactis compositisque omnibus inter regem & barones controversiis, Stephanus tandem ἀρχιεπισκοπεῖν coepit. Concilium provinciale Oxonii in ecclesia de **Osney** statuit: In quo juvenis quidam, qui se Jesum Christum nominavit, & in manibus, pedibus atque latere confossa vulnera ostendit, damnatus morteque crucis affectus est. Cum eo pariter mulieres duae, quarum una se Mariam Virginem, altera Mariam Magdalenam,

 nuncupavit,

nuncupavit, damnatae: Et diaconus apostasiae convictus, omni clericali gradu amotus, flammisque absumptus est. Leges ecclesiasticas eodem concilio quadraginta sex tulit: quarum permultae, in provincialibus constitutionibus, typis expressae sunt; reliquae in archivis custoditae manent. Quae, quo statu atque conditione Anglicana tunc steterit ecclesia, apertissime demonstrant: Hujusque concilii tempore, epistolae decretales, quae jus pontificium continent, ab Honorio tertio editae atque publicatae sunt. Ex quo colligi potest jura hujus regni ecclesiastica illis pontificiis esse priora. Stephanus Archiepiscopus, gloriolae atque pompae suae adaugendae studens, instituit translationem Thomae Becket Cantuariae: Cui tam stupendae ceremoniae maxima totius cleri, nobilitatis, populique frequentia, cum ipso rege, interfuit; qui illud cadaver e marmoreo lapide sublatum, in novo feretro ex auro gemmisque constructo collocari viderent: Et, ut multitudinem copiosam congregaret, Londino Cantuariam itinerantibus, ea ceremonia durante, foenum & equinum pabulum exhibuit. Tunc ipso translationis die vinum e canalibus ad hoc fabrefactis per varia urbis loca jugiter distillare fecit. Sumptus, quos in hac celebritate immensos sustinuit, sic Archiepiscopatus non modo thesauros, sed facultates, exhauserunt & labefactarunt; ut ne a quatuor deinceps ordine sequutis Archiepiscopis refici ac recolligi potuissent. Sed quasdam hujus Thomae, quem tam pompose sanctificavit, reliquias Romam ante transportaverat; ob quas honorifice susceptus est. Cum autem omnes regni tumultus essent sedati; Stephanus Archiepiscopus pro his libertatibus intercessit, de quibus tanta contentione inter Johannem regem, atque proceres, non modo ad amissionem regni, sed ad internecionem gentis, digladiatum est. Cui Willielmus Briwere, regius quidam consiliarius: "Haud, inquit, concedendae, nec jure observandae, sunt illae consuetudines, quas subditorum in regem vibratus gladius imperavit & extorsit." Hunc liberius increpavit Archiepiscopus: "Si, inquit, regem diligeres, pacem regni non impedires." Et ad regem conversus admonuit eum juramenti de concedendis illis libertatibus, quas, discedente ex Anglia Lodovico, baronibus praestitisset. Rex constantia & gravitate Archiepiscopi, nec non juramenti religione ac recordatione, superatus, dignam rege sententiam emisit: Decere se & juramenti memorem esse, & eas consuetudines atque libertates, ad quas astrictus tanta religione esset, observare. Itaque edicta per totum regnum proposuit; ut ex singulis Angliae comitatibus duodecim milites, vel ingenui atque legalis status homines, ad se protinus convenirent: Quos omnes juramento oneravit, ut summa fide ac diligentia investigarent & inquirerent, quae, ac cujusmodi libertates, tempore Henrici avi sui, in Anglia observatae fuerunt. Hi inquisitione habita ea, quae verissima certissimaque compererunt, miserunt ad regem scripta: Ex quibus rex fundamentum juris Angliae municipalis, quod jam Magna Charta nuncupatur, conflavit. Quo facto seditiones omnes compescuit, suamque rempublicam liberrimis institutis & legibus decoravit. Eodemque anno ob tantum concessum regno beneficium, quasi ἀντίδωρον ad facultates augendas regias, quas Johannes rex in illis externis & intestinis tumultibus exhausisset, omnium haeredum minorum, donec ad legitimam haereditatem pervenissent, tutelas ac custodias, quas in jure municipali Guardias appellamus, concesserunt. Stephanus Archiepiscopus, in hac concordia regni, cleri synodum habuit Westmonasterii: In qua is divinam

Aureae Hist. secunda pars. Matt. Paris. Chron. major & minor.

Ab An. Chr. MCCVII. — Ad An. Chr. MCCXXVIII.

vinam concionem ad populum habiturus, cum illo ſcripturarum loco e ſuggeſtu exorſus eſt: "In Deo ſperavit cor meum, & adjutus ſum, & "refloruit caro mea." Cui ſic incipienti e concione plebeius quidam alta voce exclamavit: "Per mortem Dei, inquit, mentiris; cor tuum "nunquam ſperavit in Deo, nec refloruit caro tua." Qui mox a reliqua concione deprehenſus, eductus templo, dimiſſa concione, dignas tanti ſceleris & audaciae poenas dedit. In hoc etiam concilio conſtitutiones nonnullas provinciales edidit. Sub haec quoque tempora fratres minores, dicti Franciſcani, qui tredecim tum tantum fuerunt, in Angliam ingreſſi ſunt: Et capella ſanctae Mariae Virginis a rege Henrico tertio, illius fundamentum cum lapidibus & caemento manibus ſuis ponente, extructa eſt. Romanus helluo lupina voracitate lucro inhians miſit Ottonem quendam ſuum in Angliam nuncium; eique hoc in mandatis, cum ſuis ad regem Henricum literis, dedit: Ut a ſingulis eccleſiis in Anglia cathedralibus duas praebendas, quarum una ab Epiſcopo, altera de capituli portione, ſumenda ſit, duaſque ex ſingulis coenobiis, ex abbatis ſimiliter conventuſque portionibus, eccleſiae Romanae exhiberi procuraret. Is regi papales tradidit literas. Rex, qui a papae petitione etſi animo toto abhorruit, tamen quia irritare illum noluit, lectis & occultatis literis, reſpondit; quod ſolus negotium tanti momenti expedire non potuit. Ita conſilio Stephani Cantuarienſis Archiepiſcopi conſtitutus Ottoni dies eſt in octavis Epiphaniae; ut in totius cleri populique conventu poſtulatum papae tractaretur Weſtmonaſterii. Eo die adfuit Otto; cui rex papae literas recitandas reddidit. In quibus idem papa allegavit, "ſcandalum Romanae ec- "cleſiae & opprobrium vetuſtiſſimum; notam ſcilicet concupiſcentiae, "quae radix dicitur omnium malorum; & in hoc praecipue, quod nullus "poteſt aliquod negotium in Romana curia expedire, niſi cum magna "effuſione pecuniae & donorum exhibitione. Sed quoniam ſcandali hu- "jus & infamiae Romana paupertas cauſa eſt; debent Angli matris ino- "piam ſublevare, ut filii naturales. Quia, niſi a vobis & aliis viris bonis "& honeſtis dona reciperemus, deficerent nobis neceſſaria vitae; quod "eſſet omnino Romanae incongruum dignitati. Ad iſtud itaque ſcan- "dalum penitus eradicandum, per conſilium fratrum noſtrorum ſanctae "Romanae eccleſiae cardinalium, quandam providimus formam; cui ſi "volueritis conſentire, a ſcandalo matrem veſtram poteritis liberare, & "in curia Romana ſine donorum obſequio exhibitionem juſtitiae obtinere. "Forma autem proviſa haec eſt: Petimus inprimis, ab omnibus eccleſiis "cathedralibus duas nobis praebendas exhiberi, unam de portione E- "piſcopi, & alteram de capitulo: Et ſimiliter de coenobiis, ubi diverſae "ſunt portiones abbatis & conventus, a conventibus, quantum pertinet "ad unum monachum, aequali facta diſtributione bonorum ſuorum, & "ab abbate tantundem." Haec, quae directis, & adumbrantibus ſanctitatem, verbis papa poſtulavit, non minus ſalubri quam prudenti conſilio vitaverunt Angli concedere; etſi nec expreſſe negarunt, priores papae inſidias & ſaevitiam experti. Rex ipſe ſimulata valetudine concilio deceſſit. Epiſcopi muti & ſilentes, ne novi tumultus orirentur, ad dioeceſes & civitates ſuas diſcedere juſſi ſunt. Ottoni, pro papa totis ingenii ac orationis ſuae nervis inſtanti, a quodam Johanne archidiacono Bedfordienſi reſponſum eſt: "Quia haec res regem valetudinis cauſa jam abſentem maxime tangit, & Epiſcopos ad ſua loca abire juſſos, nec non quoſcunque "eccle-

Verba Matt. Paris. in Chr. majori.

"ecclesiarum patronos; his absentibus, non esse reliquis tutum, si in absentium praejudicium quicquam praesumerent respondere." Nec dum Bedfordiensis peroravit; quin Johannes Marescallus, regis nuncius, in Ottonis praesentia praecipit Praelatis; ne laicum suum feodum obligarent papae. Itaque Otto pene stupefactus his, qui aderant, alium deliberandi diem statuit, nempe mediam quadragesimam; ac in se suscepit regis & absentium Praelatorum adventum procurare. Sed illi, rege non jubente, ne diem illum admittere voluerunt: Itaque singuli sine legati venia ad sua recesserunt. Interea alius papae legatus hanc causam a Gallicanis Episcopis solicitavit, eadem ad verbum usus oratione atque suasione: Cui Archiepiscopi Lugdunensis procurator respondit: Fieri non posse, ut hac concessione ille gurges atque fons Romanae cupiditatis expleatur: Divitiarum enim copiam redegisse semper Romanos ad insaniam. Quo perorante, a reliquo Gallicano concilio his verbis legato Romano responsum atque conclusum est: "Domine, moveat vos zelus universae ecclesiae, & "sanctae sedis Romanae: quia, si omnium esset universalis oppressio, posset timeri, ne immineret generalis discessio: quod Deus avertat." Quo responso legatus Romanus, ipsa mente & conscientia attonitus, respondit: Se, cum in Romana esset curia, nunquam huic exactioni consensisse; hujus autem papalis mandati literas ad eum, postquam in itinere multum progressus esset, pervenisse; quod quidem peragere etsi necessarium, tamen molestum & odiosum, fuit: Et ad extremum addidit: Non se amplius in tam callido negotio, antequam reliquae christianae gentes consenserint, progressurum. His in Anglia perceptis, suasit Stephanus Archiepiscopus Cantuariensis papae & cardinalibus, tantum negotium non esse Ottoni, aut externo cuidam, sed sibi, qui & ecclesiae Romanae cardinalis, & Anglus, ac Cantuariensis Archiepiscopus, esset, committendum. Itaque papa confisus Stephano, qui astute eum lusit, literas tam ad Stephanum de illo negotio gerendo & suscipiendo, quam ad Ottonem, ut, eo omisso, sine ulla mora & procrastinatione Romam rediret, dedit. Litterae Ottoni jam in Scotiam, ut ex ea provincia aliquid emungeret, properanti, cum in itinere Northamptonam pervenisset, procurante Archiepiscopo, redditae sunt. Quibus obliquo oculo & demisso vultu perlectis, eas projecit in ignem: Sed Dominum suum papam veritus, proposito mutato, cum nihil ex Anglia, aut Scotia, congessisset, vacans, inanis, moestitiaque confusus ex papae mandato, tanquam obtorto collo, Romam ex Anglia retractus est. Cumque jam Otto discessisset; Stephanus papae mandatum satis versute tractavit: Convocari a rege procuravit Episcopos, & magnates, ad hanc rem antea satis instructos: Coram his Stephanus papales literas recitavit; quibus auditis, singuli singulos quasi risu movebant de inexplebili avaritia Romana; quae cupiditate excaecata hos versus nunquam intellexit:


Verba Matt. Paris. in Chr. majori.

Quod virtus reddit, non copia, sufficientem;
Et non paupertas, sed mentis hiatus, egentem.

Verba & versus Matt. Paris. in Chron. major.

TUM rex ante provisus & meditatus respondit: "Haec, quae nobis "papa suadet, totum orbem tangunt christianum. Nos itaque, qui a "reliquo orbe divisi atque separati sumus, & ab ipsa Roma maximis in"tervallis disjuncti, cum intellexerimus, quid caeterae gentes de his ex-

actionibus



Stephani Langton Sepulchrum.

Ad An. Chr. MCCVII.

Ad An. Chr. MCCXXVIII.

" actionibus ſtatuerint, earum exemplo ad papae obſequendum erimus " promptiores." His dictis dimiſſum eſt concilium, & papa fruſtratus magna ſpe. Huic autem pontificiae fraudi, quae omnes ſibi per orbem chriſtianum eccleſias reddere vectigales cenſuit, videmus quam aperte ingenueque Gallia, quam occulte & inſidioſe Anglia, quae a papa tot calamitatibus afflicta fuit, reſtitit. Stephano jam ſenio confecto inſtabat ſumma hujus aevi dies. Sed, anno antequam deceſſit, Cantuarienſem archidiaconatum Simoni fratri ſuo, a papa Innocentio de Archiepiſcopatu Eboracenſi repulſam paſſo, reliquiſque ſuis bonis orbato, poſtea contulit. In cujus etiam gratiam in concilio ſtatuit; ut quaecunque Cantuarienſis dioeceſis eccleſiae, ſive in ſuis feodis atque maneriis, ſive in monachorum, eſſent ſitae, quae ante immunes erant atque liberae, archidiaconali juriſdictioni ſubeſſent. Ipſe, cum duos & viginti annos ſediſſet, & poſterioribus annis ſe utilem atque charum patriae civem declaraſſet, in quodam ſuo manerio, quod **Slindonam** in Suſſexiae comitatu appellant, ſeptimo Idus Julii obiit, atque Cantuariae pridie nonas ejuſdem deductus, & in capella ſancti Michaelis ſepultus, eſt. Cum autem corpus ejus coram altari Cantuarienſis eccleſiae ſepulturae tradendum jaceret; monachi ejulantes in magna cleri populique corona appellationem ad papam alta voce ejecerunt; eccleſiam ſuam, perſonas eccleſiae, jura & libertates ejuſdem, terras & poſſeſſiones & homines ſuos, ſub protectionem domini papae, & Romanae curiae ſubjicientes, & interdicentes, ne aliqua eccleſiaſtica, vel ſaecularis, perſona aliquid attentare praeſumat in praejudicium eccleſiae Cantuarienſis. Multa ſcripſit eleganter & erudite: Biblia ſacra his capitibus, quibus nunc in chriſtianis eccleſiis diſtincta ſunt, ſeparavit. Richardi regis vitam & hiſtoriam deſcripſit. Hujus tempore vicus ſeu burgus de **Southwerke** cum eccleſia ſanctae Mariae incendio conſumptus eſt: Quod quidem incendium Londini pontem, uſque ad turrim, & vinetariam plateam, pertranſiit.

Steph. Byrchinton.






Ab An. Chr. MCCXXVIII.

XLIV. Richardus Magnus.

Ad An. Chr. MCCXXXI

Matt. Paris. Chron. major, & minor.





SEPULTO Stephano, Cantuarienſes monachi, qui de ſuo gremio foetum aliquem tot annis parturiebant, regem prius de facultate eligendi rogantes, elegerunt quendam ſuae ſocietati inſignem, alienae infamem, Walterum de Hemeſham tertio Nonas Auguſti. Hunc electum ad regem praeſentarunt; qui habita cum Epiſcopis deliberatione dejecit tam celebri electione eundem: quod & eligentes virum deſpicabilem, ſibique ac regno inutilem, elegiſſent, & quod electus duplici infamia laboraret. Pater enim ejus furti poſtulatus ac convictus fuit; ideoque gula ſuſpenſus patibulo: Ipſe autem contra regem Johannem interdicti tempore ſtetit. His regiis criminationibus adjecerunt Cantuarienſis provinciae Suffraganei; quod ſanctimonialis cujuſdam conſuetudine uſus eſſet, ex eaque ſaepius compreſſa ſuſcepiſſet virili fortitudine atque ſexu pueros. Renovabant praeterea cauſam, contra ſe antea Romae ab ipſo Innocentio, contra jus omne definitam, quod hunc Suffraganeis non adhibitis vocatiſve elegiſſent. Electus autem hic Walterus, etſi in Anglia de his criminibus & anteacta ſua vita inquiſitionem haberi noluit, Romae tamen, ubi omnia tam eſſent venalia, de nullo flagitio deſperavit. Eo itaque feſtinat: ſed regii & Epiſcoporum nuncii, eum antegreſſi, praeoccupaverunt papam. Qui nihilominus inveteratae papali aſſuetus, ſeu natus, aſtutiae negotium procraſtinavit & in aliud tempus rejecit. Craſtinum cinerum definiendi diem ſtatuit. Interea tam nuncii regis, quam Walterus, multa pollicitando papae & cardinalium animos lactabant; qui, quaſi ſub haſta & auctione cauſa venditioni atque licitationi traderetur, a qua parte plurimum exigi poſſit, expectabant. Gregorius tum papa, cum Fredericum imperatorem excommunicationis gladio diſſecare & perimere non poterat, ſumptis armis indixit illi bellum. Itaque Epiſcopus Ceſtrenſis, & Epiſcopus Coventrenſis, legati regii, cum papam & cardinales moroſos & difficiles in reſpondendo inveniſſent; veriti, ne rex deſiderio ſuo fraudaretur, & monachi vincerent, conſilio inter ſe pernicioſo atque deteſtabili habito, papae promiſerunt, ad bellicos ſuos contra imperatorem ſumptus, omnium mobilium rerum in Angliae & Hiberniae regnis decimationem. Quo promiſſo exhilaratus papa ſine mora aut ulla ſuaſione venit in eorum ſententiam. Itaque craſtino cinerum die ſtatuto, ipſe in conſiſtorio & pro tribunali ſedens, pronunciavit Walterum a monachis electum, a duobus ſuis cardinalibus, ſcilicet Petro & Albanenſi, de quibuſdam chriſtianae religionis dogmatibus examinatum non modo male, ſed peſſime, reſpondiſſe, illumque electum prorſus eſſe indignum: Ac ſi de rigore juris procedere vellet,

Verba Matth. Paris.

An. Chr. MCCXXVIII

Ad An. Chr. MCCXXXI.

vellet, aliud dicere cogerentur. Itaque eam electionem caſſavit, & tam ob electi, quam ob eligentium, indignitatem atque culpam proviſionem Cantuarienſis eccleſiae ſibi reſervavit. Qua reſervatione regiam cauſam non minus periclitari metuerunt regis nuncii, quam electione Walteri: Ne, quod in Stephano Cantuarienſi Archiepiſcopo ab Innocentio conſtituto contigit, in alio, ex Romano gremio atque ſinu, a papa praeficiendo jam rurſus eveniat. Itaque magna celeritate ab Henrico rege ad papam literas impetrabant; ut ſua tam ampla promiſſa rata haberet, & Richardum Lincolnienſis eccleſiae cancellarium, virum & ſcientia & fama atque vita inviolata clarum, ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem promoveret. Papa tanta largitione delinitus regi conceſſit, quod optavit; literiſque ad Suffraganeos Cantuarienſis provinciae datis oſtendit, quo numine inſpiratus ſummam habuit curam de viro idoneo Cantuarienſi eccleſiae praeficiendo; quam appellat "nobiliſſimum ſedis apoſtolicae membrum, atque ipſam "terreſtrem in Anglia paradiſum; in qua lignum boni & mali ſatum eſt, "& a qua profluunt quatuor torrentes; qui vitam mortuis, ſanitatem aegrotis, libertatem ſervis, & audaciam timidis, conferunt; nempe ex "Thomae martyrio & miraculis. In hac autem paradiſo collocandum "Richardum Lincolnienſem cancellarium, in quem vitae ſpiraculum inſpiravit: Praecepitque omnibus Suffraganeis clericiſque totius provinciae, ut huic ſuae digniſſimae creaturae, in paradiſo conſtitutae, in omnibus pareant & obtemperent." Erat hic Richardus ſtatura eleganti, erecta & procera, oratione facunda atque dulci, in omni genere literarum ſcientia recondita, vitaque non reprehendenda, ſed inculpata. Hic ſine pallio ab Henrico Roffenſi Epiſcopo conſecrationem Cantuariae accepit; cui rex Henricus interfuit in feſto ſanctae Trinitatis, inſigni, ut tunc ſolitum eſt, luxu atque pompa: quo etiam die Londinenſis & Elienſis Epiſcopi ab eodem Henrico conſecrati fuerant. Papa, cum regis votis atque precibus in hoc Archiepiſcopo creando ſatisfeciſſet, promiſſam retributionem expectavit. Miſit itaque in Angliam Stephanum quendam ſuum capellanum. Is, poſtquam rex omnes cleri atque populi ordines congregaſſet, expoſuit domini ſui papae poſtulatum: Bellum ei atrox contra Fredericum pro eccleſia Romana, quam caeterarum dicebat matrem, ſuſcipiendum: aequum autem eſſe afflictam & deficientem matrem a filiis ſublevari. Itaque decimam omnium bonorum petiit ex Anglia, Cambria, & Hibernia papae ſine mora tribui. Rex, quod ante promiſerat, etſi jam praeſtare nollet, ſilentio tamen aſſenſiſſe viſus eſt. Barones expreſſe negarunt. Epiſcopi tridui aut quatridui deliberationem petierunt; poſtea timentes, ne papa vim ſui fulminis coruſcam in illos mitteret, aſſenſi ſunt. Tum Stephanus Praelatis oſtendit literas papae procuratorias, in quibus ei poteſtas data eſt has decimas taxandi & recipiendi. Ad quod in ſingulis regni comitatibus procuratores ſubſtituit, publicata prius excommunicationis ſententia contra omnes, qui hunc uberrimum papae illico perſolvi quaeſtum quocunque modo impedirent. Quaeſtores autem ſuos in ſingulis comitatibus conſtitutos ſub excommunicationis aut interdicti poena monuit, ut certo ſtatuto die optimi ponderis nuperrimeque percuſſam monetam ex his exactis decimis collectam, qua papae creditoribus poſſit ſatisfacere, mitterent: Qui duriſſime a clero populoque hanc decimationem flagitarunt: Ut illi eccleſiaſtica vaſa vendere, vel pignori dare, hi futuram etiam meſſem creditoribus obligare, cogerentur. Aderant una foenera-

Verba Matth. Paris. in epiſtola papae ad Suff Cant. provin.

Steph. Byrchinton.

Ab An. Chr. MCCXXVIII

Ab An. C. MCCXXX

foeneratores ex Italia permulti, qui illum abraſorem Stephanum ubique comitati, his, qui papali exactioni ſolvendo non eſſent, pignoribus & hypotheca captis, mutuam pecuniam dabant. Ita cum magno regni detrimento & calamitate exactiſſime haec decima a Stephano legato percepta eſt. Solus Ranulphus Ceſtrenſis comes reſtitit; qui generoſo & magnanimo pectore ſuum comitatum in papalem redigi ſervitutem, populumque ac clerum ejuſdem tantam pati ſolutionem non permiſit. Quem tamen papa ſatis aliunde locupletatus fulgure & cenſuris ſuis nominatim non laeſit.

RICHARDUS autem compoſitis multis provinciae ſuae negotiis, provinciae ſuae ſynodum Weſtmonaſterii congregavit; in qua tredecim ſaluberrimas provinciales leges tulit: Quae tam aequabiles & temperatae ſunt, ut ſuae manſuetudinis ſpecimen praebere ac indicare poſſint. Sed, etſi natura mitis ac manſuetus fuit; in vendicandis tamen eccleſiae ſuae juribus acris atque fortis: Quod ex ea controverſia, quae inter eum & Hubertum Cantii comitem, exercitata diu fuit, facile conſtat. Hic Hubertus vir tam authoritate ſua, quam regis gratia, potens in republica fuit; belli paciſque negotia feliciter ſub rege Johanne & Henrico geſſit; unde & juſticiarius criminalis fuit regni, &, quod caſtrum Doveri obſidione Gallorum a Lodovico expugnatum fortiter defendit, comes Cantii creatus eſt. Hujus etiam filium Richardum Henricus tertius militari cinxit cingulo. Hic primus eccleſiaſtica invaſit atque depraedatus eſt jura. Itaque Richardus Cantuarienſis de eo conqueſtus eſt regi; quod Tunebrugenſe caſtellum cum tota villa & vicinis ruſticis praediis, aliaſque Clarenſis comitis terras, quae, durante minori aetate haeredis ejus, ad eccleſiam Cantuarienſem ſpectabant, ab eccleſiae Cantuarienſis jure poſſeſſioneque detinuit. Rex vero nullius querelam contra Hubertum admiſit; ſed Archiepiſcopo reſpondit: Hubertum haereditatem de ſe rege, ut principali Domino, tenere; quod jure municipali dicunt, in capite tenere: Minorum autem haeredum tutelas & cuſtodias ad regiam coronam pertinere. Hoc regis reſponſo repulſam immotam ferens Archiepiſcopus, omnes dictarum poſſeſſionum invaſores, alioſque, qui cum his commercium haberent, praeter ipſum regem, excommunicavit. Haec prima eccleſiaſticorum jurium a laicis occupatio, primaque ob tantam injuriam excommunicatione ſumpta vindicta, fuit. Deinde Archiepiſcopus Romam profectus eſt. Rex diſceſſu ejus cognito ad papam Rogerum de Cantilupo cum aliis nunciis legavit; qui querenti Archiepiſcopo contradicerent, & regia jura defenderent. Romam venit Archiepiſcopus, querelam coram papa, tam contra Hubertum, eccleſiaſticorum jurium praedonem, quam contra regem, illius ſolius conſilio & procuratione rempublicam adminiſtrantem, Epiſcopos Cantuarienſis provinciae Suffraganeos in fiſco ſeu ſcaccario ſuo ſedere, & tam civilia quam criminalia atque adeo capitalia judicia exercere permittentem propoſuit. Papa & hac querela, & ipſa perſona Archiepiſcopi, quae virili dignitate praedita fuit, necnon eloquentia facundiaque ſingulari motus, quicquid petiit ſine mora & contra regis legati inſtantiam conceſſit, ſuiſque cardinalibus, ut ſingula negotia expedirent, praecepit. Itaque Cantuarienſis expeditus in patriam reverti feſtinat. Sed trium dierum itinere confecto in ſanctae Gemmae villa, in fratrum minorum habitatione, laſſus atque defeſſus obiit. Cum quo totum negotium, quod Romae procuravit, una peremptum eſt. De quo monachi miraculum

Matt. Paris. Chron. major & minor.

Ad An. Chr. MCCXXVIII.

Ad An. Chr. MCCXXXI.

miraculum fingunt: Quod, cum more pontificali annulatus, gemmatus, atque mitratus, eſſet ſepultus, latrones, qui ſepulturae ejus interfuerunt, proxima nocte ſepulchrum ejus fregerunt, ut ornamenta pontificia detraherent: Quae tam firmiter adhaerebant cadaveri, ut nulla vi, aut arte, avelli poterant. Itaque latrones pavidi & divinam ultionem expectantes percuſſis pectoribus aufugerunt. In hac Archiepiſcopi profectione, eoque mortuo, Itali atque Romani, qui pleraſque opimas praebendas & eccleſias in Anglia occupabant, tanto odio & invidia Anglorum ob intolerabiles eorum violationes flagrabant; ut paſſim in publicis viis, aut ſi longius in agros egrederentur, bonis ſpoliarentur, & caederentur verberibus. Hujus rei occulti & clandeſtini ſuaſores Hubertus juſticiarius, & Stephanus de Segrave regis conſiliarius, habebantur. Apertus autem dux quidam Robertus Thwenge, qui ſe Willielmum Wither nominavit, multis ſtipatus militibus in ipſa horrea & granaria Italorum irruit, omneque illorum frumentum minimo pretio vendidit: Qui, a vicecomitibus requiſitus, qua authoritate ad hanc in Italos ſaevitiam fultus eſſet, literas ſigillo regio conſignatas oſtendit. Itaque Itali in latebris, & in templis, ſummum ſibi exitium adeſſe timentes, ſeſe abdiderunt; &, qui commode poterant, fuga evaſerunt. Interim bonis direpti & expilati ſunt. Rex, nunciis papae querentibus, aſſeruit ſe hujus expilationis penitus eſſe ignarum; mandavitque conſiliariis, ut mature huic malo mederent. Illi, ut veriſimile eſt, tumultus hujus conſcii ducem Robertum cum militibus ſuis, jam ex Italorum rapina ſatis & abunde ditatum, ab armis diſcedere ac deſiſtere, nulla ſibi ſuiſve impoſita poena, praeceperunt. Poſt hanc Italorum ſpoliationem coepit ſe paulatim Anglia in libertatem revocare, & exuere juga pontificia; etſi ne multis id ſaeculis perficere potuiſſet. Richardus Archiepiſcopus doctiſſime ſcripſit: De fide & legibus; De ſacramentis; De univerſo corporali atque ſpirituali.

Steph. Byrchinton.




Ab An. Chr. MCCXXXIV.

XLV. Sanctus Edmundus.

Ad An. Chr. MCCXL





Matt. Paris. Chron. major & minor.

Florilegus.

Onachi Cantuarienſes irritare jam amplius majeſtatem regiam, ad ſuam atque regni perniciem, in eligendo Archiepiſcopo, & ab authoritate regia ad papalem recedendo, noluerunt. Itaque, defuncto Richardo, cum regis gratiam inire ſtuderent, monachi Radulphum de Nevilla Ciceſtrenſem Epiſcopum, regi ob ſuam erga ſe fidem intimum, regnique cancellarium, ad archiepiſcopale munus poſtularunt: Et poſtulatione rite celebrata eundem regi praeſentarunt. Quem rex & hilari fronte excepit, & temporalium ejuſdem Archiepiſcopatus adminiſtrationem abjecta cunctatione illi conceſſit. Sed papa de hujus poſtulati perſona atque dignitate Simonem Langton archidiaconum Cantuarienſem, de quo in Stephani vita antea dictum eſt, interrogavit: Qui, ſive regi adverſus, ſive potiundi Archiepiſcopatus ductus ſpe, papae clam & callide ſuaſit, eum indoctum, moribus levem & inconſtantem, ſermone ferventem, totaque vita aulicum atque curialem, fuiſſe: Ingenio autem tam verſuto atque callido, regique ipſi grato eſſe, ut omnia regia negotia procuraret: Et, ſi ad archiepiſcopale culmen aſcenderet, rege totiuſque Angliae populo una nitentibus, papale jugum atque tributum a Johanne papa confirmatum ab Anglorum cervicibus excuſſurum. Quod eo magis timendum papae eſt; quia Stephanus Langton, Archiepiſcopus nuper Cantuarienſis, ab ejuſdem tributi conceſſione atque penſitatione appellavit, ſuamque appellationem in ſcripta, quae etiamnum extant, redegit. Atque hac Simonis oratione motus papa, cum ad eum monachi Cantuarienſes acceſſiſſent, Radulphi poſtulationem infirmavit, nullaque indicta cauſa pronunciavit irritam.

Sic volo, ſic jubeo, ſtet pro ratione voluntas.

Verumtamen, quia nullum fuit, ſive poſtulationis, ſive poſtulati, vitium, conceſſa monachis facultas eſt eligendi alium. Illi igitur Johannem ſubpriorem ſuum eligunt; cui & rex aſſenſus eſt. Sed, cum Romae literas ſuae electionis exhibuiſſet papae, cardinalibus quibuſdam, qui de doctrina ejus atque moribus exquirerent, traditus eſt. Hi triduo poſt retulerunt papae, ſe juſtam in eo recuſationis cauſam invenire non poſſe. Papa tamen, cujus ſola voluntas vim legis habuit, eum non aliam ob cauſam repulit, quam propter ſenectutem, ſenique bono congruam ſimplicitatem atque integritatem; eique ſuaſit, tantam dignitatem a ſene tam miti ſimplicique ingenio praedito ſuſtineri non poſſe: proinde conſultius factum

Ad An. Chr. MCCXXXIV.

Ad An. Chr. MCCXL.

factum eum, ſi monachorum electioni renunciaret. Is papae obſecutus facile ac ſine mora ceſſit, veniaque impetrata, diſceſſit in Angliam. Monachis a papa denuo imperatum eſt, ut virum aliquem ſtrenuum & valentem, qui provinciam totam fortiter adminiſtrare poſſit, eligerent. Tertio itaque Blundum, a rege probatum, qui Oxonii tum ſtuduit, elegerunt. Hunc etiam rejecit papa, quod, familiaris Petro Wintonienſi Epiſcopo, ab eodem duo marcarum millia accepiſſet; quibus, ut ſuſpicabatur, Cantuarienſes monachos ſe eligentes muneribus & Simoniaca pravitate corrupit: Deinde, quod duo beneficia eccleſiaſtica ad curam animarum deſtinata, contra concilii praeſcriptum, ſimul tenuiſſet. His Simoniae & ambitionis notis Johannis Blundi electio reprobata a papa eſt. Jamque monachos Cantuarienſes praeſentes Romae papa,

Ut ſtricto ſupplicat enſe potens,

rogat; ut Cantuarienſi eccleſiae, tribus electionibus reſciſſis, exemplo Sarae uxoris Tobiae, paſtore tanquam marito deſtitutae, Edmundum eccleſiae Sariſburienſis canonicum atque theſaurarium, virum pium atque doctum, ſuis notis atque ſuffragiis deſignarent. Hic Edmundus Abendoniae in Barkeria natus eſt patre Edwardo, matre Mabella, cognomento Divite, quia mercaturam copioſam Abendoniae exercebant. Parentes hunc Edmundum in Oxonienſi academia, quae quinque paſſuum millibus abeſt Abendonia, bonis literis ab ineunte aetate educari curarunt. Quibus diligenter excultus in virili aetate Theologiae ſe ſua ſponte dedit: In eaque progreſſus, & in ordinem clericalem aſcriptus, verbum divinum in Oxonii, Gloceſtriae, & Worceſtriae comitatibus paſſim & aſſidue praedicavit. Deinde in canonicatum in Sariſburienſi eccleſia aſſumptus eſt. Edwardus hujus pater a conjugio, cum uxoris conſenſu, ſe disjunxit, & vitam monaſticam in coenobio Evesham ingreſſus eſt. Sed hunc Edmundum, tam ſpectatum prudentia, moribus & doctrina virum, inſtante ne papa quidem, Cantuarienſes monachi, qui Romae fuerunt, ſine regis & ſui conventus aſſenſu, eligere voluerunt. Papa ei, tanquam ex taciturnitate monachorum, qui aperte contradicere non audebant, electo tranſmiſit pallium: Quo ductus in abſentem, peregrinum, & ignotum motu, haud ſcimus ex hiſtoriis. Satis autem conſtat eum a Rogero Londinenſi Epiſcopo ſacrationem accepiſſe Cantuariae, anno Domini 1234. eodemque die induiſſe pallium tempore miſſae, quam celebravit ipſo rege cum tredecim Epiſcopis, magnaque hominum multitudine, praeſente. Sacratus autem, & in archiepiſcopalium jurium poſſeſſione poſitus, Angliam inteſtino motu turbatam hoc conſilio juvit: Regi ſuaſit, ut a conſiliis ſuis Petrum Wintonienſem Epiſcopum, & Petrum de Rivallis, viros ambitioſos, totiuſque civilis diſcordiae authores, ſegregaret. Ipſe cum Ceſtrenſi & Roffenſi Epiſcopis in Walliam profectus, inter regem & Leolinum aquilonaris Walliae principem, ac Richardum comitem Mareſcallum, qui conjunctis copiis bellum in regem parabant, pacem conciliavit. Regni comites, qui a rege defeciſſent, in gratiam regis & priſtinos honores reduxit. Petro Wintonienſi Epiſcopo rex praecepit, ut ad Epiſcopatus ſui ſedem ab aula prorſus recederet, ibique animarum curae vacaret. Petrum autem de Rivallis contumelioſiſſime ex aula ejecit, minatus, quod, niſi in clericali ſorte eſſet, ſuis manibus oculos illi effoderet. Haec autem

Polychron. Chron. ſancti Albani. Abbreviat. Richard. Cic.

Ex Archivis.

Ex Archivis.

Matt. Paris. Chron. major & minor.

Ab An. Chr. MCCXXXIV. — Ad An. Chr. MCCXL.

autem per Archiepiſcopum conciliata pax, foederibus fractis, in bellum iterum prorupit. Edmundus autem paci ſtudens cleri ſynodum Londini congregavit; in qua triginta & ſex provinciales leges tulit: quarum pleraeque pontificia ſuperſtitione refertae atque plenae ſunt; reliquae aequitate atque ratione nituntur. Edmundus enim aequabilis & temperatus atque juſtus fuit; tum ab omni populari atque civili diſcordia, hiſque rebus, quibus ea concitatur, inferendis injuriis, & rapinis muneribuſque extorquendis, animo toto ſemper abhorruit. Quae hominis virtus atque conſtantia pontificiorum odium, quod eum optime de patria meritum in exilium egit, comparavit. Quod tamen commode vitare atque adeo contemnere potuiſſet; ſi regis a ſe animum & benevolentiam, pro minuto & parvo pendendo jure quodam pontificio, a ſe penitus non alienaſſet: Quae quanquam prolixior narratio futura eſt; hoc tamen ordine exponatur. Rex, Willielmo Mareſcallo Pembrokiae comite in Hibernia mortuo, ſororem ſuam Eleonoram, ejuſdem comitis uxorem, ſtuduit nuptiis Simonis Mountfort, Leyceſtrenſis poſtea comitis, conjungere. Sed illa, ſive ex animo, ſive ſimulate, ſimul atque Mareſcallo marito orbata eſſet, antea caſtitatem voverat. Itaque Edmundus, qui aſtringere illam ad votum conſervandum voluit, totis viribus his nuptiis reſtitit: Regemque acriter increpavit; quod homini, nuptiis conciliandis, eccleſiaſtica jura diſſolvendi author fieret. Quae, in impediendis his a rege conſtitutis nuptiis, Edmundi opera & oratio regem ab eo prorſus abalienavit atque ſejunxit. Itaque non minus incenſus, quam cautus, rex clam cum papa egit, ut, tam ad hunc Archiepiſcopum, quam alios ſibi adverſos coercendos ſubditos, aliquem ſtrenuum & ſolertem virum, cum legatina poteſtate in Angliam mitteret. Papa ex ſua regiſque ſententia delegit Ottonem ſancti Nicolai in carcere Tulliano diaconum cardinalem. Hic inſtructus dolis & arte pontificia Pariſiis in itinere jam fuit; antequam de adventu ejus Archiepiſcopus, aut magnates, quicquam vel minimo ſigno aut ſuſpicione ulla accepiſſent. Hunc itaque advenientem magnates his maledictis execrantur: "Immutatorem totius regni vocant. Qui oblata inaeſtimabilia munera accepit quidem, palam aliqua, ne Romanam avaritiam indicaret omnibus; ſed ea, quae in oculis coram non accepit, callide ſibi reſervari juſſit." Rex ipſe ad loca maritima occurrit, ſuſcepitque inclinato ad genua capite, & ad mediterranea officioſe deduxit. Epiſcopi & Praelati muneribus, pluſquam decuit, affecerunt. Legatus commodum, ex hac regis cum proceribus diſcordia, ad regnum expilandum, tempus nactus, primo ſuo adventu beneficiorum in Anglia vacantium redditus atque fructus in Romanorum gregem ſecum huc adductum profuſiſſime diſſipavit. His hac prima largitione permulſis inceſſit ubique ſtipatus. Edmundus regem de hujus legati ingreſſu increpat, ipſumque legatum Anglicani cleri per eum vexati & expilati, tantorumque acceptorum munerum, reprehendit. Rex & legatus Edmundi orationem deriſam & contemptam luſerunt: Sed legatus eandem, ut magnam injuriam, poſtea ultus eſt. Interea Simon Mountfort muneribus obtinuit a papa, ut ſponſae ſuae Eleonorae, ſororis Henrici regis, relaxato & remiſſo voto, progredi ad celebrandas nuptias jure pontificio illaeſo poſſint. Papa mandavit, intercedente hac aurata interceſſione, legato Ottoni, ut, voto non obſtante, pro matrimonio praedicto ſecundum Simonem & Eleonoram judicaret. Is mandatum papae ſine mora peregit. Ita Edmundo ſpreto, nuptiae

Ex Archivis. Matt. Paris. Chron. major & minor.

Verba Matth. Paris.

Matt. Paris. in utr. Chron.

A An. Chr. MCCXXXIV — Ad An. Chr. MCCXL.

nuptiae factae sunt. Haec prima contemnendi ludibrioque afficiendi Edmundum Archiepiscopum causa fuit. Alia deinde, his regis & legati acquisitis inimicitiis, graviora in hominem insontem atque pium meditata mala sunt. Romana sub haec tempora fervens & inexplebilis avaritia cujusquam generis hominibus, doctis ac indoctissimis atque summis, patefacta est. Mirum enim est, quibus artibus per orbem christianum, in Anglia vero maxime, expressit undique pecunias. Decima illa, Stephano Langton Archiepiscopo, paucis ante annis papae persoluta, exhausta est: Sed, redintegrandis technis, redintegranda solutio est. Illa decima Romanum exercitum contra Fredericum imperatorem alebat: Jam autem, nova fraude excogitata, pro Terra Sancta dimicandum est. Itaque destinati undique a curia Romana legati, qui praedicando, supplicando, praecipiendo, comminando, excommunicando atque exigendo, innumeros regni subditos extorres & mendicos reddiderunt. Scripsit papa Angliae regi, populoque atque clero literas verborum adumbrato fuco specieque sanctissimas, sed reipsa omni pietati & justitiae christianae contrarias: In quibus, dolere se ait amissionem illius sancti regni ex induciis inter Soldanum & orientalem Caesarem olim pactis, brevique desituris, imminere: Provocandos itaque ad id defendendum, aut si amittatur, recuperandum, omnes christianos. Itaque se ad tam pium facinus summa charitate motum, ex plena sua indulgendi, solvendique atque ligandi potestate, cunctis, qui aut ad illud bellum suscipiendum se inscribere, aut proficiscentibus largiri aliquid volunt, juxta operae, aut datarum facultatum, modum, peccatorum remissionem largiri & polliceri. Qui in hanc militiam inscripti sunt, crucis christianae signo notandi fuerunt. Postulatum ad hoc non modo militare, sed & navale, subsidium fuit. Ad hanc rem suadendam ex fratrum minorum ordine exorti praedicatores per Angliam passim scatebant. His a papa concessa potestas est, huic militiae se ultro ascribentes cruce signare; postridieque acceptis nummis ab ejusdem voto solvere, veniamque peccatorum in multos dies concedere. Hi e religiosis, etsi minimi, tamen hac accepta potestate populo plebique gratiosi, sed monachis, quibus papa hanc facultatem non permisit, odiosi, fuerunt. Verum paulo post, cum populus, etiam ipsis monachis suadentibus, perspexisset, quam accurato atque vaferrime fabricato dolo tanta corrasa & collecta pecunia fuisset; infectoque contra imperatorem tam hostiliter vibrato bello, accepta ab Anglia tanta pecunia pacem illico sequutam: Nullumque in Terram Sanctam apparatum, aut militum delectum, haberi; ipsosque, qui profectiones vovissent, vota sua pecunia redimere ab ipsis religiosis papae quaestoribus rogatos; ipsis animis & conscientia laesi atque sauciati coeperunt tam insidiosam avaritiam papalem aperte atque passim reprehendere ac taxare. Itaque postea magis magisque coeptum est tam fraudulentis & iniquis pecuniarum expressionibus obstari; cum aperte cognitum & vulgatum esset Romanam ingluviem atque sordem sanctitatis praetextu solum lucrum inhiare. Sed legatus Otto, ut hanc suae Romanae curiae infamiam & contumeliam cautius devitaret, munera jam respuere contra consuetudinem Romanorum callide coepit, ut gravioribus oneribus Angliam demum opprimeret, & affluentioribus largitionibus illam voraginem satiaret. Ac primum, ut in omnium animos simulata sanctitate influeret, magnates diuturna discordia vindictam meditantes conciliavit. Deinde synodum Londini indixit, cui Archiepiscopos, Episcopos caeterosque praelatos, ac

Verba Matth. Paris. in Chron. majori.

Matt. Paris. in utr. Chron. Florileg.

Ab An. Chr. MCCXXXIV. — Ad An. Chr. MCCXL.

inferioris cleri procuratores adeſſe mandavit; ut de ſuae legationis poteſtate cognoſcerent, & de eccleſia Anglicana reformanda tractarent. Interim Epiſcopi & praelati eſculenta atque poculenta abunde legato miniſtrabant. Petrus Wintonienſis a rege, ut ante diximus, aula prohibitus, male ſibi metuens, quinquaginta opimos boves, centum ſummas ſelectiſſimi tritici, & octo dolia vini generoſiſſimi, legato miſit. Haec gratuito accepit legatus, quia a paſtore locuplete profecta ſunt; a caeterorum accipiendis muneribus fuit temperatior; juris civilis regulam ſecutus, ut neque paſſim, neque ubique, neque ab omnibus, accipere videretur. Hoc concilium in eccleſia Paulina celebratum eſt. Incepto concilio miſit ad legatum rex, eique praecepit, ne contra authoritatem poteſtatemque ſuam regiam quicquam decerneret, aut tractaret. Ubi legatus Otto in occidentali templi parte extrui mandavit ſibi ſedem faſtigioſam, ad quam gradibus pervenire poſſit: Ibi priſtina inter Cantuarienſem & Eboracenſem Archiepiſcopos, de praeeminentia renovata contentio eſt: Certabant enim, ut ſolebant, ad papam appellando, utri dextras, aut ſiniſtras, legati ſedentes tenerent. His altercantibus, “En, inquit, legatus, prolata bulla papali, videtis hic depictum Chriſtum crucifixum, eique a dextris Paulum, & a ſiniſtris Petrum, aſtare; inter quos nunquam mota eſt de Chriſti dextris, aut ſiniſtris, occupandis contentio; etſi ambo ſint in gloria coaequali. Veruntamen propter Petri clavigeri dignitatem, & Apoſtolatus principatum, merito a dextris crucis ejus imago collocanda videtur.” Ita ſedatis Archiepiſcopis, deinceps Cantuarienſis a dextris, Eboracenſis a ſiniſtris, legati ſedebant. In hoc concilio Simon Langton archidiaconus Cantuarienſis, de quo in Stephani Archiepiſcopi vita antea dictum eſt, petiit, ut Ottonis legationis authenticum papae mandatum publice legeretur. Quo facto, Otto adventus ſui cauſam, papaeque conſilium declaravit. Deinde addidit, ad ſuam notitiam perveniſſe, multos in Anglia ſpurios & ex illegitimo coitu natos beneficia eccleſiaſtica, permultoſque plura, quam jure permiſſum eſſet, poſſidere; quorum plerique nobili genere orti, cum jam legibus amovendi eſſent, non modo inſidias illi occultas, ſed vim apertam, pararent. Itaque Archiepiſcopos & Epiſcopos atque praelatos obſecravit, ut hanc a ſe vim prohiberent ac repellerent. Exortus deinde eſt Wigornienſis Epiſcopus ex illuſtri prognatus ſanguine, mitraque depoſita, ita peroravit. “Qui haec beneficia, Pater ſancte, tenent, nobiles ſunt aut aetate provecta, aut juvenili: Senes perhonorifice ſemper hucuſque vixerunt, familiam lautam adminiſtrarunt, eleemoſynaſque foribus apertis abunde largiti ſunt; his jam ad paupertatem detrudi ignominioſiſſimum eſſet. Adoleſcentes autem feroces atque ſtrenui ſunt, qui armis dimicare, potius quam beneficiis cedere, malint. Ego ipſe in hac ſemper fui ſententia; ut in diſcrimen omnium meorum beneficiorum venire maluerim, quam hujuſmodi veſtrae conſtitutionis praetextu vel unum deponere. Proinde rogamus, ut non tibi minus in hoc negotio proſpicias, quam nobis; qui contra tam generoſam multitudinem nos opponere in hac cauſa nec poſſumus, nec audemus. Sed eo jam omiſſo, pro tua noſtraque incolumitate papam, cum Romam redieris, caute prudenterque conſulas.” Legatus hoc reſponſo deterritus, etſi aliis, quos oratione ſua deſignavit, amotis, proſpicere ac providere, ex vacaturis beneficiis, Romanis ſuis voluit; tamen ab incepto deſtitit, & a ſynodo petiit, ut ſecum una de hoc

ff. De off. proconſulis.

Verba Matt. Paris. in Chr. majori.

hoc tanto incommodo communibus literis papae auxilium implorarent: Quo promisso pergit in concilio legatus. Deinde constitutiones suas scriptas & in ordinem redactas legi ac publicari fecit: Quae etiam Legatinarum in Anglia constitutionum appellatione denotantur. Sed permulti, e quibus Archiepiscopus Cantuariensis Edmundus primus atque author fuisse putabatur, finita Ottonis legatione, omnia sua legatina decreta jura rescindere irritaque facere statuebant: Quod ad legatum delatum est. Is itaque a papa in libello authentico, in quo omnes illae constitutiones exaratae sunt, decretalem, de confirmandis imperpetuum Ottonis legibus epistolam impetravit. Hanc decretalem in papae registro reconditam recitavit in concilio publice magister Atho; qui Ottonis constitutiones his annotationibus, quas jam habemus, explanavit. His itaque constitutionibus promulgatis atque roboratis, hoc concilium tertio die dissolutum & dimissum est: Et data a legato benedictione " omnes cum parvo gaudio " recesserunt." Verba Matt. Paris. in Chr. majori.

Hoc autem dissipato concilio, quia motus intestini sunt illico concitati, papa literis Ottonem Romam revocavit. In quibus eum monuit, tam populum quam clerum, ad grandem Romanae sedis ignominiam, obaeratum ejus adventu & ad paupertatem exactum fuisse; proinde sibi, omissis legationis negotiis, sine mora Romam redeundum. Sed legatus malens in Anglia remanere, & metere ubi non seminaverat, caute procuravit, ut scriptum domino papae destinandum, regis & Richardi ejus fratris, ac Episcoporum, sigillis firmaretur; in quo, quam utilis esset regi, regno atque ecclesiae Anglicanae, exponeretur. Qua fraude discessum hinc suum diutius, quam utile aut necesse Angliae fuit, retardavit. Verba Matt. Paris. in eadem.

Sub haec tempora Hugone Wallis Episcopo Lincolniensi mortuo electus est a capitulo Robertus, cognomento Grossetests, id est, caput crassum, vir humili quidem stirpe satus, sed virtute, prudentia, doctrinaque insigni. Hunc cum Readingae consecrare Edmundus voluit, Cantuarienses monachi pro jure suae ecclesiae, extra quam non esse celebrandam cujuscunque Cantuariensis Suffraganei consecrationem, se invitis, affirmabant, intercesserunt. Tandem in hujus consecrationem convenere; de futura sua dissensione, si alibi, quam Cantuariae, deinceps consecrationes habeantur, protestati. Idem etiam Edmundus Radulphum de Madenestane Episcopum Herefordensem consecravit: Ac paulo post Henrico Roffensi Episcopo mortuo, monachi Richardum quendam de Wendovere suis suffragiis electum Edmundo consecrandum praesentarunt. Is eum ut indignum rejecit. Hinc orta & exaggerata contentione monachi appellando Romam volant. Edmundus eos pari celeritate sequutus est. Sed Otto legatus, cum jam opportunitatem vindictae de Edmundo sumendae nactus esset, eam nulla ratione praetermisit. Primum ei jam navem ascendenti vetuit discessum; veritus, ne de se magis, quam de monachis, querelam justiorem ad papam deferret. Sed, quia jam Ottonis a papa revocati authoritas cessare Edmundo visa est, respondit ejus jussu se retineri nolle; cujus non modo congressum, sed & expilationes direptionesque fugeret, cujusque jam rescissa nihil valeret authoritas. Ita Romam Edmundus properat. Ibi de suae gentis atque provinciae Anglicanae direptione, insatiabili Ottonis impressa avaritia, graviter conquestus est. Multa etiam importune dixit in regem: Cujus tota criminatio in absentes emissa etsi verissima fuit, tamen ab ipsis reis & absentibus sic vitata, eorumque intercessione atque

Ab An. Chr. MCCXXXIV.

Ab An. Chr. MCCXL.

atque gratia ſic ab ipſo papa rejecta eſt, ut in caeteris etiam ſuis juſtiſſimis cauſis poſtulationibuſque ſuccubuerit. Nam, primum electio Richardi Roffenſis Epiſcopi, quam Edmundus irritam pronunciavit, a papa confirmata eſt, & pro monachis contra eum lata ſententia. Deinde ſententia quaedam, quam Edmundus in Hugonem Arundeliae comitem antea tulerat, alio papae decreto infirmata atque revocata eſt: Et in utraque lite Edmundus ad expenſas mille marcarum adverſis partibus ſolvendas adjudicatus. Ita inglorius, triſtis, nec itinere magis & longinqua profectione laſſus, quam ſumptibus defatigatus & ad ſummam inopiam pulſus, in Angliam vir pius reverſus eſt. Eum jam redeuntem excepit nova contumelia atque calamitate legatus, hominemque Romae proſtratum & dejectum, omniumque rerum taedio afflictum atque miſerum, majori moerore aegritudineque confecit. Monachi enim Cantuarienſes elegerunt ſibique praefecerunt priorem, inconſulto Archiepiſcopo. Quod quia praeter jus ac conſuetudinem factum eſt, eos excommunicavit Edmundus: Quos legatus non minus caeca munerum cupiditate, quam aperto Edmundi odio, relaxavit, eorumque electionem confirmavit. Eandem vero iterum Edmundus infirmavit, & monachorum contumacium poenam auxit, eorumque eccleſiam interdicto ſuppoſuit. Tandem, creſcente diu hoc tumultu, ne ſuperior in hac controverſia Edmundus videretur, legatus ipſe Cantuariam accedit, auditaque & repetita iterum cauſa, compertaque monachorum fraude in quodam authentico ſcripto depravando, priorem amovit, monachos acriter caſtigavit: e quibus quoſdam perpetuae poenitentiae damnavit, quoſdam arctiori regulae ordinique aſtrinxit.

VERUNTAMEN prorogato jam ſibi legationis tempore, & Edmundo Archiepiſcopo ad hoc ſilentium coacto, ut neque reſpondere, nec omnino hiſcere, auderet; tanquam callidus & clandeſtinus inveterator, qui ſe inſinuavit dolo, jam tandem rebus ex ſua ſententia firmatis exactiones aperte coepit flagitare. Ac primum, ut monachos compeſceret, authoritate papae abbates regni in eccleſiam ſancti Martini Londini convocavit; his duras arctaſque leges de ordine monaſtico reformando dedit. Ita rege ipſo, diuturnitate & obſequio, Archiepiſcopis autem & Epiſcopis, abbatibus, totoque clero tam artificioſe meditatis a ſe technis in ſuam poteſtatem nutumque deductis, impetrare exiſtimavit ſibi facile eſſe, quicquid rogaret, cum jam imperare potuiſſet. Ad hanc direptionem, ſeu poſtulandam, ſeu imperandam, cogit Epiſcopos ad ſynodum Londini; ab his novas pecuniarias petit procurationes. Sed Epiſcopi jam praeter opinionem legati reſpondent: "Quod toties bona eccleſiae exhauſerat Romana importunitas; quod nullo modo amplius tolerarent; Exhibeat vos, qui inconſulte vos vocavit." Quo reſponſo Henricum, qui Ottonem accerſivit, & poſtea a papa avocatum detinuit, notarunt. Ac, poſtquam concedere ne quicquam voluerunt, cum magno murmure frementes a concilio diſceſſerunt. Hac tactus contumelia in Scotiam ſe accingit: Sed Scotorum rex, adventu ejus cognito, occurrit ei ſuum regnum ingredienti, ingreſſumque prohibet: Nunquam aliquem ante a papa legatum Scotiam intraviſſe aſſerens: Satis enim recte & ex ordine religionis componi poſſe in Scotia res eccleſiaſticas ſine papalis legati interventu. Sed ille verſutus Otto, ne cum tam inſigni contumelia ac repulſa in Angliam repelleretur, multis precibus ingreſſum ſaltem & aliquam moram in Scotia, his legibus, impetravit: Ne quicquam inconſulto rege moliretur; ut-

Verba Matt. Paris. in Chr. major.

que

An. Chr. CCXXXIV. que chirographo suo authentico ante discessum patefaceret ac indicaret, illum ingressum non esse trahendum deinceps in consequentiam. Ingressus tandem his conditionibus Scotiam, Episcopos, & eos, qui ecclesiastica beneficia possidebant, ad se sigillatim vocavit; pecunias multas papae nomine collegit; tandem, quasi de improviso regeque inconsulto recessit clam a Scotia, chirographumque illud, quo regi oportuit testatum reliquisse, illum suum in Scotiam introitum non futurum deinceps praejudicium & exemplum, jam simulate, ut regem falleret, scriptum secum subduxit. Ad An. Chr. MCCXL.

REVERSUS jam Otto in Angliam imperatorem Fredericum papae jussu, primum in coenobio sancti Albani, deinde in ecclesia Paulina Londini, excommunicavit. Hinc rumores varii in plebe exorti atque sparsi de papae & imperatoris meritis, uter religiosior judicandus esset. Cujus tam varii omniumque pene vocibus frequentati sermonis causam dederunt tam imperatoris quam papae ad regem & magnates Angliae literae, ejus excusatoriae, hujus autem criminatoriae. Quibus in populum pervulgatis, ipsi Romani pontificis fautores solam execrabilem avaritiam omnem fidem suis suasionibus abrogasse aiunt. In omnium ore hae voces iteratae saepe sunt: "Sentit ecclesia occidentalis, praecipue Anglicana, oppressiones Ro- "manorum quotidianas; nec adhuc unquam vel minimas pressuras sensit "imperiales." Addiditque populus: "Quid sibi vult hoc? In epistolis "suis humiliter de Deo scribit imperator & catholice, nisi tantum quod "hac ultima, papali personae derogat, non officio; nec publice praedi- "cat, nec procaciter sustinet quicquam haereticum, vel prophanum; "non usurarios nobis misit, sicut papa, nec raptores redituum." Et sic est ortum schisma in populis formidandum.

Matt. Paris. Chron. major, & minor. Florileg.

Verba Matth. Paris. in Chr. major.

IISDEM temporibus manus cupiditatis Romanae injecta in ecclesiam, quae fuerat juris patronatus militis cujusdam aquilonaris Thomae Thwenge. Is Romanorum juga cervicibus Anglorum depellere contendens cum procerum literis Romam profectus est. Quarum literarum summa erat haec. Demersam pene Romanis fluctibus, auctis ejus sedis in eos procellis, Anglicanae libertatis naviculam: proinde coactos se excitare e somnis Dominum, qui in Petri navicula quievit, unaque voce clamare: "Domine, "salva nos, quia perimus." Jus patronatus multarum in Anglia ecclesiarum fuisse sibi suisque majoribus a primaeva Christianae religionis institutione haereditarium atque liberum, antequam nuper hoc sibi a papae mandatariis & ministris adimi coeptum sit. Nescire se, utrum ejus voluntate ac mandato, an conniventia & permissu suo, hoc fiat. Utcunque sit, prospiciendum illico, si libertates regni avitas atque pristinas violare non desinant; ne contentiones, irae, rixae, & cruentae caedes oriantur. Quanquam hoc ante postulatum concessumque fuerit; tamen jam in praejudicium Roberti Thwenge militis renovatum ab Eboracensi Archiepiscopo non ferendum exemplum. Timere se ex vicino incendio periculum suum, valdeque mirari, quod ab eodem fonte Romano aqua dulcis & amara simul possit diffluere; petere se, ut, quod ab Eboracensi admissum contra Roberti jus fuit, authoritate papae rescindatur.

Verba Matth. Paris. in Chron. major.

HIS literis ferocia papalis aliquantulum domata est; qui eos lenissimis aequissimisque literis lenivit, & aliis ad legatum datis imperavit, ut, quod Eboracensis in praejudicium Roberti Thwenge perfecit, irritum decernatur; nihilque deinceps contra laicorum jura in ecclesiarum patronatu statuatur.

Sed, quo magis sibi papa in laicos benignior esse visus est, eo atrocius in totum clerum saevit. Qui, cum laicos papalibus nexibus levari, seque solos papali crudelitati relictos viderent: "Heu, inquiunt, solum datae "sunt in direptionem & praedam Romanam possessiones personarum ecclesiasticarum, & imbellium religiosorum."

Verba Matth. Paris. in Chr. major.

LEGATUS autem iterum congregavit Londini Episcopos: Qui sperabant tantae ac tam crebrae direptionis aliquam levationem. Sed legatus contra nummarias procurationes expectavit: Cui petenti unanimes & concordes responderunt Episcopi: "Quod toties & tam diversis argumentis "bona ecclesiae exhauserat Romana semper hians importunitas, quod exhaustis jam fere omnibus, vix poterant respirare vel ad modicum tempus; nec vellent hujusmodi amplius extorsiones tolerare." Et addiderunt: "Quid utilitatis contulit adhuc regno, vel ecclesiae, istius superstitiosa dominatio?" Itaque legatus ab istorum perseverantia sibi tam inutili ad humilitatem monachorum & religiosorum, soluto hoc concilio, conversus est: a quibus, quicquid voluit, impetravit sine gratia. Ac paulo postquam hoc concilium dimissum est, ante cleri discessionem Willielmus Raleigh Episcopus Norvicensis ab Edmundo consecrationem accepit in ecclesia Paulina Londinensi, infinita Praelatorum & magnatum turba praesente. Sed papa, cum imperatorem Fredericum atrocissimo bello persequi proposuisset, novas ubique pecunias corradendi artes excogitat: orsus semper versutias & dolos suos in Anglia, in hac praesertim regis procerumque exitiosa pene regno discordia: Quam is, ut sibi commodissimam, captavit; eamque, simultatibus clam per Ottonem interjectis, ne suo incommodo sedaretur, aluit. Ac primum cruce signatis, de quibus ad bellum Hierosolymitanum paratis ante diximus, per Ottonem legatum imperat, ne se ad id iter ante aliud tempus a se statuendum pararent: Quos a voto postea, nummis legato solutis, liberavit. Deinde a fide, a subditis imperatori juramento data, omnes absolvit; praecepitque, ut tota vi in eum, tanquam in Dei & papae inimicum, irruerent. Sed tantum promeruit Romanae ecclesiae improbitas omnibus execranda, quod a nullis, vel a paucis, meruit papalis authoritàs exaudiri. Alia deinde calliditate rursus aggressus est papa rem pecuniariam. Emisit per totum orbem christianum infinitam scaturiginem fratrum minorum, quos ubique praedicatores ordinavit, ut imperatori oblatrarent; & singuli pecunias ad hoc bellum contra imperatorem gerendum minis, blanditiis, indulgentiisque ac peccatorum remissionibus, imperarent. Hujus ordinis viri, cum ob voluntariam professam paupertatem eleemosynas despecti ante collegissent, jam authoritate papali caeteris clericis ac religiosis elatiores, destinati ad reges de papae voluntate nuncii speciales, aulas intrabant. Non, sicut quondam, mollibus induti in domibus regum erant, sed vilibus vestiti in domibus, cameris, & palatiis principum, regum consiliis secretioribus admittebantur. Ex hac sordida labe Angliae rex quendam Johannem sancti AEgidii fratrem ad suum consilium accivit. Imperator, de regis Angliae ad papae voluntatem inclinatione certior factus, degenerem ejus timidumque animum arguit; quod se, qui sororis suae conjugio tanta sibi affinitate conjunctus esset, in suo regno excommunicari a papa permitteret: Tum, quod immemor nuptialis foederis & amicitiae, papae legatum, exhaustorem atque vastatorem sui regni, ad utriusque perniciem ac ruinam grassari in Anglia, indeque ad papam regni sui thesauros atque copias transferre, tam diu sivisset.

Verba ejusdem in eodem.

Verba ejusdem in eodem.

Verba ejusdem in eodem.

viſſet. Rex imperatorine, an papae, diſpliceret, dubius, ſcriptis tam ad hunc quam ad illum literis, papam, ut mitius cum ſuo affini, qui ſororem ſuam duxiſſet, ageret, rogavit: Imperatori, quod ſibi tributario atque vaſallo papae neceſſe eſſet in omnibus obtemperare papae, ſe excuſavit. Sed tamen ſibi conſcius, quod Ottonem occultum regni ſui, & imperatoris inimicum, nimia ſibi familiaritate conjunxiſſet, eamque amicitiam, ut ſibi regnoque inſidioſam, amputare voluiſſet; conſuluit Ottoni bona fide, ut Romam ocyus properaret; metuendum enim ei eſſe tam a clero quam a populo Anglicano, ſi moram hic diutius feciſſet. Legatus hac regia monitione perturbatus, nec moram hic diuturnam ſperans, imitatus eſt medicos non indoctos; qui his, quorum curationem ſuſcipiunt, quoſque cito ac ſine ſuſpicione atque ſenſu perimere ſtudent, leviſſimo mortis genere, ſanguinis miſſione interimunt: Sic legatus ex Anglia, jam ſua expilatione exhauſta & exangui, nova φλεβοτομίᾳ non modo vitalem ſanguinem, ſed ipſam animam, elicere tentabat. Primo novas procurationes exegit, deinde omnes ad militiam Hieroſolymitanam ſuo nutu aſcriptos, exacta ſolutione, voto ſolvit.

Hoc lippis & tonſoribus cum omni debacchatione notum eſt.

ILLAS procurationes nullis minis obtinere poterat. Abſurdum enim videbatur etiam ſimplicibus, quod ſimplicem Dei populum ſubſtantia ſua moliebatur Romana curia privare, nihil petens niſi aurum & argentum. Tandem vero in diſcrimine papa poſitus, inſtante cum ſuis copiis imperatore, mandat Ottoni, ut quintam Anglicanorum proventuum ad bellicos ſuos contra imperatorem uſus ſine mora cogeret. Otto nulla procraſtinatione, aut circuitione, uſus, hoc a rege, clero, populoque flagitat. Ad regem his verbis fideles ſui acceſſere: "Domine princeps nominatiſſime, quare permittis Angliam fieri praedam & deſolationem tranſeuntium, quaſi vineam ſine maceria, communem omni viatori, ab apris exterminandam; cum habeas efficax privilegium, ut non fiant tales in regno iſto exactiones? Nec ſit dignus privilegio, qui eo conceſſo abutatur." Quibus talia perſuadentibus, ait: "Nec volo nec audeo Domino papae in aliquibus contradicere."

Verba Matth. Paris. in Chr. major.

Verba ejuſd. in eod.

HOC regis reſponſo populus ſalutem deſperavit, & regis regnique calamitatem deploravit. Legatus vero, regis animo ſic fracto &, papae metu, debilitato, inſolentior Epiſcopos, magnates, & praelatos Readingae congregat, papae mandata de colligenda proventuum quinta exponit. Illi regis formidine, qui ſolus reſiſtere debuit atque potuit, attoniti negare aperte noluerunt, deliberandi ſaltem inducias petierunt. Dies datus ſtatuendi eſt. Eo die, cum Edmundus Cantuarienſis Archiepiſcopus de quibuſdam ſuis tam contra regem ipſum, quam contra Cantuarienſes monachos coram papa expoſitis querelis, ſententiam ex ſuo deſiderio expectaſſet, quanquam ſemper antea audacter reſtiterat, tamen ea ſpe nixus, quae, ut poſtea dicemus, eum maxime fefellit & in exilium ac e vita coegit, papae poſtulationi conceſſit; &, ut reliquis tam flagitioſae ſolutionis exemplum praeberet, octingentas marcas illico numeravit. Hujus exemplo reliqui aequali ſolutioni inviti aſſenſi ſunt, promiſſamque pecuniam praeſtiterunt. Hanc execrandam & vaferrimam papae rapinam ſequuta eſt altera gravior & callidior. Intravit enim Petrus Rufus quidam, clandeſtinus papae ad

ad eruendam ex omnibus latebris pecuniam nuncius. Hic omnes locupletes Episcopos, & praelatos sigillatim pertransiit, a singulis pecunias papae nomine exegit. Denegantibus & morosis, "Quid, inquit? Hic atque ille Episcopus, abbas, vel decanus hoc idem saepius factitavit." Demum adactos hac fraude solutioni jurejurando astrinxit; ne cuipiam negotium papae, ante sex menses, indicarent.

TANDEM Pontificibus & praelatis expilatis descendit papa per legatum ad inferiores clericos absorbendos. Hos, nempe parochos, legatus in Berkeria convocat: Exponit bellum contra imperatorem haereticum a papa sine mora gerendum. Illi respondent imperatorem nondum eo crimine condemnatum. Praeterea ecclesiam non uti brachio saeculari contra haereticos. Deinde, si se papa defendere, aut imperatorem oppugnare, cupiat, id ex suis Romanis facultatibus faciat: Anglicanas enim ecclesiasticas possessiones non ex arca Petri, sed ex principum atque magnatum domi concessione, suppeditatas ad Anglicarum ecclesiarum regimen, non ad papalia praelia, fuisse. Hos parochos tandem ad se, dissensione interjecta, legatus traxit. Paulo post ecclesia sancti Pauli Londini a Rogero Londinensi Episcopo, titulo cathedrali, dedicata est. Cui rei gerendae rex cum Episcopis & magnatibus interfuit: Quibus omnibus Londinensis Episcopus, decanus & capitulum ejusdem ecclesiae, lautissimum convivium instruxerunt. Legatus, ut aliquid pro suo jure in tanta solennitate agere videretur, anteactorum in quatuordecim annis criminum in hoc templo dedicationis tempore devote orantibus remissionem, edicto in templi valvis affixo, tribuit. Sed post has dedicatorias epulas, suamque in delinquendi venia concedenda facilitatem, aliam jam tanquam ultimam manum clericorum bonis adferre a papa cogitur: Qui, in congreganda pecunia vigilantissimus pastor, jubet, ne omnem simul clerum ad solutionem urgeat; ne una voce, quod saepe fecerunt, contradicant: sed singulos seorsim artificiose iterum tractet; rege tamen in eos prius commoto, quo toti deterriti atque stupefacti facilius citiusque solvant. Legatus vero, qui tam improbum magistrum habuit, de docto factus jam doctior ad nocendum, primum regis animum in eos incendit, deinde Londinum omnes, concilii de rebus ecclesiasticis ineundi praetextu, congregat. Ibi nulla res proposita deliberationi fuit; sed legati astutia clerus totus a rege praesente multis minis & convitiis exagitatus finito mox concilio discessit. Legatus labefactatam & defessam jam praedam, ea ratione, quam papa praescripserat, insequitur, eamque misere dilaniatam vorat. His factis, cum omnibus jam invisus maximo odio legatus flagraret, cum Oxoniensem academiam visitare vellet, abbatis Osneiensis coenobii hospitio usus est; ibi perhonorifice a scholaribus, delicatissimis atque uberrimis esculentis poculentisque oblatis ab eoque acceptis, invitatus. Cum autem, ut in tam celebris & famosi viri adventu saepe solet, scholarium turba introire hospitium ejus vellet, a janitore ac legati famulis vi repulsi sunt. Id aegre tulerunt; eoque molestius, quod tantis muneribus ipsum Jovem placari potuisse sperabant. Itaque vim vi repellentes ad arma ventum est. Prodierunt confertim Romani cum Oxoniensibus dimicaturi; sed coquo legati in ea dimicatione trucidato superati recesserunt, & occlusis foribus ingredi volentibus restiterunt. Legatus ipse, horrore ac metu tremens, in Osneiensis templi turri seu pinnacidio se occultat. Investigant eum undique Oxonienses, & exclamant: "Exi foras, scelester, expilator Angliae, Romanae "cupidi-

Verba Matt. Paris. in Chr. majori.

Verba Matt. Paris. in eadem.

"cupiditatis gurges." Ille, misso clam ad regem, qui tum Wallingfordiae agebat, nuncio, ejus praesidio a tanto periculo & scholarium obsidione liberari petit. Rex, missis satellitibus, hominem eximit. Liberatus jam in Oxonienses saevit, omnes sacris interdicit, officiis & beneficiis praeditos privat, ecclesias interdicto recludit, lectiones, disputationes, ac quascunque literarum exercitationes fieri vetat. Ab his censuris liberari & absolvi non poterant, antequam abbas Osneiensis, praefectique ac magistri, capite pedibusque nudi, togis exuti, reliquisque vestibus discincti transeundo plateam **Chepeside** ad domum legati accessissent, eique se supplices obtulissent. Fabianus hujus tam hostilis dimicationis causam docet; quod constitutiones in presbyteros conjugatos atque concubinarios, aliasque juvenili clero parum gratas, sancivisset. Fabianus.

SUPEREST, ut de exilio morteque Edmundi Cantuariensis Archiepiscopi pauca dicamus. Inter caeteras querelas, quas contra regem papae porrexerat, maxima fuit; quod ecclesias tam metropoliticas quam cathedrales atque conventuales vacuas & pastoribus orbatas ad suam utilitatem, & detrimentum ecclesiarum, diutius in sua custodia teneret. Itaque a papa impetravit, ut, si rex, electione permissa, de digno aliquo pastore ecclesiae cuicunque vacanti intra semestre spatium non provideret; jure, perinde ac in parochialibus ecclesiis, devoluto, ab Archiepiscopo provinciae provideretur. Quod papae decretum, magna pecunia data, ab Edmundo obtentum rex ab eodem papa rescindi ac in irritum revocari procuravit. In quo sane Polydorus ipse falsus decepit saepe multos; dum hoc a rege ipso per Edmundum, & aliquandiu, servatum scribit, donec consueto lucro carens, quod ante promiserat, ipse revocavit. Non enim a rege, sed a papa, regi damnosa profecta haec concessio est. Deinde nec unquam receptum exemplo ullo aut usu fuit. Rex enim accensus Bonifacium quendam Wintoniensem Episcopum, se ignaro, electum, ut regiam potestatem declararet, protinus amovit. Pol. Ang. hist. lib. xvi.

DEINDE Edmundus patriam & ecclesiam tot injuriis vexatam & oppressam, rege tolerante, & papa exigente, seque tot pontificiis dolis delusum, authoritatemque suam metropoliticam legati, ex fastu & avaritia fabricati, interventu diminutam aegerrime ferens, regem salutans increpat, & profuse lacrymans, "Nunquam, inquit, faciem meam videbis "amplius:" Vitaeque pertaesus, cum ea amplius cernere noluit, quae ne audire quidem sine dolore potuit, in voluntarium se dedit exilium, marique trajecto venit in Galliam, & in Pontiniaci coenobio in precibus ac jejuniis, Deum assidue pro Anglia a Romanorum faucibus redimenda interpellans, tristissimam vitam aliquandiu produxit. His temporibus Judaei, qui Nordovici advenae fuerunt, puerum quendam christianum suo ritu circumciderunt; quem in Christi nostri Salvatoris contumeliam cruci affigendum reservarunt: Sed pater adolescentis eo diligenter exquisito, facinoreque comperto, Judaeos criminis reos ad supplicium postulat; qui equinis caudis distracti patibuloque suspensi perierunt. Edmundus autem aegritudine & abstinentia in tabem, deinde in acutissimam febrim, incidit: Mutatoque recuperandae tam afflictae, imo desperatae, valetudinis causa a Pontiniaco ad Soisim loco, obiit decimo sexto Kalendarum Decembris; postquam octo annis in archipraesulatu vixisset: Dissectoque a medicis ventre evulsa cum corde viscera in Soisi sepulta sunt; cadaver Ponti- Matt. Paris. Chron. minor.

Ab An. Chr. MCCXXXIV.

Ad An. Chr. MCCXL.

niacum reductum archiepiscopali ritu humatum fuit. Legatus Otto, Edmundo jam mortuo, etiam Cistercensia coenobia, ab omni pensitatione munitissimis papae privilegiis liberrima, mandato & authoritate ipsius papae invasit. Illi vero fortiter restiterunt, suisque privilegiis coram papa ostensis, si veterem vim non obtinerent, nihil deinceps ab Anglis ei sperandum edixerunt. Hoc papa veritus ad Ottonem literis se excusavit: Non esse suae intentionis scripsit, ut pecuniarias a Cistercensibus procurationes exigeret: Itaque mandat, si visitationis aut quacunque alia causa ad eos accesserit, praescriptis illi ordini cibis tantum contentus sit, & a carnibus abstineat. Cistercensibus a faucibus legati tam opportune ereptis, cum, vastatis omnibus, nullius depraedationis spes superesset, ex Anglia jam arida & exangui Romam festinat: "Qui huc missus non erat ad oves, quae perierant, protegendas, sed ad pecuniam, quam invenerat, vindemiandam." Hic autem praedator Angliae, qui trecenta ecclesiastica beneficia Italis Romanisque suis in Anglia contulerat, a rege, magnatibus, & praesulibus cum tubarum clangore ad litus maris deductus est: Ibi regem amplexus legatina insignia deposuit, navemque conscendit, non minus pecuniis, quam singulorum diris & execrationibus, onustus. Cum trajecisset multaque itinera confecisset, a praedonibus imperatoris captus & spoliatus est: Factus praeda de praedatore, juxta illud propheticum: "Vae, qui praedaris; nonne tu praedaberis?"

Matt. Paris. Chron. minor.

Matt. Paris. Chron. minor.

Matt. Paris. Florilegus. Polychron.

EDMUNDUM autem sex pene annis sepultum, Innocentius papa veritus, ne manes ipsius mortui Romanam sedem ob tot acceptas injurias vindicarent, Sanctorum suorum pontificio catalogo inscripsit. Cujus corpus anno sequenti translatum est a Lodovico Francorum rege; iterumque triennio post, e sepulchro levatum, novoque feretro ex auro, argento, & crystallo fabricato, inclusum fuit.


HUJUS Archiepiscopi tempore Gregorius papa decretales epistolas ab Honorio prius editas retexuit suoque nomine edidit; in quibus quaedam non tam juris, quam lucri, causa innovavit. Hospitium item sanctae Katharinae, quod turri Londinensi adjacet, ab Eleonora regina, filia comitis Provinciae Gallicae, ad sustentandas debiles & pauperes foeminas extructum est. Nec non & Judaeis ad Christi fidem conversis aliud hospitium, quod nunc rotulorum, seu archivorum regiorum, custodiae destinatum est, ab Henrico rege, ejus conjuge, dedicatum fuit.



XLVI. Bonifacius.

Ex Matth. Paris. hiſt. tam majori quam minori.





Omana curia, mortuo jam tabeque & moerore confecto Edmundo, pio atque erudito viro, inſatiabili ducta pecuniae cupiditate, ut effrontes & impudicae meretrices abjecta verecundia exponere ſe venales ſolent, omnibus gentibus, & praeſertim Angliae, ſe proſtituit pretio: exemploque ſuo affines provincias uſura, quam modicum, &, Simonia, quam nullum, delictum putavit, tanquam contagione foedavit. Quae quidem inſignis & impudica impudentia reges atque populum religionis praetextu atque ſpecie diu deceptos & infatuatos, a ſuis dolis & praeſtigiis, quibus lucrum ſine modo captabat, primum avertere coepit. Nam, ut ſcorta venuſtiora quamdiu aliquam retinent verecundiam, & ipſa retenta ſunt: ſin totam deſeruerint, ſimul deſerta ſunt: Sic Roma muneribus moderata procos multos amplexa eſt; tandem vero, cum ſupra modum ſaevire atque corrupta eſſe coepit, omnes abalienavit. Poſt Ottonis diſceſſum, rex, qui non modo ſuſpicari, ſed perſpicere plane atque cernere papales fallacias coepit, Caurſinos, foeneratores Italos, qui mutuas pecunias his, qui papalibus exactionibus ſolvendo non eſſent, ſub uſuris credebant, quique papali aſtu, ut Angliam obaerarent, introducti fuerunt, regno ejecit. Sed papa Gregorius, poſtquam nummis Angliam exinaniſſet & ad grande aes alienum redegiſſet, novam adhuc exhauriendi rationem excogitavit. Quoſdam in Anglia ſibi charos atque fidos abbati & conventui de Burgo cum ſuis mandatis miſit. Hi papae nomine contendunt, ut eccleſiam aliquam, quae ſui juris patronatus erat, & centum marcarum redditu annuo aeſtimandam, ipſi papae conferrent. Hanc illi a papa rurſus locationis titulo accepturi, papae annuum proventum perſolverent, reſiduum ſuis uſibus reſervarent. Papae ad hoc improbum pactum mandatarii poteſtatem habebant abbatem & conventum ad hoc, per cenſuras papales, compellendi. Sed abbate abſente reſpondit conventus, hoc ſe, ſine regis permiſſu, qui patronus hujus ſuae ac permultarum in Anglia eccleſiarum ſit, non poſſe licite concedere. Sed inſtant atque flagitant papales mandatarii, ut mox atque clam hoc negotium tranſigatur: Sperare enim ſe in aliis eccleſiis eadem perfecturos, ſi exemplum caeteris ab hac prima conceſſione proponatur. Circumventi jam hac tam ſubita flagitatione monachi non aliam tam importunam petitionem vitandi rationem invenire potuerant, quam, ut abbatem abſentem, cujus neceſſarius fuit conſenſus, conſulant. Abbas de tam callido & clandeſtino conſilio certior factus regem clam inſtruxit. Is commotus, tandemque Romanos laqueos atque cupiditatem, cui modus nullus adhiberi poterat, execratus, reſtitit; ac

ac edixit, ne quis deincèps hujuſmodi pontificia mandata exequeretur, aut ſuſciperet. Ita fraudis pontificiae eventus inanis tandem, ſibique ignominioſus, fuit. Interea duo clerici Romani, Ottonis legati quaſi vicarii, in Angliam clam ingreſſi ſunt; Petrus Rufus, de quo antea dictum eſt, & Petrus Supinus: qui tamen ſedulus fuit & indefeſſus exactor pecuniae: Huic Hibernia, illi Anglia, expilanda commiſſa eſt. Conventus cleri publicos non cogebant; etſi exigendo, interdicendo, excommunicando, pecuniam variis modis a miſera Anglicana eccleſia extorquerent; ut hujuſmodi rapinis eccleſia Romana, ab his incommodis, quibus ab imperatore, ut illi dicebant, tam diu affecta & vexata eſt, tandem reſpiraret. Maxima autem hujus rei gerendae poteſtas penes Petrum Rufum fuit; qui ſe alteri antetulit: Quoſque ille in Hibernia ligaſſet, hic Londinum prius appulſos relaxare ſolebat. Et, ne authoritate ſpernenda & perexigua praeditus videretur, literis, quas ad ſingulos dedit, quos ad ſolvendum ſollicitavit, ſcriptum nominis ſui titulum ſic praeponere ſolebat: "Magiſter "Petrus Rufus, Domini papae familiaris & conſanguineus, ſalutem," &c. Quo titulo a ſingulis multa exegit. Collega autem ſuus Supinus, paucis menſibus, mille libras collegit; quas ad Petrum Rufum Londinum ſalvus duxit. Cumque jam plurimis repetitis expilationum generibus omnem auri argentique copiam ex Anglia, Scotia, & Hibernia exhauſiſſent; nunciatum eis eſt Gregorium papam mortifero & exitiali morbo laborare. Itaque onuſti jam atque referti Romam properant: Veriti, ne a rege, ſi de tanta papae invaletudine cognoſceret, retinerentur, collectaſque pecunias refundere cogerentur. Nec eos ſane fefellit opinio. Mox enim atque Cantuarienſium monachorum ope tranſiiſſent in Galliam, ad regem cum literis in Angliam venit Walterus de Ocra legatus imperatoris. In illis literis nunciata mors eſt regi Gregorii papae; deinde rex admonitus, ut tam papales praedones, quam praedam, caperet atque detineret. Sed illis, ut diximus, jam elapſis, Walterus iratus regis ignaviam increpavit; & ipſe praedonum, ut naſuti canes ſolent, olfaciens veſtigia, viarum, quibus incedebant, diverticula perſcrutatus eſt: De quo imperatorem quam citiſſime certiorem fecit. Itaque illi, cum divulgata jam Gregorii mors eſſet, inſidias veriti, abdiderunt ſe una cum praeda in amicorum & conſanguineorum aedibus; ut palam atque liquido deprehendi non poterant. Sed imperator per ſingulas ſuae ditionis in Italia civitates de his papalibus nunciis, multarumque eccleſiarum, & praeſertim Anglicanae, mercatoribus, indagari fecit: Eoſque tandem captos carceribus atque vinculis coercuit: Eorum affines, familiares, & conſanguineos, quive his opem ullam dederant, proſcripſit, pecuniam omnem per tabelliones & ſcripta penes civitatum mercatores atque depoſitarios exploratam juſtis dominis reſtitui curavit. His expilationibus, quae tam infeliciter ceſſerant, defeſſa tandem Romana curia, quaeſtores, ut deinceps oſtendemus, huc non miſit amplius: Sed pecunias, quas exegit, ad ſe perferri caute voluit. Gregorius autem papa, qui, bello in imperatorem moto, totum orbem chriſtianum tumultu permiſcuit, Angliamque maxime perturbavit, aegritudine atque tabe confectus obiit; quod imperator caſtellum in Campania, ad quod papae conſanguinei confugerant, expugnatione cepit; ipſoſque captos patibulis ſuſpendit, & in hujus vindictae memoriam turrim quandam ſemidirutam reliquit. Ac, mortuo jam Gregorio, dolorene magis an hilaritate ingemuerit rex, incertum eſt. Nam incredibili ac intoleranda

AD AN. CHR. MCCXLIV.

AD AN. CHR. MCCLXVIII.

randa quadam servitute, a qua vivente illo se vendicare non poterat, liberatus esset jam, si regni barones in fide obsequioque stetissent. Sed, reluctantibus sibique adversis illis, respublica per exteros atque peregrinos administrata est. Itaque, postquam de Archiepiscopo Cantuariensi jamdiu deliberasset, Eleonora ereginae suasu Bonifacium, Thomae Sabaudiensis in Gallia Narbonensi filium, reginae avunculum, a monachis Cantuariensibus eligi postulavit. Hi virum ignotum, tanta regi affinitate conjunctum, etsi ab illa sede prohibere libentius, quam eligere, vellent; tamen, cum papam, quem nondum sciebant esse mortuum, omnia regi indulgere & concedere ex tam multis argumentis accepissent; veriti, ne, si praeter regis sententiam quenquam elegissent, repelleretur, in Bonifacio eligendo regi obsequuti sunt: Ac rite celebrata electione rex illico membranam de laude & commendatione avunculi sui Bonifacii ad papam conscribi, & tam suo regio quam Episcoporum & abbatum sigillis appensis, tanquam publico communique omnium testimonio, roborari, invitis quidem permultis, sed perterritis atque enervatis, curavit. Bonifacius enim, praeterquam quod nobili genere ortus, & corporis proceritate atque virilis personae dignitate praeditus fuerit, caeteris in rebus indignus tantae gerendae dignitati existimabatur: Unde quidam Cantuarienses monachi pudore atque moerore affecti, quod eum elegissent, Cantuariensem ecclesiam deseruerunt, & ad perpetuam agendam poenitentiam arctissimo ordini Carthusiano sese astrinxerunt. Veruntamen, haud multo post rex, legatis ad Innocentium papam, qui tum Lugduni fuit, cum illo suo atque Praesulum scripto atque sigillato testimonio missis, facile impetravit, ut in ea civitate sacrationem ab ipso papa acciperet. Ac paulo post Petrus Sabaudiensis comes in Angliam venit; qui illas magnificas aedes, quas Henricus septimus reparavit, & pauperibus alendis destinavit, primus extruxit, quae antiquum nomen, **the Savoy**, adhuc retinent. Incidit hic Bonifacius in tempora valde periculosa atque turbulenta, ob motus atque tumultus frequentes, qui non modo ob papales exactiones a rege conniventibus oculis permissas, sed etiam ob advenarum peregrinorumque adventum, quorum consilio rex omnia gessit, inter regem & barones concitati sunt: Ad quos sedandos in parliamento Oxonii celebrato statutum atque decretum fuit; ut vetera regni jura ante Gulielmi Normanni victoriam usitata, & vi magis, quam desuetudine, abrogata, regni incolis restituerentur: Ad quae observanda tam rex quam barones mutuis juramentis praestitis sese astrinxerunt. Sed rex, ratus ea jura ad populi libertatem minuendam, suamque dignitatem augendam, esse remissiora, egit cum papa postea, ut ejus authoritate a jurisjurandi religione absolveretur. Papa hoc, ut solet, fecit; utpote qui, regibus & magnatibus diffidentibus, sibi usucepit potentiam, regemque clam solvit juramento: Ex quo civilia bella inter regem ac barones mox suscepta sunt. In hac civili discordia papa, qui occasionem quancunque, sive acquisitam, sive oblatam, pecunias in Anglia colligendi praetermitere noluit, Martinum quendam, novum pecuniarum exhaustorem, cum excommunicandi, interdicendi, & quocunque modo etiam arbitrario sibi repugnantes coercendi, authoritate in Angliam misit. Is, dum rex & magnates civili conflictatione impedirentur, Praelatos Angliae non minus hostiliter aggressus est; quos a beneficiorum fructibus percipiendis, indicta causa, severissimo decreto suspendit: Donec papali voluntati satisfactum fuisset. Quibus de illa volun-

An. 1244.

Verba Matth. Paris.

tate quaerentibus respondit Martinus; Ut permulti annui redditus consanguineis atque clericis papae ab Angliae Praelatis contribuerentur: Se autem redditum nullum, qui viginti Anglicas libras annuas non valeret, admissurum; "Ne quisquilias in Anglia colligere videretur." Equos praeterea elegantiores atque generosos, quorum tunc habebatur in Anglia copia, a Praelatis exegit. Quos, etsi suae negationis atque adeo maxime necessarias excusationum causas allegarent, tamen ad praestandum papalium poenarum atrocitate compulit. His modis magnus ecclesiasticorum beneficiorum, praebendarum, atque dignitatum numerus Romanis clericis absentibus acquisitus; nec non equorum selectissimorum copia celeriter Romam traducta est. His tot jacturis labefactata a papa Anglia, coepit totus populus atque clerus de papali jugo suis cervicibus penitus excutiendo cum rege conspirare. Qui, quasi parturientes, conceptum ac retentum alta diu mente odium in apertas tandem querelas effundunt: Angliam tam varias tantasque largitiones ulterius ferre non posse: Si suis consanguineis clericisque Romanis, ex ecclesiis, proventus providere cupiat; potestatem suam vicinioribus Italicis ecclesiis, non Anglicanis tam longe Roma disjunctis, admoveat: Nam ecclesiasticos in Anglia proventus a regibus ac magnatibus, ecclesiarum patronis, ad continuum divinum cultum in Anglia gerendum, hospitalitatis munera, & alendos eleemosynis pauperes, ecclesiarumque extructiones atque reparationes, fuisse suppeditatos. Quibus peractis, si ex ecclesiasticis facultatibus supersit quicquam, id pontium, arcium, & viarum refectioni, aliisque regni necessitatibus sublevandis, quam illi Romano sacerdotali luxui, concedi est aequius. Praeterea nec honestum nec tutum Anglis esse potest, papam suis copiis contra imperatorem instruere, qui & affinitatem cum rege nuptiis contraxit: Ex quibus liberi procreandi ex Anglica regia stirpe provenirent. Deinde imperatorem obesse atque incommodare posse multum Angliae, si aut vicinas mercaturas impediat, aut contra Lodovicum Francorum regem ad eas provincias recuperandas, quas armis cepit, auxilio suo non subveniat. His malis compulsus Henricus rex ad papam scripsit: Eum obnixe rogavit, ut miserae diuque afflictae Angliae, & a Romanis expilatoribus ad vivum atque adeo ad ossa resecatae tandem parceret: laborare eam & intestinis & externis multis incommodis, quibus omnibus multo gravior & acerbior est avara illa Romana manus: Cujus alleviationem si saltem paulisper sentiret, caeteris malis se explicare citius ac facilius possit. At papa regiis precibus commotus magis quam mitigatus non modo de tam atroci expilatione nihil remisit; sed novo ambitionis genere potentiam suam dilatare studuit. Davidem enim Northwalliae principem, qui fide data se Angliae regi astrinxerat, ab ea fide liberare, suoque dominio mancipare, voluit; ut Romanae ecclesiae ex illa provincia quingentae annuae marcae solverentur. Hac pollicitatione atque spe Davidem, in regem contumacem & rebellem, protexit atque fovit; donec publicis instrumentis in jure probaretur principem Walliae regis Angliae vasallum atque subjectum fuisse. Deinde, hac amota fraude pontificia, cum ita exhaustae essent Anglorum facultates, ut ne regi auxilia praestare poterant; rex, subsidio sibi a clero denegato, a papa petiit, ut is ad eos monitorias atque adeo instigatorias literas daret. Cujus rei eventus in se postea recidit: Cum enim, ne papa quidem intercedente, impetrare aliquid a Praelatis potuit; papam tamen magna pecu-

nia

Ab An. Chr. MCCXLIV. Ad An. Chr. MCCLXVIII.

nia remunerare coactus eſt. Praeterea, cum animadvertiſſet papa Anglos authoritate ſua, magis quam regia, ad pecunias dandas impelli poſſe, prodeſſe ſibi multo prudentius, quam regi, decrevit. Cumque jam tam Praeſules quam magnates pecuniario ſubſidio juvare regem ſatis aequis conditionibus promiſiſſent; venit in Angliam Martinus quidam ad exigendas pecunias papae legatus, poteſtate quadam nova & inaudita praeditus; quam is mira ſedulitate & ſeveritate exercuit. Hunc tam improbum pecuniarum raptorem Angli, mutata in ejus nomine litera, Mattinum appellabant. Hic Romanis clericis eccleſiaſtica beneficia, ſimul atque vacarent, ſcriptis, ut aiunt, bullatis, quorum infinitam ſecum adduxit copiam, contulit: Ut in omnium ore hoc eſſet; Martinum ſchedulas multas, non ſcriptas, ſed bullatas, in quibus, quicquid vellet, exarare poterat, ſecum in Angliam attuliſſe. Cum itaque Anglicanum clerum ad feſtinam decem millium marcarum ſolutionem urgeret; illi duabus iſtis a rege & a papa poſtulationibus, tanquam inter incudem & malleum, contriti: "Heu, inquiunt, "duplex inſtat petitio; una regis, altera papae; ſed a rege ſperare aliquam retributionem poſſumus, a papa vero nullam." Itaque, cum regem jam juviſſent, Martino, qui eos Londini convocatos "dilectiſſimos "eccleſiae Romanae filios, in quorum ſinu repoſita tota ſpes papalis eſſet," comiter appellabat, reſpondent; ſe neque tam frequentes contributiones, neque eccleſiarum Romanis conceſſiones, ulterius eſſe laturos: Quam quidem ad rem imperatoris ad regem literis inſtigati facile fuerunt. In quibus regem rogat, ne auxilia praeſtari papae ad ſuam perniciem diutius pateretur: Se de his controverſiis, de quibus tam grandis infamia papalibus calumniis inuſta ſibi ſit, Angliae atque Galliae regum procerumque judicio ſtaturum: Nec non Angliam ab illo tributo, quod Innocentius a Johanne rege exegit, aliiſque gravaminibus, quibus quotidie afflicta eſt, ipſo marte vindicaturum. Martinus tamen vacantibus eccleſiis avidas manus ſemper injecit. Cum enim Rogerus quidam, praecentor eccleſiae Sariſburienſis, Bathonienſis Epiſcopus ſacraretur; omnes priores ejus dignitates cuidam papae conſanguineo contulit. Quo etiam tempore Robertus Paſſelewe, qui in theſauris regiis cuſtodiendis & augendis totus verſatus eſt, eoque nomine regi charus, ab eccleſiae cathedralis Ciceſtrenſis canonicis, qui regi placere ſtuduerunt, Ciceſtrenſis Epiſcopus electus eſt. Quod Bonifacius Cantuarienſis Archiepiſcopus indigne tulit, &, Epiſcopis provinciae ſuae convocatis, in difficilibus quibuſdam & nodoſis quaeſtionibus per Lincolnienſem Epiſcopum propoſitis ſerio examinavit; deinde electione reſciſſa hunc Robertum repulit, & Richardum quendam de la Wich loco ſuo, inconſulto rege, ſubſtituit. In qua turba atque lite Martinus ille proviſor Romanus, qui praeſens atque promptus lucro inhiabat, Richardo vacantes redditus bullato ſcripto ſine mora contulit. Rex autem tantam contumeliam non laturus in Epiſcopatus baroniam & poſſeſſiones ſaeculares ingreſſum Richardo interdixit. At paulo poſt Bonifacius Cantuarienſis Archiepiſcopus cum Wigornienſi & Herefordenſi Epiſcopis, qui Anglis inviſi ſuſpectique fuerunt, quod papae tantum tribuebant, rege etiam inconſulto, Romam profecti ſunt. Bonifacius hanc itineris ſui cauſam commemoravit; Obaeratam jam eſſe ſuam Cantuarienſem eccleſiam in quindecim millibus marcarum: Cujus aeris alieni atrocitas & magnitudo ſine papae auxilio diſſolvi haud poſſet. Sed tamen diſcedens a Cantiis, multis & exquiſitis rationibus, maxime vere caedendis vendendiſque nemoribus,

Verba Matth. Paris.

An. 1245.

moribus, pecuniam magnam conflavit. Et per Provinciam Gallicam & Allobroges, ut expugnaret militem quendam Provincialem, qui Reimundi comitis Provinciae filiam & haeredem ad conjugium raptaverat, transiit. Ad hunc expugnandum thesaurus grandis in Anglia coacervatus est; etsi hoc praetextu eximendi ecclesiam Cantuariensem ab aere alieno hoc fecisse visus est. Ad papam deinde accedens pretio impetravit, ut Episcopatum in Delphinatu Valentinum, aliasque commodas & opimas ecclesias, quas in illo itinere acquisierat, cum Cantuariensi Archiepiscopatu retineret.

INTEREA papa, cum ad colligendas in Anglia pecunias non multum se legatis proficere animadverteret; callido novoque inito cum cardinalibus suis, "qui solius erant amatores pecuniae," consilio ipse in regnum accedere statuit. Cardinales, sub adumbrata & ficta in regem amoris specie insidias suas occultantes, ad eum communes literas dant; in quibus consilium se proponere amicum, regi utile, regnoque honorificum exponunt; ut rex per illustres aliquos nuncios papam rogaret, ut Angliam, in qua jus quoddam proprium atque singulare tenet, dignaretur sua praesentia illustrare: Nihil regi fore gloriosius, quam ut id, quod nullius regis temporibus acciderit, jam ad perpetuum sui regnique decus contingat: Se operam sedulo daturos, ut, si rex hoc peteret, a papa impetrarent: Eoque paratiores futuros; quod meminerint dixisse nuper papam, quam grato animo "delicias Westmonasterii, & divitias Londini," invisere cupiat. Rex his subdolis cardinalium blanditiis facile primo irretitus, prudentum postea consilio avocatus est: Qui regi suaserunt, Romanorum rapinis atque Simonia, nec non Caursinorum, ac Italorum, qui una cum illis Angliam ingressi sunt, usuris, integritatem & quasi pudicitiam Angliae satis violari: Opus non esse, ut ipse papa praesens praedatum accedat: Hanc autem improbam cardinalium insinuationem, esse flagitationem callidam: Petiisse enim papam tam Franciam quam Aragoniam ingrediendi a regibus potestatem; a quibus repulsam passus est. Id quod "infamia papalis curiae "promeruerat, cujus foetor ad nubes fumum teterrimum exhalabat." Papa cum intellexisset, quam ingratus suus in Angliam adventus foret, generale concilium Lugduni indixit: Ad quod primo citat regem & Praesules Angliae; in quibus maximam se habere spem maximumque percepisse solatium testatur.

Verba Matth. Paris. — *Verba ejusd.*

PAPAE nuncius Nonis Martiis regem & Praesules ad hoc concilium citavit: Concilii dies dictus est octavo Kalendas Julii. Interea rex misit ad papam capellanum quendam suum Laurentium de Sancto Martino; ut pro absentia quorundam Praelatorum a concilio veniam peteret, & de injuriis sibi a Bonifacio Cantuariensi Archiepiscopo illatis quereretur. Papa illud concessit: sed in altero cum Bonifacio, cujus largitione delinitus fuit, contra regem stetit. Rex, etsi papae resistere palam ausus non sit, tamen magnates clam incitat. Illi portus omnes observari, & veloces papae nuncios, qui cum mandatis ad Martinum papae provisorem quotidie ibant & redibant, detineri, papalesque literas ad se perferri, praecipiunt: Et paulo post Doveriam applicuit cursor papalis, onustus literis & mandatis, ut aiunt, bullatis; quae variis argumentis pecunias corradendi, potius quam dicendi aut orationis figuris, erant refertae. Hunc Doverensis portus custos captum carceribus inclusit. Cujus rei fama ad Martinum illum, citius quam ad magnates ipsos, perducta est. Is regem adiit, rem indicat:

An. Chr. [M]CCXLIV. Ad An. Chr. MCCLXVIII.

indicat: Rex adhuc papam veritus ad cuſtodem illico ſcripſit, ut curſorem illum liberaret. Ita ipſe ſalvus ad Martinum ſuum papales chartas ſalvas perduxit. Jam Lugdunenſis illius concilii dies inſtabat. Papa ipſe menſe Maio advenit. Cujus primo adventu conclave papae ſubito combuſtum eſt. Hoc quidem callide factum putabant, ut incepto concilio cauſa papae exigendi pecunias miniſtraretur: Sed, ut multi aſſerebant, execrabilis illa charta, quam a Johanne rege de tributaria Anglia facienda extorſit, in eodem incendio periit. Papa ante inchoatum hoc concilium coepit illam authoritatem, quam vendicare tum in animo habuerat, in Lugdunenſes canonicos exercere. Itaque in praebendas quaſdam vacantes invaſit; in quarum poſſeſſionem conſanguineos & affines ſuos miſit. Cui in os reſtiterunt canonici Lugdunenſes, cum minis & juramentis exclamantes; quod, ſi tales Lugdunenſem eccleſiam ingrederentur, nemo eos ſervando ſervare poſſit, quin in Rhodanum vicinum amnem mergerentur. Quibus dictis deterriti papae conſanguinei ne in aſpectum quidem prodierunt, ſed ſubito evanuerunt. Ac in Anglia magnates, cum hoc concilium imminere cervicibus ſuis animadverterent; rege in ſuam ſententiam contra papam clam adducto, miſerunt Fulconem quendam Warini Filium, totius Anglicani populi ad Martinum praedonem nuncium: Martinus tum Londini in Novo Templo fuit: Quem Fulco his verbis allocutus eſt. " Recedens ſtatim exi ab Anglia:" Cui Martinus: " Quis mihi hoc mandat? An tu ex te ipſo hoc habes?" Cui Fulco: " Hoc tibi per me mandat eorum, qui arma nuper Lutoniae & Duneſta- " pliae ceperunt, univerſitas:" magnus enim in illis tum oppidis convenerat gladiatorum numerus, quos Rex ipſe ſuſpectos habebat; " & ſi ſa- " no, inquit Fulco, conſilio credis; ne moreris uſque in diem tertium, " ne tu in fruſta concidaris cum omnibus tuis." Receſſit trepidus & ſuſpiria ducens Martinus, regem adiit: commemorat, quae ei nunciata ſunt; rogat, an authoritate ſua, vel ſubditorum temeritate fiant. Cui Rex: " Ego, inquit, hujus rei author non ſum: ſed Barones mei vix ſe con- " tinent, quin in me arma capiant; quia depraedationes & injurias tuas, " quae modum omnem juſque atque fas ſuperant, tam diu toleravi." Hoc reſponſo perplexus Martinus petiit ſaltem exitum e regno facilem atque tutum. Cui Rex commotus & iratus, " Diabolus te, inquit, perdu- " cat & inducat in inferos:" mandavitque palatii ſui mariſcallo, cuidam Roberto Noriſco, ut Martinum ad mare ſalvum perduceret. Cui pavidus jam Martinus tanquam ad latus adhaeſit, dum ad mare deduceretur; veritus omnes, quos conſpexerat, ac quibus obvius eſſet, ne ab illis trucidaretur: Subindeque Robertum rogavit ſupplex, ut ſe protegeret; his verbis: " O mi amice Roberte, & domine mi, habeſne filium, nepo- " tem, conſanguineum, vel amicum; quem cupis in reddito eccleſiaſtico " promoveri?" Cui Robertus: " Abſit, inquit, ut aliquis meorum per " te potiatur ingreſſu in eccleſiam." Et cum Doveriam perveniſſent: " Vade, inquit Robertus, ne, ſi vel reſpicias ſaltem in Angliam, in fru- " ſta ab ipſis nautis diſſeceris, vel maris fluctibus obruaris." Ita feſtinanter trajecto Martino plerique Itali Simoniaci, & Caurſini uſurarii, qui totam pene ſua contagione contaminarunt Angliam, in latebris ſeſe abſconderunt, & repente diſceſſerunt. Martinus, qui magnis itineribus ad papam contendit, quo furore exactus ſit ab Anglia, declaravit. Papa excanduit; quod Franciae & Aragoniae reges ingreſſum in ſuorum regna ſibi

Verba Matth. Paris.

Verba Matth. Paris.

Verba Matth. Paris.

ſibi prohibuiſſent, & quod Angliae rex adventum ſuum oblatum non acceptaſſet; ſed nuncium ſuum diris & execrationibus ejeciſſet: Et in "voce "ſuſurra, oculos obliquando, & nares corrugando: Expedit, inquit, ut "hos regulos conteramus, & componamus cum imperatore. Contrito, "enim vel pacificato, dracone, cito ſerpentuli conculcabuntur." At Henricus rex tandem & pene ſera poenitentia ductus inſatiabilem illam Romanae curiae cupiditatem abominari & deteſtari coepit; & poſt Martini diſceſſum per ſingulos comitatus inquiſivit, quantis ex Anglia eccleſiaſticis annuis proventibus Romani atque Itali per Romanam curiam locupletati fuerunt: Et repertus eſt annuus redditus ſexaginta millia marcarum: quam ſummam ne regius quidem tum attigit redditus. Quare permotus Rex cum conſiliariis ſuis deliberavit, de mittendis ad concilium legatis, qui publicam querelam de papae ſuorumque legatorum graviſſimis exactionibus & rapinis proponerent: Nec non ab illo tributo, quod Johannes rex ſine conſenſu regni promiſerat, liberationem poſtularent. Hi quarto die poſt inceptum concilium regis regnique cauſam in concilio oſtendunt: Cum ſumma injuria, belli civilis tempore, extortum ab Angliae rege multis calamitatibus oppreſſo, Romano Pontifici tributum id remitti petunt, quia nobilitas atque populus nunquam aſſenſere; nec ullis rationibus adduci poſſent, ut conſentiant. Ad hoc papa nec vultum, nec vocem extulit; ſed mutus conticuit. Tum interjecto ſilentio protulerunt totius Angliae univerſitatis literas, ſummam omnium injuriarum & calamitatum, quas papalis avaritia in Angliam invexiſſet, continentes. Quibus palam recitatis reſpondit tandem papa, cum de reſponſo diu urgerent legati: Tantum negotium moram in deliberando requirere. Cumque ita dilata & procraſtinata res eſſet, addiderunt legati, novam, quandam impudentem & intolerandam exactionem nuper a Romana curia inventam eſſe: Dum, quae prius conceſſiſſet, ea commodi ſui cauſa, cum hac clauſula, quam leguleii, "NON OBSTANTE &c." vocant, ſtatim revocaret: Ex quo nemo juris ſui diu certus eſſe queat. De his propoſitis atque poſtulatis diu reſponſa expectabant legati: quibus tandem expreſſum eſt, quod poſtulata ad votum non reportarent. Quare irati cum his minis atque diris diſceſſerunt; Se nunquam tributum ſeu quodcunque aliud deinceps Romanae cupiditati ſoluturos, aut ex Anglia ſolvi praeſtarive Romae permiſſuros. Sed papa callidus, illis leniter & aequabiliter concilio dimiſſis, Epiſcopos atque Praelatos, quos detinuit, excommunicationem comminando coegit, ut ſignis & ſigillis ſuis Johannis regis de tributo conceſſionem confirmarent: De quo rex certior factus juramento profeſſus eſt, ſe contra infirmos illos & timidos Epiſcopos pro regni libertate ſtaturum; nec cenſum deinceps ullum Romanae curiae praeſtiturum.

An. 1264.

PAPA inſignem ſibi a rege & proceribus Angliae contumeliam factam putavit, quod eum ſuoſque legatos in concilio tantarum injuriarum reos feciſſent; ut ne a minis quidem apertis continere ſeſe poterat: quin aperte denunciaret; ſi imperatorem Fredericum ſuperare poterat, proximum ſibi fore contra reluctantes & deficientes Anglos de tributo negotium: Incitavitque in regem Angliae Francorum regem; qui tamen initas paulo ante inducias, ne papa poſtulante, frangere voluit. Lugdunenſi autem concilio jam finito, in quo ſpontaneis donis, vel ſaltem clanculum poſtulatis, papa multas opes congeſſit; Bonifacius papale reſcriptum omnibus Cantuarienſis

Ab An. Chr. MCCXLIV. | Ad An. Chr. MCCLXVIII.

tuarienſis provinciae clericis obtinuit; ut ex illius provinciae beneficiorum vacantium vectigalibus ſeptennio proximo ad illud aes alienum diſſolvendum, quod in tranſlatione Thomae, quam Stephanus fecerat, Cantuarienſis eccleſia contraxerat, decem millia marcarum colligere poſſit; praeter duo millia marcarum annuatim ei ab eccleſia Cantuarienſi ſolvendarum: Quae regem conceſſio primo valde commovit: Qui, " Miror, " inquit, ſi Bonifacius Cantuarienſis Archiepiſcopus, quem ego ad tan- " tam dignitatem evexi, jam hujuſmodi meo regno incommoda a curia " Romana procuret." Sed rex, etſi aliquandiu reſtiterat, tamen utrumque tam papam, quam Archiepiſcopum Cantuarienſem, infeſtare noluit; ſed precibus ac interceſſione victus tandem ceſſit. Veruntamen literis ac edictis jam tandem per totam Angliam praecepit, ne papales nuncii ad pecunias ſive clam ſive palam petendas in portus reciperentur, aut vagari regnumve circumire permitterentur; ſi qui hujuſmodi inventi eſſent, carceribus includi juſſit. Quo facto ſubditorum animos multis Romanorum injuriis demiſſos atque labefactatos extulit & exhilaravit: Et paulo poſt, ut omnes vias papalibus in Anglia depraedationibus intercluderet, Praeſules & magnates regni ad conſilium in parliamento Londini celebrato convocavit. In quo rex abjecta illa papali formidine regiam, & ſe dignam, vocem extulit: Satis jam diu ſe ac ſubditos ſuos papalibus dolis ludificatos, ſe tam multis promiſſis deceptum fidem deinceps nullam habiturum: Quod & legati ac procuratores tam ſui quam regni in concilio Lugdunenſi a papa male, aut nihil, reſpondente ſpreti contemptique diſceſſiſſent: Et quanquam aliqua ſatis aeque conceſſerit, eadem tamen indies revocaverit; &, ut vere dici poſſit, graviores manus Angliae, quam unquam ante, attulerit, & quaſi in ſuum regnique contemptum plus ſolito nuper ſaevierit: Quibus generaliter, regioque modo declaratis, adjunxit illico & in ſpecie explicavit papalia gravamina huic regno illata.

I. QUOD non contentus fuerit illo ſubſidio, quod vocatur denarius ſancti Petri: ſed mille indies modis & aſtutiis ſine conſenſu regio, & contra antiqua jura libertateſque regni, & contra appellationem legatorum & procuratorum in concilio Lugdunenſi interpoſitam, in Anglia pecunias conficit.

II. DEINDE, quod eccleſiae & praebendae in Anglia conferuntur Italis ac Romanis, idioma regni neque loqui neque intelligere valentibus; a quibus eccleſiaſticae regni facultates exhauſtae, & extra regnum ad peregrinos traductae ſunt, in animarum periculum, & eccleſiarum ruinam atque vaſtitatem.

III. TUM, quod a caeteris eccleſiis, quibus exteros non praefecit, penſiones exigit, etiam contra ſuas literas.

IV. ADHAEC, Italus Italo, Romanus Romano, in Anglicanis beneficiis tanquam haereditario jure ſuccedunt: & in omnibus pene cauſis Angli ad Romanum tribunal contra regni conſuetudines & jura ſcripta, nec non contra ipſa papalia privilegia antiquitus conceſſa, trahuntur.

V. PRAETEREA, ille novus & prioribus omnibus ſaeculis inauditus papalis nuncius & advena, qui, NON OBSTANTE, dicitur, qua clauſula in novis conceſſionibus atque indulgentiis, prioribus ſemper derogat, per quam juramenti religio, conſuetudines antiquae, ſcripturarum vigor, conceſſionum

Verba Matth. Paris.

num auctoritas, ſtatuta jura & privilegia debilitantur, plures nuper in Anglia, quam ante unquam, afflixit & oppreſſit. In qua quidem plenitudine papalis poteſtatis exercenda immoderatius ſe papa geſſit, quam procuratoribus regni verbo tenus nuper dederat in promiſſis.

VI. His accedunt infinita colligendi & e regno ſine regis conſenſu evehendi pecunias genera; contra quae in eodem Lugdunenſi concilio aperta voce a regis atque regni procuratoribus appellatum eſt.

VII. Ad extremum, in beneficiorum & praebendarum eccleſiis, quas Itali & Romani in Anglia poſſident, nec verbum divinum enunciatur, nec ritus & ceremoniae eccleſiaſticae ſervantur, nec pauperibus eleemoſynae conferuntur; ſed hoſpitalitas, animarum cura, & divina obſequia negliguntur, & aedificiorum tam parietes quam tecta corruunt.

De his gravaminibus, quibus tam diu oppreſſa conticuit Anglia, tandem in querelam erupit. Scriptae ſunt ad papam de illis quaternae literae, unae ab Epiſcopis, alterae ab abbatibus, tertiae a baronibus, quartae ab ipſo rege. Epiſcopi timere ſe ſcribunt, ne regnum Angliae a papali ſacerdotio pro his, quas diu tulit, calamitatibus, penitus ſejungatur. Abbates commemorant minas magnatum atque procerum; ſe eccleſias in "ſuam "proprietatem" revocaturos, ſi exteris aut Romanis deinceps conferantur. Magnates atque populus exclamant, quanta ſcandala de rapina & avaritia Romana non modo per Angliam, ſed per totum orbem, diſſipata ſint. Se non permiſſuros, ut ſua patria deinceps tam male tractetur, ne rege quidem connivente: (Verba Matth. Paris.) "Et niſi, inquiunt, praedicta per vos citius corrigan-"tur, pro certo teneat Sanctitas veſtra, non immerito timeri poteſt; quod "tam eccleſiae Romanae, quam domino regi tale periculum imminebit, "quod eidem remedium, quod abſit, facile non poterit adhiberi." Rex obnixe papam rogat, ut procerum atque Praeſulum poſtulatis ſine mora concedat. (Verba Matth. Paris.) Ne, ſi ſecus fiat, "Romana, inquit, eccleſia, & nos in tali "ſimus periculo conſtituti, cui nos oporteat in perpetuum ſubja-"cere."

His literis miſſis populus, ne rex in papam jam concitatus labaſceret aut a propoſito deſiſteret, novas criminationes addidit: Praelatos Angliae, papa per ſuos internuncios id clam petente, militaria ſervitia promiſiſſe; quae ſoli regi ad belli adminiſtrationem regnique defenſionem debentur: Quoſdam viginti, alios decem, nonnullos plures aut pauciores fortiſſimos ex delectu habito milites equis armiſque inſtructos, ad quaecunque papa praeſcripſerit, loca miſſuros. Quae fraus papalis, ut regem & magnates lateret, interminatum eſſe, a papae mandatariis, graviter omnibus Praeſulibus ſub excommunicationis poena, ne ante ſex menſes commiſſa papae cuiquam enunciarent. Id etiam repetitum & exaggeratum eſt, quod de vacantibus beneficiis Bonifacio conceſſum paulo ante diximus. His rebus turbatus rex edixit & proſcriptione ſanxit; ſi quis quodcunque militare auxilium ſine ſuo juſſu ſuppeditare papae audeat.

Papa his Anglorum literis non reſpondit; ſed rem ad ſecundiora ſibi magiſque opportuna tempora ſilentio reſervavit; ut opimam ovem, cujus toties tondiſſet vellera, non modo excoriaret, ſed mactaret & eviſceraret, ſeque ipſis inteſtinis ſatiaret. Nam, cum Fredericus imperator comperiſſet papam Anglico numiſmate ditatum indies, in his portubus, quibus commeantibus in Angliam fit tranſitus, cuſtodes occultos & inſidiatores

An. Chr. CCXLIV.

Ad An. Chr. MCCLXVIII.

tores posuit. Ejus conatus, cum praesciviſſet, papa hoc dolo antevertit: Instituit novos non tonsores, sed lanios, sub specie religionis praedicatores & Minores Fratres dictos. Hi, amictus habitu mutato, regnum clanculum ingressi sunt, monachis praecipue reclamantibus: Qui, cum animadvertissent quantis privilegiis ad eleemosynas, imo verius rapinas, non pauperum, sed papae, nomine colligendas essent muniti, quae suae fidei, id quod optabant, non committerentur, exclamabant, papam sui lucri causa indies religiosorum novos ordines fingere ac formare: Nam monachorum ordo, qui strictissimus antea putabatur, jam prae his novis fratribus in contemptum abiit. His omnia indulsit papa, ut, quia peccantes clam sibi delicta confitentes audirent, eosque in poenis retinerent vel relaxarent, non modo ordinariorum Praesulum loco, praeterquam in foris & tribunalibus, in ligandi & absolvendi potestate essent; sed quaecunque papae mandata & imperata peragerent. His itaque novum & inauditum negotium in mandatis dedit, ut clericorum intestato decedentium haereditates atque bona ad papae commoditatem raperent. Obierant enim Lincolniensis, Bedfordensis, & Northamptonensis archidiaconi, opulentissima, tam in pecuniis quam in vasis preciosis & copiosa supellectile, haereditate sine testamento relicta, quae ad laicorum cognatorum possessionem pervenit: Quam sibi adimi, tanquam pinguem & dulcem bolum e faucibus eripi, papa moleste tulit. Quod cum regi denunciatum esset, non animo solum, sed & verbis execrari coepit tam varias & multiplices pecuniae colligendae astutias: Quas tamen edictis per totum regnum propositis vetuit. Sed Romae jam cum papa multi Anglicani aderant clerici, qui cappis, ut aiunt, choralibus & infulis, ornamentisque ecclesiasticis, ex Anglicae tunc more gentis, ex lana tenuissima & auro artificiose intexto fabricatis uterentur; hujusmodi ornamentorum aspectu & concupiscentia provocatus papa rogavit, cujusmodi essent. Responsum est, aurifrisia appellari; quia aurum & eminens ex panno lana, quam Angli **Fryse** appellant, simul contexta sunt: cui subridens & dulcedine captus papa: "Vere, inquit, hortus noster deliciarum est Anglia; vere "puteus est inexhaustus; & ubi multa abundant, de multis multa sumere "licet." Itaque concupiscentia illectus oculorum, literas suas bullatas sacras misit ad Cistercienses in Anglia abbates: quorum orationibus se devote commendaverat; ut ipsi haec aurifrisia speciocissima ad suum ornandum chorum compararent. Hoc Londinensibus placuit, qui ea tum venalia habebant, tantique, quanti placuit, vendebant. Unde multi manifestam avaritiam Romanae Ecclesiae detestabantur. Sed his nitidis muneribus satiari papa non poterat; quin interea, dum legati regii cum mandatis supra scriptis essent Romae, papa, cum in exiguo quaestu Anglicanum sibi clerum flexibilem esse sensisset, scripsit Wintoniensi & Norvicensi Episcopis; ut sex marcarum millia a clero suis usibus persolvi curarent. Illi mandatum papae occipiunt exequi; sed a rege sub proscriptionis poena prohibentur. Clerus inter regem & papam interpositus, ac utriusque minis perterritus, quid ageret, incertus fuit; sed, quia in rege constantiam desiderabant, veriti ne animo deficeret, &, ut ante saepe fecit, succumberet papae, permulti clandestina solutione tam regis quam papae indignationem vitabant. Nuncii deinde, qui de regis, procerum, Praelatorum, totiusque Anglicani populi aequissimis postulatis Romam missi sunt, redierunt. Illi Wintoniae, ubi parliamentum habitum est, ex-

Verba Matth. Paris.

Verba Matth. Paris.

ponunt quam superba papae responsa tulerant: Se probris lacessitos & repulsos ab omnibus, tanquam schismaticos, fuisse: Papam autem dixisse: "Rex Angliae, qui jam recalcitrat atque Frederisat, suum habet consilium: Ego vero meum habeo." Rex hoc allato nuncio commotus, ubique in Anglia per praecones edixit, ne a quoquam deinceps quicquam praestaretur papae. Sed papa incensus jam iracundia asperius Praelatos sub omnibus suis poenis interminatus est; ut antedictam pecuniarum summam suo nuncio, in Novo tum Templo Londini commoranti, quam citissime persolverent. Rex ipse minis fratris sui Richardi Cornubiensis comitis, qui sibi semper adversus fuit, etsi idem acriter ante saepe contra papam cum magnatibus steterat atque scripserat, & Episcoporum cum eo conspirantium, ut regem huc illuc tam in papae quam in populi sui odium traherent, inter quos praecipuus erat Wigorniensis, cui concessa potestas a papa fuit regnum sacris interdicere, metu fractus & debilitatus succubuit. Hinc cunctis excidit recuperandae libertatis spes; dolorque cruentus, quod Romanae cupiditatis faucibus ac hiatibus Anglia sola devoranda permissa sit, omnium pene corda pertransiit. Papa, cum tam dolo quam minis regem & barones Angliae compescuisset, singulis vicibus singulas atque novas se locupletandi ex Anglia fraudes excogitavit. Imperium Constantinopolitanum, victis & repulsis ejusdem hostibus, restaurare, & Graecorum, qui schismate a fide Romana se sejunxissent, insolentiam frangere se velle multis praeconibus divulgavit. Ad hos novos conatus novis ex Anglia sumptibus opus est. Itaque instituit quendam, quem provincialem ministrum fratrum minorum & praedicatorum in Anglia appellavit; ad hunc sex literas dedit; quarum unae, de quibus ultimo loco dicendum est, sibi soli reservandae, nec cum altero quoquam communicandae essent: Reliquae quinque cum fratribus & praedicatoribus communicandae. Quarum primae continebant, ut cum fratribus inquirat de usurariis vivis, captasque ab his usuras censuris ecclesiasticis ad imperii Constantinopolitani restaurandi necessitatem colligant & convertant. Secundae ut, qui militiae sacramentum pro eodem imperio recuperando suscipere, aut aliquid ex suis bonis largiri velint, a peccatorum pluribus annis perpetratorum poenis relaxarentur. Tertiae, ut quae sub usuris acquisita, & in testamentis ab usurariis conditis legata, fidei commissa, seu quocunque modo relicta sint, ad ejusdem imperii subsidium colligantur. Itidem, ut quaecunque aut quocunque modo, a quibuscunque testatoribus male parta relicta sint, iisdem usibus cedant. Quartae, ut quae a testatoribus in pios usus distribuenda relicta sunt; huic uni rei atque soli, toto proximo triennio conferantur. Quintae, ut, quae vivi pactionibus atque commerciis fraudulenter nequiterve acquisierint, cogantur ad Constantinopolitani imperii restitutionem papae persolvere. Sed, sextis illis literis inaudita quaedam omnemque omnium malignitatem superans inerat fraus: Nam fratres & praedicatores haec papae mandata ubique publice denunciantes, simul excommunicationis sententias frequentes in omnes contradicentes, reluctantes, & non parentes fulminarunt. Hi absolvi, nisi ab hoc provinciali fratrum & praedicatorum papalium ministro, ex papae praecepto, non poterant. Itaque huic illis sextis literis in mandatis dedit papa; ut recepta sibi, vel fratribus, pro delicto atque contumacia, congrua satisfactione, quae in papae usus conversa est, excommunicatione solverentur. Nec minus industrii in occulta hac fraude fratres praedicatores,

Ad An. Chr. MCCXLIV.

Ad An. Chr. MCCLXVIII.

tores, quam in illa altera aperta rapina quaeſtores papae, fuerunt: quibus cum rex non minus papales cenſuras, quam fratris ſui comitis & Praelatorum inſidias, cavens reſiſtere verebatur, a Frederico imperatore ut effoeminatus ac mollis reprehenſus eſt. Qua reprehenſione impulſus coepit iterum erigere animum, verbiſque ſaepe in pontificiam cupiditatem invectus eſt. Quae ad papam perlata ita ſanctitatem ſuam commovebant, ut furore pene perculſus aſpectu torvo in cardinalium praeſentia exclamaret; ſe regnum Angliae protinus omnibus ſacris prohibiturum. E cardinalium tum grege fuit quidam monachus Ciſtercienſis ordinis, Anglus, nomine Johannes. Is papae hujuſmodi ſe oratione oppoſuit: “ Domine papa, huic irae, quae ſine cauſa concitata eſt, adhibe temperanter modum. Circumſpiciamus & vos & nos, qui culmen eccleſiae ſumus, in quibus malis & diſcrimine verſemur undique. Terra Sancta amiſſa eſt: Eccleſia Graeca a nobis diviſa receſſit. Imperator Fredericus, qui potentia reliquos reges principeſque ſuperat, adverſus nobis eſt: Nos ipſi non modo a ſede Romana, ſed ab urbe, ipſaque Italia, huc tanquam in exilium coacti ſumus. Gentes autem chriſtianae non minus bellis inteſtinis & exteris, quam per nos afflictae ſunt. Hungaria timet, ne ſui indigenae exterminentur a Tartaris. Germania bello civili per nos moto quaſſatur. Hiſpania in ipſos Epiſcopos ſaevire incipit. Gallia, quam adventu & praeſentia noſtra ad magnam egeſtatem adduximus, cum hoſtibus noſtris conſpirat & in nos meditatur inſidias. Anglia noſtris injuriis toties læſa, quaſi aſina Balaam calcaribus & fuſtibus caeſa, tandem loquitur & obloquitur, & ſe nimis & intolerabiliter conqueritur fatigatam. Iſmaelitico igitur modo omnibus odioſi omnes ad odium provocamus.” (Verba Matth. Paris.)

Qua tamen veriſſima & aequiſſima oratione praefractus & pertinax papa mitigari non potuit; antequam per ſuos nuncios certior factus fuerit, regem, etſi tam diras contra ſe voces emiſerit, omnem tamen expilandi poteſtatem ſuis quaeſtoribus re ipſa permiſiſſe. Cujus rei gaudium vultum & animum papae mirifice ſerenavit. Ex hac regis & Anglorum facilitate, cum, quicquid voluit aut imperavit, papa tam facile, aliqua nonnunquam, ſaepe etiam cum nulla, contradictione impetravit, ad graviſſimam totius cleri oppreſſionem ſe accinxit. Juſſit, ut in beneficiis & dignitatibus eccleſiaſticis reſidentes tertiam, abſentes autem dimidiam, proventuum partem ſibi praeſtarent. Cumque antea ſaepe literis ad regem & clerum datis pollicitus eſſet, ſe deinceps ab his tam gravibus exactionibus abſtenturum; in hoc novo & tam atroci mandato inſeruit illam novam & inauditam a ſaeculis clauſulam, de qua antea diximus, NON OBSTANTE; quae omnem aequitatem & juſtitiam ante conceſſam abolet & extinguit. Hoc negotium Londinenſi Epiſcopo injunctum eſt; qui cum in eccleſia Paulina multos Praelatos convocaſſet, & papae mandatum demonſtraſſet, a rege nuntii intervenerunt; diſtricte prohibentes, ne tam dirae & in totius regni vaſtitatem impoſitae ſolutioni conſentirent: Qui laeti concilio interrupto ab inceptis deſtiterunt. Et, ne ſine cauſa id feciſſe viderentur, collectis multis neceſſariis argumentis & rationibus, quibus probant papae mandatum non modo inutile, ſed impoſſibile & intolerabile, eccleſiae Anglicanae futurum; omnes una voce non modo contradixerunt, ſed “ ad praeſentiam Domini Jeſu Chriſti, & concilii univerſalis quandoque per ejus gratiam convocandi,” appellarunt.

(Verba Matth. Paris.)

(Vide Matth. Paris. fol. 625, 626, 629. Edit. Londin. 1684. An. 1246-7.)

CUM

CUM tantis injuriis regnum a papa pressum esset, rex aliquo remedio succurrendum putavit. Itaque parliamentum Londini habuit; in quo decretum est legatos a rege & toto regno ad papam cum literis mittendos. Literarum summa fuit: Anglos, etsi maxime vellent atque cuperent, non posse tam immensas & infinitas pecuniarum largitiones papae praestare: Angliam suae sanctitatis pedibus obvolutam obnixe supplicare, ut sibi, toties tonsae & ad vivum resecatae, tandem parcat. Sed papa hoc accepto nuncio, ut regem versutis blanditiis permulceret, nec tamen a proposito desisteret, per curiales quosdam, regi familiares, quos corruperat, suasit regi; se jam tandem regis precibus, quem Romanae curiae tam fidum semper intellexit, adductum, ut regi, quae voluit, concederet: Itaque & remittere se illam decimarum petitionem; & praeterea provisiones pro Italis deinceps non facturum, sine hac verborum formula: "Rogamus dominum regem cum instantia magna, quod placeat "domino regi, ut huic, vel illi, provideatur de tali beneficio." Hac fraude non magis pacavit, quam illaqueavit, regem: Qui, quandocunque rogatus a papa esset, nunquam contradixit. Cumque sopita & sedata jam tempestas esset; prodeunt duo minores in Anglia fratres tanquam ex antris lupi incautum gregem invasuri. Hi mandata papae seorsim Episcopis & praelatis cum poenis & censuris horrendis exponunt: Primo Lincolniensem Episcopum, cujus dioecesis latissima est, aggrediuntur; ab eo mandatis papalibus ostensis sex marcarum millia poscunt: Quibus Lincolniensis: "Fratres, inquit, haec exactio, salva papali au"thoritate, inexaudibilis & inhonesta est, nec minus ad implendum "impossibilis: nec me contingit solum, sed regem & universitatem regni, "quibus inconsultis mihi neque consentire, neque respondere, fas est." Eodem etiam modo singulos Anglia perlustrata tentabant: a quibus cum eadem responsa tulissent, cum diris execrationibus & minaci murmure secesserunt. Et interea, dum hi sigillatim omnia scrutarentur, ingreditur Angliam capellanus & familiaris papae quidam, nomine Marinus cum legatina quidem authoritate, etsi ornamentis & insignibus careret. Hic Marinus alter ab illo Martino, avidissimo papae quaestore, fuit, de quo paulo antea dictum est: Et nominis similitudinem sequutus, dum alii venatum, iste piscatum, pecunias a papa missus est. Has largitiones cum Anglis audacter imperaret; a Gallicano clero mutuam saltem sibi, modico tempore, praestari pecuniam, argutis scilicet & callidis rationibus, per diversos legatos petiit. Sed Galli multo in ea re, quam Angli, prudentiores, cum comperissent nullam sibi jure contra papam actionem competere, qua mutuam pecuniam recuperarent, ne teruncium ei credere voluerunt. Itaque legati per Galliam non modo inanes atque vacui, sed risu & cachinnis delusi, redierunt. Interea, dum papae nuncii tam cupide grassarentur in Anglia, Episcopi Cantuariensis provinciae, qui papae amplius quid praestare aperte saepe recusassent, etiam illi, quam diximus, Bonifacii Archiepiscopi Cantuariensis concessioni restiterunt: quos ille authoritate papali ab ecclesiasticis muneribus suspendit, eosdemque a papa Romae excommunicari, ac quoscunque alios Bonifacii proposito reluctantes, detrahentes, vel fraudem quovismodo facientes, impetravit. Haec excommunicatio per decanum Bellovacensem, papae mandatarium, Episcopis & clero Cantuariensis provinciae denunciata est: qui tam diris censurarum telis confossi, inviti Bonifacio assensi sunt. His igitur, qui tam

Verba Matth. Paris.

tam diris cenſurarum telis confoſſi, inviti Bonifacio aſſenſi ſunt. His igitur, qui tam fortiter primo reſtiterant, tam cito labefactatis, papa, ut conſuevit, non deſtitit ad ſe, quaecunque potuit, ex Anglia rapere. Itaque abbati Abendoniae ſcripſit, ut cuidam Romano de fructuoſa aliqua & opulenta eccleſia provideret. Romanus, ut aquila, muſcas non captavit, & cum multae vacarent, de papae mandato ſtatim non inſtabat, ſed expectavit uberrimam. Tandem eccleſia ſanctae Helenae in Abendonenſi villa, quae maxime opima fuit, rectore caruit. Hanc Romanus ex papae mandato petiit: Eandemque rex fratri ſuo uterino AEthelmaro, qui tot eccleſias poſſederat, ut earum numerum ignoraret, conferri voluit. Abbas perplexus & tanquam inter duos molares lapides conterendus, quid ageret, ſtatuere non potuit: Conventum & amicos conſuluit. Illi regi gratificandum cenſent, magis quam Romano, quem inſidiatorem penes ſe vigilem ac perpetuum experiretur. Abbas ex eorum conſilio conceſſit illam eccleſiam AEthelmaro. Papa abbatem hunc infirma valetudine ſenem Romam citavit; ubi convitiis multis exagitatus de contemptu judicium ſubire debuit; niſi quingentas annuas marcas Romano illi ſe ſoluturum obligaſſet. Praeterea, cum abbas Sancti Edmundi mortuus eſſet, monachi alium elegerunt: Quem ut papa confirmaret, miſerunt ex fratribus ſui ordinis tres Romam; qui, electione papae praeſentata, cum ſine ulla contentione aut contradictione celebrata eſſet, expectabant, ut ſine controverſia confirmaretur: Sed papa, fictis in electum querelis, ſine ulla inquiſitione ex poteſtatis ſuae plenitudine electionem caſſavit & electum rejecit. Monachi triſtes diſcedere parati ſunt: Quos tanta moeſtitia affectos & abeuntes papa revocavit: "Cum, inquit, miſeri miſericordia indigeant, ex mera gratia noſtra vobis electum veſtrum concedimus: Veruntamen reſpiciat in octingentis marcis, quas tali mercatori, cui nos tantum debemus, ſolvat." *Verba Matth. Paris.* Monachi ex impudenti avaritia tantam aegritudinem conceperunt, ut eorum unus Lugduni, alter Doveriae, cum eſſent in itinere, ex tanto dolore interirent: Tertius, aeger & aegrotus, ſuperſtes fuit ut tam indignum papae facinus fratribus ſuis referret. *An. 1250.*

BONIFACIUS autem Cantuarienſis tandem e Provincia, ubi non ſub Chriſti, ſed mundi, vexillis militavit, in provinciam Cantuarienſem, quam abſens, ut diximus, expilavit, reverſus; imitatus papam, novam pecunias conficiendi rationem ſequutus eſt. Viſitare provinciam totam, Epiſcopos, abbates, clerum, atque populum voluit. Ab eccleſia ſua Cantuarienſi exorſus eſt: Quam tam duris legibus & inſtitutis, ut ad ſolvendum cogeret, tractavit, ut omnes exclamarent, pretium jam monachos ſuae ſtultitiae & improbitatis ferre; quod peregrinum, indoctum, & Marti potius, quam religioni, intentum elegiſſent: Cujus rei fama cum eum viſitantem ubique praecurreret, ingratus & inviſus ad ſingula loca acceſſit. Cum jam Londinum veniſſet, Epiſcopi Ciceſtrenſis magnificas aedes Londini poſitas occupavit; cibaria a Londinenſibus nullis adhibitis ſibi convivis exegit: Fulconem, virum pium & eruditum, Londinenſem Epiſcopum contra clericalem verecundiam in ea viſitatione contumeliis palam oneravit: Et poſtridie, cum decanum & capitulum ſancti Pauli viſitaturus acceſſiſſet, ab his ad Romanum pontificem appellantibus excluſus eſt: Quos nihilominus excommunicavit. Deinde inflatus atque tumens & caſtra redolens induit ſe lorica, ad prioratum ſancti Bartholomaei

accessit: Cui intranti occurrunt subprior cum conventu cappis choralibus amicti: Quos honorem ei summum exhibentes elata fronte despexit, & suum adventum visitandi causa fuisse denunciavit. Cui unus ex eo conventu alta voce respondit: Habere se Episcopum doctum & vigilantem; cujus munus est, cum necesse sit, eos visitare: ab alio autem non velle, nec jure oportere, se visitari. Quo responso ira percitus Bonifacius, non in loquentem, sed insano more in subpriorem, qui proximus sibi fuit, senem & infirmum, quanta vi potuit, crudeliter irruit, pugno ad terram dedit, in pectus senile, faciem senis venerandam, & canum caput pedibus insaevit, cappam preciosissimam ex auro & gemmis contextam discerpsit, & a tergo senis detraxit, eam in multas minutas partes laceratam conculcavit; quae famulis suis, in reliquum conventum pari dementia saevientibus, praedae fuit. In illa conflictatione Bonifacius retrorsum cecidit; in quo casu, cum vestimenta sua dissiparentur, lorica ejus a multis conspecta est. Qui praedicabant eum castris quam ecclesiis administrandis esse aptiorem, & ad pugnandum, quam visitandum, ad sese vindicandum, quam alios corrigendum, paratiorem. Post hanc pugnam canonici Londinensem Episcopum adierunt: ille eos rem regi, prout gesta sit, narrare voluit. Ad aulam cum venissent, regem nec alloqui, nec conspicere potestas eis fuit; neque quisquam eorum querelam deferre regi voluit: Qui, reginae intercessione, ne aures de Bonifacio quicquam conquerentibus patefacere potuit. Interea cives Londinenses ad arma convolant; Bonifacium in frusta distracturi, nisi regio jussu & edicto pacati & compressi essent. Bonifacius lintrem clam petiit, & Lametham deductus est per Thamesim. Canonici ad papam appellarunt. Bonifacius, cum jam Lamethae securus esset, excommunicationis sententiam in divi Pauli, & sancti Bartholomaei capitulum & conventum fulminavit; in qua etiam Fulconem Londinensem Episcopum, tanquam eorum fautorem, innodavit. Post has rixas pene digladiatorias decanus divi Pauli, vir gravis atque prudens, cum nonnullis aliis literas Episcoporum & praelatorum Cantuariensis provinciae, certam praemissorum fidem continentes, Romam ad papam pertulerunt. Hos cum aliis, regis literis & nobilitate suae gentis confisus, insecutus est cum magna pompa & apparatu Bonifacius. Sed, cum esset Romae, & verissimas contra se criminationes paratas intelligeret, adversarios, tam regis ac reginae quam suo nomine, partim minis, partim blanditiis, compescuit. Deinde, ut provinciam Cantuariensem ad nutum suum in perpetuum prosterneret, egit cum papa de visitationis suae jure ejus authoritate firmando: Quod cum intellexissent Suffraganei, pecuniam grandem ad suppeditandos in jure sumptus in curia Romana, quae, pecunia interveniente, more arundinis ventis agitatae, huc illuc flecti consuevit, conflabant: Grave enim omnibus visum est Bonifacium, nec moribus nec doctrina excultum, postquam undecim marcarum millia absens e sua sola provincia hausisset, iterum, visitationis praetextu, provinciam exhaurire statuisse: sed, cum rex papam iterum literis instanter rogasset, ut Cantuariensi Bonifacio in omnibus contra Suffraganeos subveniret, Fulco Londinensis Episcopus primus animo defecit, submisit se archiepiscopali jurisdictioni, & juramento se astrinxit staturum ejus arbitrio: Post cujus defectionem reliqui conjunctam causam deseruerunt. Sed papa, qui perceptis utrinque a litigantibus donis, ut aequus judex videretur, quanquam caetera indulsit Bonifacio; tamen Londinensem

Verba Matth. Paris.

dinensem Episcopum, decanum & canonicos sancti Pauli, subpriorem & canonicos sancti Bartholomaei, aliosque nonnullos, quos Bonifacius tam temere excommunicavisset, absolvi praecepit. Sed Bonifacius decanum & capitulum divi Pauli iterum aggressus est. Officialem in Anglia discedens Romam, Eustachium de Len, constituit. Huic mandavit, ut decani & canonicorum Londinensium vivendi consuetudinem & delicta observaret. Is eos, in novo crimine deprehensos, simul atque a priori excommunicatione absoluti essent, iterum excommunicavit. Hujus rei indignitas iterum concitavit Cantuariensis provinciae clerum; ut, mutua deliberatione conjunctisque facultatibus, hujus Bonifacii, qui vindictam & potentiam tantam sectatur, tyrannidem a se quantocunque dato pretio averterent. Itaque Dunestapliae convenerunt: ibi, deliberatione habita, decreverunt procuratorem suo nomine generalem cum hac authoritate mittendum; ut, quatuor millia marcarum pro redimenda desiderata sua libertate papae promitteret, simulque de multis aliis Bonifacii injuriis in Cantuariensem provinciam illatis papam redderet certiorem. Papa hujus lucri spe Episcopis rescripsit, se Bonifacii in eos imperium mitius redditurum: cupere autem se, ut omnium rerum, quae perperam in Anglia gessisset, notitiam ad se perferri curarent: Nec minus Episcopis & praelatis, quam regi & Archiepiscopo, papa moderationem & aequitatem sui judicii decretique pollicitus est. Sed quotidianis utriusque partis donis locupletatus sententiam diu distulit diffinitivam. An. 1252.

Papa tandem, sumpta hinc inde pecunia, visitationem Bonifacio, adhibito in procurationibus exigendis modo, concessit: Et utrique parti contra se invicem muneribus, quae ipse percepit, colluctanti, hujus sententiae moderatione & aequabilitate satisfecisse sibi visus est. Hac sententia lata rediit in Angliam Bonifacius; cujus adventus omnium diris execratus est: Propositaeque illi advenienti contra se omnium ordinum querelae infinitae fuerunt. Quibus non misericordia, sed ira, permotus respondit: "Hi sunt duri rumores in primo adventu nostro." Diem edixit callidus & versutus, quo in ecclesia Arcuata Londini solenniter sederet; his, qui eo die adessent, peccatorum triginta annis perpetratorum remissionem promisit: Hujus indulgentiae spe magnus populi numerus confluxit: Qui, cum magna quaedam & expectanda cuperent, non aliam, quam tetram quandam & cruentam excommunicationis sententiam sine omni exceptione in omnes, praeterquam in regem, reginam, comitem Richardum, & comitissam, eorumque liberos, qui quocunque nomine in Bonifacium ejusve conatus aliquid dicere, cogitare, vel perpetrare auderent, exaudire potuerunt. Hanc sententiam Wintoniensis Episcopus electus AEthelmarus, frater regius uterinus, in sua dioecesi ut nullam declaravit. Sed Bonifacius eandem Oxonii iterum promulgavit. Jamque iterum hanc suam visitationem inchoavit Bonifacius; sed, ex astuto papae An. 1253. praescripto & consilio, moderatius. Nam, in provincia utriusque dolis & eviscerationibus pene deleta & extincta, quid in ipsa moderatione moderatum esse potuit? Sed tamen visitationem suam in Roffensi pusilla dioecesi inceptam & repetitam gessit sine muneribus; ut facilior sibi ad alias Cantuariensis provinciae dioeceses aditus patefieret. Ad reliquas tamen cum accessit, turbas magnas fecit; ita ut haec visitatio tumultuosa Annal. Eccl. August Cant. passim dicta sit: Nam in Lincolniensem ecclesiam mortuo jam Episco- An. 1255. po jus conferendi praebendas & ecclesias, quod antea capitulo, vacante sede,

Ab An. Chr. MCCXLIV. — Ad An. Chr. MCCLXVIII.

ſede, competebat, vendicavit, contradictores omnes excommunicavit. Reſtitit ſumma vi Willielmus Lupus archidiaconus Lincolnienſis appellatione ad papam emiſſa. Hunc non ſolum excommunicatione, ſed omni alia afflictione Bonifacius inſequutus eſt. Itaque latebras quaeſivit, in quibus cum ne tutus deliteſcere potuit, Romam pergit, papam adit; qui exulis atque profugi pro ſuae eccleſiae jure miſertus eum abſolvit, & a Bonifacio protegit; ſimulque ſpem de reſtituendo Lincolnienſis eccleſiae in ea controverſia jure ei diſcedenti dedit. Sed, cum in itinere eſſet, moleſtiis & laboribus toto antedicto triennio defatigatus efflavit animam. Deinde Roffenſem eccleſiam, in qua in viſitationis exordio fuit moderatus, ademptis quibuſdam terris pro ſpreto quodam ſibi, ut aſſeruit, impendendo ſervitio, diu vexavit. Cantuarienſes monachi, qui in eo nihil mite aut moderatum animadvertebant, a papa privilegium obtinuerunt, ne viſitando, ſuſpendendo, vel excommunicando ſe, aut eccleſiae ſuae ſtatum, turbaret. Sed ille papales de eo privilegio literas ſibi, cum in monaſterio ſancti Albani eſſet, traditas igni cremavit, earum latores excommunicavit. Ad regem & papam de hac immoderata atque ſaeva crudelis hominis potentia conqueſtum eſt. Rex conjugis ſuae gratia, cujus avunculus Bonifacius erat, diſplicere ei noluit: Papa, ob gentis ſuae in Provincia nobilitatem ſibi vicinam, tum ob diviſam inter eos Anglicanam praedam, cum peſſime meritus eſſet, tamen blande comiterque affari ſemper coactus eſt: Nam, quorum facinus eſt commune, eorum quoque praeda debet eſſe communis. Itaque his turbis in provincia ſua, quam toties detractis facultatibus enervavit, commotis, ad liberandum fratrem ſuum Thomam Sabaudienſem quondam comitem, qui a civibus urbis Taurinae carceribus incluſus & detentus fuerat, & bellum gerendum, ex Anglia jam locuples in Provinciam profectus eſt. Ibi ne, papa quidem adjuvante & cenſuras omnes in Thomae inimicos fulminante, quicquam profecit; ſed copiis conſumptis inanis & inglorius reverſus eſt. Interea, dum aberat Henricum Lexinton Lincolnienſem Epiſcopum electum in tranſmarinis partibus conſecravit: Et rex Henricus, motus ac defectionem in Guaſconia timens, cum ad eos compeſcendos mature proficiſci cuperet; pecuniae, nervi ſcilicet belli, defuere: Nec, in regno toties & tam miſere permiſſu ſuo a papa & Bonifacio expilato unde ſumere poſſit, ſciebat. Itaque ad papam pecuniam accepturus mutuam confugit. Papa non alia ratione, quam ſub uſuris, iiſque graviſſimis, tum toto Angliae regno ſibi ſub pignore & hypotheca conſtituto, pecunias credere voluit. Rex, ut pecuniarum copiam haberet, ſe ſuumque regnum ſub poena exhaeredationis, ſi pecunia ſtatuto die non redderetur, illico obligavit: Cujus facti temeritas & imprudentia omnium pene animos a rege abalienavit. Papa hanc pecuniam a foeneratoribus ſuis Italis ſumpſit: Ac, rege in Guaſconia occupato, novam & execrandam viam excogitavit, qua & foeneratoribus ſuis ex Anglorum pecuniis ſolveret, & rex hypotheca & obligatione commiſſa regnum amitteret. Ruſtandum quendam Italum cum Herefordenſi Epiſcopo poteſtate & calliditate inſtruxit ſua ad comparandas pecunias, literis ſuo nomine ſeorſim ſingulis eccleſiis cathedralibus & conventualibus ſcriptis; ut, quaedam quingentas, quaedam ſexcentas, quaedam ſeptingentas, quaedam mille ſterlingorum marcas, ſic enim vetus ille nummus Angliae appellabatur, papae mutuas darent: Si pecunias paratas non haberent; indicavit a quibus mercatoribus ſub uſuris

poſſint

Ab An. Chr. MCCXLIV.

Ad An. Chr. MCCLXVIII.

poſſint ſumere. Poteſtatem contulit Ruſtando & Herefordenſi Epiſcopo, quos hujus mutuandae pecuniae conſtituit quaeſtores, veniam concedere his eccleſiis, quae mutuari pecunias vellent, terras & eccleſias ipſas, ſi vellent, pignori dandi. Omnes Angliae Praelati hac de re Londinum convocati ſunt: propoſita haec cauſa eſt: Quae tam inaudita quaeſtura cum omnes anteactas expilationes ſuperaſſet, Londinenſis Epiſcopus exclamavit: "Potius, " quam conſentiam huic extremae ſervituti & injuriae eccleſiae, capite " plectar." Hunc ſequutus Wigornienſis: "Et ego, inquit, ſuſpendio " mallem & cruce perire, quam hanc non modo ſervitutem, ſed everſi- " onem & ruinam eccleſiae cernere." Horum conſtantia reliqui in una ſententia contra Ruſtandum conſpirantes fortiter ſteterunt: Qui ita cohaerentes, cum a Ruſtando diſtrahi non potuiſſent; Ruſtandus, eis iterum convocatis, cauſabatur Bonifacii Cantuarienſis Archiepiſcopi pluriumque aliorum Epiſcoporum abſentiam, & Eboracenſis Archiepiſcopi mortem, papae negotio impedimento eſſe; itaque eos a conventu illo dimiſit. Interea papa a Ruſtando de his, quae in Anglia gererentur, certior factus, ne turpem & ignominioſam repulſam pateretur, per nuncios verſute conſuluit; ſe hanc pecuniam petere, ut regem ſibi ſub regni hypotheca obaeratum illo aere eximeret: Si igitur authoritatem regiam ſuae papali adjungeret, ſe eo aere regem facile ſoluturum. Quae omnibus ſaeculis commemoranda fraus papalis regem, anteactis ſuis dolis ad eam inopiam coactum, in tam odioſam traxit ſententiam, ut a cunctis eccleſiaſticis viris in Anglia diceretur: Papam & regem, velut paſtorem & lupum, in ovium exterminium eſſe confoederatos. Itaque, cum tertio conveniſſent, hoc Ruſtando imperitante, Praelati; compoſita ejus dolo ſcriptura in membranis fuit; in qua ſinguli Praelati faterentur, ſe a mercatoribus, imo potius nummulariis & foeneratoribus Tranſalpinis, grandem quandam pecuniarum ſummam ad ſuam & ſingulorum utilitatem converſam accepiſſe mutuam. Cui Leonardus quidam doctus atque prudens omnium conſenſu contradixit. Ruſtandus, vir & doctus & verſutus, nolle ſe dixit ex unius ſermone ſingulorum colligere ſenſus; itaque juſſit, ut ordine ſeorſim ac ſigillatim ſinguli ore ſuo aſſenſum praeberent, aut diſſentirent. Quae inopinata docti hominis aſtutia attonitos omnes ſtupefecit. Uſi itaque longo ſilentio, neque contradixerunt, nec aſſenſi ſunt. Tandem Ruſtandus, gemitibus & ſilentio Anglicani cleri motus, ſimulavit ſe velle cum domino papa de hoc negotio conſulere. Illi inter gemitus anhelantes affirmabant; quod mori in hac cauſa via fuiſſet martyrii manifeſtior, quam fuerat cauſa beati Thomae Becket martyris. Itaque Romam ad papam decanum divi Pauli, communem omnium nuncium & procuratorem, miſerunt; veriti, ne hac regis & papae confoederatione eccleſia Anglicana in ſervitutem cunctis ſaeculis deplorandam veniret.

Verba Matth. Paris.

Matt. Paris.

PAPA non modo clerum per Ruſtandum, ſed privatis literis nobiles & magnates regni, ad pecuniam ſibi mutuo dandam ſolicitavit: Inter quos a Richardo Cornubiae comite quingentas marcas mutuas poſtulavit. Sed Richardus "non ſe contracturum cum eo mutuum reſpondit, cum quo " jure contendere & experiri non poterat." Lanam item a Ciſtercienſis ordinis monachis tantam flagitavit, quantam uno integro anno ad ſui ſuſtentationem collegiſſent. Decanus autem divi Pauli, cum eſſet Romae, ab Alexandro papa, qui Innocentio vaferrimo illo & inexplebili Anglicani theſauri helluoni ſucceſſerat, reſponſum in tam arduo & perplexo

An. 1256.

Ab An. Chr. MCCXLIV. Ad An. Chr. MCCLXVIII.

negotio ſatis aequum & benignum tulit: Ut, quia rex cum regni hypotheca alienigenis, nempe Italis, creditoribus ſeſe obligáſſet; pro ea pecunia, quam ad aes regium diſſolvendum praeſtarent, decimam bonorum eccleſiaſticorum, quam ad Terram Sanctam redimendam polliciti eſſent, retinerent. Ita regni hypotheca ab Angliae clero liberata & redempta eſt. Jamque Bonifacius a bello Taurino in Provincia, ut diximus, reverſus, ab Epiſcopo Roffenſi, cujus jura & libertates aperte violaverat, ad papam, appellatione praemiſſa, citatus eſt. Sed regis affinitate & nobilitate ſua, tum papae conjunctione in anteactis rapinis fretus, quaecunque in ſe ſuſcepta eſſent, contempſit & ludibrio habuit. Ita in ſua provincia Cantuarienſi diutius in clericorum bonis graſſandi otium & occaſionem viſitando atque corrigendo captans, aliquot annis ſecure permanſit. Hoc anno eccleſia cathedralis Sarum a Bonifacio in feſto ſancti Michaelis dedicata eſt, & Hugo de Baleſham collegii ſancti Petri Cantebrigiae fundator, Epiſcopus Elienſis conſecratus. Sed poſtquam Alexander papa regem ab eo juramento, quod de ſervandis regni priſtinis juribus atque libertatibus cum Edwardo ſuo filio, baronibus regni, ut ante diximus, Oxonii in parliamento praeſtiterat, ſecreto abſolviſſet; Rexque ab eorum jurium obſervatione receſſiſſet, nec pacta ſervaſſet; civile bellum atrox inter regem & barones ſuſceptum eſt. Haec jura, quae a rege fracta ſunt in legibus regni municipalibus Magna Charta dicuntur; quae Bonifacius antea cum omnibus regni Epiſcopis, pontificalibus ornamentis induti, in aula Weſtmonaſterienſi ſub excommunicationis latae poena, ex regis praecepto ab omnibus ſervanda praeceperunt. Itaque, his a rege juribus violatis, cum arma eſſent capienda; proſpexit ſibi Bonifacius diſceſſione, quae inſtar fugae fuit; & ne tam quaeſtuoſae provinciae lucrum amitteret, vices ſuas Hugoni Mortimero viro tum in pecuniis congerendis ſcientiſſimo commiſit. Quam quidem ad rem ſatis cautus atque providus, tam a rege quam a baronibus, in ipſo pene praecinctu atque caſtris, antequam diſcederet, veniam impetravit. Ita in patriam Sabaudiam diſceſſit. Hoc tempore Urbanus papa reſciſſis duabus electionibus, quas Wintonienſis conventus feciſſet, Johannem Exonienſem, Eboracenſem cancellarium, in Wintonienſem Epiſcopum Romae conſecravit; qui papae ſex marcarum millia, totidemque Jordano, papae vicecancellario, ſolviſſet: Et, quanquam a papa ſacratus eſſet; tamen ſubjectionem poſtea Bonifacio jurejurando promiſit. Ac Urbano papa mortuo, magna inter cardinales de altero eligendo contentio diu mota fuit: Qui tandem Guidonem Sabinenſem Epiſcopum, militem quondam uxoratum, tunc autem in Anglia Romanae ſedis legatum, elegerunt. Hic Clemens dictus eſt: Verum Angliae Praeſules ac barones haud clementer tractavit; ſed quamdiu vixit, ſummo odio perſecutus eſt, eo quod legationis tempore ingreſſus in Angliam ei prohibitus eſt. Interea bellum hoc, procurante Urbano papa, qui Alexandro ſucceſſit, per Ottonem & Octobonum in Angliam miſſos legatos tandem tranſactum & pacatum eſt. Poſtea Octobonus duas cleri ſynodos, unam Northamptoniae, alteram Londini, celebravit; in quibus conſtitutiones multas provinciales tulit, quae inter jura hujus regni eccleſiaſtica etiamnum obſervantur. Bonifacius quoque, poſtquam quadriennio toto aberat, Cantuariam reverſus eſt; ſed, ante adventum ſuum & ingreſſum, conditionem a baronibus accepit, ut in ſua provincia non novas turbas, ut antea, concitaret, ſed ſe quiete ac pacifice gereret. Sed in hac abſentia

Hucuſque ex Mat Paris. Reliqua ex continuatione hiſtor. ejuſdem ſumpta ſunt.

An. 1266.

Ab An. Chr. MCCXLIV.

Ad An. Chr. MCCLXVIII.

ſentia Walterum Giffard Bathonienſem Epiſcopum electum ab Epiſcopo Pariſienſi mandavit conſecrari: Et reverſus Hugonem de Sandwico Londinenſem Epiſcopum Cantuariae conſecravit. Walterum autem de la Wyle Sariſburienſem electum a Wintonienſi Epiſcopo vicino mandavit conſecrari. Cumque turbulentus reipublicae ſtatus pacatus eſſet; rex ad eas controverſias, quas in eccleſia Bonifacius diſſeminaverat, componendas adhibuit animum. Itaque illae cum Epiſcopo & eccleſia Roffenſi, cum Epiſcopo & eccleſia Londinenſi, cum eccleſia Lincolnienſi, Sariſburienſi, & cum eccleſia ſua Cantuarienſi lites, quas ante commemoravimus, ne aliqua veterum diſcordiarum ſcintilla in republica, aut eccleſia, ſupereſſet, rege ipſo intercedente ſopitae & extinctae ſunt. Roffenſem Epiſcopum & eccleſiam feodalia ſibi pro omnibus ſuis terris debere ſervitia in jure vicit: Horum ſervitiorum loco duodecim annuas marcas ſtipulatus eſt. Doverenſis autem eccleſiae ſubjectio in illa pactione Epiſcopo Roffenſi reſervata eſt. In Lincolnienſi eccleſia, ſede vacante, totum jus epiſcopale obtinuit, octo tantum eccleſiis, quae in civitate Lincolnienſi ſitae ſunt, exemptis & capitulo retentis. Viſitationem plenam, ſumma vi & ope reſiſtentibus omnibus Suffraganeis ipſiſque invitis, complevit, procuratione uniuſcujuſque diei in viſitando conſumptae ad quatuor marcas taxata. Item cum Richardo Gloceſtriae comite de his ſervitiis militaribus, quae Cantuarienſi eccleſiae pro maneriis de **Tunbridge, Brastyd, Werlston, Horsmonden,** & **Melton,** jure debentur; nec non de ejuſdem comitis ordine, loco, & ſtipendio in Archiepiſcoporum Cantuarienſium inthronizationibus pepegit. Cantuarienſem eccleſiam grandi aere alieno praedeceſſorum ſuorum Stephani, Richardi Magni, & Edmundi immoderatis ſumptibus devinctam viginti & duobus marcarum millibus liberavit. Aulam illam nobiliſſimam & ampliſſimam Cantuarienſis palatii cum ſuis appendiciis, quam Hubertus inchoavit, iſte perfecit & abſolvit. Unde joco inter familiares ſuos dicere ſolitus eſt: Majores ſuos ſibi aulam conſtruendam locaſſe: "Praedeceſſores, inquit, mei iſtam aulam cum magnis expenſis fecerunt; bene quidem fecerunt: ſed expenſas ad illam conſtruendam, niſi de pecunia mutua, non invenerunt: videtur quidem mihi, quod ego illam feci: quia illorum debita perſolvi." Quod, ut diximus, revera praeſtitit. His perfectis ſynodum provincialem Londini ex Urbani papae mandato celebravit. Huic Otto & Octobonus legati interfuerunt. In ea provincialia jura ſeu decreta ſeptendecim promulgata ſunt. Paulo poſt, cum ſibi ſanctior & moderatior, utpote qui caſtris & tumultibus, quibus antea totus vacabat, relictis, eccleſiae curam gerere coepit, regem cum Epiſcopis ſuis adit: Eum rogat, ut regni ſui peregrinorum incurſu, qui praecipuas eccleſiaſticas dignitates & eccleſias tenebant, labefactati memor, deinceps praeficiat ſuae gentis atque nationis, inter quos optimus delectus haberi poteſt, viros doctos atque pios. Cui rex; "Hoc, inquit, libenter faciam. Proinde aequum cenſeo, ut tu, qui alienigena & indoctus ſis, meuſque frater AEthelmarus Wintonienſis Epiſcopus, quos non alia quam affinitatis & cognationis ratione praeficiendos tantis dignitatibus curavi, ad reliquorum exemplum vos abdicetis eccleſiis; & proſpiciam, ut vobis eruditi atque pii viri ſuccedant." Hoc regis reſponſum Bonifacium ita pupugit, ut moleſtam ſibi vitam in Anglia deinceps ducere ſemper viſus ſit. Itaque, cum ſciviſſet ſe & regi ipſi ingratum, & populo atque clero inviſum fuiſſe, redire potius in ſuam patriam, quam

Annal. Eccl. Aug. Cant. Ste. Byrch. Arch. Cant.

Gervaſ. Dorob. in Mappa mundi. Steph. Byrchington.

quam Cantuariae manere voluit. Itaque nemoribus succisis, locatis Archiepiscopatus praediis, exactis a tenentibus variis tributis, permultisque aliis cleri & provinciae suae spoliis ingenti confecta pecunia, ab omnibus pene execratus in suam patriam Sabaudiam profectus est. Ibi in sanctae Helenae castello, posteaquam viginti & sex annis, & mensibus sex, ac sexdecim diebus a sua consecratione sedisset, a prima vero electione viginti novem annis, decimo quinto Kalendarum Augusti, obiit. Maidestoniae in Apostolorum Petri, & Pauli, nec non Thomae Cantuariensis honorem, hospitale multis praediis instructum fundavit. Quod hospitale Novi Operis vulgariter dictum est. Hoc postea Willielmus Courtney Cantuariensis Archiepiscopus in collegium saecularium sacerdotum mutavit. Vulgus eum saepe ut uxoratum exprobrabat. Vivus multa magnifice magis, quam pie, gessit. Eodemque modo moriens testamento singulis abbatibus ad Cistertii capitulum accedentibus decem marcas legavit: Ut proximo post ejus mortem capitulo quadringenti plures abbates convenirent. Hujus tempore palatium Westmonasterii igne pene totum deletum est: Et cives Norvicenses ob monachorum odium ecclesiam cathedralem cum palatio incendunt. Annonae item caritas parentes in multis locis ad liberos suos devorandos compulit: Modius enim tritici duodecim solidis, interdum etiam sexdecim aestimabatur. Providentia item Oxoniensis academiae diplomate regio confirmata est. His igitur calamitatibus & cruentis papae rapinis, cujus authoritas, jam tandem exosa regibus atque populo, vacillare & ad ruinam paulatim vergere coepit, Bonifacii Archiepiscopatus ignominiose & infeliciter gestus ac transactus est: Quo mortuo papa Simonem de Montfort Leycestriae comitem, omnesque, qui cum eo occubuerant, quos ante excommunicaverat curia Romana, absolvit: Dicebat enim Romanam curiam in sententia contra eos lata fuisse deceptam.

An. 1270.


Matt. Paris. Hist. de Abb. de Furneys.


Hic Bonifacius, ut moribus gestisque peregrinus, sic nomine ipso & appellatione reliquis omnibus tam prioribus, quam eum sequutis, Archiepiscopis fuit dissimilis: Id quod Radulphus de Diceto, ecclesiae quondam Paulinae Londinensis decanus, vir in Anglicana historia sui temporis peritissimus, qui ad Hubertum Archiepiscopum scribens, "ex illa tam longa "Archiepiscoporum Cantuariensium tot annis ducta serie, mirari se, ait, "ne duos unquam uno eodemve nomine appellari." Quod quidem usque ad Huberti tempora, ut ipse annotavit, verum fuit. Nos vero, qui septuaginta Archiepiscoporum vitas in hoc opere descripsimus, multo magis mirari debemus & animadvertendum esse duximus; praeterquam, quod & hic Bonifacius, & quatuor post eum Archiepiscopi nominibus a caeteris omnibus distincti & discriminati fuerunt; ex illo toto septuagenario numero ne mediam partem conjunctam archiepiscopalem sedem tot annis occupasse, quot hic noster septuagesimus solus ad hunc annum Domini 1572. tenuit. Qui quot deinceps annis eum locum tenebit, in ejus solius est cognitione atque potestate, qui suo arbitrio regit & custodit singula.

Ab An. Chr. MCCLXXII.

XLVII. Robertus de Kylwarby, *sive* de Kylwerdeby.

Ad An. Chr. MCCLXXVIII.





Odem annô, quo Bonifacius Sabaudiensis Cantuariensis Archiepiscopus regno atque vita, ut diximus, cessit, tanti & tam copiose diffluentes imbres post fulgura atque turbines Cantuariae consecuti sunt; ut incredibilis & a saeculis in illa civitate inaudita pluvia non modo agros, sed ipsam pene civitatem, inundavit. Die primum toto atque sequente nocte, aere tonante, nimbi confertim collecti obduxerunt tenebris civitatem; a quibus profluens pluribus diebus pluvia greges & armenta ex agris abduxit, praesepia subvertit, ipsas arbores vi sua prostravit, saepe etiam radicitus avulsit. Hoc diluvium fames & annonae caritas occupavit, famemque contagio & pestis: Ut vulgus dicere ac existimare solebat, hanc divinam cladem & ultionem ob Bonifacii permissa & perpetrata scelera Cantuariae contigisse. Interea Henricus rex, Clemente papa mortuo, Romanaque sede triennio pene vacante, aliquam alleviationem intolerabilis illius jugi papalis sensit. Itaque modica sibi a papali exactione intercapedine concessa, tanquam respiratione & paucorum dierum ab hostili direptione induciis datis, coepit illam excelsam & illustrem Westmonasteriensem ecclesiam fabricare. Postea Nordovicum ad sumendam de his poenam, qui, ut in Bonifacio diximus, in cathedralem ecclesiam & palatium incendium miserunt, magnatibus suis sociatus, profectus est: Ibi facinoris tanti duces flammis delevit; reliquos aut patibulis suspendit, aut equis distraxit. Qua peracta severitate, cum ad sancti Edmundi coenobium divertisset, lethali morbo correptus obiit, testamentumque moriens nuncupavit; ut, creditoribus solutis, bonorum suorum residuum distribueretur indigentibus. Paulo antequam e vivis excessit, licentiam monachis Cantuariensibus eligendi Willielmum de Chillenden, conventus sui subpriorem, in Archiepiscopum Cantuariensem fecit. Is electus Romam ad Gregorium decimum, qui Clementi jam mortuo successit, ut electio firmaretur, profectus est. Sed Gregorius, ut majorum suorum exemplo specimen aliquod in papatus sui primordio illius, ut nuncupant, plenariae potestatis ostenderet, hominem apertum atque simplicem, ut electioni cederet, facillima non suasione, sed oratione, coegit. Hujus loco sine monachorum consensu, simulans in subprioris illius electione vitium manifestum, quod in suam potestatem jus conferendi transtulit, intervenisse, Robertum de Kylwarby Cantuariensem Archiepiscopum pronunciavit. Hic Robertus gente Anglus, ab ineunte aetate Parisiis

An. 1271. Petr. de Ickeham. Walt. Gisborn.

Tho. Walsingham. Nic. Trivet.

An. 1272.

Ex Archivis.

Pariſiis educatus, artes illas ingenuas & liberales profeſſus eſt. Quarum profitendarum gradu donatus in Angliam rediit, & fratrum minorum, qui, ut ſupra in Bonifacio commemoravimus, cum praedicatoribus Roma miſſis occultam papae in Anglia quaeſturam gerebant, ordinem ingreſſus eſt. Horum ille non miles gregarius, ſed anteſignanus fuit; nempe provincialis, cujus inter eos munus praecipuum & uberrimum fuit. Nam, quos reliqui fratres prohibuiſſent a ſacris, hic ſolus, ut diximus, ex papae mandato reſtituit: Quod munus undecim annis gratiſſimus Romanae curiae quaeſtor geſſit. Hunc cum, cedente atque repulſo Willielmo, papa ſua voce, tanquam oraculo, Cantuarienſem Archiepiſcopum declaraſſet; monachi, quorum inſolentia regibus ſaepe, ut in Baldwino declaravimus, moleſta, jam tandem ab ipſo papa, quem contra reges implorare conſueverunt, fracta eſt, ne jus eligendi amiſiſſe viderentur, hunc Robertum a papa Antiſtitem declaratum etiam & ipſi eligunt: Ad eumque Londini cum illa fratrum minorum ſeu praedicatorum ſcaturigine agentem, ſuum ſubpriorem, qui electioni ſuae coram papa renunciavit, priorem Doverenſem, & officialem Cantuarienſem, miſerunt, qui eum conventus nomine electum ſalutarent. At Robertus, etſi Archiepiſcopatum hunc papae acceptum tulit, ut monachorum gratiam & benevolentiam colligeret, perhumaniter eos accepit atque tractavit, ſecumque de eccleſiae Cantuarienſis negotiis conſilium daturos octo diebus retinuit. Inter alia, conſecrationis ſuae diem primam quadrageſimae dominicam ſtatuerunt; quae illo anno in quarto Kalendas Martii incidit. Eo die convenerunt undecim Cantuarienſis provinciae Suffraganei; reliqui ſe procuratoribus conſtitutis excuſabant. In quorum praeſentia a Willielmo Bathonienſi Epiſcopo, nam Londinenſis adverſa valetudine impeditus abfuit, in ipſa eccleſia metropolitica Cantuarienſi conſecratus eſt. In ipſa conſecratione prior Cantuarienſis exegit ab hoc Roberto tria millia marcarum; quae conventus Cantuarienſis in Willielmi de Chillenden ſubprioris Cantuarienſis electione conſumpſiſſet, quaeque papa eidem Willielmo, electioni renuncianti, promiſiſſet proximum Archiepiſcopum conventui redditurum. Sed Robertus, hac ab eo repetita pecunia, in priorem motus, inquiſitione habita, de moribus ejus atque vita ſcrutatus eſt, ut eum prioratu amoveret. Quod cum intellexiſſet prior, induxit conventum, ut ex tam grandi debito mille & ter centum marcas Archiepiſcopo remitterent: Quo conceſſo Archiepiſcopus ab inquirendo deſtitit. Peracta conſecratione rediit Londinum. Ibi mortuo, ut diximus, Henrico tertio, cum Edwardus ejus primogenitus eſſet in Syria, multaque in Saracenos geſſiſſet egregie, Robertus Cantuarienſis cum regni Praeſulibus & magnatibus in Novo Templo Londini congregatis, Edwardum abſentem, dominum & regem ſuum agnoverunt; eumque paternae dignitatis ſucceſſorem populo toti per Angliam praeconum vocibus declarari fecerunt: Et aerarii cuſtodes, regiique fiſci procuratores & miniſtros, qui regni proventus in uſus regios conſervarent, conſtituerunt. Interea Edwardus primus, cum de patris obitu accepiſſet, dimiſſis Acone ſtipendiariis militibus, in Angliam feſtinat, marique trajecto Siciliam applicuit. Ei rex Carolus obviam honorifice dedit, eumque Romam comitatus eſt: Ubi Edwardus cum Gregorio decimo, familiari ſuo, multa communicabat. Nam, cum poſt papae Clementis mortem, qui Urbano ſucceſſit, Romana ſedes tribus pene annis pontifice careret, cardinales hunc Gregorium decimum, qui

Steph. Byrch. Arch. Cant.

Pet. de Icke-ham. Walt. Giſb. Ste. Byrch. Arch. Cant.

Chro. Major. Tho. Walſ. An. 1273.

An. 1274.

[Ad An. Chr. MCCLXXII.] [Ad An. Chr. MCCLXXVIII.]

qui tum cum Edwardo in caſtris & chriſtiana commilitia Acone fuit, & Theobaldus, archidiaconuſque Leodienſis dicebatur, Henrici regis Angliae, & Edwardi filii ſui gratia Romanum pontificem elegerunt. Itaque magna ex illa militari familiaritate & conjunctione neceſſitudo atque amicitia inter Gregorium papam & Edwardum regem conflata eſt. Itaque Gregorius Edwardo, ad eos ſumptus, quos in Syria feciſſet, recuperandos, poteſtatem conceſſit, bonorum in Anglia quorumcunque tam temporalium quam ſpiritualium decimam partem a clero percipere: Egregium ſcilicet munus; cum de ſuo largiri nihil voluit, de alienis bonis ſumendi veniam indulſit. Roma itaque, hujuſmodi papae beneficio affectus, Edwardus rex diſcedens ab Italiae ducibus cum tubis & tripudiis per Hetruriam in Burgundiam ductus eſt. Ibi a proceribus Angliae occurſum ei fuit; qui Galliam magno honore & admiratione tranſeuntes tandem in Angliam appellunt. Cumque jam paucis diebus in reginae matris, & Antiſtitum procerumque ſuorum conſuetudine ad deliberandum de publicis privatiſque negotiis fuiſſet; in Angliam a Gregorio papa miſſus venit Romanus quidam clericus Raymundus, natione Guaſconus, cum authoritate viros eccleſiaſticos papalibus animadverſionibus compellendi decimam tam temporalium quam ſpiritualium Edwardo regi ſolvere. Ex qua ſine mora collecta pecunia rex perexiguam tulit partem; Raymundus enim, qui nomine regis huic conficiendae pecuniae praefectus fuit, papalis potius & Romanae cupiditatis, quam regiae neceſſitatis, quaeſtor exiſtimari jure debuit. Qui, cum rationes retuliſſet pro ſuis in hoc negotio expenſis atque opera, non modicam portionem detraxit; deinde papae domino ſuo donum tanto pontifice dignum exhiberi poſtulavit: Quae duae rationes hanc tam copioſam pecuniam pene totam abſorpſerunt; ut regi ex Praeſulum benevolentia vix aliquid regiis dignum gratiis relictum ſit. Cumque hoc exemplo Gregorius papa in chriſtianas eccleſias Romano more graſſandi occaſionem nactus eſſet; concilium generale indixit Lugduni: ubi, cum inutiliter de conjungenda Graeca cum Romana eccleſia multa acta eſſent, illiuſque conjunctionis ex Palaeologi Graecorum imperatoris & Epiſcoporum Graecorum literis ad papam datis ſpes inanis, aſtu Gregorii, totum concilium lactaviſſet; decretum fuit: Ut, toto proximo ſeptennio proventuum eccleſiaſticorum decima pars in Terrae Sanctae ſubſidium ſolveretur: Cujus, ut patebit poſtea, cum quaeſtores a papa conſtituti eſſent, in Romanam avaritiam, non illius negotii expeditionem, aut curam, tota converſa eſt.

[W. Giſborn. Petr. de Ickeham.] HANC decimam cum Gregorius poſtulaſſet, deliberandi diem Archiepiſcopis, Epiſcopis, praelatis ſtatuit; quo vel conſentirent, vel diſſentiendi cauſas & rationes oſtenderent. Adveniente die plerique, contradicere non auſi, apertis ſuffragiis aſſenſi ſunt. Inter quos Robertus Kylwarby Cantuarienſis Archiepiſcopus ab ipſo, ut diximus, papa conſtitutus: “Pater, inquit, ſancte, opus & creatio manuum veſtrarum ego “ſum, & eccleſia mea eccleſia veſtra, bona mea bona veſtra ſunt: Diſ- “ponite ergo de eccleſia mea, & de bonis meis, ſicut de bonis propriis.” [Ver. Giſborn. & Ickeham.] Inter caeteros autem, qui contradicere ſtatuerunt, erat Simon quidam de Mepham decanus Lincolnienſis: Qui papae tradidit ſchedulam excuſatoriam, Angliae eccleſiae expilationes diuturnas & varias continentem: quibus ita dejecta eſt & oppreſſa, ut vix aut ne vix quidem aſſurgere aut ſe attollere poſſit. Cui, perlecta ſchedula, papa: “Dictaſti ſchedulam

“ hanc

"hanc, domine decane?" Et ille, "pater ſancte, ego dictavi & ſcripſi:" Et papa: "Numquid conſentis & tu, vel contradicis?" Et ille; "Domine, non contradico." Et papa: "Aliud eſt non conſentire, aliud non contradicere. Quid igitur? conſentis?" Eodemque iterum modo reſpondit: "Domine non contradico." Cumque aliter non reſponderet; privavit eum dicto citius omnibus beneficiis eccleſiaſticis. Cujus metu caeteri ſine contradictione aſſenſus ſuos praebuere. Tandem ipſe decanus, ne ſolus diſſentire videretur, & dignitates amitteret, una cum reliquis aſſenſus eſt, & elapſo triduo beneficiis ſuis reſtitutus. In hoc concilio Gregorius multas conſtitutiones, quas in certis decretalium titulis digeſſit, quaeque Gregorianae conſtitutiones appellantur, tulit.

Verb. authorum praedictorum.

HOC anno Thomas Aquinas, curioſus magis & ſubtilis, quam ſolidus, Theologus in quodam Ciſtercienſium monachorum coenobio, quod Nova Foſſa dicebatur, obiit. In eoque concilio papa, quo facilius in oppreſſos anteactis injuriis Anglos ſeſe inſinuaret, Edwardum regem ob Terram Sanctam ſua praeſentia & adventu ſervatam infinitis laudibus extulit. Hujus decimae ſolutione a clero promiſſa concilium ſtatim a Gregorio diſſolutum eſt. Jamque in Anglia apparatus ſplendidi ad regem & reginam Eleonoram regiis ſacris initiandos inſtituti ſunt. Qui Weſtmonaſterii a Roberto Cantuarienſi Archiepiſcopo, decimo quarto Kalendas Septembris, regiis coronis inſigniti atque ſacrati ſunt. Interfuerunt his ſolennibus regina mater regis, comitum, Praeſulum, nobiliumque pariter & ignobilium copioſa frequentia. Ex alienigenis autem Alexander Scotorum rex, & dux Britanniae: Quorum utrique, in uxores ſuas ſuſceptis duabus regis ſororibus, affines regi fuerunt. Sed horum conjugibus ſubita ereptis morte accidit, ut nuptiarum gaudia lugubres exitus ſortita ſint: Poſteaque in vigilia ſancti Nicolai, terraemotus, fulgura, & tonitrua, dracoque igneus & cometa Anglos terruere: in qua tempeſtate regis juſticiarii, dum ad tribunalia in aula Weſtmonaſterienſi accederent, ad crucem lapideam, quae **Charing-Croſſe** appellatur, conſiſtere, ibique terrore perculſi conſidere coacti ſunt: Sequutaque hunc terrorem eſt lues ex ove morbida ex Hiſpaniis importata; quae monſtri ſimilis, & ovium inuſitata magnitudine inſtar biennalis boviculi fuit, ac, dum in Anglia cum ovilibus gregibus permiſceretur, eos illata contagione infecit. Haec lues viginti & octo annis duravit. Interea Robertus, exacto jam quarto ſuae conſecrationis anno, vetera Cantuarienſis curiae, quae in arcuato Londini templo celebratur, ſtatuta a multis Cantuarienſibus Archiepiſcopis antiquitus ſancita, deſuetudine pene adumbrata renovavit; omniaque breviter quinque articulis complexus eſt. Deinde ſuae provinciae clerum ad Novum Templum convocavit; cui concilio etiam Eboracenſis Archiepiſcopus accerſitus interfuit. In hoc concilio Lewelyn, Griffini filius, princeps Walliae, qui mandatis regiis obtemperare recuſavit, totius Synodi decreto excommunicatus eſt: Et, cum ad pertinaciam dicti principis compeſcendam bellum Edwardo regi neceſſario ſuſcipiendum eſſet, militumque delectus habendus, civibus Cantuarienſibus duodecim equites imperavit. Illi monachos rogant, ut ex ſuis bonis horum militum ſumptibus conferrent. Id monachi ſine regis & Archiepiſcopi ſui authoritate & conſenſu facturos negant. Itaque commoti cives inierunt inter ſe juramento foedus, ſe indignis modis monachos mulctaturos.

Flor. — An. 1275. — Flor. Petr. de Ickeham. Giſborn. Walſing. — An. 1276. — An. 1277. In Record. Cant. Monach.

PRIMO,


An. Chr. [M]CCLXXII. Ad An Chr. MCCLXXVIII.

PRIMO, omnes monachorum in urbe Cantuarienſi inquilinos ex omnibus urbanis illorum praediis proſcriptione ejecturos, omnes eorum redditus percepturos, & daturos pauperibus: Deinde edicturos, ne quis Cantuarienſis civis cum monachis quocunque modo contraheret: Ad haec ſe, quaecunque in urbem, monachorum cauſa, importata aliunde eſſent, diſtracturos: Monachis praeterea, quos cepiſſent, detracturos ad corporis nuditatem & ignominiam veſtes: Monaſterium ipſum valle atque foſſa profunda, ut ingreſſus & egreſſus omnis prohiberetur, circumſepturos: Ad Thomae delubrum peregrinantes jurejurando adacturos, ne pecunias offerrent: Ad extremum, ut equites ad regem mittendi Thomae delubrum invaderent, & ex eo exquiſitiſſimos annulos vi ablatos digitis geſtarent. Hic autem civium Cantuarienſium in monachos ſaevus conatus a Roberto, leni & benigna ſuaſione, repreſſus eſt: Inerat enim hujuſmodi illa tunc temporis ignaris hominibus grata de ſuperſtitioſis nugis dicendi ſuadela. Jamque monachi poſt fratrum & praedicatorum in Angliam adventum, ut ante diximus, regi atque populo prae illis deſpectui eſſe coeperunt. Vide ſupra in Edmundo. Hoc pacato tumultu, totam Cantuarienſem provinciam viſitationis jure peragravit, ſeque donis non imperitando, ſed artificioſe, ut ſui ordinis fratres ſolebant, ſuadendo locupletavit. An 1278. In hac viſitatione academias ipſas metropolitica authoritate ingreſſus eſt: Et Oxonii in ſcholis non modo de theologia, ſed de philoſophia atque logica, argute diſceptavit: In quibus artibus multas Oxonienſium opiniones & ſententias tanquam minus probabiles reprehendit atque refellit: Quas opiniones Johannes Peckham, qui eum in Archiepiſcopatu proxime ſequutus eſt, inſtituta cleri ſynodo, cum inania tantum & inepta ſophiſtarum eſſent deliria, tanquam haereticas & a fide chriſtiana abhorrentes condemnavit. Eodem anno fratrum minorum coenobium, ex veteri Londinenſi turri ad occiduam civitatis partem quondam poſita ipſaque vetuſtate demolita, grandi a provincialibus fratrum minorum ſolicitatione collecta pecunia, conſtruxit. Hujus occidentalis turris reliquias, quae in lapidibus & caemento fuerunt, ad reparandam templi Paulini cancellam incendio deletam Londinenſi quondam Epiſcopo Gulielmus Normannus conceſſit. At Robertus, hoc extructo & condito ad minorum fratrum commodam habitationem coenobio, jam locuples atque dives a Nicolao tertio papa, inter quem & Gregorium Adrianus quintus interceſſit, Romam ad pretium participandum accitus eſt, ab eoque cardinalis Hoſtienſis, & Portuenſis Epiſcopus creatus. Qui Cantuarienſi Archiepiſcopatui non tam ſponte ceſſit, quam ut alium ſui ordinis atque loci, virum illius ſcaturiginis minorum in Anglia fratrum, ſicut ipſe fuerat, provincialem loco ſuo a papa ſurrogari procuraret. Scripſit in theologia, logica, atque philoſophia acute permulta, quibus de rebus vivus ſaepe eodem acumine diſſerere conſuevit; eoſque libros divulgavit. Simul atque ad cardinalatum & Epiſcopatum Romae gerendum acceſſit, An. 1279. correptus gravi morbo fuit; ex eoque paucis poſtea diebus Viterbii interiit: ubi humo conditus jacet.

Ab An. Chr. MCCLXXIX.

XLVIII. Johannes Peckham.

Ad An. Chr MCCXCIII





Uam gratioſus fratrum minorum & praedicatorum, qui in Angliam, ſedentibus, ut diximus, Edmundo & Bonifacio, a curia Romana novae religionis praetextu miſſi ſunt, ordo papis habebatur, non modo ex antegreſſo Roberto Kylwarby, ſed ex hoc fratre Johanne, colligemus. Namque his fratribus praevalentibus, monachi, in quibus omnis vitae ſanctitas & puriſſimus Dei cultus ineſſe antea putabatur, hoc novo a papa ſuſcitato religioſorum numero ignavi & deſidioſi, ideoque inutiles atque putidi cenſebantur. Horum igitur aucta, & illorum extenuata, tam regi quam papae gratia, cum Robertus ex illo fratrum grege primus Cantuarienſis Archiepiſcopus, cardinalis & Portuenſis Epiſcopus a Nicolao papa creatus, Cantuarienſi Archiepiſcopatui ceſſiſſet; papa eundem Archiepiſcopatum Johanni Peckham, monachis Cantuarienſibus non modo non requiſitis,
An. 1279. ſed etiam invitis, contulit; eumque ſine Suffraganeorum praeſentia Romana in curia conſecravit. Nam monachi Robertum Burnel Bathonienſem Epiſcopum, regni cancellarium, poſtularunt: qua poſtulatione ſpreta & contempta Johannes in Archiepiſcopatum papali voce tanquam fulmine immiſſus eſt. Hic Archiepiſcopatum gerens, illius verſuti ordinis nomen retinuit; nec aliter, quam "Frater Johannes," appellari voluit. Natus in Suſſexia obſcuris parentibus fuit, & in coenobio de **Lewes** puerilem inſtitutionem accepit. Poſtea Oxonii ſtuduit, ubi fratrum etiam ordinem ingreſſus eſt: Cujus ordinis paulo poſt, exemplo Roberti Kylwarby, cui ſucceſſit, provincialis praeficiebatur. Quem locum cum aliquandiu tenuiſſet, Lutetiam theologiae ſtudio motus profectus eſt. Inde Lugdunenſis canonicus electus Lugdunum migravit: Quae dignitas, tanquam jure Cantuarienſis eccleſiae, a Cantuarienſibus Archiepiſcopis uſque ad Henrici quinti tempora retenta eſt. Lugduni autem cum eſſet, juri civili atque pontificio operam dedit: In quibus ut uberiores haberet progreſſus, Italiae academias perluſtravit. In his cum diuturnam operam poſuiſſet multumque profeciſſet, Romanam curiam adiit: In qua cauſas tanta juris peritia tractavit, ut ſacro papae palatio cauſarum auditor a papa praeficeretur.
Vide in ſuo Reg. fol. 217. Ipſe de ſe ſcribit in literis ad Lincolnienſem Epiſcopum datis, ſe Pariſiis, & in Anglia, & in Romana curia, multis annis publice legiſſe. Geſtu, inceſſu, & ſermone glorioſo ac elato, animo tamen be-
Nic. Trivet. nigno atque liberali, fuit: Cumque magna ex more ſolennitate atque pompa Cantuariae in throno ac ſede archiepiſcopali collocandus eſſet; li-
Arch. fol. 157. teris ſuis Wintonienſem, Exonienſem, Wigornienſem, Bathonienſem, Norvicenſem, Herefordenſem, Ciceſtrenſem, Roffenſem, Landavenſem, Epiſcopos,

Ab An. Chr. MCCLXXIX.

Ab An. Chr. MCCXCIII.

Epiſcopos, abbateſque ac priores ſuae provinciae locupletiores intereſſe, ac tam magnifico convivio carnem ferinam, volucres, piſces, & ejuſmodi munera exhibere juſſit. Antea, ut diximus, cum Robertus Kylwarby ſe Archiepiſcopatu abdicaſſet; hic Johannes frater oraculo papae Nicolai Anno 1279. dominica prima quadrageſimae Archiepiſcopus Cantuarienſis creatus, in Angliam ad ſuam ſedem miſſus eſt: Monachi Cantuarienſes hanc in Archiepiſcopatu conferendo papae injuriam, qui regia aequiſſima jura ferre non poterant, inviti perpeſſi ſunt. Hic frater Johannes, ut Robertus Kylwarby in concilio Gregorii decimi ante fecit, ſubinde ſe papae creaturam, papamque ſuum creatorem agnoſcit. Sed dirus ille creator ſuam creaturam in primo Archiepiſcopatus ingreſſu, exactis quatuor marcarum millibus, diripuit peneque deſtruxit: Qua de re his verbis ad papam ſuum creatorem, cujus coelum Romae ſitum cum omnipotentia exiſtimabatur, ſcripſit: "Ecce me creaſtis; & quanto "creatura a ſuo naturaliter appetit perfici creatore, ſic in meis oppreſſi- "onibus cenſeo per vos recreandum. Sane nuper ad me pervenit cu- "juſdam executionis litera, horribilis in aſpectu, & auditu terribilis; "quod, niſi infra menſem a feſto beati Michaelis mercatoribus Lucanen- "ſibus cum effectu de quatuor millibus marcarum, quae in Romana cu- "ria contraxi, ſatisfaciam, ex tunc ſim excommunicationis ſententia in- "nodatus, & in eccleſia mea, & aliis majoribus, pulſatis campanis, ac- "cenſis candelis, excommunicatus denuncier ſingulis diebus dominicis & "feſtivis." Hanc tam grandem ſolutionem impoſſibilem ſibi futuram reſcribit: quoniam & Robertus Kylwarby diſcedens eccleſiae Cantuarienſis bona ſecum abſtuliſſet; & ante eum Bonifacius aedificia archiepiſcopalia caduca & ruinoſa reliquiſſet; & rex unius anni redditus retinuiſſet; & ſibi ad unius anni ſumptus ſuſtinendos mutua ſumenda eſſet pecunia: Quae in Anglia tam crebris ſolutionibus exhauſta haberi vix, aut ne vix quidem, poterat. Et ad Gentilem quendam ſuum in Romana curia familiarem ſcribit, ſe coactum ad accipiendum mutuo duo millia marcarum pro inthronizationis ſuae ſumptibus octavo idus Octobris proximi faciendis. Illa autem papalis cautela, ut hi, quibus pecunias mercatoribus ſuis ſolvendas imperaret, agnoſcerent ſe eas ad ſuos uſus mutuos prius accepiſſe, non nova jam fuit; ſed a Ruſtando quondam, ut in Bonifacio antea diximus, papae in Anglia quaeſtore callidiſſimo, in uſum novo exemplo introducta. Johannes ſaepe atque multa non modo papae, ſed cardinalibus, ſuoque quondam confratri atque praedeceſſori Roberto Kylwarby, ut ab hac ſolutione liberaretur, ſcripſit: quod cum impetrare non poterat; data ei eſt poſt diuturnam interceſſionem aegre tandem unius anni ad ſolvendum dilatio. Interea Robertus Kylwarby Anglicanis, ut diximus, ſpoliis locuples in dignitatis ſuae culmine poſitus, cujus uſuram perexiguo percepit tempore, Romae vita functus eſt: Quo mortuo atque inteſtato frater Johannes Peckham ad papam, qui inteſtatorum bona pauperibus & piis uſibus ipſo jure pontificio conceſſa ſibi reſervavit, de reſtituendis Cantuarienſi eccleſiae quinque mille marcis, quas Robertus Romam diſcedens ab eadem eccleſia injuſte abſtuliſſet, literas dedit. Ad quas etiam repetendas procuratorem, Anſelmum quendam, ſuum conſtitutum cum multis ad cardinales mandatis miſit: Etſi mirum videri poſſit hominem ſatis aſtutum atque callidum, quique ipſas Romanas verſutias longo edoctus tempore cognoviſſet, ejuſmodi expectatione atque ſpe decipi voluiſſe: Praeſertim

In literis ad papam ſcriptis. Vide Arch.

Verba ipſius Epiſt. in Archivis.

Vide ſupra in Bonifacio.

Praeſertim cum ſuo exemplo ex antedictis quatuor marcarum millibus papam, non reddendis, ſed exigendis rationibus aſſiduam dare operam intellexiſſet. Sed dum hac petitione liberari ſe ſaltem ab illa quatuor mille marcarum praeſtatione ſperabat; pro iiſdem ſolvendis, literis novis papales execrationes minantibus, illico interpellatus eſt. Quo quaſi imperato ſibi ſilentio re perinde atque ſpe excidens deinceps conticuit. Jamque
An. 1280. ad provinciam regendam converſus, concilium cleri Lamethae celebravit: In quo non evangelii praedicationem, ſed Lugdunenſis concilii a Gregorio decimo ſancita, & Ottonis, atque Octoboni, Romani pontificis legatorum, decreta, de quibus in Edmundo & Bonifacio antea diximus, religioſiſſime obſervanda praecepit. Praeterea leges eccleſiaſticas ſexdecim novas condidit; quae inter provinciales conſtitutiones continentur. Hoc
Florileg. concilio durante Eboracenſis Archiepiſcopus, dum regem adiret, Cantuarienſem provinciam cruce ante ſe geſtata ingreſſus eſt. Ea res, ut ſaepe antea diximus, magnarum inter Archiepiſcopos contentionum cauſa fuit. Itaque Johannes Cantuarienſis edictis per totam ſuam provinciam promulgatis ſub excommunicationis poena juſſit; ne quis Eboracenſi, aut ſuis famulis eſculenta, poculenta, ſeu quaecunque ad victum neceſſaria miniſtraret, ulliuſve publici aut privati negotii commercium cum illis haberet: Cujus rei ſeveritate, cum aut provincia infectis negotiis exeundum, aut fame pereundum eſſet Eboracenſibus; crux illa tanto faſtu erecta, humiliter depoſita & dejecta fuit. In eodem concilio Exemptos, quos vocant, qui Metropolitani juriſdictione contineri, ejuſque juſſu ad concilium accedere, recuſarunt, excommunicationis atque ſuſpenſionis poenis afflixit. Inter hos Weſtmonaſterii, ſancti Albani, ſancti Edmundi, & Walthami coenobiorum abbates, tanquam reliquorum duces, provocabant ad papam; quibus magnus per Cantuarienſem provinciam Exempto-
Florileg. rum numerus adjunctus adhaeſit. Sed, cum Cantuarienſis Archiepiſcopi vim ac potentiam ſuſtinere non poterant, appellatione deſerta in ejus poteſtatem & miſericordiam ſeſe committebant. Concluſo autem & dimiſſo illo concilio provinciam totam viſitando perluſtravit; magis ut de ſingulis eccleſiis totiuſque provinciae ſtatu certior fieret, quam ut ſeveritate, aut
An. 1281. Arch. eccleſiaſtica diſciplina, uteretur. Cujus lenitatis atque moderationis cauſae perhibentur; quod primo ingreſſu provincialium ſuorum benevolentiam captavit, ideoque durius adhuc cum eis agere noluit: deinde, quod bello a Cambris in regem Edwardum moto, Johannes in Cambriam, ut ſe-
An. 1282. daret tumultum rege ipſo, ut aſſeruit, inſcio ſeceſſit. Hoc bellum a Leolino, Griffini filio, Walliae principe, fratre ſuo Davide inſtigante, nec non ariolis quibuſdam Cambrenſibus, qui principi ſuaſerunt, jam jam fore ut Bruti diademate, prout Merlinus quondam vaticinatus eſt, inſigniretur, totamque Britanniae inſulam ſolus regeret, ſuſceptum eſt. Etſi Leolinus e-
Florileg. juſque frater David ſcriptis ad Johannem Cantuarienſem, cum in Cambriam veniſſet, literis, affirment ſe arma ſumere; quod contra inita foedera regii juſtitiarii & ballivi Cambros injuriis non tolerandis toties affe-
Vide Arch. ciſſent, ut mori & in acie perire malint, quam vitam in ſervitute atque tyrannide moleſtam ducere. Itaque, cum Johannes de pace concilianda in Snowdonia, Cambriae provincia, diu ſed fruſtra tractaviſſet; in Angliam rediit, excommunicationiſque ſententiam Oxonii, ut in Bonifacio ante diximus, in pacis regiae violatores latam, contra Leolinum & Davidem eorumque milites promulgavit. Sed, antequam in Cambriam pedem intuliſſet,

Ab An. Chr. MCCLXXIX.

Ab An. Chr. MCCXCIII.

tuliſſet, veritus ne vi retineretur, nec redire facile, cum vellet, poſſet, Robertum Burnell Bathonienſem Epiſcopum, quem, ut ante diximus, Cantuarienſes monachi in Archiepiſcopum poſtularunt, vicarium ſuum & adminiſtratorem ſuae provinciae generalem conſtituit. Et, ut Cambros aliquo merito devinciret, multos ex ea provincia clericos indoctos, egentes atque peregrinos, novo ſuperſtitionis modo inſtituto, in Angliam miſit. Codices enim evangeliorum ornate & curioſe in membranis ligatos ſingulis dedit: his, qui inſcitia literarum pronunciare aliquid ex illis non poterant, ut ſaltem quarundam inſtar reliquiarum manibus geſtarent populoque oſtenderent, praecepit: Tum literas ad multos dedit; in quibus rogavit, ut hos Cambrenſes clericos evangelium non ore proferentes, ſed digitis bajulantes, reciperent, & ad eleemoſynas percipiendas circumire permitterent. Illi itaque codices evangelii ſcripti circumducentes, eos inſano & amenti ſine doctrina vulgo, non ſine admiratione & ſtupore, idiomate ſuo, evangelion, evangelion, clamantes oſtendebant. Qua ſuperſtitione Angliae deluſa plebs ignaros & ignotos homines multis donis affecit. Rebus his in Cambria geſtis, Edwardus rex armata & militari manu Cambriam invadit. Ibi tum Edmundus quidam ſtrenuus miles cum Leolino ſubito conflixit, eumque fuſo exercitu trucidavit: Fractiſque Cambrorum jam animis, David, qui ſuis impoſturis has turbas concitavit, paulo poſt a regiis ſatellitibus captus & regi traditus eſt. Amborum capita palis longis ſuperpoſita & in altitudinem erecta ſupra pontem Londinenſem, more proditorum, fuerunt. His ſuperatis ducibus tota Cambria in regis Angliae ditionem ſe protinus dedit. Cujus rei eventus ſuae ſpei & expectationi, quam ex Merlini vaticiniis colligebant, plane contrarius accidit: Ut victoria, quam ſibi ſtatuerunt eventuram, a Deo concederetur Anglis. Poſt hanc victoriam Cambri quandam partem ligni ejus crucis, cui ſervator noſter Jeſus Chriſtus affixus fuit, regi obtuliſſe perhibentur. Subjugata itaque Wallia rex Northamptonae parliamentum tenuit; ad quod Cambriae barones acceſſerunt, regique fidem & homagium jurejurando dederunt. In hoc parliamento illa de Manu Mortua lex, ne omnes ſoli poſſeſſiones in eccleſias tandem transferantur, lata eſt: Cujus ferendae legis fratrum & praedicatorum avaritia, qui poſſeſſiones acquirere contra ſuum inſtitutum coeperunt, cauſam dedit. Deinde Almaricus quidam de Monteforti clericus, quem rex Cambrenſis belli reum ſuſpicabatur & carceribus incluſit, intercedente Cantuarienſi Archiepiſcopo cum ſuis Suffraganeis, ſimulque fidejubente, ne quid detrimenti ab eo reipublicae inferatur, liberatus eſt. Is Romam ſe ad papam contulit, & abjecto, papae authoritate, clericatu ſe addixit infauſtus militiae: Paulo enim poſtquam ſe armis enſeque cinxiſſet, nullo geſto, aut ſuſcepto, diſcrimine obiit. In hoc parliamento Johannes Cantuarienſis Archiepiſcopus, cum rex a clero decimam proventuum eccleſiaſticorum ad ſumptus in Cambria factos recuperandos toto proximo triennio ſibi ſolvi petiiſſet, viciſſim petiit; ut jura & privilegia vetera pro eccleſiaſtica immunitate a Britannorum, Saxonum & Dacorum regibus antiquitus tributa, quae in ſancti Edwardi & Canuti regum legibus deſcripta, a Gulielmo Normanno approbata, ab Henrico primo in controverſiam vocata, ſed ab Henrico ſecundo rejecta & poſthabita, fuere, jam tandem authoritate regia omniumque in eo parliamento conſenſu firmarentur: Cujus rei deliberatio, decima jam conceſſa, in aliud tempus dilata eſt. Hoc itaque dimiſſo parliamento,

Tho. Walſingham.

Arch.

Arch.

Floril eg.

Walt. Giſborn. Petr. de Ickeham.

Arch.

Ab An. Chr. MCCLXXIX. — Ad An. Chr. MCCXCIII.

An. 1283.

liamento, Johannes Cantuarienſis Archiepiſcopus provinciam diligentius, quam ante fecit, viſitari, criminaque ac delicta provincialium accuratius explorare ſeveriuſque animadvertere ſtatuit. Viſitationem hanc ſuſcepturus, proſpiciendum ſibi maxime putavit, ut papae, ne ab eo turbaretur, in quibuſcunque mandatis obſequeretur. Diximus ante in Roberto Kylwarby, papae Gregorio decimo conceſſum in Lugdunenſi concilio decimale ſubſidium ad recuperandam Terram Sanctam. Hanc decimam in Anglia Edwardus primus collegit. Papa id aegre tulit, ab alio, quam a ſe, aut a ſuis collectoribus, hanc pecuniam perceptam fuiſſe. Itaque, ut conſtare omnibus poſſit, qua dominatione ac potentia non modo in clerum, ſed in reges ipſos Romanus pontifex elatus ſit, & quibus obſequiis ipſos Epiſcopos ſibi arctavit, ut ſua mandata in ipſos reges peragerent, ex unis literis, hic inſertis, a papa ad hunc Johannem ſcriptis; quibus imperat, ut regem ſub interdicti poena, cujus atrocitatem Anglia Johanne, ut diximus, regnante ante ſenſerat, a dicta ſolutione ceſſaret. Quod mandatum Johannes celeriter & ex praeſcripto, papale imperium magis quam regale metuens, exequutus eſt.

Ex Regiſtro ejus, fol. 66.

Inter Literas directas domino papae & cardinalibus, anno Domini 1283. *Edwardi primi undecimo.*

Ordinationis Epiſcopi quinto.

“ SANCTISSIMO patri ac domino Martino Dei gratia ſacroſanctae Romanae ac univerſalis eccleſiae ſummo pontifici, Frater Johannes, permiſſione divina ſacerdos Cantuarienſis inutilis, cum omni reverentia & honore pedum oſcula beatorum. Sanctitatis veſtrae literas duodecimo Kalendas Novembris recepi Londoniae ſub forma inferius annotata.

“ MARTINUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Archiepiſcopo Cantuarienſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Intellecto nuper quod cariſſimus in Chriſto filius noſter, Edwardus, rex Angliae illuſtris pecuniam decimae in regno Angliae per Lugdunenſe concilium Terrae Sanctae conceſſae ſubſidio, quae per collectores a ſede apoſtolica deputatos in ſacris & tutis locis depoſita ſub fida jugique cuſtodia ſervabatur, de locis ipſis, ſigillis ſeriſque violenter effractis, quibus loca eadem firmabantur, motu proprio, pecuniae praefatae cuſtodibus renitentibus & invitis, totaliter amoveri & ad certum locum pro ſuae voluntatis libito, non abſque magna divinae majeſtatis offenſa, multoque apoſtolicae ſedis contemptu, ac ejuſdem Terrae gravi diſpendio, fecerat aſportari: mirati fuimus non modicum & turbati; cum ſine noſtra & ipſius ſedis licentia ſpeciali attemptare talia minime debuiſſet. Unde nos praefato regi noſtras ſub certa forma dirigimus literas; inter alia continentes; ut ipſe diligenti meditatione conſiderans, quantum in hoc ſuum offenderit creatorem, cujus in hac parte negotium agitur, quantum Romanam eccleſiam perturbarit, quantumve laeſerit famam ſuam, pecuniam ipſam in locis, de quibus extitit de mandato domini regis amota, faciat, ſublata difficultate qualibet, excuſationibus ſeu rationibus in literis regiis, nobis ſuper hoc tranſmiſſis, expreſſis ne-

Scilicet.

O impudentiam.

“ quaquam

quaquam obstantibus, quas omnino frivolas duximus reputandas, cum integritate restitui seu reponi: ulterius a similibus abstinendo, ac etiam ecclesiasticas, aut alias quascunque personas, penes quas praedicta pecunia est deposita, vel eam deponi contigerit per apostolicam sedem, pro Terrae jam dictae commodis disponendam, per se, vel per alium, seu alios, nullis impetendo molestiis, nullis vexationibus perturbando, illam in hoc efficaciam & solicitudinem impensurum; ut debitae restitutionis celeritas asportationis indebitae ausum redimat, & sedis praedictae gratia, quam libenter ad filios devotos extendimus, circa eum non immerito augeatur. Nec ipsum latere volumus, quod quantumcunque personam ejus sinceris affectibus prosequamur, regioque libenter deferamus honori; nequaquam pati poterimus, cum non sit deferendum homini plus quam Deo, quin super hoc, si opus extiterit, aliud remedium apponamus. Volumus igitur, & fraternitati tuae per apostolica scripta in virtute obedientiae districte praecipiendo mandamus, quatenus ad eundem regem te personaliter conferens, ipsum juxta datam tibi a Deo prudentiam, ex parte nostra diligenter moneas & inducas; ut infra unius mensis spatium post monitionem tuam, praedictam pecuniam in locis eisdem juxta literarum ipsarum tenorem, cum integritate restitui faciat seu reponi; aperte praedicens eidem, quod cum tantum & tam grave dictae Terrae Sanctae dispendium nolimus, sicuti nec debemus, aliquatenus sustinere; nisi hujusmodi monitioni parere curaverit, tam contra eum, quam terram suam, prout qualitas facti exegerit & expedire viderimus, procedemus.

Vide charitatem papalem magnis partam pecuniis.

Unde hoc papae?

" ET, quia hujusmodi negotium potissime insidet cordi nostro, volumus, ut de monitione tua, & ipsius regis responsione, ac aliis, quae super hoc egeris cum eodem, confici facias duo publica similia instrumenta, quae nobis per latorem praesentium mittere non postponas. Nichilominus significaturus nobis plenarie, quicquid super praemissis duxeris faciendum; ut per te super hiis informati plenius & instructi tutius & efficacius in hac parte procedere valeamus. Datum apud Urbem Veterem tertio nonas Julii, pontificatus nostri anno tertio.

Ubi thesaurus, ibi cor.

" HUIC igitur sanctitatis vestrae mandato vires & vota subjiciens reverenter, requisito indilate rege praedicto, repertoque in finibus Walliae, post literas vestras eidem directas, quas ipsius intuli manibus, literas etiam vestrae beatitudinis michi missas coram ipso & magnatibus suis tunc praesentibus exposui vulgariter & aperte; tandemque expositi authoritate mandati regem ipsum monui super tribus.

Creaturae papae promptum in regem obsequium.

" PRIMO, ut pecuniam decimae suis jussionibus asportatam faceret integraliter infra mensem ad pristina loca custodiae reportari, tanta devotionis promptitudine, quae posset asportationis maculam expiare.

" SECUNDO, ut de caetero a talibus ausibus penitus abstineret; adjungens, quod licet ipsum apostolica clementia in carissimorum filiorum numero complectatur, si tamen ipsum contingeret in talibus offensionibus de caetero inveniri, nec posse eam nec velle virgam ei correctionis subtrahere, ne parcendo homini, divinis injuriis, quas non corrigeret, assentiret.

Charitas.

Modestia.

" TERTIO, ne custodibus vel depositariis pecuniae memoratae aliquid, hujus occasione, molestiae vel gravaminis irrogaret.

" QUIBUS

Ad An. Chr. MCCLXXIX.

Ad An. Chr. MCCXCIII.

“ Quibus ſilenter ac reverenter auditis, tandem cum ſuis deliberatione praehabita ad ſibi propoſita ſic reſpondit.

“ Ad primum, inquiens, quoniam non fuiſſet neceſſarium pro hac cauſa ſummum pontificem nobis ſuas literas deſtinaſſe, nec Archiepiſcopum ad regiam acceſſiſſe praeſentiam; cum pene duobus elapſis menſibus pecuniam praedictam juſſerimus reſtitui cum effectu.

“ Ad ſecundum, ſubjungens, quod nichil indebitum intendebat de caetero contra eccleſiam attemptare.

Rex minis papae perterritus, & fit ſubſellium ejus.

“ Ad tertium, miramur, aſſerens, quare ad illos cuſtodes jubemur ſpecialiter innocentiam cuſtodire; cum noſtri ſit propoſiti immobilis conceptio, ſicut & debitum regiae dignitatis, nullum laedere pro viribus innocentem.

“ Demum juxta mandati veſtri beneplacitum, Pater ſancte, feci fieri publica inſtrumenta, praecepta veſtra reverenter & diligenter, ſicut potui, in omnibus executus. Adhaec noverit veſtrae providentia ſanctitatis, quod licet communiter fide dignis teſtimoniis aſtruatur, quod praedicta pecunia ſit juxta juſſionem regiam ſuis cuſtodiis reſtituta; hujus tamen praeciſa veritas ſciri non poterit, niſi per illos, qui ipſius noverunt pondus, numerum & menſuram. Cuſtodiat Dominus incolumitatem veſtram eccleſiae ſuae ſanctae per tempora longiora. Scriptum penultima die Novembris.

Archiv.

Arch. fol. 142.

In viſitatione autem, quam peractis papae mandatis exorſus eſt, primum Judaeos in perpetuum exilium acturus ſcripſit Epiſcopo Londinenſi, ut eorum omnes ſynagogas everſas & demolitas ſolo adaequaret. Quod decretum paulo poſt, rege procurante, mitigatum eſt; ac Judaeis permiſſum unum templum in publico aliquo civitatis loco, in quo ſuos ritus, amputata tamen ceremoniarum multitudine, celebrarent. In hac viſitatione crimina & exceſſus permultorum clericorum atque laicorum acriter caſtigavit: Primum, quia plura beneficia retinendi licentia in Anglia impune, contra jura, permiſſa clericis fuit, eam non ab infimis modo, ſed a ſummis, ſumpto ſupplicio eradicavit: Nam Richardum More ſacrae theologiae profeſſorem Epiſcopum Wintonienſem electum, nec non Johannem Kirkeby capellanum regis ad Roffenſem Epiſcopatum etiam electum, quia in beneficiis plurales ante fuerant, confirmare noluit, ſed rejecit: Quorum utrique, cum ad papam appellaſſent, appellationes longo tempore proſequuti eas tandem taedio deſerere, & judicatae a Johanne contra ſe ſententiae ſtare inviti coacti ſunt. In hujus autem locum Johannes Pontiſarius ab ipſo papa Wintonienſis Epiſcopus creatus eſt; qui Wintonienſes monachos graviſſime infeſtavit, & Epiſcopatus jura atque praedia mirum in modum ex monachorum ſpoliis auxit; ut ex illius eccleſiae monumentis apparet. Cumque hos in jure viciſſet, inferiores clericos, qui plura beneficia ſimul tenebant, aggreſſus eſt. Quos omnes uno beneficio contentos eſſe compulit. In quo propoſito ſtetit durior, quod Romae cardinales quidam, ut ex ejus literis intelligi poſſit, eum coram papa accuſaſſent, quod hunc Anglicani cleri exceſſum mitius toleraſſet: Quam iniquam criminationem ut vitaret, plurales non modo beneficiis amovit; ſed hujuſmodi maledictis, “ Filios Belial, contemptores canonum, & uſurpatores beneficiorum ſacrilegos” appellat. Nec minus in plurales, quam in abſentes & non reſidentes, acris judex fuit, a primis & elatiſſimis

Arch.

mis exorsus: Episcopum Lichefeldensem, peregrinum, & Anglicanae linguae ignarum, ideoque extra suam dioecesim commorantem, edicto publicato monuit, ut sub amotionis poena ad Episcopatum rediret ibique resideret: Cumque jam venisset, eum acerrime increpavit, quod etsi, idiomatis inscius, pascere suae dioecesis gregem verbi praedicatione nequisset; praesentia tamen sua eleemosynis & liberalitate alere debuisset. Cumque collegium **Wolverhampton** in Lichefeldensi dioecesi, cujus jus patronatus ad Cantuariensem ecclesiam olim spectabat, visitare voluisset; jure & privilegio exemptionis, quam vendicabant, a canonicis vetitus & exclusus est. Cujus rei controversia cum Romam delata penderet, Johannem Theodosium de Camilla litem hanc Romae persequentem duabus rectoriis, in quibus non residebat, spoliavit. His diebus fatetur in literis suis reginae Franciae scriptis, expendisse in refectione aedificiorum in maneriis suis plusquam duo millia marcarum. Et anno 1284. dicit se expendisse circa tria millia marcarum in aedificiis necessariis. Hoc tempore causa quaedam inter Archiepiscopum Eboracensem & Dunelmenses monachos controversa ad Cantuariensem Archiepiscopum, per tuitoriam appellationem, deducta est. Archiepiscopus autem aliis impeditus negotiis causam priori de **Southwerke**, decano de arcubus, & canonico cuidam ecclesiae Paulinae delegavit; quibus etiam mandavit, ut in tuitionis eventum de causa principali cognoscerent. Similisque inter Dunelmensem Episcopum & Eboracensem Archiepiscopum controversia archidiacono Cantuariensi appellationis tuitoriae jure commissa est; in qua archidiacono Cantuariensi de ea lite cognoscenti data est, Eboracensem Archiepiscopum suumque officialem, inhibendo a gerenda in Dunelmensis Episcopi praejudicium quacunque jurisdictione, comprimendi potestas. Adulteria & stupra non minori severitate vindicavit: Cum Cicestrensem dioecesim visitaret, Rogerum Ham, presbyterum fornicarium, ad triennalem poenitentiam jurejurando adegit: Quod temporis in jejuniis, orationibus, & longinquis ad Romam, Coloniam, & Compostellam peregrinationibus contereret, beneficiorum suorum redditibus sibi prohibitis & in pauperum usus sequestratis. In Sarisburiensis etiam parochiae visitatione compertum fuit Osbertum Giffard militem moniales duas ex Wiltoniensi coenobio abduxisse: Quem Cantuariensis Archiepiscopus excommunicatione primo percussit. Deinde, sub his duris conditionibus relaxavit: Primo, ne in tota reliqua deinceps vita ullum monialium coenobium ingrederetur, aut monialis cujusquam consortio uteretur: Deinde, ut tribus diebus dominicis in ecclesia parochiali Wilton exutus vestibus virgis verberaretur: Eandemque postea poenam tam in foro, quam in ecclesia parochiali de **Shaftesbury**, publice subiret: Adhaec multorum mensium jejunium ei injunctum est. Praeterea, omnibus militaribus insignibus sit privatus; nec calcaria deaurata, nec gladium, nec sellam militarem, aut deauratas phaleras habiturus: Ad extremum, nec vestes coloratas, sed tantummodo de russeto, cum agninis pellibus vel ovinis: nec utatur camisia, posteaquam fuerat castigatus, per tres annos: in ordinem suum militarem non rediret, antequam tres continuos annos in Terra Sancta exegisset: Ante omnia, ut moniales ad coenobium simili poena mulctandas restitui atque remitti curaret. Haec omnibus se jurejurando facturum spopondit, jejuniorum nihilominus ab Episcopo Sarisburiensi illi praescribendo modo. Nec minorem in reprimendis jurisdictionem suam contemnentibus severitatem. Petrus quidem de Sancto Marco, decanus de arcubus, exercuisse

Arch.

An. 1284.

In Regist. fol. 45. Fol. 114.

An. 1285. Arch.

Regist. fol. 119. An 1286.

Archiv.

fertur; qui Herefordenſis Epiſcopi officialem ſuis monitis non parentem, primo decem, deinde aucta & perſeverante contumacia quadraginta marcis, tanquam rebellem & poteſtatis ſuae contemptorem, mulctavit; nec non Epiſcopum ipſum Herefordenſem, quod officialis ſui partes audacius tueretur, excommunicavit, ejuſque capellam interdicto eccleſiaſtico ſuppoſuit. Hoc etiam tempore lis quaedam inter Lincolnienſem Epiſcopum & Univerſitatem Oxonienſem aliquot annis de jurisdictione Epiſcopi in ſcholares Univerſitatis agitata eſt: De qua Johannes Cantuarienſis, cum ſcholarium tum cauſam vacillare nec jure ſtare poſſe intellexerat, ſcholaribus reſcripſit: Si in jure contenderent, vinci eos ac ſuperari neceſſe eſſe; praeſertim cum his, quibus niterentur, privilegiis a jurisdictione

An. 1288. Archiv.

epiſcopali jure communi ſtabilita eximi nequaquam potuiſſent. Ipſeque perluſtrata reliqua provincia Oxonienſem academiam jure metropolitico viſitaturus adiit. In qua viſitatione quaſdam philoſophicas opiniones, quos errores & a Roberto Kylwarby ante reprehenſos docuit, tanquam haereſes & a fide Chriſtiana abhorrentes e ſuggeſtu Latine refellit. Inter has una erat, in homine eſſe tantummodo Formam unam: Quam frater Jo-

Verba Joh. Peckham.

hannes non concoxit; ne colligeretur inde corpus Chriſti non fuiſſe unum numero vivum & mortuum; nec Sanctorum corpora eadem tota, vel ſecundum partes, in orbe exiſtere, vel in urbe; ſed alia quaedam, quae non pepererunt matres; verum de novo peperit phantaſia. Sed iſtae haere-

Ex Chron. Tho. Weeks.

ſes philoſophicae ab Oxonienſium ſcholis in praedicatorum & fratrum turbas profecti & diſſeminati fuerunt: Inter quos Richardus Knapwell, doctor ordinis praedicatorum, octo opiniones contra Johannis Peckham aſſertiones defendit. Hunc itaque Johannes Peckham ad ſuum tribunal vocavit; eoque non accedente, eum ſuaſque opiniones cum ſuo clero damnavit. Sed Hugo de Manceſtria ejus ordinis provincialis interceſſit, & Cantuarienſi reſtitit: Allegavitque neminem in ſui ordinis fratres, praeter ſolum papam, poteſtatem habere. Itaque, appellatione interpoſita, ſuperſedit negotio Cantuarienſis, atque continuit. Nec quicquam deinceps in homunculum fratrem valuit ejus authoritas, qui in regem & Epiſcopos om-

Ex Epiſt. ad Card. Giffredum.

nia poterat. Idem acutus frater & theologus, cum e ſacris ſcripturis probare vellet, non eſſe permiſſum clericis duo beneficia eccleſiaſtica retinere, protulit hanc ex evangelio ſententiam: "Qui habet duas tunicas, unam tribuat non habenti," & qui habet eſcas ſimiliter. Richardus ille frater inter alia, quae de nugis philoſophicis ſcripſit, edidit unum de Formarum unitate libellum; ut omnibus liquido conſtare poſſet eum nullis Cantuarienſis minis deterritum in ſententia ſua perſeveraſſe. His in provincia viſitanda geſtis, ſcriptis ad pleroſque Suffraganeorum literis, ne ſe, ſuos officiales, & tribunalia muneribus, quae cum inſigni Praelatorum opprobrio diu nefarie percipi in viſitatione intellexerat, deinceps inquinari permitterent, admonuit: Quod, ſi ſuae monitioni non parerent, ſe admiſſa deinceps in muneribus percipiendis ſcelera ſeverius animadverſurum. In literis etiam ad Ordonium cardinalem, Tuſculanum Epiſcopum, ſcriptis queritur de quodam, quem remigem, ſuam navem atque puppim ſubverſurum, nominat; qui muneribus moveri, ac duas pelves aureas plenas florenis accepiſſe ait. Idem ad Romanae curiae vicecancellarium ſcribit, comperiſſe ſe fuiſſe in Anglia "multa privilegia per falſarios fabricata." Sed commoti Suffraganei, quod non modo tam crebris viſitationibus, ſed etiam quotidiana jurisdictione, partes ſuas in eorum dioeceſibus tam ſaepe interponeret,

poneret, querelam viginti & quinque articulis comprehenſam in eum proponebant. Cujus querelae vim & eventum cum in ſeipſos recidiſſe intellexiſſent, ea omiſſa, luctari amplius cum Metropolitano noluerunt. Inter hos Suffraganeos Londinenſis tum Epiſcopus gravate tulit quendam Henricum Stokes ſuae Londonienſis dioeceſis rectorem, de beneficiorum pluralitate coram decano de arcubus in jus vocatum fuiſſe: Qua de re ſcripſit Johanni Peckham ſe id non laturum; ſed, niſi deſiſtat tam in hac, quam in aliis cauſis, de ſuis clericis ſubditiſve cognoſcere, ſe appellationis, ad curiam Romanam, ſacram anchoram petiturum: Cui Johannes ſtupuiſſe ſe ſcribit de illa minaci & praejudiciali ſua pagina: " Sane, inquit, " duo per nos vobis illata fuiſſe gravamina cauſamini: Primo, quod Henricum Stokes de pluralitate beneficiorum ad noſtrum evocavimus examen: Secundo, quod ipſum per decanum de arcubus citari fecimus; " adjungentes, quod ſubditus Suffraganei Metropolitano non ſubeſt, quaſi " velitis jura Cantuarienſis eccleſiae, quae tueri & defendere juraſtis, ad " ſimplicis Metropolitani limites coarctare. Decani autem de arcubus " proceſſibus conſuetis parare obicem nullatenus praeſumatis: Pro certo " ſcituri, quod jura eccleſiae Cantuarienſis, partim ſcripta, partim a doctoribus autenticis notata, partim pacifice optenta longo provinciae " uſu, intendimus contra omne hominum genus, quantum poterimus, " conſtanti animo defenſare." Subacta ſibi jam his modis provincia clerum ſuum Redingae congregavit. In eo concilio quinque leges tulit: Propoſuitque cognitionem de patronatu eccleſiarum, multis annis ad regium tribunal ſpectantem, inde ad eccleſiaſticum forum traducere; tum prohibitiones regias in litibus de bonis & catallis prorſus reſcindere; &, ne deinceps eccleſiaſticos judices a jure reddendo retardarent, vetare. Sed rex incepto hoc audito nunciis ad concilium deſtinatis, multis tam Archiepiſcopo quam toti clero minis praecepit, ut deſiſterent: Unde factum eſt, ut a ſua praeſumptione Archiepiſcopus penitus tranſiliret. Ita diſſoluto concilio omnes Praelati ſpe inanes receſſerunt.

Vide ſupra de praerog. & privil. Cant. ſedis.

Verba ipſius Epiſt. fol. 89.

An. 1290. Arch.

Petr. de Ickeham.

Verba Ickeham.

In eo etiam concilio, fama publica id exigente, perquiſivit de Epiſcopo quodam concubinario: De quo ad Matthaeum quendam Romanae eccleſiae cardinalem ſcripſit; ſed de ejus nomine mentionem nullam fecit: Id enim, ut ait, nuncio ſuo proferendum commiſit. Petiit in illis literis a cardinali Matthaeo, ut de eo corrigendo papam ſecreto ſermone conſuleret, neque res enunciaretur: Multos enim ei in Romana curia amicos & exploratores fuiſſe, potiſſimum autem mercatores Lucanenſes; quorum, ut diximus, opera in expilationibus & uſuris papa ſaepe uſus eſſet. Hunc autem non nominatum Epiſcopum cum ſecreto conveniſſet, atque quaeſiviſſet, an vera eſſent, quae de ejus concubinatu fama retuliſſet; teſtes, quos Archiepiſcopus expectabat & adeſſe juſſit, metuens, tandem turpia narraſſe, & ipſius turpitudinis diem faſſum fuiſſe, ſcribit: Deinde eadem ſeptimana, cum Mortlaci moraretur, veniſſe ad eum foeminam quandam Julianam de illius Epiſcopi factis quaedam narraturam: Ea juramento coacta peperiſſe ſe quinque liberos ex eodem Epiſcopo adhuc ſuperſtites faſſa eſt. Hunc cum coercere vellet, metuens, ne ſe muneribus ad papam fundendis defenderet, per hunc cardinalem praeoccupavit papam: " Propono, inquit, eum adhuc aggredi iterato: Sed ſcio, quod conatus meus " parum proderit, niſi me litera juvet apoſtolica. Mox enim, ut eum " tetigero, appellationis alis falſidicae rete meum effugiet, infinitam pe-

Verb. Johan. Peckham, fol. 12.

" cuniam

Ab An. Chr. MCCLXXIX. | Ab An. Chr. MCCXCIII.

" cuniam effuſurus. Peto autem, ut in omnibus aliis mihi per vos adſit " adminiculum papae; per quod mea creſcat authoritas, & timor incu- " tiatur rebellibus, meaque juriſdictio excitetur: ut conſtantius nova in- " choem, & inchoata authoritate majori valeam confirmare.


Ran. Mon. Ceſt. Giſborn. Petr. de Ickeham.

SUPERIORI anno, annonae maxima fuit copia; ita ut frumenti modius tribus denariis Londini venderetur; ſed ex imbrium hoc proximo anno tam abunde fluentium copia, quae non modo prata, ſed ipſa ſegetum arva obruit & inundavit, ea caritas conſecuta quadraginta annis duravit, ut idem modius, qui paulo antea tribus denariis, jam duobus ſolidis, vaeniret. Eodem anno Carolus princeps Achaiae, regis Aragoniae ſubditus, ob proditionis metum, vel ſuſpicionem, carceribus incluſus, gratia regis Angliae interpoſita, de integra in regem Aragoniae habenda fide, & obſidibus datis, liberatus eſt; a quo juramento, execranda & deteſtabili authoritate Nicolai quarti papae, poſtea abſolutus regnum Siciliae contra fidem & religionem invaſit atque tenuit. Johannes Peckham Cantuarienſis Archiepiſcopus, cum tredecim annis ſediſſet, adeſſe ſibi hujus vitae ſenſit exitum: teſtamentum itaque condidit; cujus executores Nicolaum de Knovile rectorem de **Maidston** & Simonem de Greille conſtituit. Hi poſt mortem Walteri Raynold, ſede archiepiſcopali vacante, ad reddendam executionis ſuae teſtamentariae rationem a priore Cantuarienſi in jus vocati ſunt: Rationibus exactis, compertum eſt ex inventario, praeter legata in ſpecie relicta, ſuperfuiſſe ex Johannis Peckham bonis quinque mille trecentas & quinque libras, ſeptendecim ſolidos, duos denarios & quadrantem, monetae Anglicanae. Hanc ſummam ad defuncti funera ſuaſque expenſas hi callidi executores ſibi pene totam a priore decerni obtinuerunt: Ut, reddita ratione, non amplius quinque ſolidis ſex denariis in pauperum & pios uſus diſtribuendis remanſerit. Hinc videmus, quibus artibus tam occultam avaritiam hic bonus vir texit. Qui paupertatem & inopiam Archiepiſcopatum ſuum ingreſſus deplorabat, ut diximus, ſuam; idem paucis annis tanta abundantia copiaque repletus eſt; ut cardinalibus & curialibus Romanis grandia ſtipendia annua decerneret: &, quod laudi verti debet, pauperibus maneriorum ſuorum ſeptingentas & ſeptuaginta marcas diſtribui mandaret. His tam immenſis ſumptibus non obſtantibus, conſanguineos ſuos multos mirum in modum pluribus praediis locupletavit; alioſque ad equeſtrem, alios ad generoſum, ordinem evexit: quorum de ſtirpe nonnulli in Cantio, atque aliis Angliae comitatibus, veterem, tunc inſtitutum & ab eo acceptum, ſplendorem retinent. In omnibus, quas frequenter ſcriptitavit, literis hoc titulo exorſus eſt: "Johannes Frater Cantuarienſis eccleſiae ſa- " cerdos humilis." Regi ſuiſque miniſtris pro eccleſiae Cantuarienſis praediis atque juribus ſaepe audacter reſtitit; ut irato & offenſo ſaepe rege de exilio ſubinde cogitaret: Ideoque multis praebendam, quam, ut diximus, Lugduni habuit, petentibus reſpondere ſolitus eſt: Se diem illam videre & expectare, qua hinc abiens ibi reſideret. Quanquam ex fratrum & praedicatorum ordine prodiit, juris tamen civilis & pontificii, quam ſacrarum ſcripturarum, fuit peritior: etſi libros permultos in illa rixoſa, garrula, & digladiatoria fratrum theologia conſcripſit. Quorum mendicitatem evangelicam perfectionem nominabat, ejuſque oppugnatores haereticos eſſe dicebat. Cum annis tredecim, viginti & quatuor ſeptimanis, & biduo Cantuarienſem provinciam rexiſſet, menſe Decembri obiit, & Cantuariae in eccleſia Chriſti ſepultus eſt.

Flor. — Florileg. — Ste. Byrch.

XLIX. Ro-






Johannis Peckham.

Ab An. Chr. MCCXCIV.

XLIX. Robertus Winchelsey.

Ad An. Chr. MCCCXIII.





MAGNAS varietates atque mutationes perfert eorum dignitas atque ſtatus, qui in ſummis reipublicae aut eccleſiae muneribus negotiiſque gerendis, dum multis, quorum ſenſus diſpares & diverſi ſunt, obſequi ſtudent, fluctuantur & diſtrahuntur conſiliis nec in una ſententia perſeveranter durant: Ut, quod de Fortunae inconſtantia atque levitate veteres, non magis imperite quam impie, ſenſerunt, noſtris potius erroribus atque vitiis quam incertis caſibus aſcribatur. In quo quidam, qui mores uniuſcujuſque ſibi fortunam fingere affirment, rerumque humanarum eventus in humana poteſtate ſtatuant; etſi ab eo communi receptoque errore recedere propiuſque ad veritatem ſe deduci putarunt: tamen dum a rerum humanarum gubernaculis temeritatem, inconſtantiam atque ſtultitiam, quarum humanae actiones plenae ſunt, non ſejungunt, in eundem, quem reprehendunt ac vitare vellent, errorem incidunt de Fortuna. Quae a ſuis defenſoribus non alia eſſe putatur, quam hujus vitae varia atque commutabilis ratio; cujus eſſe propriam & a qua ſejungi non poſſe definiunt. Quod ſi his viris eccleſiaſtica poteſtate praeditis, de quorum nunc geſtis tractamus, inſediſſet fixa ſuae dignitati & profeſſioni congruens cogitatio; omnia ſumma providentia & incommutabili ratione ac ſapientia adminiſtrari cerneremus; non inanem, nec chriſtianis dignam laudem ex his rebus quaeſiviſſent, in quibus nec ſe interponere, nec contendere tantum debuerunt; nec civilium rerum atque mundanarum fluctibus ſeſe expoſuiſſent, cum in eccleſiae portu navigare potuiſſent. Sed omnis tum inter pontifices atque reges de imperio magis atque dominatu, quam de eccleſia ex divini verbi praeſcripto gerenda, fuit contentio. In qua cum acres dimicationes non armorum, ſed dirarum & execrationum, eſſent concitatae; Praeſules inſcitia verbi, ipſi caeci ac caecorum duces papis adhaerebant, & abjecta obedientia regibus non parebant, quibus divino humanoque jure eſſent ſubjecti. Hanc illi contumaciam, conſtantiam & eccleſiae libertatem tunc appellabant: Quique in ea pertinacia vitas aut fortunas amiſiſſent, martyres ac confeſſores appellabant. Quae niſi multis tunc anteactis ducta annis in hominum animis inveteraſſet fallacia, ac multos praeſertim Praeſules a fide atque cultu, quem regibus tribuere debebant, ad papam abduxiſſet; ſatis bene & cum laude ab Archiepiſcopis & Epiſcopis geſtos magiſtratus exiſtimare convenit, ſi quis eorum acta perpenderit. Sed, quia ab illa ſede Romana vel dolis infatuati, vel ſceleribus & contagione inquinati fuerunt, & ab obſervantia regibus debita receſſerunt; ſibi ex rebus geſtis non modo lau-

dem detraxerunt, ſed in vita moleſtias ac jacturas, &, poſt mortem, infamiam atque ignominiam pepererunt.

Ex horum numero fuit Robertus Winchelſey Cantuarienſis Archipraeſul: cujus acta ſi, quo animo in patriam & rempublicam geſta ſint, exiſtimari debeant, recta judicanda ſunt; ſin Romanam conſuetudinem pravitatemque ſpectes, ſcelerata atque impia. Et, quia nonnunquam vir bonus & amator patriae, nonnunquam fraudis, proditionis, ſuperbiae & rapinae plenus, varie a ſcriptoribus perhibetur; ſine nota aut calumnia, eaque, qua poſſumus, brevitate ſcriptorum teſtimonio oſtendamus, qualis ab adoleſcentia fuerit, qualemque ſe publice in muneribus gerendis oſtenderit; adjunctis ſimilium rerum, quae ſuis temporibus contigerunt, eventibus, ut lectori liberum ſit de hominis vita atque geſtis pro arbitrio ſuo judicare. Gentem ejus ac originem ſcriptores nobis non prodiderunt: Ste. Byrchin. Sed in grammatica inſtitutus puer Cantuariae fuit, non modo indole docilis, ſed forma adeo liberali, moribuſque tam facillimis atque commodis, ut tunc quaſi vulgari vaticinio praediceretur, eum Cantuarienſem Archiepiſcopum olim evaſurum. Ac poſtquam puerilem aetatem & inſtitutionem exceſſiſſet, Lutetiam profectus eſt; ubi liberalium artium peritia percepta gradum magiſtri ſuſcepit. His poſtea artibus theologiae ſtudium adjunxit; in eo ſtudio octo annis continuis cum ſumma non minus vitae atque morum, quam doctrinae ac literarum, laudis celebritate perſeveravit. Tum ſingulorum Pariſiis ſtudentium ſuffragiis Univerſitatis illius rector electus eſt: In quo magiſtratu integre prudenterque gerendo priorum laudem multis nominibus ſuperavit. Eo magiſtratu perfunctus rediit in Angliam, ſuique periculum in Oxonienſi academia in theologia atque his artibus, quas Lutetiae percepiſſet, publice diſſerendo atque concionando fecit, ac omnium judicio probatus doctoris gradum obtinuit. Paulo Walſing. poſt, cum non minus prudentia & rerum uſu, quam literarum cognitione pollere cognitus eſſet, omnium ſuffragiis & precibus impoſitum ſibi cancellariatus munus ſuſcepit. In eo adminiſtrando multa in utilitatem & honorem academiae, eaque potiſſimum, quae ad literarum ſtudia amplificanda commodiſſima videbantur, ſtatuit: Malaſque & depravatas conſuetudines, quibus juvenes a ſtudiis abduci facile ſolent, abolevit atque ſuſtulit. Ab hoc diuturno literarum otio maturitatem ſuam aſſecutus ad eccleſiae negotium traductus eſt, donatus archidiaconatu Eſſexiae & praebenda in eccleſia cathedrali Londoniae. In ea praebenda reſedit, quotidieque in templo ſanctas ſcripturas interpretatus eſt; tum in verbo e ſuggeſtu docendo atque declarando fuit aſſiduus. Archidiaconatum ipſe quotannis viſitavit; juriſdictione tam moderate ac prudenter uſus, ut ſummae doctrinae, prudentiae, & aequitatis fama ubique notus atque conſpicuus fuerit. Ita eruditione ac integritate tanta perſpecta, quae cum aetate ſemper in eo adoleviſſent a pueritia, venit in tantam regis Praeſulumque procerum atque omnium ordinum gratiam & admirationem; ut mortuo Flor. Walſing. An. 1294. Johanne Peckham, cum eligendi poteſtas monachis Cantuarienſibus a rege data eſſet, ex omnium votis & applauſu Cantuarienſis Archiepiſcopus electus ſit. Cumque Romam ad Coeleſtinum papam confirmandus atque ſacrandus veniſſet; papam totamque Romanam curiam in tantam prudentiae doctrinaeque ſuae admirationem ac ſtuporem traduxit; ut non cognoviſſe ſe in quocunque dicerent tantam morum animique manſuetudinem cum literis & prudentia conjunctam. Itaque eum in cardinalium gregem

gem cooptare Romaeque ſecum retinere decreverunt. Sed expoſitis multis cauſis neceſſariis, cur a Cantuarienſi eccleſia abeſſe non poterat, aegre tandem obtinuit, ut ſacratus in Angliam rediret, & provinciae ſuae gubernandae vacaret. Steph. Byrch. Interea vero, dum Archiepiſcopus abeſſet, Edwardus rex a clero Weſtmonaſterii congregato, poſtquam pecunia in bellicos uſus effuſa eſſet, & novum ſibi bellum inſtaret in Gallos ſuſcipiendum, flagitavit omnium tam ſpiritualium quam temporalium bonorum ſemiſſem. Qua a Flor. ſaeculis inaudita exactione Praelati ſtupidi timore diu obmutuere: Tandem perterriti & conturbati, reſpirantes deliberandi diem petierunt. Is perbrevis ſtatutus eſt. Interea Gulielmus quidam de Monte Forti, eccleſiae Paulinae decanus, ut regis animum, a tam immenſa & intolerabili exactione, ſuaſione aliqua averteret, ad curiam ſanus & incolumis venit, & meditatam atque conceptam orationem coram rege exorſus, repente concidit & animam efflavit. At rex nihilo turbatus die ſtatuto miſit ad Praelatos Weſtmonaſterii congregatos Johannem de Havering militem: Is regis nuncius alta voce edixit, ut ſiquis petitioni regiae obſtare aut contradicere vellet, in medium prodiret; ut, ejus perſona cognita, violatae atque turbatae regiae pacis reus judicaretur: Qua oratione perplexi & attoniti Praelati regiis poſtulatis conceſſerunt. Quae conceſſio totius inter regem & Praelatos, maxime vero Cantuarienſem Archiepiſcopum, diſſenſionis perpetuum, uti declarabitur, ſeminarium fuit. Hoc anno Coeleſti- Florileg. Tho. Walſingham nus papa, ſive taedio, ſive conſcientia motus, ſive, quod verius eſt, Benedicti Cajetani, qui ei callide ſucceſſit, inductus dolo, ſeſe abdicavit papatu; edita prius conſtitutione de ceſſione ſeu renunciatione Romanorum pontificum; & acri habita admonitione, ut ſine diſſenſione atque intercapedine virum induſtrium & ſolertem eligerent. Eo itaque renunciante inſinuavit ſe in cardinalium gratiam ſummo dolo & calliditate Benedictus, qui poſtea Bonifacius octavus dictus eſt. Qui, ſimul atque electus & coronatus eſſet, conſtitutionem Coeleſtini reſcidit, in cardinales, quos ſuis partibus adverſos putavit, ſumma crudelitate ſaeviit, Epiſcopum & cardinalem Hoſtienſem, a quo coronatus fuerat, uſu pallii privavit: Annum jubilaeum profuſa magna indulgentiarum per orbem terrarum copia magnifice celebravit: Librum ſextum decretalium edidit. De quo Coeleſtinus ejus aſtuta ſuaſione, cum papatui ceſſiſſet, deceptus, hoc verſu vaticinatus eſt:

Aſcendiſti ut Vulpes, regnabis ut Leo, & morieris ut Canis.

CUJUS vaticinii veritatem eventus ipſe, ut ſuo tempore poſtea dicemus, comprobavit. Jamque Robertus Winchelſey in Angliam reverſus eſt, rege Edwardo in Cambriam ad Wallenſes, qui novos tum motus fe- An. 1295. Florileg. Walſing. cerant, ſubjugandos profecto. Eum igitur Archiepiſcopus adiit, eique ex veteri more atque inſtituto fidem jurejurando dedit. Tum Madocum Leolinum Cambrum, qui bellum in regem paraverat, excommunicavit, eumque excommunicatum per totam Angliam & Cambriam denunciari multis publicis edictis praecepit: Eoque pacato tumultu Archiepiſcopus a rege cum ſumma gratia Londinum receſſit. Ibi cleri ſui ſynodum ce- Florileg. lebravit: In qua, cum Praelati uno ore de expilatione & vaſtatione eccleſiarum conqueſti eſſent, cum regiis petitis ipſi obſtare aut reſiſtere non audebant; papam praetextu cujuſdam conſtitutionis, in qua ſancitum erat, ne quid inconſulto papa regibus a clero ſolveretur, opponebat.

Haec

Ab An. Chr. MCCXCIV.

Haec itaque conſtitutio renovata eſt in ea ſynodo, aliaeque permultae latae, quarum pleraeque inter jura provincialia obſervanda deſcribuntur. Hac ſynodo peracta, deſcripſit advocatis, judicibus, & procuratoribus, aliiſque miniſtris almae ſuae curiae de Arcubus jura quaedam & ſtatuta;

Arch.

quae ipſe in templo Arcuato ſedens pro tribunali legit atque publicavit

Ste. Byrchin. Flor. Walſing.

quinto Idus Novembris. Deinde venit Cantuariam, ibique thronum archiepiſcopalem cum magna pompa & ſolennitate ingreſſus eſt: Ipſoque inthronizationis die Johannem Monmuthenſem ſacrae theologiae profeſſorem Landavenſem Epiſcopum creavit atque conſecravit: Et decem theologiae profeſſoribus decem opulenta beneficia curata, in eaque baccalaureis decem minora contulit. Subactis autem, ut diximus, Cambris, Edwardus rex a Scotis atque Gallis undique bello pulſus eſt. Itaque, ne tot ac tantorum hoſtium viribus & impetu obrueretur, cum Romanorum rege foedus iniit: Cumque ad bellum in utroſque tam Scotum quam Gallum accinctus eſſet, Bonifacius papa, qui ſuum eſſe putavit regum lites mercede componere, ad Galliae & Angliae reges Albanenſem atque Praeneſtinum cardinales miſit. Hi in Anglia nihil profecerunt; quia Edwardus, inconſulto rege Romanorum, cum quo, medio juramento, confoederatus erat, quicquam aut de pace aut de induciis cum rege Galliae noluit decernere. Itaque legati papales "infecto negotio, pro quo vene-

Verba Flor.

"rant, in Galliam remearunt, praeexhauſta pecunia multa nimis; & a "viris religioſis duplam pecuniam extorſerunt." In hujus belli apparatu rex a populo atque clero exegit opem pecuniariam. Populus illico conceſſit; ſed clerus ſuadente Archiepiſcopo rem aliquandiu diſtulit; & habita deliberatione papae vices in Anglia gerens, ne in fraudem ſuperioris,

Florileg.

ut diximus, Londinenſis concilii quicquam agere viderentur, Archiepiſcopus indulta ſibi conferendi cum Suffraganeis atque clero licentia unanimi conſenſu regi obtulit decimam partem proventuum eccleſiaſticorum. Hanc oblationem rex ſprevit atque reſpuit. Archiepiſcopus & cum eo clerus in decreta ſumma perſeverarunt, nec eam augere voluerunt, ſed regi iterum obtulerunt. Rex hanc cleri & Archiepiſcopi conſtantiam admiratus, eos ſemel atque iterum monuit; primo per juſtitiarium, deinde per quendam cancellariae ſuae clericum, ut ſaltem trientem, aut quadrantem bonorum ſuorum offerrent. Stetit adhuc firmiter clerus in propoſito, & Archiepiſcopo duce decimam iterum obtulerunt. Rex, ſive quod bellica ejus negotia moram pati non potuiſſent, ſive memoria prioris illius tam profundae largitionis ſuperiori anno, ut diximus, a clero conceſſae ductus, hanc oblatam ſummam aequo atque grato animo accepit: Eaque ſoluta ad bellum properans clerum dimiſit. Et ad Belgas profectus, cum Rogerus Coventrenſis atque Lichefeldenſis Epiſcopus exceſſiſſet e vita, Walterum quendam de Langtona eligi procuravit; qui in partibus transmari-

Verba Flor.

nis regis inſtantia ab Albanenſi cardinali conſecratus eſt, "privilegiorum "Cantuarienſis eccleſiae, in omnibus ſtatu ſuo ſalvo." Interea vero, dum Edwardus aberat in Belgia, Scotorum invaſione revocatus eſt. Qua for-

Flor. Walſing.

titer repulſa, Scotis ſuperatis & capto Berwico theſaurum in Gallicanum bellum paratum exhauſit. Itaque parliamentum in ipſo Berwico tenuit; ubi magnates Scotiae in praelio victos atque deditios ad fidelitatem juramento & in ſcriptis pollicendam adegit. Rex ipſe Scotiae captus Londinum miſſus & turri incluſus eſt. Poſtea ad reficiendas conſumptas in eo bello pecunias novum ſibi pendi tributum poſcit: In quo cives & mercatores

tores

tores octonarium, coloni duodenarium, persolvunt nummum. Clerus ne quicquam vel obtulit, vel concessit; praetendens praefatam constitutionem papae, videlicet, non esse permissum quicquam de ecclesiasticis facultatibus detrahere & conferre regibus, inconsulto papa. Interim enim Robertus Archiepiscopus mandatum de ea re bullatum a Bonifacio papa obtinuerat. Rex commotus parliamentum Londinum prorogavit; ibi in festo Hilarii adesse clerum suis postulatis benignius responsurum jussit. Interim omnia cleri horrea frumento jam plena sigillis publicis obsignari & occludi praecepit. Hoc imperatum dum regis ministri peragerent, Robertus Archiepiscopus, lucta jam atque contentione cum rege instituta, mandavit papalem constitutionem, sub excommunicationis poena inhibentem, ne ex proventibus ecclesiasticis regi aut cuicunque principi saeculari tributum pendatur, in cathedralibus ecclesiis divulgari. Die statuto, parliamento inchoato, Archiepiscopus cum Suffraganeis & praelatis iniit consilium in ecclesia Paulina Londini; & decreverunt in priori sententia stare, nec quicquam regi concedere. Quo accepto misit rex ex aula sua nuncios, qui suo nomine agerent cum clero: quoniam eorum & tranquillitas major, & fructus atque redditus annui tunc essent longe uberiores, quam populi; ut ad regem in his bellicis angustiis adjuvandum se ostenderent promptiores. Quibus Archiepiscopus: "Satis, inquit, constat, "quod sub Deo universali rerum domino duos habemus dominos, spiritualem dominum papam, & temporalem dominum regem: Et quanquam "utrique obtemperandum est; spirituali tamen magis quam temporali "domino est obsequendum. Itaque legatos ad dominum papam mittere "destinamus; ut ejus venia obtenta id regi largiri possimus quod a nobis "flagitat." Ad haec regis nuncii: "Statuite aliquos ex vobis, inquiunt, "qui haec regi referant: Nos enim experti sumus ejus animum hujusmodi dictis ac responsis accendi & commoveri solitum." Accepto tandem hoc responso rex indigne tulit his papae clerique dolis sic in regno suo ludificari; excluso e parliamento clero consilium cum solis baronibus atque populo habuit, totumque statim clerum protectione sua privavit. Tum capitalium criminum & maleficiorum judex edixit pro tribunali non esse Archiepiscopis, Episcopis, aut clero quacunque affectis injuria in foro regio pro quibuscunque litibus, querelis vel negotiis jus tribuendum: Quibuscunque autem contra eos agere vel experiri volentibus regis voluntate atque jure licere.

Chro. Sancti Albani.

W. Thorn.

CLERUS tam atroci decreto percitus contumaciam remisit: Elegerunt Eboracensem Archiepiscopum, & Dunelmensem, Eliensem, & Sarisburiensem Episcopos, cum aliis, quibus vices suas commiserunt, ut remedium aliquod opportunum, quo & papalis excommunicatio & regia proscriptio simul vitari possint, adhiberent. Hi statuerunt deponendam in aede sacra quintam bonorum ecclesiasticorum partem ad ecclesiae Anglicanae tuitionem, & defensionem urgentissimae necessitatis: Qua & a papali comminatione salvi, & in gratiam protectionemque iterum recipiuntur. At Robertus praefractus a sententia non destitit; ob quam contumaciam bona ejus quaecunque in usus regios occupata sunt, domoque ejectus vix hospitio cujusquam accipitur; protestatione semper hac usus, se quicquam nihilo magis praestiturum, omnesque, qui praeter papae voluntatem regi aliquid contulissent, bullata illa excommunicatione teneri. Sub haec tempora, cum Archiepiscopi & Episcopi de hac dubia & ancipiti inter regem & pa-

Ab An. Chr. MCCXCIV — Ad An. Chr. MCCCXIII

pam authoritate conſulerent, ſuborti ſunt duo fratres ordinis praedicatorum; qui argumentis probabant, ſubveniendum eſſe regi a clero in belli neceſſitatibus, non obſtante prohibitione papali: Simulque edictum eſt a rege, ne quis ſub incarcerationis poena in regem, eoſve, qui jampridem ſuam protectionem quaeſierant, illius papalis excommunicationis ſententiam promulgaret. Quo facto diſſipatum fuit Epiſcoporum concilium; qui utriuſque gladii formidine perterriti, quid agerent, incerti fuerunt. Eoque magis, quod Robertus concilio diſcedens: "Salvet, inquit, unuſquiſque animam ſuam." Clerus autem & animam & bona ſimul ſervare ſtatuens, cum protectione carentes a nullius injuria tuti eſſe poterant, ſupplices regem ejuſque curia madibant; & nunc quartam, nunc quintam, bonorum ſuorum partem non rogati ultro offerebant, ut ablata regia manu temporalia redimerent, & ſub regia tutela defenſioneque ſecure vivere poſſent.

Mat Weſt.

Walt. Giſb. An. 1296.

REX, cum neceſſario ſibi & celeriter aggrediendos armis Gallos animadverteret, commodius eſſe duxit hanc Archiepiſcopi injuriam diſſimulare; donec, bello confecto, de eo poenas ſumere, ſuperatis hoſtibus, ſine tumultu & diſcrimine poſſit. Itaque parliamento Londini celebrato, Archiepiſcopum in gratiam recepit eique ablata reſtituit: tum, ut populum diſcedens deliniret, adhibitis ſibi Archiepiſcopo & filio ſuo Edwardo principe, nec non Warvicenſi comite, in aula Weſtmonaſterii, in quam conveniri populum juſſerat, orationem flebilem habuit: In qua multis ſe rationibus excuſavit, quod toties tam grandem pecuniam tributis augendis & exigendis tam a clero quam a populo confeciſſet: Ad id ſe invitum coactum, ne populum ſuum in hoſtes ſanguinarios undique infeſtantes permitteret: Se jam in Galliam pro eorum ſalute profecturum & ſuam vitam ſummo diſcrimini expoſiturum: Si victor ſalvis rebus redierit, redditurum ſe ſubditis ea, quae acceperat: Si non redierit, ut filium ſuum Edwardum Walliae principem regem crearent, petiit. His dictis Archiepiſcopus, ut populum ad regem flecteret, effundens lacrymas ſuſcepit regem ea, quae promiſerat, praeſtiturum; & illico populus, extenſis manibus, uno ore fidem regi ſtipulantur. Comites autem & barones jam, rege in Flandriam feſtinante, eum deſeruiſſent, niſi libertates in Magna Charta & de Foreſta a patre ſuo, ut in Bonifacio diximus, ratas confirmaret. Ad quod, ne tardaretur aut impediretur in hoc itinere, invito & reluctante animo ductus eſt: Quo conceſſo coloni, qui duodecimum denarium ante promiſiſſent, jam libenter octavum obtulerunt. Rebus itaque ſic ex ſingulorum animis & ſententia compoſitis, rex ſecundis auris atque velis in Flandriam applicuit. Interea, dum rex Gandavi in caſtris & exercitu inſtruendis occuparetur, Gallus vim ejus pertimeſcens biennales inducias obſecrabat: Quas non aliam ob cauſam fecit rex, quam quod de comitum & baronum domi in ſe confoederatione accepit. Nam, cum populi ſubſidium ad regis, qui tum aberat, aerarium eſſet ſolvendum, comites & barones interceſſerunt; nec ſolvi quicquam a populo, aut a regiis quaeſtoribus recipi, permiſerunt: Quoniam ſe inconſultis, ſine quorum, ut aſſerebant, conſenſu tributum exigi aut imponi populo non debuiſſet, ea ſolutio conceſſa eſt: Quae magnatum interceſſio populum a rege ad eorum confoederationem conciliavit. Itaque plebe & magnatibus una conjunctis Edwardus filius regis, qui patris abſentis in regno vicarius fuit, concedendis his quas vendicabant libertatibus, periculum, quod

Walſing. Florileg.

Flor.

[An. Chr. MCCXCIV.] [Ad An. Chr. MCCCXIII.]

quod ad ſuum patriſque exitium fuit meditatum, prudenter avertit. Eodem etiam tempore Scoti fracta Berwici, ut diximus, regi data fide Northumbriam & regni finitima ſibi loca armis invadunt; rati regem ad bellum Gallicum omnem opem militarem abduxiſſe: ad quorum audaciam reprimendam populus nonum, clerus decimum, denarium comitibus abſente rege conceſſit: Quod regi magnopere diſplicuit; clerum, qui tam [Walſing. Flor.] adverſus ſuis petitionibus fuit, jam abſente ſe comitibus, qui ſuis a populo conceſſis tributis ſolvendis reſiſtebant, tam facile conceſſiſſe. Hae res Archiepiſcopum regi ſuſpectum de procerum conjuratione fecerunt; & inducias, quas alioquin rebus ſic ad bellum inſtructis & paratis noluiſſet, cum Gallo inire, & in Angliam quam celeriter redire, regem impulerunt: Duodecimo igitur Kalendas Aprilis reverſus vindictam, quam in Archie- [An. 1298.] piſcopum & proceres confoederatos meditabatur, celavit; donec in illis duorum annorum, ut diximus, cum Gallo induciis Scotos perfidos ſubjugaſſet, & rem ſuam a periculis tantis tutam feciſſet atque roboraſſet. Scotos primo aggreſſus eſt. Hos commiſſo prope villam, quae **Falkirke** [Walſing. Flor.] appellatur, praelio ſuperavit. Hoc anno Bonifacius papa aliquandiu intermiſſam ſuae poteſtatis plenitudinem, ne in deſuetudinem abiret, coepit exercere: Nam Gulielmo Elienſi Epiſcopo mortuo, diviſo in duas partes capitulo, una pars priorem Elienſem, altera Johannem de Langton, cancellarium regis, eligerunt. Haec electionis diſſenſio aliquandiu coram [Flor.] Roberto Cantuarienſi Archiepiſcopo agitata eſt; qui cum ſecundum priorem judicaſſet, cancellarius ad papam provocavit. Ita ad curiam papalem utrique contendunt. Ibi a lite receſſerunt, & ſuae electionis jus papae arbitrio commiſerunt: Qui, utriſque rejectis, juſſit procuratores conventus Elienſis, ut ex illis Exemptis coenobiis, videlicet, Weſtmonaſterienſi, ſancti Edmundi, ſancti Auguſtini, vel ſancti Albani, abbatem eligerent. Illi a priori electione non receſſuros ſe reſpondent. Commotus hac, ut dixit, contumacia, papa pronunciavit jus conferendi Epiſcopatum Elienſem, ob procuratorum improbitatem, ad ſe pertinere: Itaque ex mero proprioque ſuo motu Norvicenſem Epiſcopum ad Elienſem tranſtu- [An. 1299.] lit, & Norvicenſem Epiſcopatum priori Elienſi contulit: Defunctoque tunc temporis in ſua curia Ottonino Archiepiſcopo Dublinienſi, Richardum Feringes archidiaconum Cantuarienſem ad eum Archiepiſcopatum promovit, & archidiaconatum Cantuarienſem Johanni cancellario regis, qui de Elienſi Epiſcopatu contendebat, contulit. Eodem etiam anno minores, [Flor.] qui dicebantur, in Anglia fratres, quorum votum & inſtitutum erat proprio carere, e coeno & mendicitate jam emerſi, papae obtulerunt in auro quadringenta millia Florenorum & infinitam in argento pecuniam; ut eis terras, praedia, redditusque annuos acquirendi atque poſſidendi, more monachorum, venia ſuo diplomate ſive bulla daretur. Quibus dominus papa: "Ubi eſt, inquit, illa veſtra pecunia?" At illi: "In manibus "mercatorum." Quo audito, eos tertio poſtea die adeſſe juſſit reſponſum accepturos. Interim mercatores, penes quos depoſita eſſet pecunia, a depoſiti contractu pecuniaque fratribus reddenda abſolvit, & ſub anathematis poena juſſit, ut Romanae ſedis uſibus eam reſervarent. Fratribus tertio die papale diploma expectantibus reſpondit: Regulam ſancti Franciſci canonizatam ſe nullo ſenſu depravare aut violare velle; nec permiſſurum, ut fratres ab ea declinarent. Paulo ante, ut in Roberto Kylwarby diximus, lata eſt in Anglia illa Manus Mortuae lex; quae pro- [Annales breves Cant.] hibet,

Ab An. Chr. MCCXCIV.

hibet collegiis, coenobiis, fraternitatibus, atque religiosis istis, qui jam in infinitum crevissent, sine regio consensu terrarum & praediorum acquisitiones. Ea lex ab horum fratrum intemperanti hypocrisi & ingluvie nata est: Quorum mendicitatis specie tecta rapina, nisi illa lucrosa papae religione, & saluberrimis regni legibus, coercita fuisset, omnium haereditates atque bona perbrevi devorasset. Sed ab his, quae illis temporibus contingentia interposuimus, ad regem & Archiepiscopum revertamur. Rex Scotis in praelio, ut diximus, fusis, cum & intestina sibi & externa mala imminere sensisset, domestica simulans, prudenter primo cavit de externis: Cumque se ad Scotos superiori victos & exanimatos [Verba Flor.] praelio penitus debellandos accinxisset; a papa per Archiepiscopum Cantuariensem, qui ejus jussa sedulo exequutus est, satis pro imperio prohibitus est, ne Scotos suae protectioni submissos ulterius praesumeret debellare. Qua comminatione papali, cum rex aliis permultis difficultatibus [1300.] teneretur, suscepto in Scotos negotio supersedit. Tum, Bonifacio papa procurante, inter Angliae & Franciae reges inita pax est, & nuptiae inter Angliae regem & Margaretam regis Franciae sororem regali more atque magnificentia contractae, & in ecclesia Metropolitica Cantuariensi, ipso Archiepiscopo divina ministrante, celebratae sunt. Verum paulo post, illa diu celata & occultata simultas, quam papa in regem Franciae alta mente reposuerat, in apertum odium convitiumque erupit. Nam, dum [An. 1301.] regis legatus cum papa de multis injuriis in regem factis ageret; papa, cum minis & superciliis contractis, "Nos, inquit, habemus utramque [Verba Flor.] "potestatem." Et ille pro domino suo respondit: "Utique, domine: "Sed vestra est verbalis, nostra realis." Et in tantum excanduit ira domini papae, ut diceret "movere se velle contra eum Coelum & Terram." Sed has papae minas, quas verbis emisit, postea, ut dicemus, re ipsa, [Flor.] quemadmodum legatus edixit, rex Franciae ultus est. Papa cum sibi a Gallo metuit, ne sibi deessent copiae, decimam ecclesiasticorum bonorum in Anglia triennio toto, concedentibus id libenter Episcopis, qui regi id ad bellicos usus postulanti denegarunt, usurpavit. Hoc anno Eliensis & [Flor.] Wigorniensis Episcopi obierunt: in quorum loca utriusque ecclesiae conventus commonachos suos elegerunt; qui electi, cum consecrationis gratiam a Cantuariensi Archiepiscopo obtinere non poterant, ad papam profecti sunt. Is perpenso rursus electionis utriusque ordine atque modo, Wigorniensem monachum ab Episcopatu rejecit; sed Eliensem confirmavit: Deinde Wigorniensem Episcopatum cuidam minorum fratrum, jure, ut asseruit, ad se devoluto, contulit. Edwardus vero rex pace cum Gallo, nuptiis, ut diximus, intervenientibus & affinitate firmata, ad Scotos coercendos & [Walsing.] mulctandos bellicas copias iterum paravit: Qui, cum cognovissent omnia Romae fuisse venalia, opimis muneribus papam ditarunt; ut sua protectione Edwardi regis vim hostilem prohiberet, & ab ejus potestate eximeret, suaque conservaret. Papa Lombardum quendam cum suis imperatis ad Cantuariensem Archiepiscopum misit; qui regem in expeditione sequuti, cum ad eum venissent, exponunt papae mandatum; nempe Scotos nulli, praeterquam sibi Romanaeque capellae subjici; proinde, ut rex suscepta in eos arma deponeret, papae nomine jubent: "Fieri enim non posse, quin "civitas Hierusalem suos cives protegeret." Quibus commotus rex: "Ego, "inquit, neque propter Hierusalem, nec Sion, desistam; quin jus me"um in Scotos foedifragos & perjuros ipso Marte tuear." Mox legatus papae

[Ad An. Chr. MCCXCIV.] papae revertitur, ac rex nihilominus ad bellum pergit. Sed, ne videretur irritabilem papam in se, rebus vix domi compositis, concitare; misit comitem Lincolniensem & Hugonem Spenser ad papam, qui multis monumentis & exemplis de jure suo in Scotos agerent: Quibus de rebus inter papam & regem ac proceres Angliae scriptas ac rescriptas literas consulto omittimus. Sub haec tempora moniales Angliae, cum eis egrediendi suas cellas &, quocunque libitum fuerit, vagandi licentia permissa fuerat nec jure ullo prohibita, lascivire coeperunt; itaque Bonifacius papa de eis cellis suis includendis ad Archiepiscopum Cantuariensem & suae provinciae Suffraganeos, decretalem scripsit epistolam; in qua potestas eis facta est moniales visitandi, & circumseptos eorum cellis praescribendi terminos, quorum finibus contineri debeant.

[Ad An. Chr. MCCCXIII.] [Walsing. Florileg.] [An. 1301]

JAMQUE digladiari inter se rex Franciae & papa coeperunt: Hic verbalem, ille realem gladium, ut mutuis, sicut paulo ante diximus, conviciis comminati invicem sunt, vaginis suis eduxerunt. Uter autem acutior & perniciosior fuerit, papae tristis exitus declarabit. Papa, excitatis illis in Franciae regem inimicitiis, poenituit se affinitatem & pacem ei cum Angliae rege conciliasse: Itaque literis regem Angliae ad pactam pacem frangendam solicitavit; &, si Gallum Marte aggredi vellet, immensam pecuniam pollicetur. At rex, qui alias papae perfidiam sensisset, a Galli foedere, nisi ab eo provocatus, recedere noluit. Tum papa in Gallum excommunicationis sententiam fulminavit: Quam nemo ei denunciare, aut in Gallia promulgare, ausus est. Deinde omnes Galliae Praelatos, theologos, jurisque canonici vel civilis peritos publico edicto monuit; ut coram eo Romae in proximis Kalendis Novembris comparerent. Et Galliae rex vicissim sub proscriptione edixit; ne quis suo regno aurum, argentum, vel merces quascunque, exportaret; & in regni finibus exploratores constituit, qui regno exeuntes scrutarentur: Quibus de causis die statuto clerus Galliae se per tres Episcopos nuncios excusavit. Itaque papa Johannem quendam monachum presbyterum cardinalem misit Lutetiam; qui clerum papae nomine seorsim & secreto consuleret. In eo conventu milites quidam regii coram clero & populo Parisiensi papam Bonifacium de haeresi, Simonia, & homicidio postularunt, regisque nomine ab eo ad concilium generale appellarunt. Tum Johannem cardinalem papae legatum regno egredi jusserunt: Regem enim suum nullam in se authoritatem papae permissurum, donec objecta crimina in concilio delevisset. Papa sub haec tempora ad Anagniam, Campaniae civitatem, ubi natus erat, venit: Ibi vim realis gladii a rege Galliae illati exitiosam sibi retundere non potuit. Proscripserat & excommunicaverat ante quosdam cardinales Columnenses papa; quorum frater Sciarra, associato sibi Gulielmo de Nogareto regis Galliae Senescallo, aliisque regis ministris & satellitibus, papam copiosa manu militari subito obsessum tenent. Quae vis, procurante rege Franciae, papaeque familiaribus ac vicinis una conspirantibus, in papam mota est: Qui jam tantis praesidiis obsessus, cum nec auxilium nec evasionem sperare poterat, flagitat a Sciarra pacis conditiones. Sciarra nullas dare, aut accipere, conditiones voluit; nisi papa fratres suos cardinales Columnenses restitueret, & papatui postea renunciaret, ac corpus suum dederet. Quibus auditis papa ingemuit, animam effusurus potius, quam papatui cessurus. In hac obsidione Marchio Anagniensis

[An. 1303. Walsing. Flor. Adam Murimutensis.] [An. 1304.]

niensis civitatis, papae nepos, acceptis de sua & filiorum atque famulorum vita conditionibus, papa inconsulto, Sciarrae se dedit. Quo cognito deflevit amare suam conditionem papa: Nam post deditionem Marchionis, Sciarra irruptione in palatium facta papam cepit, & pessimis probris ac maledictis oneravit. Quibus papa ne respondit. Tandem Sciarra ad renunciandum multis minis papam voluit cogere; sed non potuit: omnibus autem indumentis, ornamentis, auro, argento, thesauroque adeo ingenti, ut omnium in orbe Christiano principum divitias superare crederetur, eum spoliavit; eductumque palatio equo effraeni, converso ad caudam vultu, imposuit, & per civitatis plateas ludibrio habendum circumduxit. Tandem cum militibus sociis tantisque spoliis urbe discedens papam nudum, egenum, fameque pene peremptum ejecit in plateas: Ubi gemitu & ejulatu famelicus sua voce, nam praecones & nuncii, famulis suis trucidatis vel fugatis, ei defuerunt, coactus est indulgentiam & omnium peccatorum veniam illis polliceri, qui eum cibo & potu reficerent. Hac ore papali promulgata indulgentia, concurrunt aniculae & mulieres permultae superstitiosae; quae eum in palatium ductum fovent & cibis ad saturitatem replent, clamantes, "Vivas, sancte pater." Cum ex hoc discrimine atque fame vires atque animum collegisset; Romam discessit totus luctuosus & squalidus. Ibi aeger paucis post diebus periit: De quo, juxta Coelestini vaticinium, mortuo haec carmina condita fuerunt:

Flor.

Vulpes intravit, tanquam Leo pontificavit:
Exiit utque Canis, de divite factus inanis.

Item, de vivo.

Walsing.

A re nomen habe, benedic, benefac, Benedicte:
Aut rem perverte, maledic, malefac, Maledicte.

Huic papae ne mortuo quidem Gallus pepercit: Sed, ut de haeresis, Simoniae, & parricidii criminibus post mortem damnaretur, saepe institit. Cujus odio ducta tota Gallia ne sextum librum decretalium ab eodem papa editum inter jura canonica admittere voluit. Quod si Johannes quondam Angliae rex hujusmodi gladio papae censuris restitisset; nec se, nec regnum, tot calamitatibus postea, ut commemoravimus, confertim subsequutis exposuisset. Bonifacio tam ignominiosa morte sublato successit Benedictus: qui, cum antecessoris sui cladem lugubri concione deplorasset, ejusque authores anathemate feriisset, & Columnensium stirpem delere statuisset; pincerna ejus, muneribus corruptus, miscuit ejus An. 1305. poculis venenum: Quo hausto decimo quinto postea die obiit Perusii: Cui Bertrandus, Archiepiscopus Burdegalensis, Clemens quintus vocatus, successit. Hic duos Anglos cardinales, & Episcopum Dunelmensem Hierosolymitanum patriarcham creavit: nec non Gulielmum Grenefield Archiepiscopum Eboracensem & Radulphum Baldock Episcopum Londinensem electos confirmavit atque consecravit Lugduni. Edwardus vero Angliae rex Scotis superatis, cum neque de Gallo nuptiarum affinitate sibi juncto, nec de papa, a quo a juramenti fide, qua se baronibus obstrinxerat, absolutus est, obtinuit; opportunitatem nactus est illius in se absentem, ut diximus, conjurationis reos, inter quos Robertus Archiepiscopus dux & author fuisse suspicabatur, vindicandi.

NAM,

Ad An. Chr. MCCXCIV.

Ad An. Chr. MCCCXIII.

NAM, quia hujus inteſtinae ſeditionis cauſam, juramentum regni ſui proceribus, de obſervandis eorum privilegiis ac immunitatibus, a ſe praeſtitum eſſe ſenſerat; ejus religione amplius non teneri, ſed papali authoritate ſolvi, voluit, & obtinuit. Qua quidem in re avi ſui regis Johannis exemplum ſe imitatum ac ſequutum affirmavit: qui inſtantia & neceſſitate procerum adductus, facile jurare conſuevit; ut eos concitatos ſedaret: eademque facilitate reſilire a juramento, quoties ſibi tempus commodius arrideret, praetendens ſemper papalem abſolutionem a priori praeſtito juramento. Qua regum tam ſupina caecitate, papalis juriſdictio ad eam magnitudinem crevit, ut reges pluſquam AEgyptiaca obſcuritate involuti, papae tantum authoritatis deferentes, quaecunque vel firmiſſima ac ſanctiſſima jura atque foedera ea diſſolvi poſſe, ſaepe ad ſuum & regnorum perniciem credebant. Omnibus itaque firmatis ac diſpoſitis a rege adjumentis, de domeſtica fraude & conſpiratione poenas tandem hoc ordine ſumpſit. Comitem Mareſcallum, primo de hac conjuratione caute aggreſſus eſt: Is nec contradicere nec celare patefactam proditionem valens, regis gratiam petiit; pro qua obtinenda, univerſorum ſuorum bonorum eum haeredem inſtituit: Quam conditionem rex perbenigne accepit; &, ut eum in officio fideque retineret, terras aeſtimatas mille libris annui redditus comiti ad vitam conceſſit. Reliquos quoque conjuratores eodem aſtu ſigillatim perſenſit, & pecuniaria poena, quia capite ut potuit noluit, ſingulos mulctavit. Ad extremum convenit Archiepiſcopum, eumque hujus conſpirationis tanquam ducem & authorem arguit & de graviſſimis criminibus poſtulavit, praecipue vero de proditione & laeſae regiae majeſtatis crimine: Quod, rege militiae cauſa abſente, cum comitibus regnique proceribus doloſum inierat conſilium de rege a regni ſolio dejiciendo perpetuiſque carceribus mancipando, & filio ſuo Edwardo, patris loco, ſubſtituendo. Qui, cum multis convitiis agitatus a rege inficiari praedicta non poterat, in terram pronus ad pedes regios cecidit, cum lacrymis & ejulatu facinorum veniam obſecrans, regemque dominum ſuum, quod nec voce nec literis antea fecerat, appellans. Ita hic elatus, Deo & hominibus odioſus, qui per totum Anglorum orbem ſua ſuperbia & ſacerdotium deturpavit & clerum, & tyrannidem in populum inauditam exercuiſſet; nunc ſcelere ſuo a rege deprehenſo, peccati conſcientia & metu poenae perterritus, dejectus & proſtratus humi pro rege jacet, ei pallium tendit, ejuſque miſericordiae ſe ſuaque bona permittit. Cui rex: "Non ego, inquit, de te ſupplicium ſumam, ne meae vindi-"ctae, quanquam juſtiſſimae, magis quam tui ordinis, rationem habere "videar. Ac, quanquam tu & illo ordine & gratia mea indignus ſis, "rem tamen ipſam Coepiſcopis tuis, ipſique, quem advocas, Romano "Epiſcopo, referam; ut a paribus tuis, ne me iniquum ſentias, ipſius "proditionis, quod in ſubdito ſummum ſcelus eſt quodque meae auditi-"oni & tribunali reſervatur, haud dubie judicem, in delicto tanto argua-"ris." Adjecit ad iſta rex: "Non ſolum in maximis, ſed etiam in "minimis parvique momenti, rebus ſimultatem & malitiam agnovi tu-"am; in quibus authoritate fretus tua, patientia mea nimium abuſus es. "Quoties enim in provincialibus tuis viſitationibus te per literas inter-"pellavi, ne meos, ſaltem in meo viventes obſequio, clericos vexares, "aut quacunque ratione in jus vocares? Qui tamen, omni illorum ap-"pellatione & mea interceſſione poſthabita, & regali authoritate con-"tempta,

Flor.

Annal. Eccl. Auguſt. Cant.

" tempta, beneficiis suis spoliati sunt." Cum haec dixisset rex, Archiepiscopus denuo confusus & mente turbatus, ac his convitiis dignissime affectus, inusitato ac praeter legem exemplo a rege benedictionem petiit. Cui rex: " Non te mea, sed me tua, deceret, inquit, magis benedictio." Rex itaque, cum degenerem & conscium Archiepiscopi animum ex metu conspexisset, ad papam querelam de eo instituit: Quod statum regni sui alioquin tranquillum, & sua virtute ab externis hostibus tutum, se absente, domi turbaverat, & proceres insidias & res novas molientes defenderat atque foverat. Robertus Archiepiscopus ad regis instantiam papali edicto ad Romanam curiam citatus est: Quo cum venisset, ab executione officii sui, & temporalium atque spiritualium administratione suspensus est, donec de accusationibus sibi impositis & per regem objectis legitime se purgaret. Cumque se a regis praesentia subduxisset, antequam Romam proficisceretur, inter monachos Cantuarienses, quia ei jam egeno & proscripto nemo alimenta ministrare ausus est, aliquandiu delituit, & ab his nutritus atque fotus est. Quo cognito eos quoque proscripsit rex, vetuitque edicto, ne quis eis ad usus vitae necessarios ministraret: Tum octoginta e claustris monachos praecipitavit: Praedia in fiscum contulit. Ejecti ad mendicitatem monachi ne a fratribus quidem mendicantibus sublevati sunt; sed vicatim per singulas aedes eleemosynas petebant. Tandem rex, in exilium acto Roberto, monasterio bona restituit.

[Margin: An. 1306. Florileg. Adam Murimuth. — Ste. Byrchin. Annal. Aug. Eccl. Cant.]

FRANCIAE rex a papa Bonifacio, ut diximus, excommunicatus, hoc anno a Clemente papa absolutus est; sed petiit, ut Bonifacius mortuus haereticae pravitatis damnaretur, ejusque ossa exhumata igne cremarentur: Tum in papa eligendo jus trium suffragiorum vendicavit: sed a papa neutrum obtinuit. Roberto autem Archiepiscopo in exilium acto, Wintoniensis Episcopus pro eo intercessit, eumque dominum suum appellavit: Rex eo turbatus Episcopum Wintoniensem protectione sua privavit ejusque bona in fiscum deferri jussit, quod alium, quam regem, dominum agnosceret; ac talem, qui proditionis & manifestae in regem contumaciae reus vel subditi jus in suo regno amisisset. In hoc Archiepiscopi exilio, Clemens quintus papa Cantuariensis sedis oeconomos constituit Gulielmum de Testa archidiaconum Aranensem, & Petrum Amalinum canonicum Burdegalensem: qui authoritate nixi papali Norvicensem Episcopum de primitiis, quas a suae dioecesis clero vendicavit, in jus vocabant. Papa vero hoc motus exemplo, quia ea, quae Episcopi in suis dioecesibus sibi arrogarunt, sive jure sive injuria usurpare partaque ab aliis acquirere sibi solebat, poposcit & imperavit suae camerae primitias cujuscunque ecclesiastici in Anglia beneficii triennio proximo vacaturi; archiepiscopalibus, episcopalibus, & conventualibus ecclesiis duntaxat exceptis. Interea, dum Robertus Archiepiscopus exul aberat, inclytus rex Edwardus primus, qui Cambros & Scotos imperio suo subjecit & Gallos afflixit, in tricesimo quinto regni sui anno obiit: Quo mortuo, Archiepiscopi absentis & exulis sive metus, sive authoritas atque gratia, tantum valuit, ut, cum duobus pene annis in exilio vixisset, Edwardo rege ejus nominis primo mortuo, cum Edwardus secundus corona regia consecrandus esset, Wintoniensis Episcopus tunc Archiepiscopi vice, ejus absentis literis & speciali mandato, in rege consecrando functus sit.

[Margin: Annal. Eccl. Cant. — Chron. S. Albani. — Annal. Eccl. Cant.]

CUM

Cum enim Archiepiſcopus Cantuarienſis vocatus fuiſſet ad curiam Romanam, reſponſurus ſuper quibuſdam rebus ei per regem Angliae objiciendis; iſte Edwardus, filius regis Edwardi, poſt mortem patris ſui, ut jus eccleſiae Cantuarienſis ſalvaret, domino papae Clementi ſcripſit; quod Archiepiſcopum Cantuarienſem ad eccleſiam ſuam mitteret, ut ab ipſo coronam regni ſuſcipere poſſet; cum coronatio regum Angliae ad Archiepiſcopos Cantuarienſes noſcatur pertinere. Reſtitutus igitur ad ſtatum ſuum per dictum papam Archiepiſcopus praedictus, cum prae debilitate corporis ſui tantum feſtinare non poſſit, ut praefatae coronationi intereſſet, fecit ſub ſigillo ſuo tribus Epiſcopis commiſſionem ſuam; ut unus eorum, quem rex eligere vellet, ipſum regem vice ſua coronaret; nempe Wintonienſi, Sariſburienſi, & Ciceſtrenſi: Et, quia Epiſcopus Ciceſtrenſis actualiter erat regis cancellarius, qui propter ſuum officium debebat coram rege in coronatione calicem ſancti Edwardi portare, & Epiſcopus Sariſburienſis corpore debilis nimis erat; placuit domino regi, quod Epiſcopus Wintonienſis officium faceret & impleret: Archiepiſcopo vero Eboracenſi, quia ſine ſua cruce venire noluit, non eſt permiſſum huic ſolennitati intereſſe.

Revocatio Clementis papae.

" CLEMENS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Roberto " Archiepiſcopo Cantuarienſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cum, ſicut oblata nobis ex parte tua petitio continebat, coronatio chariſſimi in Chriſto filii noſtri Edwardi regis Angliae illuſtris, quae in proximo imminet, feliciter, dante Domino, facienda ad te ratione tuae eccleſiae pertinere noſcatur; nos nolentes, quod in hac parte officium tuum valeat impediri, tuis ſupplicationibus inclinati omnes literas, ſi quas ſuper commiſſione coronationis regis ipſius alicui, vel aliquibus, forte direxerimus, cujuſcunque tenoris exiſtunt, authoritate praeſentium revocamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae revocationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praeſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Dat. Pictavis undecimo Kalendas Februarii, pontificatus noſtri anno tertio.

POSTEAQUE regi novo conciliatus, ab exilio revocatus & reſtitutus eſt. Tum vero, cum & regis gratia & authoritate magna in republica floreret, Auguſtinenſi coenobio redemit ſua temporalia ducentis libris & ducentis ſummis grani: & provinciales conſtitutiones celebres novem edidit, & perſtrenuus eccleſiae Anglicanae rector, regnique jurium libertatumque aſſertor ferebatur. Cujus rei laudem etſi ſibi vendicavit; fuit tamen in illis aſſerendis nimius, & regi ſemper adverſus: ut papae, cum quo conjunctiſſimus fuit, id tribueret quod regi derogaret; nec tam libertatem regno, quam papae potentiam, acquireret, regiſque authoritatem minueret ac in papam transferret. Diximus ante a Johanne Peckham Cantuarienſi Archiepiſcopo fuiſſe conſtitutum; ut clerici plura beneficia non tenerent, ſed uno contenti ſint: tum, ut preſbyteri vel ante adeptum beneficium, vel anno poſtea, ordinarentur: deinde, ut in beneficiis reſiderent. Hujuſque conſtitutionis haec fuit ſanctio: Quod, ſecundi beneficii

Ab An Chr. MCCXCIV. Ad An Chr. MCCCXIII.

neficii apprehenſa poſſeſſione, vel perceptis fructibus, vacaret ipſo jure primum: tum, ſi poſſeſſor presbyter non ordinaretur; vacaret etiam ſimili modo beneficium: & non reſidentes ad reſidentiam moniti privarentur, juſque praeſentandi denuo ad patronum rediret. Quae Johannis conſtitutio a Lugdunenſi concilio profecta eſt, ſub Gregorio decimo celebrato, de quo Polychronicon hoc verſu affirmat:

Polychron.

Gregorius denus congregat omne genus.

Cui concilio generali quanquam reges Angliae interceſſerunt, tamen nec ſe teneri conciliorum decretis amplius affirmabant, proferentes veterum ac majorum ſuorum de ea immunitate privilegia; ut quidam referunt, Edwardum primum in Robertum Winchelſey hac de cauſa primo commotum; quod in provincialibus viſitationibus tantum pecuniae a clero, pluralitatum, ordinum, & reſidentiae ratione, ſecundum praedeceſſoris ſui Johannis Peckham conſtitutionem, in quam univerſus fere clerus tum commiſerat, exegiſſet. Qua in re tam acris fuit, ut ne regiis rogatis pro ſuis capellanis ceſſerit. Edwardus itaque ſecundus, quanquam multum tribuit Roberto jam ab exilio reverſo, fortiter tamen, tam in concilio Lugdunenſi, quam domi inſtabat; ne ſibi miniſtrantes capellani, aut concilii decreto, aut Ottonis aut Ottobonis, papae ad Angliam legatorum, aut Cantuarienſis Archiepiſcopi conſtitutione, ad ſacros ordines, vel reſidentiam, vel certum beneficiorum numerum, aſtringerentur. Quod ex multis ſuis, tam ad Archiepiſcopos Cantuarienſem & Eboracenſem, qui illius concilii decretum in Anglia exequi nitebantur, quam ad plures patronos, qui hujuſmodi conſtitutionis & decreti vi ad beneficia, quae putabant vacua, praeſentare alios volebant, reſcriptis apparet. Quorum unum tanquam reliquorum indicium & exemplum inſeruimus.

Arch.

"Edwardus Dei gratia, &c. Abbati de T. ſalutem. Intelleximus "vos ad eccleſiam de M. quam quidam clericus noſter W. de C. eſt ca-"nonice aſſequutus, praeſentaſſe de facto, ratione concilii Lugdunenſis. "Cum igitur clericos noſtris inſiſtentes obſequiis ſtatutum illud non liget; "eo quod clarae memoriae reges & principes regni Angliae, progeni-"tores noſtri, a tempore, cujus non extat memoria, ea immunitate & "libertate hactenus gaviſi ſunt; quod clerici, dum eorum ſervitiis in-"tendebant, a nemine coarctabantur ad ordines ſuſcipiendos, vel ad re-"ſidentiam perſonalem in ſuis beneficiis faciendam; ac ad nos, in quem "libertates ſeu immunitates hujuſmodi derivantur, ſpectare dignoſcatur, "clericorum noſtrorum indemnitati proſpicere in hac parte; devotionem "veſtram requirimus & rogamus, firmiter injungentes, quatenus praeſen-"tationem, quae ad dictam eccleſiam de M. a vobis minus provide, in "ipſius clerici, imo verius noſtri praejudicium proceſſiſſe dignoſcitur, "ſtudeatis proinde revocare: praeſentatum a vobis ab incepta proſecuti-"one deſiſtere facientes; taliter in iſto negotio vos habere curetis, "quod nos non oporteat ſuper hoc manus apponere ſolicitudinis amplio-"ris. Datum, &c."

An. 1308.

Reversus autem & reſtitutus Cantuarienſis Archiepiſcopus Robertus, ex regis atque papae mandato omnes redditus, fructus, & proventus, qui, ſe abſente, ab adminiſtratoribus eccleſiae ſuae percepti ſunt, exquiſite ſibi redditis rationibus accepit. Ita exilii ſui calamitas ſummae ſibi utilitati ceſſit. Namque omnium, qui ante eum Archiepiſcopi Cantuarienſes fuerant,

Adam Murimutenſis.

fuerant, ditiſſimus ex hoc eventu evaſit: Unde ipſe adeo locupletatus ſe hoc verſu de exilio ſuo ſaepe narrans conſolari ſolebat: “Nihil nocebit adverſitas; ubi nulla iniquitas dominatur.”

Hoc anno Robertus Retford, & Henricus Spigurnel, capitalium criminum in Cantio judices, ut in illis judiciis, quae Aſſiſas vocant, reis juramenta tempore quadrageſimae deferrent, ab Archiepiſcopo facultatem impetraverunt: Quae quidem licentia a papa ante conceſſa Stephano Langton Archiepiſcopo Cantuarienſi, Henrico rege regnante, itinerantibus judicibus ex publicis regiis literis ab eodem Archiepiſcopo impertita, his verbis dignoſcitur.

“Henricus Dei Gratia rex Angliae, dominus Hiberniae, Normanniae, Aquitaniae, & comes Andegaviae, univerſis praeſentes literas inſpecturis ſalutem in Domino. Cum venerabilis pater Stephanus Cantuarienſis Archiepiſcopus authoritate domini papae, & de conſilio fratrum ſuorum fecerit nobis gratiam, de juramentis praeſtandis coram juſtitiariis noſtris, de praecepto noſtro itinerantibus, ab inſtanti adventu Domini uſque ad vigiliam ſancti Thomae Apoſtoli, & a principio ſeptuageſimae uſque ad dominicam, “Qua Cantatur.” Iſti ſunt dies, duntaxat in cauſis ſubſcriptis: Nempe in Aſſiſis ultimae praeſentationis, de morte anteceſſoris, novae diſſeiſinae, de magna Aſſiſa, & de inquiſitionibus quae de terris emergent coram eiſdem juſtitiariis noſtris, vel per judicium, vel de conſenſu partium. Ita, quod hoc conceſſum tantum hoc anno durabit, uſque ad diem dominicam ſupradictam. Nos per has literas noſtras patentes proteſtamur, quod haec conceſſio nobis ad praeſens facta uſque ad diem dominicam praedictam, non trahetur ad conſequentiam poſt diem eundem. In cujus rei teſtimonium eidem domino Cantuarienſi Archiepiſcopo dedimus has noſtras literas patentes ſigillo noſtro ſigillatas. Teſte meipſo apud Weſtmonaſterium, viceſimo ſexto die menſis Octobris, anno regni noſtri decimo.” Ex Archivis.

Sed evenit poſtea perpetui & inevitabilis luctus atque aegritudinis Archiepiſcopo cauſa; quod Edwardus rex Petrum de Gavaſton, qui omnium tam Praeſulum quam procerum odio ſemper flagravit, & in Hiberniam ab Edwardo patre ſuo rege relegatus eſſet, invitis omnibus reſtituerit atque revocaverit. Hic primo adventu Coventrenſem Epiſcopum Eboraci ex regis praecepto carceribus includi procuravit: Unde Archiepiſcopus in parliamento nullum negotium a provinciae ſuae clero tractari paſſus eſt; donec Coventrenſis e publica cuſtodia eſſet liberatus. Sub haec tempora concilium generale Viennae celebratum eſt; in quo multa & nefanda crimina in celeberrimum & ditiſſimum Templariorum ordinem propoſita fuerunt: Cujus accuſationis author fuit rex Franciae; qui in eo concilio filium ſuum regem Hieroſolymitanum creare, & Templariorum bona atque praedia illi gerendo regno convertere, conatus eſt. Templarii itaque in eo concilio, inſtituta accuſatione, quod Chriſtum Dominum diffiterentur, multaque horrenda nec ſuis nominibus deſignanda facinora aſſidue perpetrarent, damnati ſunt: Omneſque ex edicto regio Galliae finibus excedere illico capite juſſi ſunt. Sed Galliae rex ſpe fruſtratus eſt: Namque grandi interveniente pecunia papa Templariorum poſſeſſiones atque praedia hoſpitalariis adjudicavit. Poſtea Robertus Archiepiſcopus provinciale concilium Londini celebravit: in quo Templarii de iiſdem criminibus accuſati, fama publica, de qua ſe purgare non poterant,

An 1309

Adam Murimutenſis. Walſing.

An. 1310. Walſing. Murimut. Memoriale hiſtoriarum.

poterant, oppressi & damnati, & toto ordine dissoluto ad perpetuam poenitentiam peragendam per coenobia singuli distributi sunt. In concilio autem Viennensi, altercatione a quibusdam mota, non oportere tam celebrem ordinem totum ob quorundam confessionem damnari, papa Clemens in Bulla sua condemnatoria hanc adjecit clausulam: "Quanquam jure non possimus; tamen in plenitudine nostrae potestatis dictum ordinem reprobamus."

Verb. Wals.

Memor. Hist.

EODEM anno Henricus rex Alemanniae, creatus imperator, tres coronas hoc ordine accepit; Aquisgrani argenteam, Mediolani ferream, & Romae auream: Qui sequenti anno in quodam castello Pisanae civitati vicino, cum a Romana curia rediret, veneno extinctus est.

Adam Mur. An. S. Aug. fol. 129.

EODEM etiam anno Radulphus Bourn Augustinensis ecclesiae abbas electus, cum ad papam Avinioni jam agentem confirmandus accessisset, reversus domum testatur, se vidisse in itinere piscinam in quadam monialium abbatia, quae Provines dicebatur: In qua, cum educta aqua luto purgaretur, multa parvulorum ossa, ipsaque corpora adhuc integra, reperiebantur. Unde ad criminalia judicia subeunda viginti septem moniales Parisios ductae & carceribus mancipatae fuerunt. De quibus, quid actum fuerat, nescivit.

Adam Mur.

IN superiori autem Londinensi concilio Walterus Coventrensis, qui ab his carcerum angustiis, in quas Petri de Gavaston odio ductus esset, solo Archiepiscopo intercedente liberatus est, excommunicabatur: Quod Archiepiscopum & clerum perfide deserens, Petro adhaesit; nec his constitutionibus servandis, quas in eo concilio sancivissent, vellet jurare: Ab illa excommunicatione Walterus Coventrensis appellavit ad papam; & interim cum Petro conjunctus illius concilii constitutiones rescindi procuravit.

Adam Mur.

Hoc anno Robertus Archiepiscopus Johannem Heron equitem ob necem Rogeri Grace in arce Londinensi carceribus detentum, a rege, ut clericum, & in foro spirituali judicandum postulavit: Cui concessit rex. Posteaque idem eques a Londinensis Episcopi vicario ad purgandam caedis praedictae suspicionem in Londinensi consistorio receptus ejusque decreto liberatus est. Cujus acta ab Archiepiscopo revocata & irrita facta fuerunt; equitique, ut caedis reo publica poena injuncta, actorumque ab Episcopi Londinensis vicario revocatio in ecclesia Paulina per decanum de Arcubus & officialem Cantuariensem publicata fuit.

An. 1311. Arch.

Lis quaedam inter priorem & conventum de **Lewes** ac Episcopum Norvicensem in foro regio de jure patronatus, septem annis agitata, finem hoc modo sortita est: Prior & conventus praesentabant quendam Reginaldum Bedaling ad ecclesiam parochialem de **Feutel**, quem Episcopus indignum ecclesiasticis beneficiis pronunciavit & rejecit: de quo in foro regio a priore & conventu petitus est. Quibus respondit: Admittere se clericum praesentatum non potuisse, quem beneficiis ecclesiasticis indignum pronunciaverat. Itaque judices regii ab Archiepiscopo de indignitate clerici certiores fieri voluerunt: Qui Norvicensis Episcopi factum comprobavit, judicibusque regiis his verbis rescripsit: "Invenimus, quod Reginaldus Bedaling in brevi mentionatus, est inhabilis ad omne beneficium ecclesiasticum." Itaque secundum ejus rescriptum & Norvicensis Episcopi decretum in foro regio judicatum fuit. Et, ne judices saeculares ecclesiasticam jurisdictionem prohibitionibus regiis nimium coercerent, obtinuit a rege; primum, ut causae prohibitionum a reis delatae diligen-

[An. Chr. ...CCXCIV.] ter a clericis ad id juratis examinarentur: tum, ut falſas cauſas deferentes carceribus & pecunia mulctarentur: deinde, ut Praelati juriſdictione praediti omnes prohibitiones ex falſis & injuſtis cauſis e foro regio ad ſe emiſſas, proximo quoquo parliamento, regi proceribuſque deferrent: Ad extremum, ut utriuſque fori juriſdictionem propriis cancellis terminaret, eccleſiaſticae authoritatis jura conceptis verbis a rege deſcribi & Praelatis exponi in articulis, quos " articulos cleri" vocant, procuravit. Juriſdictionem archiepiſcopalem tam ſevere exercuit, ut ne magnatibus delinquentibus parceret. Johannem enim de Warenna Surriae comitem, a propria conjuge temere divertentem & domi ſuae publice cum meretrice luxuriantem, ab ejuſdem conſortio & praeſentia, coacto juramento abegit. Tum comitem adhuc cum ea laſcivientem, liberoſque ex adulterinis amplexibus procreantem, edicto publico ad ſynodum citavit: ubi tam perjurii, quam adulterii, reus judicatus, ſcortique familiaritate iterum interdictus eſt. Regem Edwardum primum unice adamavit; a quo Spenſeros, alioſque regis animum adulatione & facto obſequio ad injurias & libidines allicientes, parliamenti authoritate, in exilium coegit. [Ad An. Chr. MCCCXIII.] [Walſing. Adam Murimuth.]

VITIA, quae in hoc Archiepiſcopo deprehenſa ſunt, non tam hominis quam temporis propria fuerunt: Nam pro eccleſiae libertatibus cum papa, & pro regni juribus cum baronibus, adverſus regi fuit. In quarum utraque cauſa Salomonis dictum verum expertus eſt: " Indignationem principis morti comparandam eſſe." Beneficia eccleſiaſtica nunquam, niſi doctis, contulit. Precibus, atque gratia nobilium fretos & ambientes ſemper repulit. Juvenibus literarum ſtudioſis ad academias miſſis annua alimenta decrevit. In eleemoſynis & largitione quotidiana omnes ante ſe & ſequutos Archiepiſcopos anteire dicendus eſt. Pauperibus oſtiatim mendicantibus, praeter quotidianas ex fragmentis largitiones, quolibet die dominica & feria quinta, ſingulis pro eleemoſyna habenda ad loca, ubi degebat, venientibus, panes frumentarios quadrante valentes dari praecepit. Horum panum numerus tempore caritatis annonae quatuor, tempore copiae, trium millium fuit. His, in illis feſtis ſolennioribus, centum quinquaginta denarios, totidem pauperibus in pecuniis numerandos addidit. Infirmis praeterea ſeniove confectis, puerperis & ejuſmodi egenis, prodire ad eleemoſynas petendas haud valentibus, mitti ſingulos panes cum modica carnium, aut piſcium, juxta diei varietatem quantitate juſſit. Sublevabat inſuper eos, qui a ſecunda fortuna caſu ad inopiam detruſi erant, quoſque pudor a mendicitate prohibebat; quibus & veſtes & pecunias miſit. In menſa fuit inter convivas laetus, affabilis, jucundus. Detractores, adulatores, & ſcurras a ſua hilaritate & epulis ſejunxit. A quibus & a conſortio cum in ſecretiora & interiora loca ſe abduxiſſet, precibus primum, deinde ſtudiis incubuit. Poſtquam ab exilio reverſus eſſet, ſex annis in magna Edwardi ſecundi regis gratia vixit: Quem cum, adhibitis & reſtitutis Spenſeris, viris populo & magnatibus odioſis, abalienaſſe a ſe optimum quemque vidiſſet; aegritudine contabuit, & Ottefordiae obiit 1313. quinto idus Maii. Inde ad eccleſiam Cantuarienſem cadaver ejus deductum, & prope altare ſancti Gregorii ad parietem auſtralem ſepultum eſt. Sepulchrum ejus, quia populus eum mortuum tanquam Sanctum frequens adoravit, demolitum atque dejectum eſt: Bibliothecam cum veſtibus modiciſque, quae ſupererant, bonis eccleſiae Cantuarienſi donavit. [Memor. Hiſt. Ste. Byrchin.] [Flor.] [Ste. Byrch.] [Arch.]

Mmmm L. WAL-

Ab An. Chr. MCCCXIII. — Ad An. Chr. MCCCXXVII.

L. Walterus Raynold.





Monachorum superstitiosam solitudinem, quae cum Episcopis ipsisque regibus toties luctabatur, jam tandem ab alia hujusmodi faece, fratrum nempe & praedicatorum vulgari atque trita mendicitate superatam, & utriusque ordinis profusionem, hujusmodi caruisse gratia in hoc Waltero ostensum est. Diuturnis altercationibus atque rixis se invicem multis jam annis lacesserunt monachi atque fratres; hi illis solitudinem & ignaviam, illi vicissim istis mendicitatem & petulantiam, exprobrantes: Sed, superatis tandem monachis & a fratribus supplantatis, utrique cum vulgo contemptui esse coeperunt, tandem papae atque regi ludibrio fuerunt. Robertus Kylwarby ac Johannes Peckham ex illa, ut diximus, mendicitate, quae tam plebi quoniam nova, papae quoniam quaestuosa, gratiosa fuit, ad archiepiscopalem apicem ascenderunt: Quem novum, & tanta paupertatis & religionis simulatione adumbratum quaestum, ac ad Romanam explendam cupiditatem traductum, cum principes, Praesules atque proceres olfecissent, execrandam illam superstitionis sentinam abominati sunt. Papa, cum hoc novum a se institutum hujusmodi genus, pene omnibus invisum atque despicabile, non esse sibi quaestui perspexisset, illustrare honoribus amplius noluit: Ut, Roberto Kylwarby & Johanne Peckham, qui ex ea scaturigine ad sedem archiepiscopalem manabant, defunctis, laeti monachi declamitarent, fratres & praedicatores, sole atque luna ex illorum mundo sublatis, extinctos esse & tenebris obrutos, dignitatumque luce non amplius fulgere. Atque his monachis, ut in Roberto Winchelsey supra dictum est, libera eligendi facultas permittebatur; sed, cum, eo defuncto, ad alium Archiepiscopum eligendum ventum esset, papa, ut saepe solebat, potestatis suae plenitudinem, repudiatis illis atque contemptis, declaravit. Illi enim Thomam Cobham sacrae theologiae professorem, praebendarium ecclesiae cathedralis Eboracensis & decanum Sarisburiensem, singulorum conspirantibus suffragiis elegerunt; virum pietate ac doctrina adeo insignem, ut non alio nomine quam " bonus clericus" ab omnibus passim vocaretur. Hic electus Romam a papa inaugurationem petiturus profectus est. Sed Edwardus rex secundus, qui Walterum Raynold Wigorniensem Episcopum, ob singularem erga se fidem & in procerum diffidiis sedandis prudentiam, ex omnibus regni Praesulibus maxime adamavit, praemissis ad papam celeriter nunciis, effecit; ut, monachorum reprobata electione, Walterus Raynold papalis vocis oraculo Cantuariensis Archiepiscopus pronunciaretur. Quod oraculum e Romana spelunca editum, tribus, ut aiunt, bullis comprehensum, in praesentia cleri in templo Arcuato Londini publicatum est secundo nonas Januarii. Sed Thomas electionis suae causam

[Margin notes: Florileg. — An. 1313. — Arch. — Walsing. — Adam Murimutensis.]

Romae

Ab An. Chr. MCCCXIII.

Ad An. Chr. MCCCXXVII.

Romae aliquandiu defendit; donec judices, quos etſi non propitios, tamen aequos, habere debuiſſet, adeo irritaſſet; ut non modo de victoria deſperaret, ſed vindictam aliquam & injuriam pertimeſceret: Nam papa multis eum & ſuis & regiis minis perterreſecit, aſſeruitque ſe Cantuarienſis Archiepiſcopatus proviſionem, ante Roberti Winchelſey mortem, ſibi reſervaſſe; ideoque ſua gratia & beneficio, non monachorum electione, cuiquam eſſe tribuendum. Itaque Thomas Cobham cauſae atque juri renuncians, ne in Angliam quidem, regem metuens, redire auſus eſt; donec intercedente Waltero cum rege rediit in gratiam, & Wigornienſis Epiſcopus creatus eſt. Walterus autem ab ineunte aetate aulicus & proceribus acceptus fuit. Edwardi primi capellanus rectoriam Wimbledonenſem aſſecutus eſt; deinde ſub Edwardo ſecundo aerariam quaeſturam, & cancellarii munus tanta fide & integritate geſſit, ut ad Wigornienſem Epiſcopatum regis beneficio eveheretur; ejuſque inſtanti, ut diximus, interceſſione, dejecto Thoma Cobham, in Cantuarienſi Archiepiſcopatu a papa poſitus eſt. Sed, ut multis, iiſque probabilibus cauſis elici poteſt, hujus, intercedente rege, ad Archiepiſcopatum promotio, illiuſque Thomae reprobatio, largitione atque corruptela Romana non caruit. Cum enim papa ad Walterum, ex more transferendi, ſcripſiſſet ſe a Wigornienſi eccleſia recedendi, & ad Cantuarienſem Metropolim accedendi, poteſtatem illi contuliſſe; Walterus ſtatuit quoſdam ad Romanam curiam cum ampliſſimis mandatis procuratores; inter quos Adamus Murimutenſis quidam, in jure civili doctus, & Paulinae eccleſiae canonicus, fuit. Hi in procuratoriis mandatis “ grandem pecuniam mutuo ſumptam & acceptam, & in Wal- “ teri uſus Romae conſumptam confiteri; pro eaque reddenda Walterum “ ſtrictiſſimis ſtipulationibus, hypothecis, omnibuſque obligationum gene- “ ribus devincire; omnes etiam uſuras & acceſſiones retardata ſolutione “ praeſtare; nec non quibuſcunque pecuniae non numeratae, in debiti, “ ſine cauſa condictionis, actionis in factum ſubſidiariae, reſtitutionis in “ integrum, dolique exceptionibus, omnibuſque aliis juris ac facti reme- “ diis, quibus tam illicitae actiones & contractus ſimulati poterant elidi, “ renunciare, juſſi ſunt.” Qua ſecuritate cum Romana cupiditas contenta eſſe non poterat, alia procuratio Willielmo de Chyrton archidiacono Gloceſtrenſi miſſa eſt; ut non modo ipſum Walterum, ſed eccleſiam Cantuarienſem, ſuoſque ſucceſſores Cantuarienſes Archiepiſcopos, in quacunque vellet pecuniae ſumma, non incertis creditoribus, ſed papali camerae nominatim, perſolvenda obligaret; deque ea, ſtatuto aliquo die, ſine mora numeranda in animam ſuam juraret: Si in ſolutione tardatum aut ceſſatum fuerit; interdicti, ſuſpenſionis, & excommunicationis ſententias ferri illico a tempore morae promulgandas peteret. Hac promiſſione per procuratorem facta, pallium per eundem procuratorem ad eum miſſum eſt: Quo Charthamiae Idibus Februarii recepto, celeberrimis & copioſiſſimis epulis regi, reginae ac proceribus decimo tertio Kalendas Martii Cantuariae miniſtratis, poſſeſſionem & thronum ſui Archiepiſcopatus ingreſſus eſt. Archiepiſcopatus autem munere ſuſcepto aerariam quaeſturam & cancellariatum depoſuit. Illud munus Waltero Stapleton Exonienſi Epiſcopo, hoc autem Roberto Baldock Middleſexiae archidiacono, rex commiſit. Jamque ad gerendum Archiepiſcopatum Walterus accinctus, veritus ne, quod anterioribus Archiepiſcopis ſaepe contingebat, ut ſua archiepiſcopalis juriſdictio provincialium appellationibus & querelis a Romana curia ſuſceptis impediretur; huic ſuis conatibus maxime obſu-

Arch.

Hic Adam continuavit Hiſt. Ran. Ceſtrenſis.

Verba procurator.

Adam Murimutenſis.

Arch. Walſing.

obfuturo malo muneribus occurrendum putavit. Itaque exemplo Johannis Peckham, de quo ante dictum est, papam, cardinales atque Rotae curiales annuis stipendiis donisque plurimis affecit: de papa expertus id, quod poetae de Jove fingunt:

Placatur donis Jupiter ipse datis:

QUAE largitio octo amplissimis papae concessionibus atque privilegiis remunerata fuit: Prima, ut toto proximo triennio, cohibita interim Suffraganeorum atque praelatorum jurisdictione, totam provinciam Cantuariensem, procuratoribus constitutis, sibi visitare liceat, & procurationes nihilominus integras percipiat: Secunda, ut tam loca religiosa, quam alia quaecunque, firmissimis exemptionis privilegiis & juribus munita a sua visitatione se eximere atque vendicare nequeant: Tertia, ut irregulares ducentos, qui, cum suspensi & excommunicati essent, divina celebrando irregularitatem contraxerunt, dispensando ad priorem statum regulamque restituat: Quarta, ut cum centum clericis aetate minoribus, ideoque ad ecclesiastica beneficia animarum cura praedita inhabilibus, super eo natalium defectu dispenset: Quinta, ut centum homines, ob violentam manuum injectionem in clericos, ipso jure excommunicatos dispensando absolvat: Sexta, ut quadraginta clericis plura ecclesiastica beneficia curata simul retinendi facultatem concedat: Septima, ut quotiescunque ecclesiam aliquam cathedralem vel collegium visitat, dignitatem, praebendam, vel ecclesiam aliquam sibi, cuicunque voluerit conferendam, reservet: Octava, ubicunque ac quotiescunque praedicat, visitat, vel transeundo eleemosynas largitur, aut hospitalitatem edat, criminum centum retroactis diebus perpetratorum veniam fatentibus & contritis concedat. His auctus & locupletatus papalibus privilegiis visitationem exorsus est. Ac Lincolniensem dioecesim omnium, ut saepe diximus, maximam ipse visitavit: Ac huic proximam Norvicensem ingressus a rege, exorto a baronibus motu, avocatus est; eam itaque impeditus alteri visitandam commisit. Interea fratres praedicatores generale capitulum Londini celebrarunt; quo inito libellus facetus convitiis & ludibriis plenus, & in appellationis morem confictus, in eos editus & Paulinae ecclesiae valvis affixus, magnum praetereuntibus risum jocumque commovebat. Illa autem Walteri visitatio mortuo Clemente papa aliquandiu intermissa est: Cui in papatu successit Jacobus de Eusa cardinalis Portuensis, qui se Johannem vicesimum secundum nominavit.

[Marginal notes: An. 1314. Ste. Byrchin. — Adam Murimutensis.]

HIC Lugduni in ecclesia cathedrali coronatus est, Philippo Galliae rege praesente; qui, papa equum insidente, fraenum a loco coronationis ad domum fratrum praedicatorum, ubi papa hospitio acceptus est, manibus tenens incessit pedes. Quo etiam die non aliis, quam clericis, Lugduni equitare permissum est. Huic Edwardus Angliae rex opulenta dona plurima, doctis quibusdam viris ex academia Oxoniensi destinatis nunciis, misit: Quae munera cum gratissime acceptasset, retributionis loco ab Angliae clero vacantium toto proximo triennio beneficiorum primos fructus exegit. Eodem anno, gravissimo inter regem & barones exorto, ut diximus, tumultu Gaucelmus atque Lucas, Romani cardinales, a papa ad eam discordiam componendam in Angliam missi sunt. Qui, cum Dunelmum profecti essent, ut Lodovicum de Bello Monte, natione Gallum, indoctum, atque claudum, cui papa Dunelmensem Episcopatum provisionis titulo contulisset, in ejusdem possessione collocarent, a latronibus in itinere capti atque spoliati fuerunt: Quae quidem calamitas lucrosa illis fuit; quod reversi, cum hanc sibi factam injuriam deplorassent, collecta ad hoc damnum

[Marginal notes: Adam Murimutensis. An. 1315. — An. 1316. — Walsing.]

resar-

reſarciendum grandi a clero pecunia, duplo plus repetierunt, quam amiſerunt. Deinde permultis iiſque ſelectiſſimis ex Epiſcoporum donationibus, beneficiis & dignitatibus eccleſiaſticis ſeſe locupletarunt, paceque nequaquam inter regem & proceres reconciliata Romam referti & opulenti reverſi ſunt. His & ſimilibus proviſionibus, tributis, ac impoſitionibus Angliam oppreſſit ac oneravit papa. Quae in aliis regnis obtinere nulla fraude aut ſeveritate, potuit; ſoli Angli, ſicut boni aſini, quicquid eis imponitur, tolerantes, in his & aliis, quantumvis gravibus, paruerunt. Ac paulo poſt idem papa eam in plurales conſtitutionem edidit, quae in Extravagantibus, quas aiunt, conſtitutionibus immiſcetur, & incipit: "Execrabilis:" Cujus conſtitutionis vi quamplurimis a beneficiis amotis, beneficia ſub Clemente proximo papa multo quam ante vendibiliora fuerunt: Nam diſpenſationes, quas Johannes decreto ſuo reſcidiſſet, renovavit. Quidam tamen hanc fuiſſe papae Johanni ejus conſtitutionis ferendae cauſam dixerunt; quod, conceſſis ei, ut diximus, beneficiorum vacantium fructibus, ea conſtitutione pleraque in Anglia beneficia incumbentibus orbavit. Eodemque anno papa decretalium librum ſeptimum edidit, & feſtum Corporis Chriſti cum magna ſolennitate inſtituit. Illis autem a proceribus in regem concitatis turbis Scoti Angliam invaſerunt ad Eboracum, & Lancaſtriam ubique praedati ſunt: ac Bervicum proditione ceperunt: Sed conciliata cum proceribus pace rex inſtructo exercitu Scotos in ſuos fines ex Anglia repulit, & Bervicum amiſſum recuperavit: Ad quod bellum adminiſtrandum, decimam a clero poſtulavit; qui id ſine papae licentia concedere ſibi nefas eſſe reſponderunt. Ita Adamus Murimutenſis ad papam a rege miſſus eſt. Papa regis cauſa hanc ſolutionem clero facile permiſit; ſed, paulo poſt Epiſcopo Wintonienſi mortuo, papa Epiſcopatus collationem ſibi reſervavit, eumque Rigaldo cuidam ſuo in Anglia nuncio, rege invito & irato, contulit. Qui a Londinenſi Epiſcopo, quoniam Walterus Cantuarienſis regi fidus noluit, in monaſterio ſancti Albani conſecratus eſt. Interea Walterus illam celebrem viſitationem, quam Clemente mortuo intermiſit, jam accepta nova a Johanne poteſtate, peregit: Nam ſolus Londinenſis Epiſcopus ei appellando reſtitit: quo ejuſdem papae reſcripto ſuperato & in poteſtatem Walteri remiſſo, reliqui humiliati ſunt. In qua viſitatione indulta ſibi, quae ante commemoravimus, privilegia, a Londinenſi eccleſia exorſus, in qua capellano ſuo proviſionis titulo opimam praebendam contulit, per procuratores executus eſt. Multas item ſynodos, in quibus regi ſubſidiariam a clero tribui opem popoſcit, celebravit. Sed Oxonii in quodam concilio, quod concilium Oxonienſe ſecundum appellatur, multa jura tulit; inter quae de appellationibus decrevit: Nullam appellationem a gravaminibus, & interlocutoriis, ſed a definitiva tantum ſententia, eſſe interponendam: Quam conſtitutionem Simon Mepham ut iniquam, & multarum a Suffraganeis inferendarum ſubditis injuriarum cauſam, poſtea revocavit. Idem Walterus in alia ſynodo Lamethae celebrata, ad appellationis vires in beneficiorum cauſis moderandas, conſtitutionem tulit aequiſſimam; quomodo fructus beneficii lite pendente ſequeſtrentur: In quo concilio clerus pro ſalario publici praelectoris Hebraicarum literarum in Oxonienſi academia quadrantem ex ſingulis libris eccleſiaſticoram proventuum conceſſerunt. Ac paulo poſt Hugone Spenſer, de quo in Roberto Winchelſey antea dictum eſt, regi conciliato, viro plebi pariter & proceribus inviſo, barones armis ſuſceptis ejus praedia & terras ubique diripiebant. Qui, cum

Adam Mur. Walſing.

Verba Murimut.

An. 1317.

Walſing.

Adam Murimutenſis. An. 1318.

An. 1319.

An. 1320. Arch.

An. 1321.

An. 1322. Adam Mur. Walsing.

regis edicto de armis deponendis non paruissent, proditores & laesae majestatis rei decreto pronunciati sunt. Ita bellum intestinum utrinque paratum est. Ad hoc sedandum bellum cardinales Romani ingressi regnum, cum nihil profecissent, commeatu exacto, Romam reversi sunt. Sed superatis tandem baronibus, eorumque quam plurimis capitalibus poenis affectis; Scoti, qui a papae legatis, quia bello desistere noluerunt, excommunicati fuerunt, crebro & confertim in Angliam praedatum irruerunt. Adhaec Franciae rex Edwardum regem Angliae in his turbulentissimis temporibus edicto ad reddendum sibi pro Guasconia homagium in Galliam vocavit. Ad haec tot simul congruentia mala vitanda parliamentum Londini habitum est. In eo etiam de his, qui illius belli a baronibus suscitati rei fuissent, inquisitum est. Inter quos Adam Herefordensis Episcopus a

T. Walsing. Adam Mur.

regiis lictoribus deprehensus, & pro regio tribunali causam de proditione & laesae majestatis crimine dicere jussus est: Ac objectis criminibus multis, pulsatus convitiis & opprobriis, cum diu stupidus obmutuisset, tandem

Verb. Walf.

sic ora resolvit: " Domine rex, vestra regiae majestatis reverentia semper " salva: Ego sanctae ecclesiae Dei minister humilis ac membrum, & Episcopus consecratus licet indignus, ad tam ardua nequeo respondere; nec " debeo absque domini Cantuariensis Archiepiscopi, post summum pontificem mei directi judicis, & aliorum patrum Episcoporum, meorum pa- " rium, conniventia vel consensu." Quo dicto Archiepiscopi & Episcopi, qui interfuerunt, assurgentes regi pro collega suo intercesserunt: cumque rex exorari noluit, totus clerus Episcopum a regis judicio subeundo, tanquam ecclesiae membrum, vendicavit. Quorum actus clamoribus rex eum Cantuariensi Archiepiscopo custodiendum, alias de criminibus responsurum, tradidit. Sed paulo post regio jussu iterum captus & ad regium tribunal ductus est. Qua re Episcopis, qui tum pene omnes Londini fuerant, nunciata, Cantuariensis, Eboracensis, & Dublinensis, Archiepiscopi, crucibus erectis, decem aliis Episcopis magnaque hujusmodi caterva comitati, ad locum judicii magna celeritate contendunt: Quorum adventu fugatis ministris regiis confratrem & Coepiscopum suum a cunctis derelictum atque solum in custodiam suam susceperunt: Eoque abducto illico sub anathematis poena dixerunt, ne quis manus ei violentas adferre praesumat. Rex hac cleri audacia commotus, eo absente, inquisitionem de suis perpetratis legitimam instituit: Ita convocatis laicis, nam clerici saecularibus, praesertim capitalibus, judiciis adesse tum ne regia authoritate adduci aut cogi poterant, proposuit crimina, quae certis jam distincta formulis & articulis ante Herefordensi Episcopo objecisset: eos jurejurando astrictos jussit, ut inquisitione per legitimas conjecturas factique evidentiam ex juris

Walsing.

praescripto habita, reque tota inter se perpensa & communicata, quid de articulorum veritate crederent, communi responso referrent. Illi, sive metu regis, sive Episcopi odio, sive rei veritate aut probabilitate ducti respondent, Episcopum Herefordensem omnium criminum in articulis comprehensorum sibi reum videri. Quo responso approbato rex Episcopum proscripsit, praedia & terras in suam custodiam cepit, bonis omnibus spoliavit. Sed Episcopus ex omnium Archiepiscoporum & Episcoporum consensu sub tutelâ Cantuariensis Archiepiscopi, qui regi eum tandem reconciliavit, delituit. Hic post creatos in Anglia Episcopos primus laicalia judicia subiit: Cujus rei atrocitas postea, ut in Johanne Stratford dicemus, permixtis, in criminalibus judiciis, clericis atque laicis aliquantulum mitigata est. Cumque jam Walterus Archiepiscopus regis animum multo obsequio leni-

que

que sermone placasset; quia is solus in tam tumultuosis temporibus summa fide regis gratiam & benevolentiam retinuit, & quicquid, aliqua aequitate nixum, postulaverat, sine difficultate obtinere poterat; provocatus est a toto clero, ut, cum rex pecuniariam opem a clero petiisset, pro restituendis pristinis ecclesiae libertatibus atque juribus, hisque in perpetuum confirmandis, cum rege ageret. Archiepiscopus, qui regis animum sensumque ex longa consuetudine perpulchre calluisset, convenire eum de re tanta noluit, antequam clerus suam in regem observantiam aliquo beneficii signo declarasset. Itaque concilium Westmonasterii cum clero habuit. An. 1326. Ibi proposuit de ecclesiae Anglicanae & ecclesiasticarum personarum rerumque suarum perpetua pace, securitate & immunitate procuranda: Tum de Scotis interdicti & excommunicationis sententias a papae legatis promulgatas contemnentibus, & Angliam nihilominus intestinis nuper bellis afflictam quotidie invadentibus, & in omnes sine laici aut ecclesiastici ordinis, aut sexus discrimine immane impieque saevientibus repellendis: Tertio, de illis authoritate legitima puniendis atque corrigendis, qui laicali vi ac potentia, sine authoritate canonica, in ecclesiarum aut dignitatum possessionem clericos inducunt, aut ejiciunt: Quarto, de novo modo colligendi denarios sancti Petri statuendo, & provisione beneficiorum ecclesiasticorum per sedem Romanam facienda; moderatione procurationum cardinalibus papaeque legatis adhibenda; nec non peregrinis ad residendum in his beneficiis, quae in Anglia tenent, compellendis: quibus de rebus Andreas quidam de Brigges a Praelatis Angliae ad papam nuper missus erat: Quinto, ut regi tot externis & intestinis bellis exhausto subsidii nomine pecunia a clero tribuatur. His postulatis respondit primo morose atque duriter clerus: Cum ecclesiasticorum bonorum custodes essent, saepe se auxilium regium, sed frustra, invocasse: Tum, regem non sua voluntate, sed impiis laicorum suasionibus a clero aversum; ideoque canonicis remediis & censuris resistendum atque pugnandum, ut ecclesia avita libertate fruatur: Scotos vero laicorum opibus, & clericorum precibus, esse repellendos; quibus orantibus, ut elevatis Moysis manibus vincebant hostes Israelitae, ita Anglos fore victores: De laicali autem potentia atque vi in inducendis & deturbandis ecclesiastica possessione clericis, ad canones atque papam, quia alia deficiunt, nec spernantur remedia, esse recurrendum: De aliis autem rebus Andreae de Brigges Romam profecto commissis sibi fas non esse ante ejus reditum respondere: De subsidio concedendo statuere se nihil posse nec audere, quoniam suorum temporum malitia in tam immensum creverat; & continua praestatio decimarum, & beneficiorum vacantium Romano pontifici fructus persoluti, & cardinalibus ac legatis Romanis praestitae procurationes, ita ecclesiasticas opes exhauserant; ut regiis sublevandis necessitatibus ne id tribuere possent, quod libentissimis animis vellent. Sed, paulo post expositis clero suis regi semper ad eum finem, ut ecclesiae Anglicanae tuendae in tam perplexis temporibus utilis esse possit, ministratis observantiis; tum, quam proclivem & facilem regem in ecclesiae utilitatem sensisset, adduxit facile totum in suam erga regem de pecuniario subsidio sententiam clerum. Qua ostensa & indicata cleri in tam adverso tempore benignitate, rex non modo restituit ecclesiae Anglicanae vetera & antiquissima privilegia, sed novis, videlicet, de non exigendis a clero in regis hospitium esculentis, poculentis, & vecturis, ac similibus immunitatibus auxit. Quae, quia typis

In libro inscripto De diversis tract.

Mon. Aug. Dorob.


Ab An. Chr. MCCCXIII. typis expreſſa non ſunt, authoritate, quod dolendum eſt, hoc tempore carent ſua. Ad An. Chr. MCCCXXVII

IDEM Walterus, quod regi gratioſiſſimus fuerit, regis aequiſſima reſponſa ad Prelatorum petita obtinuit: Quae hodie ſub hoc titulo, "Articuli "Cleri," in juribus regni municipalibus typis expreſſa feruntur. In hoc etiam parliamento ad Walteri & Epiſcoporum inſtantiam rex conceſſit, ut nobilium corpora, qui ob bellum antedictum morte crucis affecti ſunt, ſepulturae traderentur. Ab hoc Archiepiſcopo capitulum Exonienſe veniam novi decani eligendi petierunt; qui electus, ante ſuam electionem ab Epiſcopo confirmatam ſibique datam ab eo poteſtatem, decanatum non ſuſcepit.

Ex Archivis.

SUBACTIS baronibus omnia in Anglia pacata & tranquilla fuiſſent; niſi Hugonis Spenſeri odio, quem rex Wintonienſem comitem creavit, regina cum ad pacem cum fratre ſuo Franciae rege componendam, cum filio ſuo Edwardo, miſſa eſſet, redire amplius negaſſet. Quam cum rex cum filio nondum quatuordecim annis nato exhaeredaſſet ac proſcripſiſſet, bellum regi ipſi exitioſum exortum eſt. Nam regina, nuptiis inter Edwardum ſuum filium & Philippam ducis Hannoniae filiam conciliatis, ad vindictam de rege marito ſumendam ope Hannoniae ducis Angliam armis ingreſſa eſt: Cui plerique tam Praeſules quam proceres, quia Spenſeros ferre non poterant, adhaeſerunt. Ipſe Walterus, ſemper animo puſillus & ignavus, in adverſiſſimis regi rebus defecit; & regem ſimulate colens clam pecunias reginae ſuppeditavit. Rex tot bellis & papalibus exactionibus ad eam inopiam redactus eſt; ut, cum in tanto diſcrimine pecunia careret, a papalibus denariorum ſancti Petri collectoribus ducentas ſexaginta libras, cum ipſe abundare debuerat, mutuari cogeretur. Jamque, exercitibus ex utraque parte inſtructis, edicta etiam ab utraque parte contraria promulgata ſunt. Rex reginam cum ſuis: Illa Spenſeros, Robertum Baldock cancellarium, & Exonienſem Epiſcopum theſaurarium, proſcribunt. In hoc tumultu cives Londinenſes hos, cancellarium & theſaurarium, vi capiunt: illum carceribus ac vinculis in nova porta Londinenſi conſtrictum fame ac aegritudine interimunt; hunc captum ſecuri percutiunt atque dilaniant: Spenſeri tandem utrique comprehenſi cum aliis nobilibus ultimo ſupplicio affecti ſunt. Rex in Wallia pene profugus delituit. Interea ab Archiepiſcopo Waltero, qui regem plane deſeruit, Edwardus regis filius Windeſoriae rex creatus & coronatus eſt. Ac paulo poſt Jacobus Berkeley Exonienſis Epiſcopus electus reginae juſſu ab eodem Waltero conſecratus eſt. Papa, qui ejus Epiſcopatus collocationem ſibi reſervavit, metu & iracundia percitus, hunc Archiepiſcopum tanta acerbitate ob ignaviam reprehendit; ut vitae jam pertaeſus, poſtquam tredecim annis, novem menſibus, & viginti diebus ſediſſet, cum ſumma aegritudine animam efflavit, & Cantuariae in auſtrali chori muro ſepultus eſt. In rebus proſperis ſatis moderatus & aequabilis: ſed in adverſis animo infirmiſſimo & abjecto peneque nullo fuit. Manerium de Caldecote cum boſco de Thorlehot dedit conventui eccleſiae Chriſti Cantuariae: Prohibitiones regias, quae tunc, rege inſcio, frequentes e regio criminali foro ab imperitis judicibus manabant, non tam authoritate quam jure ipſo & aequitate, habitis conſultationibus, delevit atque fregit. In homine conſtantia, fides, animi magnitudo deſiderabantur.


P. 325



Walteri Raynold.

Ab An. Chr. MCCCXXVII. — Ad An. Chr. MCCCXXXIII.

LI. Simon Mepham.





ORTUO, ut diximus, Archiepiscopo Waltero ecclesiasticarum rerum potestas, & archiepiscopalis authoritas, penes priorem & conventum Cantuariensem remansit: Hi omnem jurisdictionem in universam Cantuariensem provinciam commonacho cuidam suo, Galfrido de Eton, commiserunt. Sed Londinensis tunc Episcopus huic commissioni se acriter opposuit: quod ex veteris cujusdam compositionis inter conventum Cantuariensem & Suffraganeos quondam initae forma apparuit, conventum duos viros idoneos ad id muneris designare, & Londinensi Episcopo, Cantuariensis provinciae decano, praesentare debere; e quibus unus a Londinensi Episcopo approbandus, & priori atque monachis ad jurisdictionem eorum authoritate suscipiendam remittendus fuerat. Itaque conventus duos nominabat, illum, quem diximus, Galfridum, & Hugonem de sancto Ivone, monachos Cantuarienses ambos. Ex his Galfridus a Londinensi Episcopo approbatus est; accepitque a conventu Cantuariensi ecclesiasticam jurisdictionem plenam; praeterquam in his rebus, quae, archiepiscopali sede plena, Archiepiscopi authoritati essent reservatae. Postea conventus Cantuariensis in episcopalibus sedibus vacantibus officiales seu Spiritualitatis custodes collocavit. Sed decanus & capitulum Exoniensis ecclesiae aliquandiu restiterunt; donec minatoriis Cantuariensis ecclesiae literis pro sua jurisdictione scriptis cesserunt, & Adamum Murimuthensem, de quo in Waltero antea diximus, gratis atque aequis animis, Cantuariensi vacante, tandem spiritualis jurisdictionis in Exoniensi dioecesi vacante custodem admiserunt. Inde huc usque praevaluit ecclesiae Cantuariensis per totam provinciam, Archiepiscopatu vacante, aequalis ac par archiepiscopali potentia. Erat eo tempore prior Cantuariensis quidam Henricus, vir, ut existimari convenit, non minus rerum usu, quam jure ipso prudens, juriumque Cantuariensis ecclesiae, vacante sede, quod ab antecessoribus suis neglecta videbantur, explorator sedulus atque sagax: tum in gerendis ecclesiae rebus assiduus atque solers. Hic paucis mensibus omnem illam intermediam jurisdictionem ante intermissam plene exercuit atque renovavit: De clericis ad ecclesiastica beneficia praesentatis & patronorum jure diligenter inquisivit, electiones confirmavit, intestatorum bona administranda commisit, provocantium appellationes recepit, testamenta actis insinuavit, ab executoribus & administratoribus rationes exegit: inter quos maxime Episcoporum defunctorum testamentorum executores, aut bonorum administratores, interpellavit. Ita, ut Johannis Peckham, ut in ejus vita diximus, testamentum exequentes ad rationes reddendas coegit. Adhaec visitavit, procurationes percepit, synodum

Arch. ex processu elect. Sim. Meph.

Ab An. Chr. MCCCXXVII. — Ad An. Chr. MCCCXXXIII.

dum celebravit, clerum ex mandato regio ad parliamentum citavit: contumaces & in suam jurisdictionem committentes poenis coercuit, beneficia vacantium sedium contulit: adhaec cappas chorales, annulos & sigilla a singulis Cantuariensis provinciae Suffraganeis Cantuariensi ecclesiae vendicavit, omniaque ad archiepiscopalem jurisdictionem per singulas species tam exquisite exercuit, ut nihil fuerit praetermissum, praeter Episcoporum consecrationem, quam cum sua authoritate peragere non poterat. Episcopo Londinensi mandavit & injunxit, ut is, Suffraganeis Cantuariae in Christi ecclesia die quodam statuto congregatis, Menevensem & Bangorensem Episcopos tunc electos & sua authoritate confirmatos, consecraret. Quibus sic consecratis in testimonium & fidem consecrationis literas conventus sigillo sigillatas dedit. Exercitata hoc modo & agnita Cantuariensis conventus, sede vacante, potestate, scriptis ad regem literis petierunt novum pontificem eligendi potestatem: Qua impetrata, in patrem suum & patriarchatus honorem elegerunt Simonem Mepham sacrae theologiae professorem, canonicum Cicestrensem, & in ecclesia cathedrali Landavensi praebendarium, nec non rectorem de Tunstall; de Cantio oriundum, virum sacrarum literarum in illo, ut putabatur, saeculo peritissimum. Cujus electionem cum rex approbasset, prior Henricus & conventus Cantuariensis veriti, ne papa electionem illam rescinderet, provisionisque titulo alium Archiepiscopum crearet, nuncios Avinionem, ubi papa cum sua tunc curia mansit, mittunt. His ampla procuratoria suo nomine singula gerendi, &, ne pecunia deficeret, quantumcunque vellent, mutuum usque ad ducentas marcas sterlingorum Avenioni sub hypotheca omnium suorum bonorum contrahendi dederunt; ea lege & conditione, ut electionem Simonis Mepham a papa corroborari obtinerent. Is tandem donis superatus electionem confirmavit, & Simonem Avinione consecravit. Accepta autem a papa consecratione ad provinciam regendam reversus est.

An. 1327. *Arch. An. 1328.*

Ac primum, cum, ut in Johanne Peckham antea diximus, canonicatus in ecclesia Lugdunensi Cantuariensi sedi archiepiscopali fuerat in perpetuum ascriptus; ad ejus fructus percipiendos procuratorem Richardum quendam de Solbury Eboracensis dioecesis clericum constituit; sicut ex infra scripto procuratorio, quod, ut de jure dicti canonicatus liquere possit, inseruimus, patet.

Ex ipso Autographo.

“ Omnibus, ad quos praesentes literae pervenerint, Simon permis-
“ sione divina Cantuariensis Archiepiscopus totius Angliae Primas salutem
“ in Domino sempiternam. Noverit universitas vestra, quod nos facimus
“ & constituimus procuratorem nostrum dilectum nobis in Christo magi-
“ strum Richardum de Solbury, Eboracensis dioecesis clericum, ad pe-
“ tendum & recipiendum fructus, redditus, proventus, & obventiones
“ quascunque manerii nostri de Quincraco Lugdunensis dioecesis; aulam
“ etiam, aedificia sive manerium nostrum infra claustrum ecclesiae Lug-
“ dunensis situata, necnon emendas & satisfactiones debitas pro damnis
“ datis in eisdem, & ad tractandum & componendum & transigendum
“ super eisdem fructibus, redditibus, damno, & emendis, & ad agendum
“ & defendendum pro eisdem, & ad locandum & arredandum dicta ma-
“ neria & aedificia, & pensionem recipiendum pro eisdem, & ad liberan-
“ dum & acquietandum solventem; necnon ad jurandum de calumnia,
“ & veritate dicenda, & omnia facienda, quae de jure necessaria fuerint
“ in

“ in praemiſſis, vel opportuna; etiam ſi mandatum exigant ſpeciale. Dantes eidem procuratori poteſtatem alium procuratorem ſubſtituendi, & eundem revocandi, quotieſcunque ſibi videtur expedire. Pro eodem etiam procuratore & ſubſtituendo ab eodem rem ratam haberi, & judicatum ſolvi cum omnibus ſuis clauſulis, promittimus omnibus, quorum intereſt, cautionem. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum praeſentibus eſt appenſum. Datum apud Wingham ſexto Idus Martii anno Domini, milleſimo trecenteſimo viceſimo octavo.”

Postea Londini reginam Philippam Edwardi tertii conjugem coronavit: deinde concilium provinciale tenuit; in quo jura quaedam, ut a ſervilibus operis in diebus Paraſceves, Animarum, & Conceptionis, ceſſaretur, & de juriſdictione, ac bannorum matrimonialium editione, condidit. Inter quae, Oxonienſe illud de appellationibus a definitivis tantum ſententiis interponendis decretum tanquam iniquum ſuſtulit. Haec jura in provincialibus Angliae conſtitutionibus adhuc deſcripta ſervantur. In eodem concilio totius cleri conſenſu excommunicati ſunt omnes, qui Walteri Stapleton Exonienſis Epiſcopi trucidationis, de qua in Waltero Archiepiſcopo antea diximus, opera, ope vel conſilio, rei fuerunt. Id quod Polydorus a Johanne Stratford factum eſſe imperite autumat; dum, plus aequo hilaris ac facetus, Simonem Mepham Archiepiſcopum Cantuarienſem fuiſſe oblitus ſit. Hic annus papas congeminavit: Nam, dum curia papalis eſſet Avinione, exortus eſt Romae antipapa Petrus de Corbario, ordinis minorum fratrum: Qui, inſtigante & adjuvante Lodovico Bavariae duce in regem Romanorum electo, ſed a papa repulſo, a Romanis civibus receptus cardinales ac ejuſmodi Romanae curiae miniſtros creavit. Deinde Lodovicum, contra alterius papae interdictum, regem Romanorum in ipſa Romana civitate, a qua alter papa diu exulaverat, coronavit. Ideoque alter alterum maledictis, & diris illis ſolitis cenſuris fulminatis, execratus eſt. Tandem hic Romanus papa potentia & viribus impar, ab illo Avinionenſi utpote valentiori ſuperatus, delicti ſui veniam petiit, papatu ſe abdicavit, & abſolutus ad fratres ignominioſe receſſit. Paulo poſt Rogerus Sariſburienſis & Johannes Bathonienſis Epiſcopi in Anglia mortui ſunt. Ac Sariſburienſis eccleſiae Praeſulem papa Robertum quendam de Wyvill, virum non modo indoctum, ſed invenuſtum, proviſionis praetextu creavit. Sed in Bathonienſi Epiſcopatu Radulphus quidam de Salopia electione aſſumptus, citoque, antequam papa de vacatione comperiſſet, per Simonem Archiepiſcopum confirmatus & conſecratus eſt. Quod cum papa cognoviſſet, citationibus & edictis Radulphum, longiſque in ſua curia dilationibus, vexavit. Tandem tamen de curia Romana ſe redemit; ut rata eſſent facta de ipſo, non ſine magna pecuniae quantitate. Jam enim illa de Epiſcopatibus providendis papalis conſuetudo ad immoderatam licentiam excreverat: Ut Epiſcopatus in Anglia nullus vacaret, cui ille, longe ante prioris Epiſcopi mortem, de ſucceſſore non providiſſe contenderet: Ita & eligendi jura violavit, & Epiſcopatus pro ſuo arbitrio imperitioribus plerumque contulit. Ac priores papae modum ſaltem in hac providendi injurioſa licentia aliquem retinuerunt: Sed iſti poſteriores, juſtitiae finibus ab anteceſſoribus ſuis ſemel violatis, modum in injuria nullum probabant; ſed de omnibus ſine diſcrimine providere coeperunt. Atque, ut plerumque evenire ſolet, ut omnia tum ad ruinam vergunt,

Adam Murimutenſis. Tho. Walſingham.

Adam Murimuth. Walſing.

An. 1329.

Adam Murimutenſis. Walſing.

Verba Marimutenſis.

Ab An. Chr. MCCCXXVII. — Ad An. Chr. MCCCXXXIII.

vergunt, cum ad summum perducta sunt; sic haec papalis providendi impietas, quae omnem jam modum excesserat, legibus, ut post dicetur, a rege Edwardo tertio latis, tandem repressa & coercita est: Ipsumque pontificale culmen, quod supra Deum hominesque elevatum est, jam tandem, ut ex sequenti historia patebit, ad exitium paulatim inclinare & deduci, labentibus annis, coepit. Sed, ut de his provisionibus dicamus, quas tam importune sibi papa vendicavit: Simul atque hic Simon Mepham Archiepiscopatum ingressus est, Thomas Gobham Episcopus Wigorniensis, de quo in Waltero antea diximus, obiit; ad quem Episcopatum Adamum Herefordensem provisionis praetextu transtulit; tum Herefordensi ecclesiae de quodam Thoma Charleton providit. Quid enim in transferendis & conferendis ecclesiis provisionis usurpato titulo papa, si ei permissa diutius libere facultas fuisset, efficere in quocunque regno non potuisset? Literas autem ad Simonem de illa provisione scriptas duximus inserendas; ut liquere omnibus possit, quanta impudentia eam sibi vendicavit.

Adam Mur.

Ex registro Cantuariensi epistolarum ecclesiae, tempore SIMONIS MEPHAM, *Fol.* 46.

" JOHANNES Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Archie-
" piscopo Cantuariensi salutem & apostolicam benedictionem. Ad
" cumulum tuae cedit salutis & famae; si personas ecclesiasticas prae-
" sertim pontificali dignitate praeditas, divinae propitiationis intuitu op-
" portuna praesidii & favoris gratia prosequaris. Nuper siquidem va-
" cante ecclesia Herefordensi pro eo, quod nos venerabilem fratrem no-
" strum Adamum Wigorniensem, olim Herefordensem Episcopum, tunc
" & adhuc apud sedem apostolicam constitutum, a vinculo, quo eidem
" Herefordensi ecclesiae tenebatur, de fratrum nostrorum consilio & a-
" postolicae potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad ecclesiam Wi-
" gorniensem tunc vacantem duximus transferendum, praeficiendo eum
" illi in Episcopum & pastorem. Nos itaque attendentes, quod nullus
" praeter nos de ordinatione ipsius ecclesiae Herefordensis se ea vice in-
" tromittere poterat: pro eo, quod nos, diu ante hujus vacationem ec-
" clesiae Herefordensis praedictae, provisiones omnium ecclesiarum cathe-
" dralium tunc vacantium & vacaturarum in posterum, per translationes
" per nos tunc temporis factas, & ex tunc faciendas, de Praelatis earum
" ad alias ecclesias tunc vacantes & non antea vacaturas, dispositioni no-
" strae duximus reservandas. Decernendo extunc irritum & inane, si se-
" cus super his per quoscunque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoran-
" ter, contingeret attentari. De praeficiendo eidem Herefordensi eccle-
" siae, ne prolixae vacationis expenderetur incommodis, personam valen-
" tem ac etiam fructuosam, per cujus industriam studiosam salubriter pos-
" set regi ac dirigi, & etiam feliciter ac utiliter adaugeri, cogitare coe-
" pimus diligenter; & post deliberationem, quam cum eisdem fratribus
" nostris super hac re tentam habere curavimus, in dictum filium Tho-
" mam de Charleton electum Herefordensem, canonicum Eboracensem, in
" sacerdotio constitutum, juris civilis professorem, virum quidem, pro-
" ut ex testimoniis fide dignis accepimus, vitae munditia redimitum, de-
" corum,

Ad An. Chr. MCCCXXXIII.

“ corum, elegantia morum, diſcretionis & conſilii maturitate conſpicuum, aliarumque multiplicium virtutum titulis inſignitum, aciem direximus noſtrae mentis: Quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona ejuſdem Thomae electi eidem Herefordenſi eccleſiae de fratrum praedictorum conſilio, authoritate apoſtolica, duximus providendum; ipſumque illi praefecimus in Epiſcopum & paſtorem, curam & adminiſtrationem illius ſibi tam in ſpiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo. In eo, a quo univerſorum chariſmatum dona proveniunt, confidentes, quod praedicta eccleſia Herefordenſis per ipſius electi diligentiae ſtudium fructuoſum, clementia ſibi opitulante divina, votivi honoris & commodi ſuſcipiet incrementa. Ut igitur idem electus in commiſſo praedictae Herefordenſis eccleſiae regimine ſibi facilius proficere valeat, tuus favor eidem fore noſcatur plurimum opportunus; fraternitatem tuam rogamus & hortamur attente, per apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus praedictos electum & eccleſiam Herefordenſem habens pro noſtra & dictae ſedis reverentia propenſius commendatos, in ampliandis & conſervandis juribus ſuis & ipſius eccleſiae eundem electum tui favoris praeſidio proſequaris; quod ipſe tuo fultus auxilio in commiſſo ſibi eccleſiae Herefordenſis praedictae regimine ſe poſſit utilius exercere, tuque divinam miſericordiam, & benevolentiam dictae ſedis exinde valeas uberius promereri. Dat. Avinioni ſeptimo Kalendas Octobris, pontificatus noſtri anno duodecimo.”

Nec minus in Epiſcopatibus, quam in pecuniis, providendis ſedulus hic papa fuit. Cum enim in Lodovicum imperatorem electum, & Romanorum regem ab antipapa, ut diximus, coronatum, bellum ſuſcipiendum decreverat; fructus beneficiorum vacantium quadriennio ſibi reſervavit. Quos cum in Anglia juſſu nutuque ſuo, ut ſolebat, obtinere non poterat; ſaltem ut praedam cum rege participaret, eos regi vir perbenignus & liberalis conceſſit. At Simon Mepham Archiepiſcopus, in cujus tempora haec & ejus generis alia inciderunt, cum mitem & benignam naturae, ut exiſtimabatur, ſuae indolem, quam ſive ſibi ſimulate finxerat, ſive origine ſua acceperat, penitus depoſuerat; jam in monachos Cantuarienſes, quorum gratia ex humili loco in Archiepiſcopatum provectus eſt, & in totam Cantuarienſem provinciam, juriſdictionis ſuae vi ac poteſtate fretus, nimium elatus tandem concidit. Monachos Cantuarienſes de terris atque praediis ſuis primum laceſſivit. Ab his ad papam provocatus eſt. Papa, ut ex minimis tunc ſolebat negotiis, eo tempore Icherium quendam de Concoreto, ſuum in Anglia, Wallia, Hibernia, atque Scotia non legatum, id enim reges ſe inconſultis antea vetuere, ſed nuncium, miſit; illique hanc litem inter Archiepiſcopum & monachos definiendam commiſit. Ille ſuſcepta cauſae cognitione, ſive jure ſive injuria Archiepiſcopum in cauſa principali damnavit: deinde expenſas litis ſeptingentis libris eadem ſententia aeſtimavit; quas, comminatis illis ſolitis papalium cenſurarum poenis, ſolvere die perbrevi ſtatuto, niſi eas ipſo facto ſubire velit, mandavit ac praecepit. Hanc diram ferri ſententiam ab illo papae nuncio nequam, hic noſter Mepham haud ſatis aequo animo tulit. Sed quid, aut contra papae nuncium, aut contra monachos, qui praevaluerunt, ageret? Ab his itaque fractus & debilitatus, multo majora amens adortus eſt. Namque ab infirmis victus voluit cum valentioribus contendere.

Ab An. Chr. MCCCXXVII.

dere. More anteceſſorum totam Cantuarienſem provinciam ſtatuit viſitare: In qua incepta viſitatione parliamentum a rege convocatum eſt: Eoque inchoato cleri concilium ſub Archiepiſcopo celebratum Londini.

An. 1331.

A quo concilio, ſpreto Archiepiſcopo, illico deceſſum eſt, rebus nullis né a rege quidem imperatis, aut ſolicitatis, geſtis. Hoc finito concilio, viſitationem metropoliticam iterum ſuſcepit. Ab ea Johannes Grandiſonus tunc Exonienſis Epiſcopus ad papam, ut ejus viſitationem ſaltem aliqua mora retardaret, appellavit. Erat hic quoque Johannes Grandiſonus origine Cantius, & familiaris Simonis Mepham; ſed ejus juriſdictionem vel ſprevit, vel formidavit; cui, cum jure non potuit, tamen ut potuit ad papam appellando obſtitit. Cum itaque in illa viſitatione Simon Mepham Roffenſem, Ciceſtrenſem, Sariſburienſem, Bathonienſem Wellenſemque dioeceſes metropolitica viſitatione ſecurus tranſiſſet, & Exonienſem viſitaturus, ingredi vellet, Johannes Exonienſis eum militari manu prohibuit: Cumque Archiepiſcopus armis cum Exonienſi congredi ſtatuit; re regi nunciata, literis regiis revocatus, infecto viſitationis negotio, ex illa dioeceſi turpiter & ignominioſe receſſit. Ex hac viſitationis repulſa, & ſuperiori illa monachorum in jure victoria, animo dejectus incidit in aegritudinem: Et cum domum rediens eſſet in itinere, in oppido quodam Maghfield febri lethali contracta duodecimo Octobris obiit.

An. 1332

Ste. Byrchin. An. 1333.


Sedit annis quinque, menſibus ſex, diebus duodecim. Habuit hic Archiepiſcopus in Cantuarienſi provincia ex ſua patria, nempe Cantio, ſex Suffraganeos Epiſcopos: Nempe Johannem Grandiſonum Exonienſem, qui eum aegritudine & furore ad mortem, ut diximus, perculit; Stephanum Graveſend Londinenſem, Henricum Burgherſh Lincolnienſem, Thomam Cobham Wigornienſem, Richardum Swinfield Herefordenſem, & Hamonem Roffenſem. Corpus autem Simonis ſeptimo Kalendas Novembris Cantuariam deductum & marmorea tumba incluſum, ſepulchro traditum eſt, ex parte aquilonari capellae Anſelmi quondam Cantuarienſis Archiepiſcopi.






Simonis Mepham Sepulchrum.

LII. Johannes Stratford.





SAEpe usu venire solet, ut hi, quorum vita recta & cum virtute maxime conjuncta, & laude illustris, & praemiis honoribusque aucta, periculisque aditis laboribusque multis susceptis optime de republica merita fuerit; dum in suspiciosa ac maledica multitudine insidias, quae ab obtrectatoribus intenduntur, vitare non possunt, extrema discrimina ac dimicationes fortunarum atque vitae sentiant. Hujus rei conspicuum spectaculum praebuit Johannes Stratford; Ex Epist. Rich. Dun. cujus solida ac virtute parta laus, in aula, loco sane lubrico & fallaci, invidiae criminationibusque objecta, nisi cum summa tolerantia prudentiaque saepe cavisset, summum sibi exitium interitumque attulisset. De cujus gente atque patria nihil accepimus. Ideoque ab ipsa institutione, primoque in rempublicam & ecclesiam ingressu, demonstrandus nobis est. Juri civili atque canonico adolescens operam dedit: In quibus paucis annis doctus atque prudens evasit: deinde famae celebritate notus ad Lincolniensem archidiaconatum aspiravit: quam jurisdictionem cum prudenter diligenterque aliquandiu administrasset; a Waltero Archiepiscopo, de quo antea diximus, almae curiae Cantuariensi de Arcubus Londoniae decanus & officialis praefectus est. In quo gerendo magistratu non minus jurisperitiam, quam rerum multarum intelligentiam, & acrem atque acutam in dijudicandis & definiendis litibus perspicaciam, declaravit. Ita ingenio, in eo tam felici & tam singulari doctrina exculto, cognito regis Edwardi secundi intimis consiliis adhibitus, ejusque secretarius, fuit. Cujus legatione cum ad Johannem papam Avinioni fungeretur, Wintoniensem Episcopatum morte vacantem, rege inconsulto, Walteri Archiepiscopi intercessione atque gratia, provisionis titulo ab eodem papa adeptus est. Quae res ei magnas molestias atque turbas primo generavit: Namque Robertus Baldock regni, ut diximus, cancellarius, regi Edwardo secundo charus, Wintoniensem Episcopatum tunc ambivit. Quo a Johanne Stratford intercepto, confingere atque comminisci omnes rationes coepit, quibus Johannem Stratford Episcopum Wintoniensem in omnium odium atque invidiam traduceret. Ipse Johannes Stratford, quodam die dominico, in cujus missa, ut ex more pontificio consuetum est, cantabatur versus, "Multae tribulationes justorum &c." Ste. Bytchin consecrationem episcopalis muneris perhibetur accepisse: Eoque quasi vaticinio perculsum dixisse: Nihil sibi praeter molestias in reliqua vita superesse. Nec falsus quidem est: Nam praedictus Robertus Baldock, qui non minus gratia, quam suasione regem huc illuc flectere atque impellere solebat, simul atque Johannes Episcopatum gerere coepit, eum proscribi,

scribi, & Episcopatus praedia in regis custodiam tradi ac ab ejus usibus sequestrari procuravit: Tum variis eum edictis in jus vocavit; quibus propositis, cum Johannes metu delituisset nec in jus venisset, novo & atrocissimo edicto promulgatum est; ne quis Johannem aedibus aut hospitio exciperet, eive alimenta ministraret, aut quocunque nomine aut commercio cum eo contraheret. Has aerumnas anno toto satis moderate toleravit. Tandem Walterus Archiepiscopus cum papae literis, Johannis causam deprecantibus, regem adiit, & sui in Johannem tantopere commoti animi tantaeque saevitiae causas requirit. Rex omnia se Roberto Baldock cancellario suadente statuisse respondit; quoniam Wintoniensis Episcopatus, quem petierat, & ad papam pro Roberto scripserat, Johanni, se ignaro, collatus esset. At Walterus eam tum fuisse papae in providendis Episcopatibus consuetudinem multis exemplis docuit: quae si regi non probaretur; tamen, quia tam diu impune a regibus tolerata sit, ut in totum deinceps edicto aut lege vetaretur, nec tam graviter in Johanne viro docto & prudenti, sine exemplo animadverteretur, petiit. Itaque Walteri oratione rex Johannem in gratiam recepit, & juramento ab eo de fide in regem gerenda praestito, praedia Episcopatus caeteraque ablata jura restituit. Non ei jam amplius in regis gratiam reducto cancellarii, aut cujusvis, malevolentia potuit obesse: Nam rex perspecta ejus in quibusdam, quas obierat, legationibus gravitate atque prudentia, & intimis suis consiliis adhibuit, & summis gerendis regni negotiis praeposuit: quae tanta fide & solertia administravit; ut, rege in maxima & exitiosa, sicut in Waltero antea diximus, pericula atque discrimina adducto, & a suis consiliariis, ipsoque Waltero Archiepiscopo, cui plurimum confidebat, deserto, Johannes tamen ab eo non discederet, nec adversae parti adhaereret; donec tacito quodam reginae & Rogeri Mortimeri, sui consiliarii, judicio neci adjudicatus, atque huc illuc ad latebras quaerendas diu actus est. Tandem Edwardo secundo mortuo, & Spenseris, ac reginae adversariis supplicio deletis, cum nihil in Johannem Stratford criminari potuissent; praeterquam, quod cum Edwardus secundus a suis consiliariis proditus ac projectus esset, hic solus summo studio & integritate fidus permansit; non modo in magnam reginae, & Edwardi tertii regis gratiam receptus, sed regio summo tribunali cancellarius praefectus est. Deinde Simone Mepham Archiepiscopo Cantuariensi mortuo, rex papam literis rogavit, ut Archiepiscopatum Johanni Stratford conferret. Quo cognito prior & conventus Cantuariensis eundem in suum Archiepiscopum postularunt, de necessitate facientes virtutem. Papa, cum Edwardi regis desiderio in Johanne Stratford concessisset; in rebus alienis pluribus gratificandi voluntatem Romano exemplo declaravit: Nam, cum ad Cantuariensem Archiepiscopatum Johannem a Wintoniensi ecclesia transtulisset, Adamum de Orleton Wigorniensem Episcopum, intercedente rege Franciae, ad Wintoniensem Episcopatum traduxit. Id quod Edwardum regem Angliae, qui literis pro alio intercesserat, nec ferre poterat ut Franciae rex, quem suspectum habebat, in sui regni obtinendis Episcopatibus tantum proficeret, temporalia omnia huic papali Episcopo Wintoniensi detrahere movit: eoque magis, quod hic Adamus in legationibus, quas ad regem Franciae obiisset, Franciae magis quam Angliae regi obsequendo majorem dedisse operam suspicabatur. Sed paulo post in parliamento Londini habito, rex ei, clero petente, reconciliatus temporalia restituit: In

Epist. Rich. Dun. Episc.

Ste. Byrch. T. Walsing. Adam Mur. An. 1333.

In quo parliamento rex, obtenta ope pecuniaria a clero atque populo, expeditionem in Terram Sanctam una cum rege Galliae ſe ſuſcepturum promiſit. Ad eam rem Johannes Cantuarienſis Archiepiſcopus ad papam & Franciae regem, ut certus illius ſuſcipiendae militiae dies ſtatueretur, miſſus eſt. In eo itinere a Johanne papa pallium ſibi, Hamone Roffenſi Epiſcopo nuncio, miſſum accepit. [Steph. Byrch. An. 1334.] Tum ejuſdem Johannis papae, ad quem miſſus erat, morte nunciata, illius in Terram Sanctam expeditionis infecto negotio rediit Cantuariam: ubi in feſto Dionyſii ſolita ſpecie atque pompa inthronizatus eſt. Deinde Cantuarienſem eccleſiam, civitatem, atque dioeceſim viſitavit. [Walſing. Adam Mur.] Hieroſolymitana autem expeditio, quae ab Angliae Franciaeque regibus conjunctis copiis erat capeſſenda, a Franciae rege, res novas in Angliam moliente, impedita eſt. Itaque Benedictus papa illas ſexennales decimas in eum uſum a clero ante conceſſas percipi vetuit; perceptas autem reſtitui his, qui eas ſolviſſent, mandavit. Verum in Anglia, cum bellum a Gallo expectaretur, ea decima in cathedralibus eccleſiis repoſita, regi ipſi ad ſumptus bellicos cleri conſenſu donata eſt. Nam Gallus, cum pro Scotis ad Edwardo rege ſaepe oppugnatis interceſſiſſet, [An. 1335.] clam foedere cum illis inito, bellum Angliae regi inferre ſtatuit: Cujus foederis & apparatus ſuſpicione olfacta, Edwardus ob pacem confirmandam Epiſcopum Lincolnienſem, multis comitatum proceribus, ad Gallum legavit: Cui in mandatis dedit; ut, ſi Gallum a pace averſum ſentiret, adiret Lodovicum imperatorem, ut cum eo, aliiſque Germaniae principibus ſummae conjunctionis foedera paciſceretur. Lincolnienſis autem Epiſcopus ex regis praeſcripto, ſimul atque Galli ſimultatem perſpexiſſet, foedus cum Lodovico & Germanis fecit. Hoc pacto foedere, rex cum Johanne Stratford Cantuarienſi Archiepiſcopo, quem prudentiae & fidei plenum cognoverat, de hoc bello Gallico conſilium capit: Is, quia Gallus eum indicta cauſa provocaverat, nec oblatas pacis aequiſſimas conditiones accipere voluerat, ſuadet; ut in hoc bello, ad quod laceſſitus erat, gerendo, regnum Franciae jure haereditario, & cognationis proximitate ad ſe ſpectare, vendicaret: Ita fore, ut ad perpetuum huic adminiſtrando bello ſuppeditandum ſubſidium clerum, populum, omneſque ſui regni ordines ſumma alacritate excitaret. Deinde, ut in militum delectu copioſum exercitum ex viris ad pugnam valentioribus, & ducibus in re militari peritioribus conflaret: Quo comparato & cum omni militari copia inſtructo, ut fecialibus ad Gallum miſſis regnum Franciae ſibi reddi peteret, aut bellum denunciaret: Tum, ut ſine mora trajecto exercitu Gallum aggrederetur, monuit: Seſe enim curaturum, ut, abſente rege, reſpublica recte adminiſtraretur, & neque pecunia, nec alia quaecunque ad bellicos uſus neceſſaria, regi in caſtris aut procinctu occupato deſit. Quo conſilio nihil tam illuſtri & magnifico regi optatius eſſe potuit. Miſſi illico feciales & bellum indictum eſt. Tota jam Anglia atque Gallia magno tumultu laborabant: aliaque regna fama & celebritate tanti belli in varias expectationes adducta ſunt. Papa, tam bello quam pace, rei pecuniariae ſtudens, ad Angliae Franciaeque reges miſit duos cardinales. Hi utriuſque [An. 1337.] regnis peragratis, cum pacem conciliare nequiſſent, ampliſſimam procurationum percipiendarum a papa ſibi in utroque regno datam poteſtatem oſtenderunt: Cujus vi cum multis execrationibus atque diris de ſingulis libris ſolidum extorſerunt: His legatis jam ditatis atque ſaturis, poeta quidam

Anglus tunc temporis, haec carmina de Romana cupiditate lepide confinxit:

Verba Murimut.

Roma capit marcas, bursas exhaurit & arcas:
Ut tibi tu parcas, fuge papas & patriarchas.

EDWARDUS autem Angliae rex paratis jam copiis antequam exercitum trajecisset, parliamentum tenuit; in quo Archiepiscopus Cantuariensis, concilio cleri celebrato, regi decimam triennalem a clero concedi obtinuit. Subsidio jam comparato rex exercitum in Flandriam classe deduxit: Omnem regni curam & gubernationem Archiepiscopo commisit. Ad imperatorem Lodovicum Coloniae agentem tendit. Ibi renovatum foedus nuper ictum fuit; & Edwardus totius imperii vicarius a Lodovico substitutus est. (Walsing.) In primo horum principum congressu, mirari se dixit Lodovicus, cur Edwardus Angliae rex caeterorum regum more non se prostrasset ad sui imperatoris pedes: Cui responsum est: Angliae regem caeteros in hoc anteire reges, quod in sacratione unctus sit. Renovata itaque & confirmata tam honorifica pactione, Edwardus ad exercitum, quem Antwerpiae locavit, rediit. Franciam hostiliter invadit: ad papam eum a bello revocantem de jure suo in Francia haereditario scribit. Interea in Anglia reipublicae negotia a Cantuariensi Archiepiscopo, bellica vero a Sarisburiensi comite, qui Scotis strenuo restitit, gerebantur. Sub quae tempora Stephanus Londinensis Episcopus obiit; in cujus locum Richardus de Bynteworth electus est: qui Ottefordiae a Johanne Archiepiscopo confirmatus, ejusque jussu a Cicestrensi Episcopo Lamethae consecratus fuit. (Adam Mur. An. 1340.) Deinde, duobus tribusve annis in hoc Gallico bello transactis, evenit, ut rex pecunia celeriter egere coepit: Qua destitutus & pene in ipso Martis discrimine enervatus Cantuariensem Archiepiscopum de sua pollicitatione, qua se de nummis toto bello parandis provisurum promiserat, interpellat. Archiepiscopus mirari se ait tantam pecuniam, quae in multos annos suffectura esset, uno aut altero anno abliguriri posse: Tum hortari literis regem, ut malos consiliarios, thesauri sui exhaustores & pecuniarum profusores a se removeret: In tantis enim hisque bellicis negotiis adhibendos regi viros assiduos, frugi atque cautos; pecuniamque, nisi modus & summa cautio adhibeatur, facile dissipari solere. Eodemque tempore Lodovicus imperator foedifragus ad Edwardum Angliae regem imperiose scripsit: ut litem & contentionem de regno Franciae armis & dimicatione motam atque controversam, deposito bello, suae dijudicationi permitteret: Quod cum Edwardus renuisset, Lodovicus imperii Germanici vicariatus munus, violatis & spretis foederibus, revocavit. Sed Edwardus nihilominus in bello contra Gallum suscepto acriter & animose perstitit; (Tho. Walsingham. Adam Murimuth.) donec papa, quem Gallus, hujus belli exitum sibi perniciosissimum fore pertimescens, muneribus praeoccupasset, interjectis suasionibus & minis tam ad regem ipsum quam ad Archiepiscopum Cantuariensem scripsisset; ut a bello desisteret litemque judicio, non vi atque Marte, componeret. Archiepiscopus, qui hujus belli suasor fuerat, cum a tributis & Romanis depraedationibus exhauriri atque labefactari regni vires perspexerat, ut tunc in illa pontificia dominatione pontificibus magis quam regibus parebant, ex papae sententia jam pacis author esse coepit. Id

non

non minus rex indigne tulit, quam regni proceres; ut, cum Marte ſuperior eſſe poſſit, jam Archiepiſcopo deficiente & ceſſante ab eo, quod promiſerat, a legitima Gallicanae haereditatis vendicatione, ad iniquiſſimam cum Gallo pacem invitus & inglorius cogeretur. Omnium jam odium Archiepiſcopus ex hac inconſtantia & mutatione conſilii incurrit. Inter hos Henricus Lincolnienſis Epiſcopus & Galfridus Scroop miles, regis juſtitiarius, occulto quodam diuque diſſimulato in Archiepiſcopum odio, regem atrocius incendunt; eum proditionis & cum Gallo conſpirationis, laeſaeque majeſtatis inſimulant. His criminationibus, & rerum in caſtris neceſſariarum inopia motus rex Angliam clam ingreditur; mediaque nocte in turrim Londinenſem, ne minimo quidem de adventu ejus rumore ſparſo deductus eſt: Ibi conſilium initum eſt; tandemque definitum, ut Archiepiſcopus, & Epiſcopus Ciceſtrenſis regni cancellarius, & Coventrenſis theſaurarius, una cum aliis, a ſatellitibus & lictoribus deprehenſi, ad publicam cuſtodiam, rerum a ſe abſente rege geſtarum rationem redditūri, ducerentur. Mane accedunt ſatellites Lametham: Sed Archiepiſcopus eo pridie deceſſerat: tum Londinum reverſi Coventrenſem & Ciceſtrenſem Epiſcopos cum aliis deſignatis capiunt: Captos ad turrim deducunt: Hoc pervulgato Archiepiſcopus Cantuariam feſtinat: Eum Nicolaus de Cantelupo miles a rege miſſus ſequitur; qui adducto ſecum quodam Johanne Farindon notario publico, ut geſta cum Archiepiſcopo in acta inferret, Archiepiſcopum regis nomine monuit; ut, quoniam is tranſmarinis mercatoribus ſub bonorum ſuorum hypotheca atque pignore ſeſe obligaſſet, de pecuniis reddendis, quas rex ad bellicos uſus mutuo ſumpſiſſet; cumque rex pecuniis, de quibus percipiendis in eo ſummam fidem collocaverat, fruſtratus negotia bellica intermiſiſſet; regiuſque exercitus cum regni proceribus in caſtris, rebus in militia neceſſariis egerent; pecuniam illam aut ſtatim creditoribus, qui regem atque proceres indies interpellaverant, repraeſentaret: aut creditoribus in foro tranſmarino reſponſurus in Flandriam trajiceret, & ſeſe in ipſorum cuſtodiam traderet; donec totum aeris, pro quo ſe obſtrinxerat, eſſet diſſolutum. Hoc explicato nuncio miles praeſente tabellione reſponſum petiit. Archiepiſcopus deliberandum de tantis rebus, antequam reſponderet, ait. Diſcedit illico miles: Jam Cantuarienſis Archiepiſcopus, cum non modo fortunarum, ſed vitae atque capitis, objectum ſibi crimen animadvertiſſet, cum rege multis hinc inde ſcriptis literis egit; ut conſiliarios ſibi ſaniores adhiberet, ut ab adulatoribus & alienae vitae detractoribus caveret, nec bellum foris geſturus pacem domi perturbaret. His literis aliiſque ſuaſoriis modis cum regem pacare non potuiſſet; coepit de integritate atque fide tam in regem quam regnum ſua populo e ſuggeſtu praedicare. Itaque Cantuariae in eccleſia metropolitica, convocata cleri populique concione, hoc thema ex ſcripturis propoſuit: "Non pertimuit principem, & potentia "nemo vicit illum &c." In ea longo varioque ſermone Thomam Cantuarienſem quondam Archiepiſcopum, qui a ſaecularibus negotiis ad eccleſiae regimen ſeſe traduxiſſet, laudavit: Ipſe autem ſe vituperavit; quod omiſſa eccleſiae cura, in rebus regiis procurandis totus & aſſiduus fuerat. Gujus rei pretium, ſe ob ſua in regem & regnum merita in invidiam & capitis diſcrimen adducto, juſtiſſime pertuliſſe cum lacrymis teſtatus eſt: Deinceps autem in eccleſiae regimine ſe vigilantiorem fore promiſit. His peroratis

Ste. Byrchin.
An. 1342.
Ste. Byrchin.
Vide in Tho. Walſing. de his Literis. An. 1340.
Eccl. XLVIII. 13.

peroratis, articulos quoſdam excommunicationum, quibus a ſe vim regiam prohibere voluit, illo tetro & immani more pontificio accenſis & extinctis candelis campaniſque pulſatis, edidit: In his articulis excommunicati ſunt omnes, qui pacem & tranquillitatem regis aut regni perturbarent; laici, qui violentas manus clericis attulerint, qui in eorum praedia, aedes aut bona invaſerint, qui immunitatem eccleſiaſticam violaverint, qui libertates in Magna Charta baronibus conceſſas aliqua machinatione detraxerint, qui crimina falſa in quempiam confinxerint; maxime vero quicunque Archiepiſcopum, vel ſuae provinciae Epiſcopum quemcunque, in regis odium aut iram traxerint, eumve vel eos proditionis aut cujuſquam famoſi & capitalis judicii reos falſo dixerint. His in eccleſia Cantuarienſi publicatis articulis, mandavit Epiſcopo Londinenſi cunctiſque provinciae ſuae Suffraganeis; ut in ſuis eccleſiis atque dioeceſibus eoſdem promulgarent. Rex, ut Archiepiſcopum fulminantem compeſceret, Londinenſi Epiſcopo ſcripſit, ſe bellum tam anceps atque varium Archiepiſcopo ſuadente pro jure ſuo & haereditate ſuſcepiſſe: eum jam, qui author belli fuerat, cum hoſte ſuo Franciae rege conſpiraſſe, ac, tantis ſumptibus inaniter factis, ut juris ſui vendicationem omitteret & exercitum dimitteret, ſuadere: tum, nec ſuum, ut promiſerat, exercitum alere, nec tranſmarinis creditoribus ſatisfacere; a quibus ad bellicos uſus, eo interveniente, grandis pecunia mutuo ſumpta fuiſſet, quique regem atque proceres continuo interpellarent: Ad extremum, regni adminiſtrati rationem ab eo poſcere; quod is callide excommunicationum & cenſurarum ſpecie ſubterfugit. Poſtea venit ad Archiepiſcopum Radulphus Baro de Staffordia miſſus a rege, qui, adductis ſecum Johanne Burton advocato & Johanne Farindon notario publico, regis nomine Archiepiſcopum monuit, ut ad regem ſine mora accederet; ut de hoc bello rebuſque tam Angliam quam Galliam tangentibus una cum caeteris Praelatis & magnatibus deliberare poſſit. Cantuarienſis autem de hac re deliberaturum reſpondit. Paulo poſt a duce Brabantiae ex Flandria legati Cantuariam venerunt: quibus cum Archiepiſcopus ſui copiam non feciſſet; cauſam ſuae legationis in ſcriptis ad crucem excelſam extra portam prioratus Cantuarienſis affixis meridie proponunt: Citari ac in jus vocari a duce Brabantiae Johannem Cantuarienſem Archiepiſcopum, ut in Flandria de debitis regis Angliae, pro quibus obligatus extiterat, in jure reſponderet; ibidem moraturus juxta juramentum in ea parte praeſtitum, donec dominica debita plene fuerint perſoluta. In hac turba rex dedit ad priorem & conventum Cantuarienſem literas, ad earum exemplum, quas prius ad Londinenſem Epiſcopum dederat, ſcriptas; mandavitque, ut publice coram populo atque clero Cantuarienſi recitarentur: Quibus allatis prior & conventus Archiepiſcopum certiorem faciunt, literas apertas oſtendunt. Is die cinerum, advocato populo atque clero, in Cantuarienſi eccleſia ſuggeſtum aſcendit: In ea concione de ſua fide & integritate in regiis rebus gerendis multa dixit: Regias literas, in quibus eum rex multis probris exagitavit, publicari mandavit: tum ſingula crimina & convitia diluit. Poſtea hanc ore editam, reſponſionem in ſcriptis conceptam per totam Cantuarienſem provinciam publicavit. Ad eas rex replicavit: quas literas ex Stephano Byrchington, qui ſolus eas commemorat, hic inſeruimus.

Ste. Byrch.

“EDWARDUS, Dei gratia, rex Angliae & Franciae & dominus Hiberniae Priori & capitulo Cantuariensi, salutem. Veteribus probatur historiis, & ex hiis, quae quotidie geruntur, clarius elucescit, quomodo multi bonitate principum & honore, qui in eos collatus est, in superbiam abutentes, nituntur interdum malitiae suae commentis regum studia laudabilia depravare: Et, ut manifestius, quod dicimus cunctis fidelibus nostris innotescat, a vestra & eorum memoria non credimus excidisse; quod NOS dudum in annis adolescentiae ad regium solium exaltati, in ejusdem suscepto regimine sanis consiliis dirigi cupientes, quia Johannem tunc Wintoniensem, nunc vero Cantuariensem Archiepiscopum, fidelitatis & discretionis virtute credebamus aliis praeminere, ejus consilio super hiis, quae animae nostrae saluti expediunt, & regni nostri augmentum & conservationem respiciunt, spiritualiter & temporaliter usi sumus: Et in tantam familiaritatem est a nobis susceptus, ac illam in se humanitatem expertus, ut PATER noster vocaretur, & adoraretur ab omnibus post regem secundus. Cumque postmodum regnum Franciae ad nos fuisset jure successorio devolutum, & a domino Philippo de Valesio de facto notorie occupatum; idem Archiepiscopus nobis importuna instantia persuasit, cum principibus Alemanniae & aliis contra dictum Philippum foedus inire, & guerrarum dispendiis exponere nos & nostra; promittens & affirmans, quod expensas ad hoc necessarias de terrarum nostrarum proventibus & aliunde quaesitis subsidiis habundanter faceret ministrari: Adiciens insuper, quod solummodo de personis ad bella doctis & strenuis soliciti essemus; quia ipse pecuniam necessariam pro nostris necessitatibus & ipsorum stipendiis efficaciter procuraret. Unde nos, mari transito, manum ad ardua misimus, & circa bellicos apparatus immensas, ut oportet, expensas fecimus; & confoederatis nobis in maximis pecuniarum summis nos obligavimus, de promisso nobis, ut praemittitur, auxilio confidentes. Sed, heu, quoniam in illusoris baculo arundineo, cui juxta sententiam propheticam si innixus fuerit homo, intrabit in manum ejus & perforabit eam, fiduciam posuimus; & subtracto nobis, utinam non fraudulenter, sperato subsidio, necessitate compulsi sub usuris gravissimis quasi importabilia contraximus onera debitorum: & sic retardata expeditione ulteriori, coacti sumus ab inchoatis magnanimiter hostium aggressibus ea vice desistere, & in Angliam remeare: Ubi expositis praefato Archiepiscopo nostris aerumpnis multiplicibus & infortuniis memoratis, convocatoque super hoc parlamento, Praelati, proceres, caeterique fideles ejusdem regni nostri, nonae partis garbarum, agnorum, & vellerum suorum, praeter decimam nobis a clero concessam, tale nobis dedere subsidium; quod, si fideliter collectum fuisset congruo tempore & optentum, ad expeditionem dictae guerrae, debitorum solutionem, & inimicorum confusionem, non modicum adminiculum praestitisset: & forte secundum multorum opinionem verisimiliter suffecisset. Et idem Archiepiscopus ad dicti subsidii collectionem, & aliorum nobis necessariorum subministrationem certam, promisit interponere efficaciter partes suas. Unde ejus promissionibus inhaerentes, resumptis viribus, navigio ad hoc congregato versus Flandriam navigantes, commisso gravi praelio nautico cum ho-

“ ſtibus, qui in noſtram & totius gentis noſtrae Anglorum perniciem conjuraverant, miſericordiſſima illius clementia, “ qui ventis & mari imperat,” non noſtris meritis, optinuimus de tantorum hoſtium multitudine numeroſa victoriam & triumphum. Quo peracto, cum praegrandi exercitu pro jurium noſtrorum recuperatione exinde progredientes caſtrametati ſumus prope civitatem fortiſſimam Tornacenſem; in cujus obſidione aliquamdiu jugiter occupati, & continuatis expenſis & laboribus fatigati, praeſtolantes in ſilentio promiſſum nobis adjutorium, ſperabamus indies miniſterio dicti Archiepiſcopi in tot & tantis noſtris neceſſitatibus relevari. Tandem ſpe concepta fruſtrati, licet per plures nuncios & diverſas literas plene ſignificaverimus praefato Archiepiſcopo, & aliis conſiliariis noſtris ſibi adhaerentibus, noſtras indigentias & pericula varia, quibus expoſiti fuimus propter defectum promiſſi ſubſidii memorati; utilitatem inſuper & honorem, quos ex ſuccurſu pecuniae conſpeximus nos poſſe faciliter optinere: nullum tamen ab eis emolumentum recipere potuimus; qui ſua, non noſtra, negotia curantes & commoda propria procurantes, frivolis excuſationibus & fucatis verborum phaleris ſuam deſidiam, ne dicamus fraudem ſeu malitiam, palliabant; ſimiles illuſoribus, qui, ut ait Yſaias, deridendo ludificant, dicentes: “ Manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi.” “ Unde, proh dolor, factum eſt, ut dum triumphandi ſuper inimicos noſtros arrideret nobis gratioſiſſime ſpes propinqua, praevalente penuria, cogeremur inviti treugis initis conſentire, cum verecunda noſtrae expeditionis retardatione & exultatione non modica aemulorum. Reverſis igitur nobis, in Flandria cum eſſemus pecunia vacui & aeris alieni mole preſſi, nec ſupereſſet quicquam in noſtris vel noſtrorum marſupiis, unde poſſemus neceſſitatibus noſtris conſulere, & debita ſtipendia noſtro obſequio militantibus erogare; compulſi ſumus uſurarum voragine nos inmergere, & humeros ſupponere cumulatis oneribus debitorum. Tandem convenerunt ad nos amici fideles, peregrinationis noſtrae comites & tribulationis participes; cum quibus tractatum habuimus diligentem ſuper optatis remediis, quibus a tanta infortuniorum tempeſtate poſſemus commodius reſpirare: Viſum eſt omnibus praefatae retardationis eventum triſtabilem & egeſtatis noſtrae incommoda multiplicia, culpa vel deſidia, ne dicamus malitia, praefati Archiepiſcopi, de cujus diſcretione tota regni noſtri diſpoſitio pendere videbatur, & caeterorum officialium, quos ejus conſilio ſuper regni negotia conſtituimus, accidiſſe: Et vehementer mirantes, ac contra nos tacite murmurantes, ſuper eo, quod dictam Archiepiſcopi & officialium inſolentiam regia manſuetudo tanto tempore relinquere voluit incorrectam, ſunt publice proteſtati; quod, niſi ſuper hiis faceremus congruum remedium celerius adhiberi, oporteret eos ſe noſtris obſequiis ſubtrahere & ab inito foedere retroire: Et hoc utique in regni noſtri ſubverſionem & noſtram perpetuam ignominiam, & nationis Anglicanae ſempiternum opprobrium redundare: Quod avertat noſtris temporibus clementiſſimi Patris benignitas; in cujus ſoliditate fixa eſt immobiliter anchora ſpei noſtrae. Unde nos ad diſciplinam & correctionem hujuſmodi noſtrorum officialium mentis aciem dirigentes, quoſdam ex eis, quos ex cauſis probabilibus de mala adminiſtratione, juſtitiae ſubverſione, ac ſubditorum noſtrorum oppreſſione, acceptorum munerum corruptione,

D AN. CHR. CCCXXXIII. — AD AN. CHR. MCCCXLVIII.

“ ruptione, ac aliis offensis gravibus suspectos habuimus, a suis officiis fe- “ cimus, prout nobis licuit, amoveri: alios quoque inferioris gradus in “ praemissis culpabiles sub tuta custodia detineri; ne, si libertate solita “ potirentur, supplantaretur, eorum astutia, justitiae executio & deludere- “ tur callide inquisitio veritatis: quam cum ex dicti Archiepiscopi animi “ latebris eo certius & plenius elicere crederemus; quo nichil eorum, quae ad “ informationem nostram in hac parte conferre poterant, ipsum verisimi- “ liter latere debuerat, cui totius reipublicae nostrae administrationem & “ summam rerum gerendarum a multo tempore duximus committendam; “ sibi per fidelem nostrum Nicolaum de Cantelupo ad hoc specialiter de- “ stinatum mandavimus; quod ad nostram praesentiam, qui ejus perso- “ nali colloquio perfrui volebamus, Londinum venire maturius non tar- “ daret. Ipse vero semper tumidus in prosperis, & timidus in adversis, “ trepidans timore ubi non erat timor, mortis sibi periculum per aliquos “ nobis assistentes intentatum & comminatum, si ab ecclesia Cantuariensi “ recederet, imminere minus veraciter allegavit: quia hoc, teste Deo, “ & pura conscientia, nunquam in mentem nostram cecidit, nec alicujus “ nobis assistentis, ut credimus, tetigit cogitatum; quanquam clero & po- “ pulo regni nostri malignitatis suae se merito reddidit odiosum. Nos “ autem, qui cunctos ad nostram praesentiam accedere volentes, praeci- “ pue nostris ob hoc literis vel nunciis convocatos plena volumus secu- “ ritate gaudere: ad convincendam ejus malitiam dilectum & fidelem no- “ strum Radulphum de Stafford, hospitii nostri seneschallum, ad ipsum de- “ stinavimus; ut ei securum conductum offerret & faceret: regias super “ hoc literas patentes sigillo regio consignatas ei fecimus praesentari, ite- “ rato mandantes, quod ad nos personaliter accederet; inchoatam soli- “ citudinem nostram informaturus super regni negotiis, quae longo tem- “ pore gesserat, ut praefertur. Ipse vero precum & mandatorum no- “ strorum lenitate contempta, vultu & animo indignato respondit; quod “ se nostris conspectibus seu colloquiis nequaquam conferret, nisi in ple- “ no parlamento; quod hiis diebus ex causis rationabilibus nullatenus ex- “ pedit convocari.

“ SICQUE idem Archiepiscopus, quem regalis benignitas beneficiis & “ honoribus magnificis ampliavit, & in suae familiaritatis sacramentum “ & unanimitatem amicitiae, & vinculum foederis accersivit; super quem, “ sicut Patrem charissimum, totus noster spiritus & animus requievit; qui “ etiam, dum ejus voluntatibus per omnia acquievimus, sophisticae dilec- “ tionis faciem fuco mendacis benevolentiae palliatam more patris ama- “ biliter nobis praetendere consuevit; subito in vitricum onerosum & gra- “ vem crudeliter est conversus, & beneficiis acceptis ingratus, tumoris “ arrogantia benefactorem persequitur: & illam nobis retributionem im- “ pendit, quam juxta vulgare proverbium”: “ Mus in pera: Ser- “ pens in gremio: Ignis in sinu,” suis consueverunt hospitibus exhibere. “ Nam licet nobis, ad regale fastigium jure haereditario, divina coope- “ rante gratia, sublimatis detestabile semper sit & fuerit abuti potentiae “ magnitudine; qui summis desideriis affectamus clementia & lenitate cum “ moderamine justitiae gubernare subjectos, ut optata cunctis mortalibus “ pace fruantur; ipse tamen nostram innocentiam, ac consiliariorum, & “ officialium nostrorum, regalem justitiam persequentium, fidelitatem & “ diligentiam conviciis lacerat, publice praedicando, & suis literis paten-

“ tibus

“ tibus in diverſis partibus publicari mandando; quod poteſtate regia modernis temporibus contra juſtitiam opprimitur populus, clerus confunditur, & eccleſia variis exactionibus, collectis, & tallagiis praegravatur. Et quia nomen boni paſtoris, quo hactenus ſemper caruit, cum ſit revera juxta communem opinionem & confeſſionem propriam publice, ut fertur, emiſſam notorie mercenarius, fallaciter nititur uſurpare: Fucatum zelum vulpinae calliditatis fuco, perizomate, palliatum, ad liberationem eccleſiae, cujus vexationes, ſi quas in rebus, vel perſonis, noſtro tempore ſuſtinuit, praefati Archiepiſcopi dumtaxat remiſſioni & callidis adinventionibus, ac reprobis conſiliis ſunt veraciter aſcribendae, nequiter ſimulat ſe habere; & quaſdam excommunicationum ſententias, in libertatis eccleſiaſticae, & Magnae Chartae, violatores in genere dudum latas, ad ſugillandum opinionem regiam & praefatos miniſtros regios diffamandos, ac ſeditionem in populo nobis commiſſo proditorie ſuſcitandam, & devotionem comitum, procerum, & magnatum regni noſtri majeſtati regiae ſubtrahendam, ſpecificatis nonnullis articulis, praeter & contra ſolitum modum in concilio provinciali traditum, mandavit per ſuas literas in locis pluribus inſignibus publicari. Quamobrem nos volentes, ut tenemur, integritati famae noſtrae proſpicere, & praefati Archiepiſcopi malitiae obviare, paratoſque nobis & noſtris ab ipſo laqueos cautius declinare, praevidimus, praeter ea, quae ſuperius expreſſa ſunt, ut ad praeſens de multis ejus perverſis actibus taceamus, aliqua deducere in publicam notitionem: nempe ejus improvido conſilio & ſuaſu, in minore aetate conſtituti tot donationes prodigas & alienationes prohibitas ac gratias fecimus exceſſivas, quod per eas aerarium noſtrum totaliter eſt exhauſtum, & fiſcales redditus ſunt enormiter diminuti; ipſumque munerum acceptione corruptum magnas pecuniarum ſummas nobis debitas, quibuſdam, ſine rationabili cauſa, cum id nulla neceſſitas vel utilitas expoſcebat, comperimus remiſiſſe; & plurimos proventus & redditus, qui pro noſtris utilitatibus & neceſſitatibus conſervari debuerant, ſuis ſuorumque uſibus applicaſſe, & aliis perſonis male meritis erogaſſe: qui etiam nedum munerum, ſet etiam perſonarum, acceptor, contra votum ſuum, & praeſtitum nobis fidelitatis ſolitum juramentum, ad officia publica in terris noſtrae ditioni ſubjectis, dignis & bene meritis poſtpoſitis & repulſis, indignos admiſit; multaque alia animo infraenato temere attemptare praeſumpſit, in ſtatus noſtri detrimentum & dignitatis regiae laeſionem, ac populi nobis ſubditi dampnum non modicum & gravamen; poteſtate ſibi tradita & commiſſo ſibi officio abutendo: Quae, ſi in elata obſtinatione & obſtinata rebellione, & contumacia perſtiterit, congruis loco & tempore intendimus apertius declarare. Vobis firmiter injungendo mandamus, quod haec omnia & ſingula, ſingillatim & clare in locis, quibus expedire videritis, publicetis, & faciatis per alios publicari: piam intentionem, quam habemus ad ſubducenda incommoda & promovenda commoda ſubditorum, ipſis, juxta datam vobis a Deo ſapientiam, efficaciter commendantes; & in hiis taliter vos habentes, quod veſtram debeamus ſolicitudinem providam merito commendare. Teſte meipſo apud Weſtmonaſterium decimo tertio die Februarii, anno regni noſtri Angliae decimo quinto, regni vero noſtri Franciae ſecundo.

Excuſatio Archiepiſcopi.

“ REVERENDO domino ſuo Edwardo, Dei gratia, Franciae & Angliae regi illuſtriſſimo, Johannes, permiſſione divina, eccleſiae Cantuarienſis miniſter humilis, ſuus olim temporaliter, nunc autem magis in domino, animaeque & corporis ſalutem, & omni tempore perſeverare in bono, ac reniti viriliter ſuggeſtionibus malignis & pravis, quae corrumpunt faciliter bonos mores. Duo ſunt, quibus principaliter regitur iſte mundus: ſacra pontificalis auctoritas & regalis ordinata poteſtas; in quibus eſt pondus tanto gravius & ſublimius ſacerdotum, quanto & de regibus illi in divino reddituri ſunt examine rationem: Et ideo ſcire debet regia celſitudo ex illorum vos dependere judicio; non illos ad veſtram poſſe dirigi voluntatem. Quis enim dubitat ſacerdotes Chriſti, regum & principum, omniumque fidelium, patres & magiſtros cenſeri? Nonne miſerabilis inſaniae eſſe dignoſcitur, ſi filius patrem, diſcipulus magiſtrum ſibi ſubjugare conetur? Pluriumque pontificum alios reges, alios imperatores excommunicaſſe teſtatur auctoritas canonica ſcripturarum? Et, ſi ſpeciale aliquid de perſonis principum inquiratis, beatus Innocentius Archadium imperatorem excommunicationis mucrone percuſſit, quia conſenſit ſanctum Johannem Chryſoſtomum a ſede ſua violenter expelli. Sanctus etiam Ambroſius Mediolanenſis Archiepiſcopus pro culpa, quae aliis ſacerdotibus non adeo videbatur enormis, Theodoſium Magnum imperatorem excommunicationis vinculo innodavit: Qui poſtea, praeſtita primitus ſatisfactione condigna, meruit ab eodem abſolvi: Et de tempore certiori & loco viciniori, de conſimilibus exempla plurima poſſunt poni: Ideo qualeſcunque pontifices, etſi errore humanitus accidente, non tamen contra religionem fidei ullatenus excedentes, nullatenus videntur a poteſtate ſaeculari poſſe vel debere percelli. Boni ſiquidem & religioſi principis eſt contritas & concuſſas eccleſias reſtaurare, novas aedificare, ſacerdotes Dei honorare & cum reverentia ſumma tueri; ad inſtar feliciſſimae recordationis & pii principis Conſtantini dicentis, cum ad eum fuiſſet delata quaeſtio clericorum: “ Vos a nemine judicari poteſtis, ſaecularium ſcilicet Judicum, qui eſtis ſolius Dei judicio reſervati, juxta aſſertionem Apoſtoli dicentis: Spiritualis homo a nemine judicatur.” Conſideret igitur veſtra ſerenitas, quanta & qualis ſit filii poena divino jure & humano debita & inflicta, patris verenda inhumaniter detegentis, patremque innocentem nequiter diffamantis; cui filius, ut praemittitur, tenetur impendere reverentiam & honorem. Paganorum enim principes, templorum & idolorum ſuorum pontificibus, quos Flamines appellarunt, non modicum honorem exhibuerunt & exhibent ſuo more: Quanto magis Chriſti miniſtros & pontifices revereri tenentur chriſtianorum principes, veri Dei fideique chriſtianae cultores? Sed, proh dolor, ordine praepoſtero & turbato, honor nobis occaſione dignitatis, cui praeſidemus licet indigni, tanquam patri veſtro exhibendus, converſus eſt in opprobrium, devotio in blaſphemiam, & reverentia in contemptum; dum veſtras regias patentes regio annulo ſignatas epiſtolas, quin verius LIBELLOS FAMOSOS, per aemulos & inimicos noſtros amare dictatos & ſcriptos, crimina varia & multa enormia contra nos, in infamiam noſtri, falſo fabricata con-

Ab An. Chr. MCCCXXXIII. — Ad An. Chr. MCCCXLVIII.

“ vitia continentes, ſicut ex ipſorum lectione luculenter poterit appare-
“ re, Suffraganeis omnibus noſtrae Cantuarienſis provinciae, decanis, ab-
“ batibus, prioribus & ipſorum capitulis, aliiſque viris eccleſiaſticis pub-
“ licandos in noſtram, utinam & non divinam, injuriam demandaſtis:
“ Ut ſic ipſorum ſubditorum noſtrorum erga nos devotio tepeſceret, &
“ verteretur obedientia in contemptum. Ex quo inopinabili, ne dicamus,
“ facto deteſtabili, cunctis intuentibus oſtenditur manifeſte, quod regia
“ poteſtas, quae a Domino procedit ſecundum dicta Salamonis regis ſa-
“ pientis: “ Audite reges & intelligite, diſcite judices finium terrae, quo-
“ niam data eſt a Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo eſt infuſa,”
“ ipſum Dominum Deum in perſonis miniſtrorum & ſacerdotum ſuorum
“ non ſolum in divinae legis injuriam judicare praeſumit; ſed contra
“ Dei, legis humanae & rationis naturalis ordinem, patrem ſpiritualem
“ ſuum, & Parem terrae majorem, non vocatum, non convictum, per
“ recordum veſtrum, ut vulgaribus verbis utamur, condemnare videmini
“ inauditum, in animae veſtrae periculum, & noſtrum omnium Parium
“ regni terrae Angliae praejudicium manifeſtum ac pernicioſum exem-
“ plum. Nec quiſquam calumniando cauſetur, quod propter criminis
“ conſcientiam quaeramus ſubterfugia, ne per vos objiciendorum ineamus
“ certamen. Novit enim Altiſſimus, quod prae cunctis mortalibus vos
“ videre corditer affectamus; ut veſtri, regnique pericula, ſubditorum ve-
“ ſtrorum affectiones & corda, adulatione omnimoda circumſcripta, ve-
“ ſtrae celſitudini intimemus, & ut geſta veſtra, utinam laudabilia, aliis
“ cederent in decorem juxta illud ſapientis;

——————*Componitur orbis*
Regis ad exemplum——————

“ Et etiam ut viſa facie noſtra reduceretis ad memoriam ſervitia, quae dum
“ in veſtris egerimus obſequiis, devote & fideliter praeſtitimus juxta animi
“ noſtri conſcientiam; ſic Deus nos adjuvet in examine ultimo, quando om-
“ nes aſtabunt ante tribunal ipſius, recepturi prout geſſerint in ſuo cor-
“ pore, bonum ſive malum; & maxime ut coram vobis, Praelatis, pro-
“ ceribus & Paribus regni famam noſtram epiſtolis & libellis veſtris prae-
“ dictis turpiter laceratam ac etiam ſuggillatam, purgatam, veram &
“ puram, ſicut eſt Deo teſte, duceremus in publicam notitionem. Sed
“ propter quorundam principalium conſiliariorum veſtrorum vobis aſſiſten-
“ tium notorias nobis minas mortis illatas, qui in terra iſta non ſunt ſicut
“ Joſeph in AEgypto, ſed ſicut tyranni dominantur in ſolio his diebus
“ juxta dictum ſapientis: “ Multi tyranni ſederunt in ſolio, & inſuſpica-
“ bilis portavit diadema:” exiſtente ſic gladio in manu furioſorum, non
“ ſuperba elatione vel inobedientia ducti, ſed currenti cedendo furori ip-
“ ſorum, hucuſque ad vos acceſſum noſtrum diſtulimus; nos juſto metu,
“ qui in conſtantiſſimum caderet, excuſante: parati tamen parere veſtrae
“ in omnibus majeſtati, honore Dei & eccleſiae ſuae ſanctae, ſtatu & or-
“ dine noſtris omnibus ſemper ſalvis. Sane ne medii temporis inter-
“ vallo, hujuſmodi tyrannorum poteſtate durante, ad quam evellendam O-
“ riens ex alto vos juvare dignetur, ut impleatur dictum ſapientis: “ O-
“ portebat enim illis ſine ceſſatione ſupervenire interitum exercentibus ty-
“ rannidem,” infamiae noſtrae clamor amplius invaleſcat; ad detegendam
“ innocentiam noſtram, ſingulis articulis in ipſis epiſtolis ſeu libellis famo-

“ ſis

“ sis contentis, non sophistice sed veraciter in forma, quae sequitur, respondemus.

Responsio ad articulum primum.

“ Continent siquidem epistolarum vestrarum praedictarum seu libelli famosi praedicti primordia probris plena: Quod vobis dudum in annis adolescentiae ad regni solium exaltatis, in ejusdem suscepto regimine sanis consiliis dirigi cupientes nostro consilio super hiis, quae animae vestrae saluti expediebant & regni vestri augmentum & conservationem respiciebant, spiritualiter ac temporaliter usi fuistis; quodque postmodum regno Franciae ad vos jure successorio devoluto & a domino Philippo de Valesio de facto notorie occupato, regiae majestati persuasimus importune foedus inire cum Alemannis & aliis pro recuperando jure vestro; quodque solummodo de personis ad arma doctis & strenuis cogitaretis: Quia nos pecuniam necessariam pro vestris vestrorumque necessitatibus & stipendiis efficaciter provideremus; & quia hujus subsidio caruistis ex toto, vos debito gravissimo supponere oportuit usurarum. Ad haec, serenissime princeps, nobis tacentibus & lingua minime palpitantibus facti notorietas congruum novit dare responsum: In principio enim regiminis vestri, dum ecclesiae Wintoniensi praefuimus, quorum consilio regebatur majestas regia, regno constat. Novit enim, qui nihil ignorat, quod cum quaestio de regno Franciae post mortem regis Caroli, fratris serenissimae matris vestrae, in parlamento tunc apud Northampton celebrato, tractata discussaque fuisset; quodque idem regnum Franciae, ad vos haereditario jure extiterat legitime devolutum; & super hoc fuit ordinatum, quod duo Episcopi, Wygorniensis tunc, nunc autem Wintoniensis, ac Coventrensis & Lychfeldensis, in Franciam dirigerent gressus suos, nomineque vestro regnum Franciae vendicarent, & praedicti Philippi de Valesio coronationem pro viribus impedirent; qui juxta ordinationem praedictam legationem eis injunctam tunc assumentes, gressus suos versus Franciam direxerunt; quae quidem legatio maximam guerrae praesentis materiam ministravit: Nulla fuit tunc dispositio nostra penes vos & adolescentiam vestram, vel alios in spiritualibus & temporalibus vos regentes accepta; quia nec tunc de regiis negotiis nos intromisimus quovismodo, sed in curia regia, qua de causa, novit Deus, omnibus fuimus odiosi. Postmodum vero, regalibus mutatis temporibus, ex quo placuit vestrae majestati, quod vestra negotia una cum aliis vestris secretariis tractaremus, pro pace inter duo regna Angliae scilicet & Franciae facienda, considerando animarum, corporum, rerumque pericula ex guerrarum voragine imminentia, institimus toto posse, pluriesque mare propterea transeuntes non absque periculis multis, laboribus & magnis expensis, cum Praelatis variisque proceribus regni vestri ipsius Philippi quaesivimus praesentiam personalem; mensuramque omnem non dicamus sufficientem, sed superhabundantem, ante haec tempora satis publicatam pro pace habenda obtulimus cum effectu. Ipso vero Philippo obturante, more aspidis, aures suas, & nos audire nolente, missi fuerunt ad eundem ex parte vestra duo legati spirituales Episcopi Dunelmensis scilicet, & nunc Wintoniensis, pro pace hujus procuranda; & ex alio latere bonae memoriae dominus Henricus Lincolniensis Episcopus, & Willielmus de Monteacuto & Willielmus de Clynton, nunc comites Sarum & Huntington; qui nec pacem poterant procurare, nec guerrae dilationem aliquam obtinere; sed ipsis nunciis adhuc

“ in

“ in tranſmarinis partibus conſtitutis dictus Philippus de Valeſio commiſſionis varias ad omnes partes ſuas maritimas mox tranſmiſit, ad interficiendum & deſtruendum homines & naves Angliae, ubicunque in mari poterant inveniri; manum armatam nihilominus ad invadendum terram veſtram Vaſconiae cum omni feſtinatione mittendo. Sicque per ipſum Philippum & non per vos guerra inchoata, juxta deliberationem & conſenſum parlamenti veſtri apud Weſtmonaſterium ea occaſione convocati, & non ſolius noſtri, occaſione gravis ſaevitiae & obſtinationis animi indurati Philippi praedicti Anglicos invadentis & menſuram omnimodam recuſantis, & pro jure veſtro in regno Franciae adipiſcendo per dictum Philippum nequiter occupato, cum Alemannis & aliis foedus inire ordinatum extitit & conſenſum. Pro veſtris vero & veſtrorum ſtipendiis in hac parte ſolvendis in conſilio quodam apud Staunford, tunc propterea convocato, cum certis mercatoribus terrae veſtrae nobis praeſentibus conventiones certae factae fuerunt; de quarum forma in cancellaria veſtra apparere poterit ſatis clare: quae, ſi obſervatae fuiſſent, una cum aliis ſubſidiis per clerum & populum in ſubſidium guerrae veſtrae & magnis lanarum cuſtumis, non ſolum noſtro, ſed omni conſiliariorum veſtrorum, arbitrio pro tota guerra hujuſmodi ſuffeciſſent; dum tamen omnia ad hoc ordinata ſubſidia bene diſpoſita & ordinata fuiſſent. Et ſatis novit veſtra majeſtas, quod conventiones praedictae per nos nec violatae nec immutatae fuerunt, quodque ad manus noſtras ſubſidia illa nullatenus devenerunt. Si ergo infortunium aliquod propter defectum pecuniae contigerit, quod nos taedet; hoc illis, qui dictas conventiones fregerunt & dicta ſubſidia male expenderunt & dilapidaverunt, & non nobis, qui portavimus pondus diei & aeſtus, eſt totaliter imputandum; ex eo maxime, quod poſt primum veſtrum tranſitum non remanſimus in hoc regno; ſed cum reverendis patribus dominis cardinalibus & Dunelmenſi Epiſcopo, pro pacis reformatione praedictae in Franciam praeceſſimus ad vos tunc in Brabantia moram facientes; occaſione praedicta eundo & redeundo vicibus iteratis. Et demum dicto pacis negotio tanquam deſperato totaliter derelicto, vobiſcum in Brabantia per aliqua tempora moram traximus, nobis utique ſatis gravem: Veſtraeque neceſſitatis participes effecti pro debitis graviſſimis ſub magna uſurarum quantitate contractis, de quibus in epiſtolis veſtris praedictis plenior fit mentio, una vobiſcum & aliis Praelatis ac proceribus terrae veſtrae, & pro vobis diverſimodas, utinam non in praejudicium ſtatus veſtri, affectione paterna, quocumque periculo circumſcripto, obligationes fecimus valde graves. Sicque, ſereniſſime princeps, non in illuſoris baculo arundineo ſpem veſtram noſtris conſideratis operibus poſuiſtis, ſicut in epiſtolis veſtris memoratis; ſed in baculo firmiſſimo, illi ſimili, in quo Jacob Jordanem tranſivit, & cum duabus turmis glorioſe eſt reverſus. Cum quanta enim gloria vice ſecunda veſtra decorata eſt reverſio, novit mundus: Utinam continuetur ad Dei laudem honoremque veſtrum temporibus ſecuturis.

Ad ſecundum articulum.

“ SUBSEQUENTER etiam mirabile majus nobis imponitur in epiſtolis antedictis: Quod retardata expeditione veſtra ulteriori, coacti fuiſtis ab inchoatis magnanimiter hoſtium aggreſſibus ea vice deſiſtere & in Angliam remeare; convocatoque parlamento Praelati, proceres, caeterique fideles ejuſdem regni veſtri nonae partis garbarum, agnorum & velle-

“ rum

rum ſuorum, praeter decimam vobis a clero conceſſam, pro expeditione guerrae veſtrae ſubſidium conceſſerunt. Ad cujus ſubſidii collectionem & aliorum vobis neceſſariorum ſubminiſtrationem efficaciter promiſimus interponere partes noſtras. Cujus promiſſionis occaſione poſt glorioſiſſimam victoriam vobis in mari a Deo conceſſam caſtrametati juxta civitatem Tornacenſem, in cujus obſidione per aliqua tempora fatigati ſpe recipiendi ſubſidium memoratum, cogente penuria, cogebamini inviti treugis initis conſentire. Sereniſſime princeps, ut cum reverentia devota loquamur: Veſtra non ignorat majeſtas, quod ſubſidium totius nonae partis vobis, ut praemittitur, conceſſum ante tranſitum veſtrum ſecundum, veſtris creditoribus variis pro primo anno de conſenſu veſtro ac totius conſilii veſtri extitit totaliter aſſignatum; prout ex ipſis aſſignationibus luculenter poterit apparere: Et, ut aſſignationes praedictae firmiter ſervarentur, plures poſt tranſitum veſtrum ſecundum literatorie praecepiſtis. Ex quo poteſt manifeſte liquere, quod ad obſidionem praedictam, cujus etiam obſidionis initium ignoravimus, nihil Deo teſte tranſmittere potuimus nec promiſimus deſtinare. Nec imputari nobis potuit dicti ſubſidii retardata ſolutio, cujus terminorum ſatiſfactio in pleno parlamento extitit ordinata: Et ideo his & aliis cauſis nos aliique conſiliarii veſtri praemiſſa plene penſantes, veſtrae nunciaverant majeſtati, quod ſine praeſentia veſtra perſonali vobis ſubvenire minime potuerunt. Non ergo dici potuerunt illuſores conſiliarii veſtri praedicti, dicentes: "Manda remanda, &c." ſed ſervi perfecti & veraces domino: non ficta ſed veriſſima nunciantes; ſecundum illud Evangelii: "Cognoſcetis veritatem & veritas liberabit vos." Et ſic fiet Domino concedente: Modicum etiam, vel nihil, de ſubſidio praedicto ante veſtram ſecundam reverſionem extitit perſolutum; ſed omnia ad miniſtrorum veſtrorum praeſentium manus devenient. Utinam ad honorem veſtrum bene inpoſterum diſponantur.

"ADHAEC, domine metuende, in veſtris inſeritur epiſtolis memoratis; quod reverſis vobis in Flandriam, poſt obſidionem praedictam non fuit aliquid in veſtris vel veſtrorum marſupiis, unde potuiſtis neceſſitatibus veſtris conſulere, & debita ſtipendia veſtro obſequio militantibus erogare: Compulſi fuiſtis uſurarum voragini vos immergere; viſumque fuit amicis veſtris fidelibus & peregrinationis veſtrae participibus hujuſmodi incommoda & infortunia, culpa, deſidia, &, ut praetenditur, malitia noſtra & aliorum veſtrorum officialium contigiſſe; quorum ducti conſilio, ne a veſtro recederent juvamine, remedium volentes opportunum apponere in praemiſſis, quoſdam veſtros officiales amoviſtis: alios ſub tuta cuſtodia detineri feciſtis: credentes per informationem de commiſſis per eoſdem plenius informari. Per dominos Nicolaum de Cantilupo primo, & Radulphum de Stafford hoſpitii veſtri ſeneſchallum ſecundo, nobis poſtmodum demandaſtis, quod ad veſtram perſonalem praeſentiam ea occaſione maturius accedere curaremus; nobis nichilo minus propter timorem varium a nobis praetenſum ſalvi & ſecuri conductus literas regias deſtinando. Nos tamen, precum & regiorum mandatorum lenitate contempta, vultu & animo indignato praetenditur tale dediſſe reſponſum; quod nos veſtris aſpectibus ſeu colloquiis nequaquam offerremus; niſi in pleno parlamento coram proceribus & paribus veſtri regni: Quod parlamentum, ut teſtantur epiſtolae memoratae, certis de

Ad tertium articulum.

 "cauſis

“ causis non expedit facere ista vice. Reverende domine, veritate considerata perspicua praemissorum, levis est responsio ad eadem: Non enim justo judicio nobis imputari potuit in Flandriam vestra reversio; cum nulla, ut praemittitur, nostra praecesserit promissio, & per consequens de fraudis vel negligentiae nostro commento conqueri non poterunt vestro obsequio militantes: novit enim Altissimus, quod tunc & omni tempore, quo vestro operam dedimus officio, fideliter & diligenter vestra prosecuti fuimus, ut praemisimus, negotia & mandata; & juxta vulgare dictum:

Ultra posse viri non vult Deus ulla requiri.

“ De eo vero, quod fideles amici & vestrae peregrinationis comites super his affectant congruum adhiberi remedium; credendum est, prout verba sonant, quod justo praecedente processu, non voluntario sed maturo; ut culpabiles pro culpa poena legitima percellantur. Quod autem clerici a judicio saecularis potestatis exempti, laicique liberi, contra leges & regni consuetudines ac contra formam Magnae Chartae, capiantur & detineantur inviti; quantum qualeque sit eorum facinus, qui haec agunt, non potest esse incognitum regiae majestati; cum pericula animarum ex his contingentia non solum sacris constitutionibus sint expressa; sed per nos & Suffraganeos nostros per totam nostram provinciam Cantuariensem divulgata sint, & tam clero quam populo publicata. Et certe, serenissime princeps, multum timemus, quod processus in terra vestra facti & habiti his diebus, utinam legitimi & maturi, populi vestri corda, quod absit, a vobis avertent, nisi celerius adhibeatur remedium opportunum. Nuncii vero vestri praenominati, qualia ex parte vestra nobis nunciaverunt, &, prout eis placuit, injunxerunt, non possunt esse tacita vel occulta, utputa coram notariis & hominum multitudine publice nunciata: Quorum primus, dominus videlicet, Nicolaus de Cantilupo literas regias credentiae sub secreto sigillo secum deferens credentiamque suam exponens; nobis injunxit, nosque citavit, ut in Brabantiam infra octo dies tunc immediate sequentes pro certis vestris regiis debitis, quibus extitimus obligati, transfretando dirigeremus celeriter gressus nostros; illuc continue moraturi, donec plene solverentur debita supradicta. Sane alius nuncius, dominus scilicet Radulphus de Stafford, quasi peregre proficiscens & nullam secum omnino literam deferens, nobis dixerat nudo verbo: “Cito te, quod te trahas versus regem;” asserens similiter nudo verbo, quod minantium insidias non oportuit nos timere. Si ergo nunciata hujusmodi insertis in epistolis vestris in ea parte clausulis consonantia fuerint, judicet justus judex: Videbuntur cuique circumspecto repugnantia continere, in Brabantiam statim divertere, & in Anglia pro informationibus praemissis obtinendis jugiter permanere. Sciatque vestra serenitas, quod non timor vanus, superbia, inobedientia, contemptus, vel criminis conscientia a faciei vestrae visione delectabili nos retraxit: sed causa justissima superius allegata, aequo libramine ponderata. Et, ut cum reverentia debita & devota loquamur; licet literae regiae conductus ad consilia vestra veniendi, morandi & revertendi sufficientes prima facie viderentur, si ad vestra consilia fuissemus vocati, sicuti non fuimus; eodem tamen die, quo porrectae nobis fuerant literae memoratae, directum fuit Breve

Ad An. Chr. MCCCXXXIII. — Ad An. Chr. MCCCXLVIII.

“ regium vicecomiti Cantii, quod nos venire faceret coram vobis & con-
“ cilio veſtro Londoniae ad reſpondendum ſuper contemptu certo in eo-
“ dem Brevi contento: Quo tamen zelo juſtitiae veſtrae memoratum
“ conceptum fuerat, novit Deus. Licet ergo regius conductus in ſuo ca-
“ ſu liberam nobis recedendi tribueret facultatem; natura tamen Brevis
“ praedicti coactam nobis impoſuit neceſſitatem inimicorum noſtrorum
“ manibus remanendi: Quod non decuit nec decuiſſet regiam majeſta-
“ tem. Semper tamen, ut praediximus, parati fuimus & erimus in prae-
“ ſentia veſtra Praelatorum, procerum ac parium terrae ad objicienda
“ nobis ſingula reſpondere, pariumque judicio per omnia ſine contradic-
“ tione parere; ſtatu noſtro & ordine ſemper ſalvis. Illi autem, qui par-
“ lamenti convocationem impedire nituntur, occaſionem, non cauſam
“ legitimam praetendentes, declarationem conantur effugere veritatis; te-
“ ſtante Veritate, quae dicit: “ Omnis enim, qui male agit, odit lucem.”

“ AD illud autem, quod inſeritur, in epiſtolis memoratis; videlicet, nos *Ad quartum articulum.*
“ regalis benignitatis beneficiis & honoribus magnificis ampliatos; ſuper
“ quem, ut patrem chariſſimum, veſter animus requievit, noſque vobis
“ in vitricum oneroſum crudeliter eſſe converſum, beneficiorum accepto-
“ rum immemorem, & ingratum benefactoremque perſequentem; illam-
“ que vobis retributionem impendimus, quam “ mus in pera, ſerpens in
“ gremio, & ignis in ſinu” ſuis conſueverunt hoſpitibus exhibere. Tacita
“ falſitate, veritate expreſſa, ad ingratitudinem hujuſmodi nobis, ſalva
“ reverentia veſtra, minus veraciter impoſitam & magis ex odio dictan-
“ tis epiſtolam, quam mittentis, taliter reſpondemus: Voce namque di-
“ citur Veritatis: “ Omnis, qui reliquerit propter me patrem vel matrem,
“ uxorem aut filios, domum vel agros, centuplum accipiet & vitam poſ-
“ ſidebit aeternam.” Praemiſſa dicentem invocamus in teſtem; quod a
“ tempore illo, quo veſtris ſpiritualiter inſudavimus obſequiis, in tantum
“ juxta ſcientiam ab Altiſſimo nobis datam cum omni fidelitate, devotio-
“ ne & diligentia, ſicut praemiſimus, negotiorum veſtrorum expeditioni
“ pro honore veſtro & ſalvatione regni veſtri, animum noſtrum dedimus
“ adeo integrum ad eadem; quod non ſolum patrem & parentes, & ux-
“ orem, id eſt, eccleſiam noſtram & filios ſpirituales, domuum & agro-
“ rum noſtrorum emendationem & culturam reliquimus atque curam no-
“ ſtram; ſed die nocteque de vobis & negotiis veſtris ſoliciti multoties
“ tranſivimus noctes inſomnes, noſtris laboribus tranſmarinis & ciſmari-
“ nis aliqualiter non parcentes; utinam non in periculum animae no-
“ ſtrae corpus exinanivimus, & bona noſtra temporalia expendendo quaſi
“ pauperes facti ſumus, amoremque cleri & populi regni veſtri veſtra pro-
“ curando commoda perdidimus; ſicut novit mundus. Et, ſi iſta ſunt
“ facta vitrici, vel parentis, judicet, qui mentiri neſcit, omnipotens verax
“ Deus: vobis enim ſemper fuimus pater gratus, filiis autem noſtris ſpi-
“ ritualibus, quod dolentes referimus, occaſione veſtri vitricus oneroſus.
“ Mus etiam in pera veſtra non fuimus; quia in veſtris obſequiis non ve-
“ ſtra, ſed noſtra, corroſimus; quod ſentimus ſerpentis prudentiam ex-
“ ercendo, non veneni malitiam in gremio effundendo: Ignemque divi-
“ ni amoris & charitatis in ſinu veſtro non comburentem, ſed juxta nobis
“ datum a Domino intellectum, illuminantem affectu ſedulo accendendo.
“ Pro quibus, ex quo deeſt humana retributio, nobis retributionem impen-
“ dat, qui eſt bonorum omnium retributor. Nec noſtram apud Altiſſi-

“ mum

“ mum minuere poterit retributionem regalium beneficiorum ampliatio nobis impoſita, ex malitia, ut convicimus, dictatoris; praeſertim, cum regiam magnificentiam non deceret talia improperia recitare: Non enim per principum ſaecularium quorumcunque collationem vel procurationem beneficiis & honoribus magnificis, quibus hactenus potiti ſumus, aliqualiter ampliamur; ſed per gratam Dei munificentiam, qui de bonis collatis “ nulli improperat & omnibus tribuit affluenter.”

Ad quintum articulum.

“ De illo vero, quod nobis velamine quodam impingitur; regis nos innocentiam ſuorumque conſiliariorum & officialium regalem juſtitiam proſequentium, & fidelitatem & diligentiam lacerare, publice praedicando & literis demandando; quod poteſtate regia modernis temporibus contra juſtitiam populus opprimitur, clerus confunditur & eccleſia variis exactionibus & tallagiis praegravatur. Si praemiſſa veritate nitantur, Altiſſimus bene novit; veſtram namque innocentiam conſervare & aliis publice praedicare mente & ſpiritu ſtuduimus inceſſanter, omni poſtpoſita fictione; pro qua conſervanda Deum hactenus deprecati ſumus & quotidie deprecamur; &, ut ſubditi noſtri pro ſtatu veſtro incolumi conſervando & feliciter dirigendo orationum ſuffragia effunderent, noſtris patentibus literis pluries direximus & in poſterum faciemus. Si tamen quorundam officialium veſtrorum praeſumptione damnabili abſque veſtra, ut credimus, conniventia, contra juſtitiam populus plus ſolito ſit oppreſſus, clerus & eccleſia variis taxationibus & tallagiis praegraventur, ſingulis evidenter apparet: cum jam a viris eccleſiaſticis exigatur, quod nullatenus conceſſerunt. Novis etiam legibus, non voluntariis, & inuſitatis ſic populus veſter regitur his diebus; quod ipſius ſubſtantia vix ad victum ſufficiens ad ultimam, niſi Deus avertat, paupertatem in veſtrum opprobrium deducetur: Nec talia ad veſtram, ſeu veſtrorum officialium, cum in ſpecie nullum nominaverimus, innocentiam lacerandam diximus, propoſuimus, ſeu publicavimus intentione ſiniſtra; ſed, ut per ea regia majeſtas remedium apponeret eo citius opportunum; ne per illicita gravamina populi veſtri afflictio devotionem conſuetam, quod abſit, averteret, amorem in odium divertendo.

Ad ſextum articulum.

“ Et, quia ſerenitas regia imponere nobis pro ſuae literae dictatoris malevola voluntate videtur; quod nomen boni paſtoris, quo ſemper caruimus juxta communem opinionem & confeſſionem propriam, qua nos mercenarium nominavimus, nitimur uſurpare; fucatum zelum vulpinae calliditatis fuco, perizomate, palliatum ad liberationem eccleſiae; cujus vexationes, ſi quas in rebus vel perſonis, veſtris temporibus ſuſtinuit, noſtris dumtaxat remiſſioni & callidis adinventionibus ac reprobis conſiliis ſunt tantummodo aſcribendae. Ad quae reſpondet Veritas, ſicut materia ſubjecta permittit: Nam Veritas bonum paſtorem ſe nominabat dicens: “ Ego ſum paſtor bonus.” Nulluſque alius dicere ſe poteſt paſtorem bonum, teſtante ipſa Veritate, quae dicit: “ Nullus eſt bonus, niſi ſolus Deus.” Si ergo praedicando publice dixerimus nos bonum paſtorem non eſſe, ſed mercenarium; juxta doctrinam diximus Salvatoris dicentis: “ Cum omnia praecepta feceritis, dicite vos ſervos inutiles.” Et ipſa novit Veritas, quod nunquam fallaciter, ſeu alio quaeſito colore, boni paſtoris nomen uſurpare cogitavimus, ſicuti nec ſumus nec eſſe poſſumus; ſed rejectis calliditate vulpina & perizomate, antiqui peccati velamento, tales quales ſumus pro neceſſitatis veſtrae

“ rele-

Ad An. Chr. MCCCXXXIII. — Ad An. Chr. MCCCXLVIII.

relevamine & regni veſtri utilitate, quin potius ſalvatione, quam oculata fide innumeris inſpeximus expoſitam periculis, cum caeteris Praelatis & cleri noſtrae provinciae procuratoribus interpoſuimus jugiter partes noſtras, & concedi procuravimus tallagia & ſubſidia quamplurima in cleri praedicti onus maximum & gravamen; ut ipſorum ſubditorum ſuccurſu hoſtes regis, regni & eccleſiae pellerentur, eccleſia & regnum pacis ſuavitate gauderent; pro quibus, ut videtur, per Vos nulla culpa poſſet rationabiliter nobis impingi, communi proverbio atteſtante:

Si culpent alii: Te me laudare neceſſe eſt.

Ad ſextum articulum.

" SUPER eo vero, quod nobis imponitur; quod quaſdam excommunicationum ſententias in libertatis eccleſiaſticae & Magnae Chartae violatores in genere dudum latas, ad ſuggillandam opinionem regiam, & praefatos miniſtros regios diffamandos, ac ſeditionem in populo regi commiſſo proditorie ſuſcitandam, & devotionem comitum, procerum & magnatum regni veſtri majeſtati regiae ſubtrahendam, mandavimus per literas noſtras in locis pluribus inſignibus publicari. Quia praemiſſa proditionis crimen in caput noſtrum retorquere videntur; quo caſu rex nullus, vel dominus temporalis, judex noſter competens eſſe poteſt, ſicut ſatis ſuperius eſt oſtenſum; proteſtamur palam & publice per praeſentes, quod per dicta vel dicenda in nullo, ſtatui noſtro praejudicare intendimus in hac parte, ſed judicis cujuſcunque ſaecularis examen totaliter declinare. Extrajudicialiter tamen, ad noſtram innocentiam detegendam, bene fatemur nec poſſumus diffiteri, quod excommunicationum quaſdam ſententias, in libertatis eccleſiaſticae & Magnae Chartae violatores & alios a ſanctis patribus olim latas in genere, denunciavimus & per alios fecimus nunciari. Regiam tamen perſonam, reginae & liberorum ſuorum quatenus potuimus, excipiendo ſpecifice atque clare; quibus neminem diffamavimus, cum nullum nominaverimus in eiſdem: Nec per hoc in populi, ſalva dictantis reverentia, ſeditionem proditorie procuravimus, qui vobis in omnibus eſt in praeſenti obediens; nec devotionem ſubtrahi fecimus, qui vobis intendunt per omnia, ſicut decet, prout mundus totus poterit intueri: Sed nobis ille, qui novit omnia, teſtis erit, quod magnates & populares regni veſtri, quatenus nobis fuit poſſibile, ſemper induximus publice & privatim, ut vos intime diligerent, vobis in veſtris agendis promptius aſſiſterent, & vos toto poſſe juvarent; ſicut toti regno veſtro ſatis eſt notum.

" IN fine vero epiſtolarum veſtrarum praedictarum multa videntur contra nos ad ſuggillationem famae noſtrae dicta, propoſita, & generaliter recitata; videlicet, quod vos in minori aetate conſtituti improvido noſtro conſilio donationes prodigas, alienationes prohibitas gratiaſque feciſtis aliquas exceſſivas, ita quod per eas aerarium veſtrum totaliter eſt exhauſtum; ulterius aſſerentes, quod munerum acceptione corruptus magnas pecuniarum ſummas vobis debitas quibuſdam ſine cauſa rationabili remiſiſſem, plurimoſque veſtros fiſcales redditus & proventus noſtris noſtrorumque uſibus applicaſſem, & aliis perſonis male meritis erogaſſem; quodque non ſolum munerum ſed & perſonarum acceptor exiſtens, contra votum noſtrum & praeſtitum vobis fidelitatis ſolitum juramentum, ad officia publica in terris veſtrae ditioni ſubjectis, dignis & bene meritis poſtpoſitis & repulſis, indignos admiſimus; multaque alia animo infraenato temere attentare praeſumpſimus in ſtatus regii de-

trimentum & dignitatis regiae laeſionem, in damnum populi & gravamen; poteſtate nobis tradita & commiſſo nobis officio abutendo.

“ Praemissa iterum proteſtatione praedicta, quia regia majeſtas in praemiſſis perjurium per viam criminis, nobis ut videtur, imponit; qua cauſa judex noſter non eſtis, ſicut nec eſſe poteſtis: Ad generalia tamen generaliter reſpondemus; quod juxta diſcretionem nobis a Deo conceſſam in veſtris exiſtentes officiis, veſtrae regiae majeſtati ſemper fideliter deſervivimus, ſanaque conſilia judicio noſtro vobis dedimus in agendis, donationibus prodigis aut alienationibus prohibitis, gratiiſve exceſſivis ſeu magnarum pecuniarum ſummarum vobis debitarum remiſſionibus ſine cauſa rationabili per vos factis, munerum corruptione, odio, amore vel favore, nullum fallaciter praebentes aſſenſum; ſed honorem veſtrum & commodum in praemiſſis & aliis omnibus pro viribus conſervando: Et quia donationibus variis & remiſſionibus aliquoties viriliter reſtitimus, a regiis ſervitoribus & aliis reportavimus ſaepius malas grates. Et, ſi in ſpecie conſtiterit de praemiſſis ſingulis, congruum ſecundum Deum & veritatem daremus ſpeciale reſponſum. Noſtrae enim memoriae non occurrit ad praeſens, quod donationes magnas aliquas nobis praeſentibus & ſcientibus regia fecerit celſitudo: His dumtaxat exceptis, quas certis comitibus per vos nuper de novo creatis, ex conſenſu parlamenti ſolennis in regio veſtro palatio tunc apud Weſtmonaſterium celebrati, largitione regia contuliſtis: quas tunc credidimus & adhuc credimus, non in praejudicium regium factas eſſe, ſed in veſtri cedere commodum & honorem: Docet enim rerum experientia, qualem locum pro vobis & regno hactenus tenuerunt, quantaque pro vobis paſſi ſunt & patiuntur ad praeſens. De exceſſivis vero gratiis ſeu remiſſionibus regia liberalitate factis non recolimus in praeſenti, niſi de remiſſione debitorum toti populo veſtro Anglicano, in ultimo parlamento veſtro vobis tunc praeſentibus apud Weſtmonaſterium convocato, intelligere voluerit veſtra ſerenitas; quae ea occaſione ex conſenſu regio & totius parlamenti conceſſa fuerat, veſtra majori utilitate penſata, ut terrae communitas nonam concederet ſupradictam: Nec alio modo conſentire voluit dicta communitas ad nonae praedictae ſubſidium faciendum; quod nobis ratione praevia non poterit imputari.

“ Dictis vero generalibus juxta juris exigentiam ſpecialius declaratis, ad declarata reſponſa dabimus ſatis clara: Unum tamen non omittimus, de quo miramur, nobis objectum; quod noſtris & noſtrorum uſibus regios applicavimus redditus & proventus; quia novit in coelo reſidens juſtus Judex; quod nec terras regias, proventus vel redditus aliquos nobis vel noſtris hactenus applicavimus, nec unquam applicare voluimus; ſed in veſtris & parentum veſtrorum negotiis, pro quibus triginta duabus vicibus mare tranſivimus, & verſus Scotiam eundo multoties & redeundo, aliiſque variis veſtris agendis, in tantum de noſtro expendimus; quod de marſupiis noſtris dici potuit, ſicut ſuperius in veſtris epiſtolis recitatur: “ Modicum ibi, modicum ibi.” A principio enim guerrae uſque in diem praeſentem ab aerario regio nihil omnino recepimus, trecentis libris exceptis; ſicque malum contra nos excogitatum proponitur; laborum, expenſarum, & noſtrae gratitudinis nullus memoriter recordatur. Ideo dicere potero cum Job: “ Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior, in ſtatera:” certe quaſi arena maris haec gravior appareret. Perſonarum

" ſonarum acceptatores vero, Domino teſte, nunquam fuimus; ſed regiam utilitatem ſemper praeponere cupientes, ad officia publica quibuſcunque terris & locis regiae ditioni ſubjectis dignos praefecimus & praefici procuravimus; quatenus humana conditio mores hominum ſcire permiſit, juxta ſcientiam & poſſibilitatem deſuper nobis datam, dona vel munera propterea a nemine admittentes. Et, ſiquis dicere voluerit & probare, quod munera vel pecuniam ab aliquibus receperimus, occaſione praemiſſa, parati erimus querelantibus omnibus & etiam ſpecificandis, quandocunque regiae placuerit majeſtati, ſecundum legem regni & conſuetudinem reſpondere: honore Dei, ſtatu & ordine noſtris, in omnibus ſemper ſalvis. Scientes, ſereniſſime princeps, pro conſtanti, quod ſi ſana conſcientia veſtri conſilii arcana nobis revelare liceret; oſtenderemus apertiſſime toti mundo, quibus omnium praemiſſorum defectus, juſto Dei ac hominum veracium judicio, imputari deberet. Haec ad LIBELLUM FAMOSUM praedictum reſponſa ſufficiant in praeſenti; & utinam propter honorem regium nunquam ſcriptus & publicatus fuiſſet: Qui licet famam noſtram ſuggillare & lacerare prima facie videatur; conſideratis tamen intime conſiderandis & ſcriptis in illo, non ſine proditionis regis & regni macula & animae ſuae periculo, juſto judicio, evadere poterunt, qui libellum hujuſmodi dictaverunt, ſeu in his praebuerunt conſilium vel conſenſum, vel in eo contenta ad noſtram injuriam recitarunt, ſeu ad noſtram infamiam publicarunt.

" QUOD corde perfecto majeſtas regia conſiderare dignetur; quam incolumem & ſibi placabilem conſervare Rex ille dignetur, " per quem reges regnant & principes dominantur." Amen.

Literae ſecundae domini regis contra Archiepiſcopum.

" EDWARDUS, Dei gratia, rex Angliae & Franciae & dominus Hiberniae Epiſcopis Angliae, ſalutem. Cicatrix cordium ſuperbia, quae ſemper aſcendit, plerumque generat morbos ex remediis & ex medicina languorem. Et hoc probat Johannis Cantuarienſis Archiepiſcopi praeſumptio faſtuoſa; qui, cum pridem de nobis & noſtris quaedam ſiniſtra, ſicut in literis noſtris excuſatoriis ſuper hoc vobis & aliis nuper directis plenius continetur, publice praedicaſſet; & ea mandaſſet in pluribus locis inſignibus publicari; jam prioribus injuriis injurias cumulans graviores, excuſationes noſtras veras, quas ad medelam laeſae dignitatis & famae regiae providimus noſtris fidelibus intimari, nititur exquiſitis machinationibus impugnare; & per novas literas vobis & aliis noviter deſtinatas calumpnioſo calamo ſtyloque mendaci gravius & durius diffamare. Et licet ſit, de more ſummorum pontificum, cardinalium, & Praelatorum inferiorum, affatus & literas regias reverenter & benigne ſuſcipere; ipſe tamen dictas excuſatorias noſtras juſta & vera, quod congruis loco & tempore clare probare proponimus, continentes, deteſtabiles & LIBELLOS FAMOSOS intitulat, in noſtro nomine maculam falſam ponens; quia, ſi quis gerens ſalutis publicae cuſtodiam, ſcripta probare crimina ſit paratus, ſi aſſertionibus ſuis opitulata fuerit vera fides, a culpa famoſi criminis excuſatur & habetur ex hoc laude dignus. Ipſe etiam, non ſervato more majorum, qui principes ſuos colere ſolent & diligere, & pro eis obſecrationes, orationes, poſtulationes ac gratiarum actiones a ſe & aliis fieri, facere, & ipſos

" inſtruere

Ab An. Chr. MCCCXXXIII. — Ad An. Chr. MCCCXLVIII.

“ inſtruere in ſpiritu lenitatis, contra nos & laterales noſtros, in elationis ſpiritu temerariae factionis & inventionis perverſae telam orditur, iniquitatem ſuam prolongando; Et quaerens ſolatium miſerorum, plures videlicet habere conſortes in poena, & quod deterius eſt, in peccato, Suffraganeos ſuos & alios devotos, & fideles noſtros mendacii ſermonibus in noſtros praecipitare ſatagit irreverentiam & contemptum: Et quamvis apud Deum non gradus elevatior, ſet vitae melioris actio, comprobetur, glorians in altitudine ſtatus ſui, ſibi tanquam Chriſti legato reverentiam exigit; quam nobis a ſe debitam non impendit; quinimmo, cum ipſe & alii regni noſtri Praelati, qui de nobis eccleſiarum ſuarum temporalia recipiunt, ex debito fidelitatis juratae fidem, honorem & reverentiam debeant exhibere; ſolus ipſe pro fide perfidiam, pro honore contumeliam, & contemptum pro reverentia reddere non veretur. Unde, etſi parati ſimus & ſemper fuerimus patres ſpirituales, ut convenit, revereri; eorum tamen offenſas, quas in noſtri & regni noſtri periculum redundare conſpicimus, non debemus conniventibus oculis praeterire. Conqueritur autem idem Archiepiſcopus contra ſe abſentem, inauditum, & indefenſum crimina quaedam in praefatis literis noſtris excuſatoriis objecta fuiſſe, & ſe reum capitalium ſcelerum judicatum; acſi nos, ut fatue praetendit, proceſſerimus criminaliter ad ſummam contra eum; quod utique non eſt verum; cum ſolius excuſatoris vices dumtaxat implevimus, neceſſitate compulſi, ne famam noſtram negligere videremur. Set videat calumpnioſus reprehenſor, ſi in capud ſuum haec querela juſte valeat retorqueri; qui nos regem ſuum & conſiliarios noſtros abſentes, inauditos & indefenſos, nec convictos, oppreſſores & tranſgreſſores jurium falſo & malitioſe verbis aſſertivis deſcripſit; cum nempe merito culpa redarguit, qui reprobatum a ſe crimen incurrit, & in quo alium judicat, ſeipſum condempnat, dum in eodem ipſe reprobus invenitur. Ad haec licet non noſtris utilitatibus, ſet propriis cupiditatibus, ſtuduerit inſervire, improperat tamen & jactitat ſe regiis negotiis, ut verbis ejus utamur, laborum faſtigio deſudaſſe; unde Dei & hominum ſe timet graviſſimas offenſas multipliciter incurriſſe: Et hoc juſte timere poterit; cum in illorum ſorte cenſeatur, qui juxta propheticum improperium, docuerunt linguas ſuas mendacium; &, ut inique agerent, laborarunt. Caeterum, ad alia quaedam fabuloſa & fucata verba in ipſius Archiepiſcopi literis comprehenſa, licet ea poſſemus rationibus luce clarioribus confutare, ne ſermonem protrahamus, duximus ad praeſens non dare reſponſum. Set, quia non decet cum homine contentioſo funem trahere, nec ejus perverſitatibus conſentire; Vobis in fide & dilectione, quibus nobis tenemini, firmiter injungendo mandamus; quod, non obſtante quocunque mandato ipſius Archiepiſcopi, cui in derogationem honoris & juris regii contra fidelitatis juramentum nobis praeſtitum obedire non debetis, ad publicationem eorum, quae in praefatis literis noſtris excuſatoriis continentur, juxta ipſarum ſeriem procedatis. Et quia de conſervatione jurium & praerogativarum noſtrarum regalium, quae progenitorum noſtrorum regum Angliae digne recolenda prioritas magnifice defenſavit, ſumus, ut debemus, ſumme ſoliciti; ac idem Archiepiſcopus ad concitandum contra nos clerum & populum, & ad impediendam expeditionem guerrae noſtrae, quam per ejus conſilium principaliter aſſumpſimus, quaſdam denunciationes & publicationes ſententiarum, excommunicationum, ac monitiones injurioſas ac juri coronae &

Ab An. Chr. MCCCXXXIII. Ad An. Chr. MCCCXLVIII.

“ & regiae dignitati noſtrae praejudiciales, cum per eas nitatur in multis articulis a nobis auferre juriſdictionem nobis notorie competentem, cujus, cum ſimus rex inunctus, capaces eſſe dignoſcimur, & qua nos & progenitores noſtri, ſcientibus & tolerantibus ſummis pontificibus ac Praelatis & clero regni noſtri, uſi ſumus pacifice ab antiquo, fecit & per alios fieri & publicari mandavit, in majeſtatis noſtrae laeſionem & jurium ac praerogativarum noſtrarum regalium derogationem manifeſtam: Vobis diſtricte & ſub incumbenti periculo prohibemus; ne publicationes, denunciationes, ſeu monitiones hujuſmodi indebitas, & juribus ac praerogativis noſtris regiis derogatorias & praejudiciales, vel alia, per quae fideles noſtri contra nos concitari, vel expeditio guerrae noſtrae in ſubverſionem noſtri & fidelium noſtrorum poſſit, quod abſit, aliqualiter impediri, ad mandatum ipſius Archiepiſcopi, vel alterius cujuſcunque, quomodolibet per vos vel alios faciatis, vel, quantum in vobis eſt, ab aliis fieri permittatis. Et, ſi quid per vos in hac parte attemptatum fuerit, celeriter revocetis. Teſte rege apud turrim London. triceſimo primo Martii: anno regni noſtri Angliae decimo quinto, regni vero noſtri Franciae ſecundo.”

HIS ita cedentibus, rex edicto Archiepiſcopum in jus vocavit: Archiepiſcopus non eſſe ſibi tutum, niſi in parliamento coram Praeſulibus & proceribus regni ſe de tantis criminibus purgare reſpondit. Parliamentum itaque convocatum, & protectio regia Archiepiſcopo, ut tute accedere poſſit, data eſt. Cum Londinum veniſſet; Londinenſem & Ciceſtrenſem Epiſcopos ſecreto convenit: Ab his cum magna clericorum & armigerorum multitudine ad regis palatium, ubi parliamentum indictum fuit, ductus accedit: Cui ingredienti occurrunt ſeneſchallus & camerarius regis; qui eum regis nomine parliamentum intrare prohibebant, donec in ſcaccario regis de criminibus objectis judicium ſubiiſſet. Cantuarienſis, ne regem commoveret, venit in ſcaccarium; ibi articulorum, de quibus accuſatio inſtituta fuit, copiam accepit: quibus ſe habita deliberatione matura reſponſurum promittit. Tum cum regis venia parliamentum ingreſſus eſt. Ibi coram cunctis Praeſulibus & proceribus regni ſui ad parliamentum adventus cauſas exponit: Pro honore, juribus & libertatibus eccleſiae, pro commodo & utilitate regni, pro emolumento & honore regis: ad extremum, ut de diverſis criminibus ſibi impoſitis & per totam Angliam publicatis in parliamento ſe purgaret. Eo die nihil actum eſt; ſed, rege jubente, dimiſſo concilio ſinguli receſſerunt. Alio die, cum Archiepiſcopus ingredi parliamentum vellet, a quodam Willielmo Attewood ſatellite regio regis nomine prohibitus eſt; quo facto Archiepiſcopus aſtantes ſic affatus eſt: “Amici, rex me Johannem Archiepiſcopum ad hoc parliamentum ſcripto ſuo vocavit: Et ego tanquam major par regni poſt regem, & vocem primam in parliamento habere debens, jura eccleſiae meae Cantuarienſis vendico, & ideo ingreſſum in parliamentum peto.” Et, cum ingredi a ſatellitibus excluſus non potuit, crucem propriis manibus apprehendit, ac firmiter aſſeruit ſe ab eo loco non receſſurum; donec parliamentum ingrediendi poteſtas ei a rege fiat. Acceſſerunt ad Archiepiſcopum deinde alii minis & maledictis Archiepiſcopum inſectantes: Quibus Archiepiſcopus: “Maledictio, inquit, Dei omnipotentis & beatiſſimae matris ſuae, & ſancti Thomae, & mea, ſuper capita eorum, qui ipſum regem taliter impediunt, veniat; Amen, Amen.” In hac turba proceres

Verba Steph. Byrch.

ceres aliquot a parliamento prodeunt: Quos Archiepiscopus obsecravit, ut regem pro suo & Cantuariensis ecclesiae jure exorare vellent: Illi se id facturos humaniter pollicentur. Interim articuli quidam callide fabricati, &, ut Archiepiscopo populare odium generarent, ubique publicati sunt. Hujus in Archiepiscopum conflictationis authores censebantur Wintoniensis Episcopus, dominus Darcy, & Willielmus de Kyllesby. Sed Wintoniensis rem callide dissimulavit: Hi aperti in inimicitiis fuerunt. Tandem magnatum intercessione atque gratia Archiepiscopus regis venia parliamentum ingressus, de omnibus sibi criminationibus impositis legitime se in parliamento purgaturum obtulit: "Unde electi fuerunt duodecim pares "regni Angliae; videlicet, Londoniensis, Herefordensis, Bathoniensis, & "Exoniensis, Episcopi: Tum Arundeliae, Sarisburiensis, Huntingdonensis, "& Suffolciensis, comites, & Henricus Percy, Thomas Wake, Radulphus "Basset, & Radulphus Nevil, barones; ut hi de criminibus Cantuariensi "objectis deliberarent, regique referrent quid consultius factu sit." Ac paulo post, purgatione nulla indicta aut recepta, omnibus pene parliamenti ordinibus pro Archiepiscopo deprecantibus, rex eum sua sponte legitime purgatum & excusatum pronunciavit; eumque multo magis charum, quam ante, habuit, omnibusque gerendis in Anglia rebus, se in militia absente, praefecit. Hoc dissoluto parliamento rex, subditis hac in Archiepiscopum declarata benevolentia arctissime devincitis, in militia pergit. At Archiepiscopus, postquam has delevisset innocentia sua calumnias, in arcuata sua Londini curia, statuta ab advocatis & procuratoribus aliisque observanda edidit. Tum cleri synodos duas in ecclesia Paulina Londini celebravit; in quibus aequissimas multas constitutiones, quae hodie observantur, tulit. Rex Gallum feroci Marte expilans, postquam biennio bellum gessisset, exercitu in castris relicto in Angliam reversus est, & Westmonasterii parliamentum tenuit. In eo clerus ei concessit decimas triennales; & rex clero vicissim concessit, quod nullus Archiepiscopus vel Episcopus coram justitiariis regis judicium subeat, nisi rex hoc nominatim & specialiter praeceperit: Tum, quod nullus clericus coram justitiariis regis judicium sustineat, sive ad ipsius regis, sive alicujus partis instantiam; si se submittat clericatui, & dicat se membrum ecclesiae sanctae, nec debere ipsis justitiariis respondere. Quod si quis clericus de bigamia accusetur, de eo non fore permissum justitiariis inquirere; sed mittatur curiae christianae. Johannes autem Archiepiscopus, postquam quindecim annis sedisset apud Maghfeld in morbum lethalem incidit: ibi condito testamento omnia in famulos distribuit, atque obiit. Moriens Simonem Islippe sibi in Archiepiscopatu successurum praedixit. In eleemosynis assiduus fuit; singulis diebus summo mane tredecim pauperibus tredecim denarios, tum hora nona aliis tredecim, singulis panem & carnes cum olere coctas, & hora pomeridiana aliis tredecim, singulis panes & denarios largitus est. In subditos benignus & misericors fuit: Cum nemine summo jure agere voluit: Si qui in leges commisissent; cum his dispensare, magis quam poenas exigere, solebat. Ecclesiae Cantuariensi cappam preciosissimam, & mitram peroptimam & libros decretalium atque decretorum dedit. Conventui Cantuariensi annuam pensionem centum solidorum de ecclesiis Preston & Bocton, monasterio de Feversham appropriatis, assignavit. Corpus ejus in crastino beatae Mariae Cantuariam deductum & in ecclesia Christi ad summum altare in australi parte, ad gradus altaris Dunstani, in tumba alabastri honorifice sepultum est.

Verba Steph. Byrch.

Ste. Byrch. An. 1342.


Tho. Walf. An. 1344.

An. 1348.



Iohannis Stratford.

LIII. Johannes Ufford, *vel* Offord.





Post Johannis Stratford mortem, etſi rex Edwardus in caſtris & Gallico bello detentus in Angliam redire ſine ſuo & exercitus incommodo non potuiſſet; tamen omnia pacis atque belli negotia tam prudenter a Johanne Stratford proviſa fuerunt, ut nihil regi, domi foriſve, pertimeſcendum fuit. Id judicavit rex; qui ſimul Walfing. atque audiſſet papam conciliatum Lodovico imperatori fuiſſe, qui ſe invito imperium geſſiſſet, ac utroſque a Gallo ſeductos conſilium iniiſſe, quomodo regem ad pacis conditiones cogerent: "Ineant, inquit, inter ſe, quaſcunque volunt, conditiones; Ego enim "cum utroque dimicare valeo." Quo quidem tempore, papa ſuam in Gallum benevolentiam, a quo multis donis muneribuſque jam affectus eſt, novo quodam & inſigni, ſed inani, titulo declaravit. Namque virum nobilem Lodovicum de Hiſpania, Galli legatum in hoc pacis ac induciarum procurando negotio, creavit in publico conſiſtorio earum inſularum principem, quae in Oceano vicinae Hiſpaniae, Fortunatae dictae ſunt. Earum incolae tunc barbari quidam, feri & immanes, nulla religione aut divino cultu imbuti fuerunt. Lodovicus autem hunc regium titulum laude gratiiſque dignum tunc futurum dixit; cum papa earum inſularum poſſeſſionem pacificam ſibi traderet: Nam in Epiſcopatibus & eccleſiaſticis dignitatibus conferendis poſſeſſionem ſimul atque titulum conceſſit. Quod jus cum in regnis ſibi vendicavit, merito luſus & contemptus eſt. At in Epiſcopatibus providendis reſiſtere jam primum papae proceres reg- Walfing. ni cum rege coeperunt: Namque Ricardo Bury Epiſcopo Dunelmenſi mortuo rex ad papam pro quodam Thoma Hatfield ſuo ſecretario interceſſit: Quem cum plerique indoctum, laicum, & gradu epiſcopali indignum, ad papam criminabantur: Papa, "ſi rex, inquit, pro aſino Verb. Walf. "ſupplicaſſet, obtinuiſſet ad vota iſta vice." Papalis hujus obſequii cauſa haec fuit: Rex cum proceribus paulo ante ad papam ſcripſerat, non licere ei de Epiſcopatibus & eccleſiaſticis beneficiis in Anglia amplius providere. Rex ipſe ſecretarii ſui gratia primus a propoſito, in quo ſe contra papam cum proceribus ſtaturum promiſiſſet, receſſit. Id indigne tulerunt proceres: Ac papa illico regi illa, ut dixit, vice aſſenſus eſt; veritus, ne, ſi contradixiſſet, uſurpatae proviſionis jura amitteret. Namque paulo ante, cum Clemens papa duobus ſuis Romae cardinalibus duo millia annuarum marcarum de beneficiis eccleſiaſticis proxime vacantibus, epiſcopalibus & conventualibus eccleſiis duntaxat exceptis, providiſſet; nec clerus palam contradicere, vix autem occulte hiſcere, auderet; rex magnatibus ſibi junctis has papales exactiones amplius pati noluit; ſed papae proviſores regno diſcedere ſub carceris poena ſine mora mandavit. Quibus ex-

actis,

actis, a papa literis objurgatus eſt: Ad quem viciſſim literas de libertate Anglicanae eccleſiae regia magnificentia & authoritate dignas dedit. Quibus a papa & cardinalibus perlectis obſtupuerunt; nec literis tanta dignitate ac ratione plenis reſpondere potuerunt. Quas, ut ſcriptae atque reſcriptae fuerunt, utraſque inſeruimus.

Epiſtola regi directa pro cardinalibus, quibus PROVISIONES *prius fecerat, expulſis de ſuis proviſionibus.*

“ CLEMENS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei chariſſimo in Chriſto filio,
“ domino Edwardo regi Angliae illuſtri, ſalutem & apoſtolicam
“ benedictionem. Dudum, poſt creationem novorum ſacroſanctae Roma-
“ nae eccleſiae cardinalium, provida & matura deliberatione praevia per
“ nos facta, honoribus Dei & eccleſiae ſuae ſanctae, ac utilitati reipub-
“ licae convenire; quod cardinales ipſi, qui ſuper expediendis negotiis ad
“ alveum Apoſtolicae ſedis undique confluentibus nobiſcum labores & o-
“ nera patiuntur, & haberent congrue, unde ſuis valerent neceſſitatibus
“ ſecundum ſtatus ſui decentiam providere.

“ Demum excogitatis viis & mediis licitis, quibus abſque minori eccle-
“ ſiarum & perſonarum eccleſiaſticarum gravamine hujus proviſio ſequi
“ poſſet; de beneficiis eccleſiaſticis tunc in diverſis regnis in partibus Chri-
“ ſtianitatis vacantibus & in antea vacaturis, uſque ad certam ſummam
“ pro ſingulis eorundem novorum cardinalium, & ſub certis formis & li-
“ mitationibus praefatis cardinalibus diſtinctis, eis, prout expedire vidimus,
“ provinciis gratias fecimus ſpeciales. Cum autem duobus ex eis de du-
“ catu Aquitaniae oriundis, videlicet, dilectis filiis noſtris Adamaro titu-
“ lo ſanctae Anaſtaſiae & Gerardo titulo ſanctae Sabinae, preſbyteris car-
“ dinalibus, de hujuſmodi beneficiis in regno & terris tuis, fili chariſſime,
“ conſiſtentibus in forma pro ipſis & aliis praedictis cardinalibus, cum mag-
“ na deliberatione concilii ordinata, gratias hujuſmodi providerimus faci-
“ endas; ipſique pro eis conſequendis gratiis certos procuratores ac nun-
“ cios ſuos eccleſiaſticos, viros ſcilicet prudentes & literatos, ad partes
“ regni tui Angliae deſtinarent: Ipſi procuratores & nuncii, poſtquam
“ ad regnum pervenientes praedictum inceperunt ibidem dominorum ſuo-
“ rum praedictorum negotia proſequi ſupradicta, per gentes & officiales
“ regios non ſolum impediti ſuper eis, quinimo captivati, & tandem de
“ regno praedicto expulſi cum ignominia, ſicut infeſtis nimis relatibus
“ percepimus, extiterunt. Profecto, fili dilectiſſime, ſi praemiſſa, quae
“ de procuratoribus praedictis praemittimus, veritate nitantur, attenta de-
“ votione ſincera, quam ad dominum & ſacroſanctam Romanam eccleſi-
“ am matrem tuam gerere dignoſceris, ſicut clarae memoriae progenito-
“ res tui reges Angliae geſſerunt, dum in humanis agerent, ea de tua pro-
“ ceſſiſſe conſcientia faciliter credere non valemus. Certum eſt autem, quod
“ non ſolum in regno & terris tuis praedictis, imo quaſi in omnibus reg-
“ nis, & partibus tam propinquis, quam remotis, ubi catholicae fidei viget
“ cultus, aliis novis cardinalibus conſimilem gratiam fecimus; in quibus
“ rebellionem aliquam, praeter praedictam, quam, ſi vera ſit, cum dolore
“ cordis referimus factam, nullatenus audivimus uſquequaque: Satis nam-
“ que honoribus & commodis regiis credebamus & credimus expedire,
“ quod cardinales, & illi maxime, qui naturaliter afficiuntur ad hono-

“ res

“res & commoda tua regia, in regno & terris tuis beneficia obtineant ecclesiastica; quia ex hoc procul dubio libentius & frequentius ad promovendos profectus regios inducuntur; &, utinam illi, qui nutriti de micis ejusdem Romanae ecclesiae, & ad honores & status exaltati per eam, non impedimenta & alia praedicta procurasse, non absque magnae ingratitudinis vitio & aliis suis periculis, verisimiliter existimantur. Ex quibus praeter hoc excommunicationis, & aliis poenis & sententiis promulgatis adversus tales a canonibus se periculose nimium subjecerunt; quae salutis, famae & honoris regii felicia respiciunt incrementa fidelibus intenderunt studiis, & contrarium acceptando nequaquam lucra propria sub manu regia venarentur. Demum regiam rogamus excellentiam & in Domino attentius exhortamur; quatenus hiis, quae praemisimus, & aliis, quae in hac parte circumspectioni regiae possunt occurrere, diligenti praemeditatione intra pectoris regii claustra discussis, ea, quae contra dictos procuratores & quosdam alios praefati Adamari cardinalis ministros, qui postmodum in eodem regno capi & detineri dicuntur, facta fuerunt, reparari & revocari decenter & benigne faciat; ipsosque procuratores regio favore suffultos, circa prosequenda in eodem regno supradicta negotia, plena securitate gaudere pro divina & nostra dictaeque sedis reverentia faciat regia celsitudo; aures non accommodando regias illis, quae aliquam in Dei offensam, ecclesiae praedictae contumeliam, ac honoris salutis & famae tuae culminis laesionem, possent quomodolibet redundare; ut Dominum tibi semper propitium, & sedem praedictam super tuis opportunitatibus constituas promptiorem; rescripturus nobis, fili dilectissime, quae tua regalis circumspectio circa haec providerit ordinanda. Dat. apud Villam Novam Avinionensis dioecesis, quinto Kalendas Septembris, pontificatus nostri anno secundo.

Epistola regis Angliae missa papae Clementi pro LIBERTATE ECCLESIAE ANGLICANAE, *plena fructu; cui pro tunc papa aut cardinales respondere rationabiliter nesciebant.*

“SANCTISSIMO in Christo patri ac domino domino Clementi, divina providentia, sacrosanctae Romanae ac universalis ecclesiae summo pontifici, Edwardus ejusdem gratia rex Franciae & Angliae & dominus Hiberniae, devota pedum oscula beatorum. Pensata sedis apostolicae clementia, quae de fomento devotionis Christi fidelium & animarum salute, solet esse summe solicita, non quaerens, quae sunt sua, set quae sunt potius Jesu Christi; tenet probabiliter nostra fiducia, quod vestra maturitas in specula celsitudinis apostolicae prae claritate meritorum & scientiae divinitus jam erecta, ea, quae decus ecclesiae & devotionem plebis attenuant, ac animarum & rerum pericula comminantur, curabit misericorditer reformare. In publicam autem non ambigimus notitiam pervenisse; qualiter ab exordio nascentis ecclesiae in regno nostro Angliae progenitorum nostrorum regum Angliae, & procerum ac fidelium dicti regni digne recolenda prioritas praeter divini cultus augmentum construxit ecclesias, & ipsas amplis dotavit possessionibus & privilegiis communivit; ponens in eis ministros idoneos, qui fidem catholicam in subjectis sibi linguis & populis feliciter propagarunt; per quorum curam & solicitudinem vinea Domini Sabaoth in cultu

“ & fructu ibidem mirifice foecundavit: Set, quod dolendum eſt, ipſius vineae propagines degenerant in labruſcas, & exterminant illam apri de ſylva, ſingulareſque ferae depaſcunt eam; dum per impoſitiones & PROVISIONES ſedis apoſtolicae, quae ſolito gravius invaleſcunt, ipſius peculium, contra piam voluntatem & ordinationem donatorum, manus occupant indignorum, & praeſertim exterorum; & ejus dignitates & beneficia pinguia perſonis conferuntur alienigenis plerumque nobis ſuſpectis; qui non reſident in dictis beneficiis, & vultus commiſſorum eis pecorum non agnoſcunt, linguam non intelligunt; ſet animarum cura neglecta, velud mercenarii, ſolummodo temporalia lucra quaerunt. Et ſic diminuitur Chriſti cultus, animarum cura negligitur, ſubtrahitur hoſpitalitas, eccleſiarum jura depereunt, ruunt aedificia clericorum, attenuatur devotio populi, clerici dicti regni, viri magnae literaturae & converſationis honeſtae, qui curam & regimen animarum poſſent ſibi ſalubriter peragere, & forent pro noſtris & publicis conſiliis opportuni, ſtudium deſerunt, propter promotionis congruae ſpem ablatam; quae divinae ſcimus non eſſe placita voluntati. Quinimo grave noſtrum & fidelium noſtrorum verſatur praejudicium & ineffabile periculum; niſi ſuper hoc citius & conſultius caveamus. Nam jus patronatus, quod nos & fideles noſtri in talibus optinemus beneficiis, enervatur; curia noſtra, in qua dumtaxat cauſae ſuper jure patronatus dictorum beneficiorum tractari debent, deluditur; & ſic jura coronae noſtrae regiae tam probroſe, quam dampnoſe, depereunt, & regni theſaurus ad extraneos, ne dicamus noſtros malevolos, aſportatur; ſubtili forſan conjectura, ut regni depreſſo ſacerdotio & ejus exhauſto theſauro, reddatur regnum debilius in adverſis. Quae ſingula & alia, quae ex praemiſſis ſequuntur, incommoda fuerunt nuper coram nobis in parlamento noſtro generali per communitatem dicti regni palam expoſita: unanimi & ferventi petitione ſubjuncta, ut praedictis diſpendiis, quae dictae communitati videntur intolerabilia, celeriter occurramus. Nos autem Anglicanae depreſſionem eccleſiae, & exhaeredationem coronae noſtrae ac mala praedicta, quae diſſimulata diutius adicerent veriſimiliter graviora, patulo cernentes intuitu, ad vos ſucceſſorem Apoſtolorum principis, qui ad paſcendum, non ad tondendum, oves dominicas, ac ad confirmandum, & non deprimendum, fratres ſuos, mandatum a Chriſto ſuſcepit, iſta deferimus; votivis affectibus ſupplicantes, quatenus praemiſſis debite ponderatis ac conſideratis, quod de jure creandi ſunt de vico populi magiſtratus, & juxta dictum Prophetae, dandi ſunt de eodem loco populi vinitores: Quod per beatos Apoſtolos legitur eſſe factum, dum gentibus viros linguarum ſuarum habentes notitiam tranſmiſerunt.

“ PENSATA etiam devotionis plenitudine, qua domus noſtra regia & clerus & populus dicti regni perſtiterunt hactenus in obedientia dictae ſedis, propter quod non haberet paternus affectus eis onera & gravamina cumulare: Velitis, ut pater filiis theſaurizans, alleviare dictarum impoſitionum & PROVISIONUM ac onerum jam per ſedem apoſtolicam invaleſcentium gravitatem; permittentes ulterius, ut patroni patronatus ſui ſolatium non amittant, eccleſiaeque cathedrales & aliae dicti regni liberas electiones & earum effectum habeant; quas quidem eccleſias dicti progenitores noſtri dudum, in ſingulis vacationibus earundem, perſonis idoneis jure ſuo regio libere conferebant; & poſtmodum

“ ad

"ad rogatum & ad inſtantiam dictae ſedis, ſub certis modis & conditionibus, conceſſerunt; quod electiones fierent in dictis eccleſiis per capitula earumdem; quae conceſſio fuit per ſedem apoſtolicam ex certa ſcientia confirmata. Set contra formam conceſſionis & confirmationis praedictarum, dicta ſedes per reſervationes & PROVISIONES ſuas a dictis capitulis electiones adimit ſupradictas, & nobis jus & praerogativam, quae juxta formam dictae conceſſionis nobis competunt in hac parte; propter quod juxta legem dicti regni noſtri, ex quo lex in conceſſione poſita non ſervatur, conceſſio reſolvitur, & res ſtatum revertitur in primaevum.

"SUPER praemiſſis itaque dignetur, quaeſumus, veſtra benignitas ad honorem Dei & ad ſalutem animarum, nec non ad tollenda ſcandala & praejudicia praelibata, feſtinum & ſalubre temperamentum apponere; ut nos & noſtri, qui perſonam veſtram ſanctiſſimam, & ſanctam Romanam eccleſiam revereri cupimus, ut debemus, ceſſantibus dictis malis intolerabilibus, in paternae veſtrae dilectionis dulcedine quieſcamus; revireſcatque noſtra devotio, per oſtenſam nobis piae moderationis veſtrae clementiam recreata. Conſervet vos Altiſſimus ad regimen eccleſiae ſuae ſanctae per tempora proſpera & longaeva. Dat. apud Weſtmonaſterium decimo die Septembris anno regni noſtri Franciae quarto, (An. 1343.) regni vero noſtri Angliae decimo ſeptimo."

IN his literis ſi rex perſeveraſſet, proviſiones omnes ei ademiſſet: Sed in tanti belli ſtrepitu permulcere tam irritabilem patrem aliqua tolerantia conſultius fuit, quam incendere.

PAPA his temporibus, cum regis procerumque conſenſu a proviſionibus, (Walſing.) quas ſine modo fecit, in totum prohibendus eſſet, a rege tamen rogatus Dunelmenſem Epiſcopatum Thomae Hatfield regis ſecretario contulit. Id quod iniquiſſime tulerunt proceres, regem tanta inconſtantia a tam ſano propoſito deflexiſſe. Papa vero, quamvis ſui cardinales regis ſecretarium indoctum, laicum, & Epiſcopatu indignum cenſerent, tamen, ut ſuae uſurpationis conſuetudinem uſumque retineret; "Vere, inquit, ſi rex An- (Verba Auth.) gliae pro aſino ſupplicaſſet, obtinuiſſet ad vota iſta vice." Quae ſane non jam nova inceſſit papae religio. Nam, ante hunc, Lodovicum quendam de Bellomonte Gallum quadrageſimum quartum Epiſcopum Dunelmenſem, regum Angliae atque Franciae precibus adductus, qui latine vix legere poterat Epiſcopum creavit. Monachi Dunelmenſes Henricum Stamford (Ex catalogo Epiſcoporum Lindisfarnenſium uſq; ad Richardum Bury.) priorem de Finchall elegerunt; qui, cum Romam confirmandus veniſſet, accepit illum Gallum ante ſuum adventum jam ad Epiſcopatum admiſſum; ſed tamen papam adiit, ſibique non diſplicuiſſe dixit, quod Dunelmenſem Epiſcopatum, quo ſe indignum fuiſſe fatebatur, alteri contuliſſet. Cui papa: "Fili mi, inquit: Neque odio perſonae tuae, nec vitio aut quocunque in te defectu, ſed magna regum atque reginarum inſtantia, alterum admiſimus; tibique deinceps de aliis providebimus." Hac verborum lenitate cum priorem electum dimiſiſſet, Lodovicum chirographis ad tantam Romanae curiae ſolvendam pecuniam obligavit, quantam quatuordecim annis non diſſolvit. Qui in conſecratione ſua literarum inſcitiam legendo prodidit: Ut authoris verbis utar: "Erat autem Lodovicus de ſanguine regum Franciae & Siciliae: Facie venuſtus erat, ſed utroque pede claudicans; dapſilis valde, ut a multis diceretur prodigus; ad habendum cupidus, ſed de modo acquirendi non curans; tanta cupiditate excaecata fuit anima ejus, ut nihil dimiſit, quod colorate ha-

Ab An. Chr. MCCCXLVIII. — Ad An. Chr. MCCCXLIX.

"bere potuit. Sed causam ecclesiae suae viriliter defendebat: Ad sequelam ejus declaratum fuit in parliamento regis; quod Episcopus Dunelmensis debet habere forisfacturas guerrarum infra libertates Episcopatus; sicut rex habet extra. Laicus erat, Latinum non intelligens, & cum difficultate pronuncians. Unde, cum in consecratione sua profiteri debuit; quamvis permultos dies ante instructorem habuisset, legere nescivit; & cum auriculantibus aliis cum difficultate ad illud verbum METROPOLITICAE pervenisset, diuque anhelans pronunciare non posset, dixit in Gallico: "Soit pour dit: i. e. dictum puta." Et, cum semel celebraret ordines, neque pronunciare posset, AENIGMATE dixit circumstantibus: "Per saint Lowys, il n'est pas courtoys, qui ceste parolle yci escrit: i. e. Per sanctum Lodovicum, parum humanus fuit, qui hoc verbum hic scripsit." Semper studuit quomodo de priore & conventu pecuniam extorquere possit. Bullam habuit ad praeficiendum in priorem, quemcunque de domo vellet: Et aliam ad habendum quartam partem bonorum prioratus, durante guerra Scotiae." Haec ipsius authoris verba inseruimus; ut mos papalis in conferendis, sub provisionis suae titulo, beneficiis a lectoribus intelligatur.

MORTUO Johanne Stratford, cum prior & conventus Cantuariensis Thomam Bradwardyn sacrae theologiae professorem unanimes elegissent; rex, qui Johanni Ufford multo magis, quam alteri, promovendo favit, ad papam scripsit; ut Johannem Ufford provisionis titulo, spreta monachorum Cantuariensium electione, Cantuariensem Archipraesulem crearet. Id papa celeriter effecit; eoque viva voce creato tantas ei Romanas gratias, concessiones, & privilegia indulsit, quantas unquam nemini. Hic Johannes Ufford in jure civili & canonico Cantebrigiae institutus primo legum doctor, deinde decanus ecclesiae cathedralis Lincolniensis, fuit. Et, quia nobili genere ortus est, Suffolciensis enim comitis fuit filius, tumque nobilitati singularem juris prudentiam & eloquentiam adjunxisset, ad regis consilia vocatus, & regni cancellarius constitutus, est. Cujus tantae amplitudinis ac honoris perbrevem usuram morte, ut dicemus, extinctus accepit. Hoc tempore aeris ex bello Gallico magna in Anglia fuit inopia; eamque illico sequuta tanta annonae copia, ut frumenti modius tribus denariis & bos pinguis sex solidis octo denariis Londini vaenirint. Sed hanc panis saturitatem pestis omnium, quae unquam Angliam infecerunt, gravissima occupavit. Ea statim post nativitatis dominicae celebratum festum, ipsa nimirum hyeme & rerum omnium ad victum necessariarum copia, cum vix ulla contagionis suspicio oriri mortalibus potuit, incepit. Nec ita longo quidem tempore, quinque tantum mensibus, duravit. Nam ad finem mensis Maii ope divina citra hominum spem extincta est. Sed interim dimidiam pene hominum multitudinem delevit atque consumpsit: Tum in monachorum, religiosorum & presbyterorum impuram turbam tanto furore tanquam divina vindicta saevit; ut ne decimum quoque illorum superstitem reliquerit. Itaque, uncta illa scaturigine ad tantam paucitatem redacta, beneficia atque coenobia pene deserta sunt: Ipsae ecclesiae parochiales pene omnes inofficiatae fuerunt. Namque earum rectores grege relicto aufugerunt, nec ulla mercede parochos conducere ad mortuos sepeliendos, aut divina ministranda, potuerunt. Nemo fere certa sede manere voluit; sed unusquisque mortis formidine, cum tamen
An. 1350. nullus locus tutus esset, pestis enim haec tam dira omnes pariter invasit, huc

Ab An. Chr. MCCCXLVIII. Ad An. Chr. MCCCXLIX

huc illuc vagabatur. Preſbyteri, atque ſervi oppidatim mendicare, quam mercede victum acquirere, malebant: Quae mendicitas & vagandi licentia hujus contagionis orta metu, ceſſante peſte, effraenata poſtea libidine magis, quam neceſſitate, duravit. Ad quam coercendam lata tunc primum lex fuit: Ut quicunque viribus valens, ſi nec mercaturam, nec certum artificium nec agriculturam exerceret, nec praedia poſſeſſioneſve, redditus aut proventus, quibus ſe commode ſuſtentare poſſit, haberet; alicujus mercatoris, artificis vel agricolae ſervitio, ſi ſponte nollet requiſitus, datis fidejuſſoribus invitus manciparetur. In qua etiam lege, ſervorum, artificum & operariorum mercedes, ne nimium parumve exigendo atque ſolvendo injuria cuiquam fieret, aequabili ſumma moderatae atque taxatae ſunt.

ATQUE haec peſtifera ſtrages non modo Angliam, ſed alias gentes regioneſque, vaſtavit. Cujus cauſa perhibetur annus ille Jubilaeus omnibus Chriſtianis gentibus Romam undique confluentibus, & remiſſionem peccatorum expectantibus celebratus. Hunc annum Bonifacius octavus ita inſtituit; ut, qui centeſimo quoquo anno Romam viſitarent, his omnium ſcelerum atque impietatum expiatio concedatur. Idem enim Bonifacius, qui ſe, tam in divinis quam humanis juribus, totius orbis dominum appellaſſet; & imperatoris Conſtantini donationem Sylveſtro papae factam, potius rei alienae vero domino reſtitutionem, quam legitimam conceſſionem, fuiſſe dixiſſet; hunc Jubilaeum annum, ut Romanae curiae limina, tanquam totius orbis oraculum, a cunctis gentibus uno tempore frequentarentur, primus induxit. Sed hunc centeſimum annum Clemens ſextus ad quinquageſimum, ac poſt eum Paulus ſecundus ad viceſimum quintum, ut gentes humanae ſaepius Romae convenirent, reduxit; in favorem, ut ipſi dicebant, animarum, ſacrarum ſcripturarum authoritate atque majeſtate ad ſuum quaeſtum & libidinem nefarie abutentes: "Ut, quia abundavit iniquitas, ſuperabundaret & gratia." Quam papae impietatem atque faſtum, gentiumque ſuperſtitionem atque caecitatem, Deus hac per totum orbem Chriſtianum in ipſo anno Jubilaeo dilatata peſtilentia vindicavit: Indicavitque juſtis precibus atque pietate, non peregrinationibus & contaminata ſuperſtitione, quae tunc omnium gentium mentes quaſi obligatas occupaverat, ſe placari, aut mortalium crimina expiari poſſe. Unde facete quidam, cum ad animarum ſalutem inſtitutos annos Jubilaeos diceretur, id ita eſſe poſſe reſpondit, ut animabus ſanitatem adferant: nam corporibus exitium ſaepe attulerunt. Namque in hoc peſtifero Jubilaeo, cujus contagio omnes gentes infecit, quinquaginta hominum millia Pariſiis peſte enecti ſunt, & in vicina finitimaque civitate, quae ſancti Dionyſii nuncupatur, quatuordecim. In Anglia vero, ut diximus, innumeri perierunt. Londini coemeteriis ſepultorum multitudine completis, in uno Carthuſianorum coemeterio quinquaginta hominum millia inhumata ſunt. Norvici praeter clericorum, monachorum, & huc illuc vagantis populi turbam, quinquaginta ſeptem ipſorum civium millia ſepulta catalogus quidam recenſet. Non jam extare in ea civitate, aut vicinis ruribus ad quintum milliare proximis, tantam multitudinem multi autumant, quanta in illa peſtilentia deleta fuit. Yarmuthi maritimo oppido tanta mortalitas fuit, ut incredibile pene ſit tantam multitudinem eo oppido contineri potuiſſe. Et tamen in tam funeſta contagione, quae tantam hominum vaſtitatem atque cladem ubique gentium peperit, Edwardus rex, qui Cale-

Platina in vita Clement. VI.

Faſciculus temporum.

Fabianus.

Ex Archivis Norvicenſ.

Ut in valvis Templi apparet.

Edward. 3. an. regni ſui 23.

Ab An. Chr. MCCCXLVIII. — Ad An. Chr. MCCCXLIX.

tum maritimum Galliae portum ſuis victoriis opportunum atque commodum cepit; quique multitudine praeliorum cum multis ſimul gentibus Scotis, Gallis, & Hiſpanis dimicabat, ejuſque totus exercitus, qui illa Romana limina non adibant, non modo incolumis, ſed indies auctus, fuit. Quo tempore navali pugna Hiſpanorum ingenti claſſi reſtitit. Tum ad bellum in Gallum motum perſequendum, filium ſuum primogenitum Edwardum cum copioſo & optimo delectu inſtructo exercitu in Gallias miſit. Is Guaſconiam, Tholoſam & Narbonam incendiis atque ſpoliis, neque hoſtibus quidem repugnantibus, depopulatus eſt: Quem rex ipſe ſequutus in Gallias tranſiit, multaque in praeliis facinora praeclare geſſit. Et, cum audiſſet Scotum perjurum fracta pace atque fide, ſe abſente, Angliam invaſiſſe, & Bervicum oppidum in utriuſque regni finibus ſitum cepiſſe, ac caſtellum militibus omnique ope bellica munitum oppugnaſſe, rediit; Scotumque bello aggreſſus Bervicum recuperavit, eumque in mediterranea Scotiae perſecutus ad deditionem regnique Scotiae traditionem coegit. Interim Edwardus regis filius multas Gallicanas provincias bello ac incendio diripuit, captivos multos eoſque opulentos crebris dimicationibus & conflictationibus cepit. Burdeacum maximam Guaſconiae civitatem cum exercitu ſalvus pervenit: Eodemque tempore dux Lancaſtriae alio Anglorum exercitu alias Galliae provincias vaſtavit. Quos illa peſtis in papae Jubilaeo exorta, quae ubique pene ſingulos afflixit, nunquam attigit. Ita ut, cum nunciis, legatis, literis, omnibuſque modis ad pacem ineundam a papa ſaepe ſolicitarentur; victoriae tam glorioſae, quae poſtea conſecuta eſt, ſpe, nec papae minis, nec hoſtium potentia, nec illius peſtis contagione, deterriti ab armis diſcedere voluerunt. Ut in ipſa acie motuque bellico militibus major, quam in tam inſano Jubilaeo peregrinantibus, ſanitas atque ſecuritas adfuerit.

Ex omnibus hiſtoriis.


HAS lugubres ſtrages Johannes Ufford Archiepiſcopus paucis menſibus vidit: qui cum ſex fere menſibus pallium expectaſſet; neque conſecratus, nec pallio donatus una cum illa funeſta peſti viceſimo die Maii in villa dicta Totenhall extinctus eſt. Corpus ejus proximo ſummo mane Cantuariam ſecreto ductum, & ſine archiepiſcopali magnificentia & ad parietem aquilonarem, juxta murum Thomae Becket, ſepultum eſt. Hujus bona, quoniam inteſtatus obiit, Andreas Ufford archidiaconus Middleſexiae conſanguinitatis jure adminiſtravit; qui a Simone Iſlippe Cantuarienſi, ut poſtea dicemus, Archiepiſcopo in jus vocatus, etſi Johannes Ufford tam paucis menſibus Archiepiſcopatum tenuiſſet, & Thomas Bradwardyn ei proximus ac inter Simonem & Johannem interjectus fuiſſet, in mille & centum libris, triginta quinque ſolidis, duobus denariis obolo & quadrante ob dilapidata & caduca aedificia damnatus eſt.

LIV. THO-

LIV. Thomas Bradwardyn.

An. Chr. MCCCXLIX.

An. Chr. MCCCXLIX.



THomas Bradwardyn, cujus, ut ante diximus, electio rege intercedente, a Clemente papa, Johanne Ufford in Cantuarienſem Archiepiſcopatum recepto, reprobata fuit, Hartfeldiae in Suſſexia natus eſt. Poſt puerilem inſtitutionem adoleſcens divinarum literarum ſtudio operam dedit: In eo ſtudio vitaeque ſanctitate ab adoleſcentia conſpicuus ad regem Edwardum tertium per Johannem Stratford Archiepiſcopum Cantuarienſem deductus eſt, ut regis confeſſor fieret. In quo munere a regni negotiis atque curis vacuus, ſine honoris aut praemii petitione, regi bello militiaque aſſiduus fuit. Quem etiam increpare atque redarguere, ſimul atque eum a recto deflectere aut aberrare ſenſerat, liberius quam quiſquam, nullo metu deterritus ſolebat. In bello autem Gallico longo atque difficili magnaque varietate terra marique jactato, illaque multitudine praeliorum, in quibus, ut praediximus, Galli fuſi ſunt, non modo ſecretius regem admonere ſolebat; ſed frequentes totius exercitus conciones habuit; in quibus ſanctiſſima diſertiſſimaque facundia, appoſitiſque exemplis ex theologia libatis, regem & exercitum languentes excitavit, & victoriarum ferocitate nimium exultantes, ne modum tranſilirent, continuit. Ut illas nobiles & glorioſas victorias, quibus Galli debellati & in regis Angliae ditionem adducti ſunt, permulti nullius potentiae, aut prudentiae magis, quam hujus divini ſimpliciſque viri ſanctitati & moderationi aſcriberent. Cui cum facile fuit quidvis a rege impetrare; aegre tamen adductus, ut in Lincolnienſi eccleſia canonicatum & in Londinenſi cancellariatum ſimul teneret. Hic, qui ante Johannem Ufford a monachis Cantuarienſibus ſola virtutis fama ſine prenſatione & ambitione electus eſt, etſi regiis precibus repulſam indignam a papa tulit, animo tamen motus aut offenſus nullo indicio videbatur. Quod cum regi vitio a multis verſum fuerit; rex ſe excuſavit, quod tam ſani ſanctique viri conſuetudine in caſtris & Martis diſcrimine commode carere non potuiſſet. Itaque ſepulto Johanne Ufford, monachi Cantuarienſes hunc Thomam Bradwardyn interim elegerunt; electum vero ſummo ſtudio regi inſtant atque urgent, ut admittat. Rex monachorum importunitate & contentione ductus ſuo confeſſore, viro integerrimo, carere, eumque Cantuarienſi eccleſiae ac provinciae praeficere, coactus eſt. Clementem autem papam ferunt, ſimul atque de morte Johannis Ufford accepiſſet, antequam Cantuarienſium monachorum electio, cujus erat ignarus, ſibi praeſentaretur, ſuo mero prioque motu atque ſponte huic de Archiepiſcopatu providiſſe.

Hoc


An. Chr. MCCCXLIX.

Hoc itaque modo a monachis electus, a rege permiſſus, & a papa ipſo expetitus, Thomas Bradwardyn ad papam confirmandus atque ſacrandus Avinionem venit: Ubi monachorum electione corroborata, ſacrationis ſuae ritus atque ceremonia in eccleſia fratrum minorum a Bertrando quodam Ebrodunenſi preſbytero cardinali in ipſorum cardinalium corona ſolenniter celebrabatur. In ipſo autem conſecrationis convivio Hugo Tutelenſis cardinalis, papae conſanguineus, vir faſtu inanis, Thomae Cantuarienſis jam ſacrati humilitate & ſimplicitate deſpecta, ut ei convitium faceret, vilem quendam & abjectum homunculum aſino inſidentem & Archiepiſcopatum petentem, induxit; qui a toto cardinalium coetu reprehenſus & ſtultitia notatus diſceſſit. Peractis autem conſecrationis ritibus Thomas Bradwardyn, papa & cardinalibus ſalutatis, rediit in Angliam. Ac primo regem adiit; a quo nomine patris ſalutatus, Archiepiſcopatus Cantuarienſis temporalia accepit. Ab eo mox Lametham diſceſſit, ut longinqui itineris laſſitudinem auferret. Ibi Roffenſis Epiſcopi hoſpitio aliquot ſeptimanis uſus, corpore ex illa laſſitudine quaſſato, incidit in febrem: ex eaque quatuor ſeptimanis, & ſex diebus, poſtquam a papa conſecratus fuerat, antequam Cantuariae inthronizaretur, e vita migravit. Poſtea Cantuariae in capella Anſelmi Archiepiſcopi ad parietem auſtralem humo conditus eſt. Ita uno anno tres orbitates ac vacationes Cantuarienſis eccleſia paſſa eſt. Hic, ultra multos alios libros per eum ſcriptos, unum magnum opus ſcripſit, cui titulum fecit "De cauſa Dei contra Pelagium;" qui liber adhuc extat.



LV. Si-

P. 303




Thomae Bradwardyn Sepulchrum.

Ab An. Chr. MCCCXLIX. — Ad An. Chr. MCCCLXVI.

LV. Simon Islippe.





Imon Islippe ex juris peritorum etiam schola ad hunc Archiepiscopatum ascendit. (Ste. Byrchin. Arch.) Cujus ex scholis primus gradus fuit in ecclesia Paulina canonicatus. Deinde, sub Johanne Stratford Archiepiscopo, ecclesiastico tribunali in Arcuata Londini curia praefuit. Postea Edwardi regis tertii consiliarius, secretarius, & privati sigilli custos, fuit. His muneribus cum laude atque fide gestis, mortuo, ut diximus, Thoma Bradwardyn, monachi Cantuarienses hunc Simonem, (An. 1349.) quem regi ac plerisque gratiosum fuisse cognoverant, summa consensione elegerunt. Sed papa, ut providendi morem, quem usurpatione non jure diu jam cepisset, retineret; monachorum electione spreta, Simonem in Archiepiscopatu non electionis sed suae provisionis titulo collocavit. Ea de re bullata sua diplomata in templo Arcuato Londini quarto die Octobris publicata sunt. Deinde mense Decembri proximo a Radulpho Stratford Londinensi Episcopo in ecclesia Paulina consecratus est, assistentibus Willielmo Edyndon Wintoniensi, & Johanne Thoresby Menevensi, Episcopis. Postea Michaelem Northburgh legum doctorem ad pallium Avinioni petendum, & Rogerum Dorking ad illius praebendae, quam jure, ut diximus, Cantuariensis sedis in ecclesia Lugdunensi Cantuarienses Archiepiscopi tenebant, fructus percipiendos, procuratores constituit. Palliumque obtentum a Wintoniensi Episcopo in manerio de Esher accepit: Donatusque pallio Cantuariae, secreto ad vitandam sumptuum immoderatam luxuriam & profusas epulas, inthronizatus & parcissime convivatus est. Nam vir in omnibus frugi, sed nimium severus, fuit. Cantuariensem dioecesim cum summa animadversione visitavit, & in subditorum exquirendis criminibus solers, (An. 1350.) multos clericos locis & beneficiis amovit. Tum Roffensem & Cicestrensem dioeceses, quasi transiens omniaque conniventibus oculis praeteriens, perfunctorie visitavit. Id illi lenitati & moderationi ascribebant suae. Sed postea, cum domi suae sedens plures, de quorum criminibus cognovisset, ad poenas subeundas e dioecesibus evocasset; compertum est eum non lenitate, sed severitate, Archiepiscopatum gesturum. Haec coepta asperitas Johannem Gynwell Lincolniensem Episcopum impulit, ut se suosque papali privilegio, quod Avinione a papa Clemente magnis muneribus impetravit, ab hujus Archiepiscopi jurisdictione defenderet: Quod privilegium postea, Archiepiscopo id Avinioni flagitante, rescissum atque revocatum est. Namque Oxoniensis Universitatis scholares cancellarium suum quendam Willielmum de Palmorna elegerunt: Qui, cum ad Lincolniensem Episcopum, in cujus dioecesi tunc stetit Oxonium, confirmandus

Ste. Byrchin.

veniſſet, crebris procraſtinationibus in aliud temporis ab Epiſcopo rejectus eſt. Id tam Univerſitas Oxonienſis, quam ipſe cancellarius electus, indigne tulit: Qui, facti querela coram Archiepiſcopo declarata, ab eo opem & remedium ad tam diutinam & voluntariam ſine cauſa tollendam moram petierunt. Archiepiſcopus edicto Lincolnienſi praecepit, ut cancellarium electum die quodam ſtatuto confirmaret, aut coram ſe compareret, dicturus cauſam cur admitti & confirmari non debeat. Interea

Adam Murimutenſis.

Archiepiſcopus cauſam Johanni Carleton cancellario ſuo & eccleſiae cathedralis Wellenſis decano commiſit. Die ſtatuto aderant cancellarius electus & Oxonienſis Univerſitatis procuratores, qui admiſſionem & confirmationem inſtanter petierunt. Lincolnienſis autem Epiſcopus non comparuit; in cujus abſentis contumaciam Cantuarienſis cancellarius in negotio electionis legitime procedens, eam legitime riteque celebratam ac canonicam eſſe pronunciavit. Quo facto Archiepiſcopus cancellarium confirmavit, & eundem ad Univerſitatem Oxonienſem regendam admiſit; gregique ſcholarium ſcripſit, ut ei jam admiſſo juxta Univerſitatis jura & ſtatuta obtemperent atque pareant. Ab hac admiſſione Lincolnienſis Epiſcopus privilegio ſuo antedicto fretus ad papam appellavit. Archiepiſcopus autem, rejecta appellatione, eum ut ſuae juriſdictionis & archiepiſcopalis authoritatis contemptorem ad ſuum tribunal vocavit, & non accedentis proterviam, interdictis eccleſiaſticis in ejus terras praediaque latis, mulctavit. Multa deinceps in hac lite coram papa agitanda controverſa ſunt; in quibus Lincolnienſis, revocato ſuo privilegio, a Cantuarienſi victus

An. 1351.

ſuccubuit. Cantuarienſis autem Lincolnienſi ſuperato, Andream Ufford archidiaconum Middleſexiae, adminiſtratorem bonorum Johannis Ufford Cantuarienſis, ut diximus, Archiepiſcopi, pro his aedificiis, quae caduca atque ruinoſa Johannes Ufford in Archiepiſcopatu Cantuarienſi reliquerat, in jure convenit; & grandem illam pecuniam, quam, ut in Johanne Ufford antea diximus, ab eodem executore recuperavit, in palatio Cantuarienſi reparando erogavit. Idemque totum manerium de Wrotham demolitus, aedificia, quae Johannes Ufford Maidenſtoniae inchoavit, ex demolitis tignis, lapidibus, & caemento eo traductis abſolvit. His ſumptibus factis a papa impetravit, ut ſibi liceret a provinciae ſuae Cantuarienſis clero tantis archiepiſcopalibus ferendis oneribus ſubſidium comparare. Id ita ratum eſt, ut a ſingulis marcis quatuor denarios exigat. Sed ejus

Arch. Ste. Byrchin.

praetextu quaeſtores totam decimam, papales literas aliter, ac conceſſionis verba fuerunt, interpretantes a clero extorſerunt: Cujus tamen, hoc aſtu & non modo indebite, ſed praeter ipſius papae conceſſionem ſolutae, pecuniae repetitioni in curia Romana, quae aliena ſibi aſciſcere non refundere ſolebat, tunc locus non erat:

——*Quia me veſtigia terrent*
Omnia——

Arch.

ARCHIEPISCOPUS deinde a rege & proceribus in parliamento obtinuit, ut legum atque libertatis eccleſiaſticae oppreſſiones, quibus clericorum

An. 25. Ed. 3.

ſtatus diu afflictus fuit, ſtatuto tollerentur. Quo impetrato, cum clerici permulti privilegio clericali abutentes quamplurima flagitia perpetrarent, rege & proceribus id flagitantibus, ab Archiepiſcopo ſuiſque Suffraganeis ſtatutum eſt; ut clerici de capitalibus criminibus, teſtibus, probationibus, ſuave confeſ-

confessione convicti, episcopalibus perpetuo carceribus mancipati ad pristinum locum aut ordinem nunquam restituantur, ne ordini clericali scandalum generetur: Sed perpetuam agentes poenitentiam, quarta & sexta feriis & in sabbatis pane doloris, & aqua angustiae semel in die, caeteris diebus pane & tenuissima cerevisia, dominica autem die pane, cerevisia, & legumine tantummodo nutriantur. Huic similem constitutionem antea ediderat Bonifacius quondam Cantuariensis Archiepiscopus; quam Gulielmus Lynwood inter Cantuariensium Archiepiscoporum constitutiones, quas ipse notis interpretatus est, divulgavit. Nova in superiori parliamento inter Cantuariensem & Eboracensem Archiepiscopos de illa toties repetita gestandae crucis altercatione quaestio mota est: quam rex ipse, tandem tota lite ab Archiepiscopis ejus arbitrio compromissa, hoc modo composuit: Ut alterius provincia crucem suam libere ante se ferre possit: Sed Eboracensis in subjectionis signum & singuli ejus successores, secundo mense, postquam deinceps Cantuariensem provinciam ingressi fuerint, pro pacifica crucis delatione nuncium aliquem solennem, videlicet, vicarium suum in Spiritualibus generalem, vel causarum auditorem, vel aliquem legum doctorem, vel militem ad ecclesiam cathedralem Cantuariensem cum una imagine aurea valoris quadraginta librarum sterlingorum, sculpta ad similitudinem Archiepiscopi crucem in manu sua deferentis, vel altero jocali aureo praedicti valoris, mittat. Cumque hujusmodi nuncius ad ecclesiam Cantuariensem accesserit, imaginem illam, vel jocale, ad delubrum Thomae Becket in praesentia prioris, supprioris, vel alterius praesidentis, offerat publice ac devote. In parliamentis autem, tractatibus & consiliis regiis cum Cantuariensis & Eboracensis Archiepiscopi simul intersint; quia Cantuariensis ecclesia antiquior & praeeminentior fore dignoscitur, Cantuariensis Archiepiscopus dextras & Eboracensis sinistras regis occupabunt, eorum crucibus eodem modo a dextris ac sinistris sepositis. In conciliis etiam, convocationibus, synodis, ac similibus congressibus, quibus utrique intersunt, primus locus Cantuariensi, secundus vero Eboracensi, tribuatur: Tum crucigeri, cum in via ampla atque lata convenerint, cruces simul deferant; sed in portarum introitu atque exitu locisque angustioribus Cantuariensis crucifer praeibit, & Eboracensis sequetur. Hanc compositionem rex sigillo suo roboratam in palatio suo Westmonasteriensi promulgavit vicesimo die mensis Aprilis: Quam Innocentius sextus papa quinto Kalendas Martii ex sua certa scientia, non obstante, quod tunc in compositione hujusmodi Suffraganeorum, praelatorum, conventuum, & capitulorum utriusque provinciae consensus jure requisitus non accesserit, omnemque alium tam juris quam facti defectum supplens, confirmavit. Haec crucis gerendae controversia trecentis pene annis duravit. Etsi enim Alexander tertius Rogerum quondam Eboracensem Archiepiscopum crucem in Cantuariensi provincia efferre vetuisset; tamen Eboracenses, cum ab aliis papis contrarias literas, ut de Primatu cum Cantuariensibus contenderent, accepissent, omniaque jura pecuniarum interventu a papis dissolvi atque rescindi posse sperarent; in hac contentione, donec rex decretum suum interposuisset, perseverabant. Nihil enim a papa, qui uno, ut aiunt, spiritu sorbere atque flare potest, ita constitutum unquam fuit, quod cum illa clausula NON OBSTANTE facillime non dirimeret. Hanc regiam compositionem praevaluisse & in actum atque consuetudinem transiisse constat: Quod, Johannes Tyrrel miles centum annis postea, videlicet,

Vide registrum Sim. Islippe, fol. 54.

C. Item statuimus de poenis.

Steph. Byrchinton. Arch.

Ex Archivis & autographo.

An 1353.

De obitibus Cant.

Ab An. Chr. MCCCXLIX. — Ad An. Chr. MCCCLXVI.

cet anno Domini 1452. jocale quoddam aureum, quadraginta libris aeſtimatum, Archiepiſcopi Eboracenſis nomine, ad portam Cantuarienſis eccleſiae ſplendide receptus, Thomae delubro, praedictae compoſitionis authoritate, obtulit. An. 1354. Poſt haec, gravis inter ſcholares & oppidanos Oxonienſes, utri imperarent, contentio commota eſt; in qua, cum ad arma ventum eſſet, aliquibus utrinque caeſis, ſcholares oppido acti ſunt. Lincolnienſis autem Epiſcopus, cujus tum juriſdictioni ſuberat Oxonium, poenas oppidanis inflicturus oppidum eccleſiaſtico interdicto ſuppoſuit. Deinde eo paulatim relaxato, parochis omnibus praecepit, ut, ſi in divinorum adminiſtratione oppidani intervenirent, aut intereſſent in ſacrorum celebratione, tantiſper ceſſarent, donec oppidani diſcederent. Huic aliam, nempe excommunicationis, poenam Archiepiſcopus adjunxit. Sed ſcholaribus huc illuc diſſipatis, rex, cum de literarum interitu atque clade doleret, totam controverſiam ad ſe advocavit. Qua audita, cum de oppidanis ſupplicium ſumpſiſſet, ſcholaribus totam ſeditionis noxam ea lege remiſit; ut, ad Univerſitatem redirent, & abjecta jam ac intermiſſa literarum ſtudia recolerent. Id eis ab Archiepiſcopo nunciari voluit. Deinde, (Robertus Aveſbury. T. Walſing.) ut ſcholares ab oppidanorum injuriis atque vi deinceps ſecuri eſſe poſſint, pro damnis in ea conflictatione ſcholaribus illatis in ducentis & quinquaginta libris ſcholaribus reddendis condemnati ſunt; deinde, ſub gravi poena obligati, ne vim deinceps ullam ſcholaribus inferrent. Tum totius oppidi regimen cancellario Univerſitatis, excluſis penitus & in perpetuum abdicatis oppidanis, a rege commiſſum eſt: Cujus etiam auditioni cognitio de panis, potus, vini, omniumque victualium ponderibus ac menſuris conceſſa eſt. Praeter has publicas oppidanorum mulctas, permiſſum eſt ſcholaribus jure privato de ſingulis injuriis ſingulis actionibus oppidanos coram cancellario convenire. (Arch.) Dum haec Oxonii geruntur, Cantebrigiae rebus pacatis, collegium, quod aula ſanctae Trinitatis de Norwico nuncupatur, juris ſtudio addictum & conſecratum, a Willielmo Bateman Norvicenſi Epiſcopo extructum eſt: cui decimas atque rectorias aſſignatas Archiepiſcopus & conventus Cantuarienſis ſigillis ſuis ratas fecerunt. An. 1355. His temporibus Rogerus Northburgh Coventrenſis & Lichefeldenſis Epiſcopus obiit. In ejus locum Robertus Stretton canonicus Lichefeldenſis, Edwardo regis filio Walliae principe intercedente, electus eſt. (Sto. Byrchin.) Hunc papa vetuit, ne ſe pro electo gereret, antequam in Romana curia de moribus ſuis ac doctrina, nec non de ordine atque jure electionis, examinationem ſubiiſſet. Is Avinione a papa primo quaſi indoctus repulſus eſt; deinde precibus atque gratia principis Walliae mutata ſententia, papa ad Archiepiſcopum Cantuarienſem & Epiſcopum Roffenſem ſcripſit; ut ab his examinatus, ſi dignus videatur, ad Epiſcopatum admittatur; cum quibus etiam ſolicite egit princeps Walliae, ut cum humanitate ac favore, non ad amuſſim, ut aiunt, tractaretur. Cantuarienſis & Roffenſis cum ſummo gratificandi ſtudio Walliae principi obſequi voluerunt: Verum ea fuit hominis electi inſcitia & indignitas, ut nefas eſſe judicarunt cujuſcunque gratia atque precibus virum tam imperitum in tanta dignitate locare: Etſi principi utcunque ſatisfactum eſt; quod vir tam indignus Epiſcopatu rejectus & repudiatus non erat, ſed, cauſa tota abdicata, integra ei reſervata eſt. Itaque papam princeps iterum invocat, qui vices ſuas tum Londinenſi Epiſcopo commiſit. A quo principis gratia, & papae authoritate, quae omnes in homine imperitiſſimo

defectus

Ab An. Chr. MCCCXLIX.

Ad An Chr. MCCCLXVI.

defectus ſupplevit, legitime electus, & Epiſcopatu dignus pronunciatus atque conſecratus eſt. Hoc tam inſulſo & imperito viro ad Epiſcopatum promoto, Thomas de L'iſle Elienſis Epiſcopus, vir doctus atque pius, aulicorum invidia, quodque regem minus prudenter, verbo uno atque altero temere emiſſo, provocaſſet, in capitis diſcrimen venit. Comitiſſa Mariſcalla domina Wake, regis conſanguinea, quae in Huntingdonenſi comitatu vicina praedia Elienſi Epiſcopo poſſidebat, multis ſuſcitatis de agrorum finibus controverſiis, Epiſcopi potentiam non ferebat. Hinc incendiarii quidam, qui comitiſſae aedes inflammaverunt, deprehenſi, Elienſem Epiſcopum & ſuos famulos, auctores & incendii illius reos criminantur. De quo, ignorante Epiſcopo, inſtante comitiſſa, & mandante rege, inſtituta ſubito de illius incendii authoribus & miniſtris inquiſitio eſt: Judiceſque a rege delegati; qui ex more atque jure regni duodecim viris legalibus convocatis, juramento delato, mandaverunt, ut de crimine & de reis inquirerent, & eos, quos ex inquiſitione reos comperiſſent, ad ſe deferrent. His duodecim juratis, incendiarii, qui Epiſcopum ejuſque familiam arguebant, teſtes proferuntur: Quorum recepto teſtimonio, jurati illos incendiarios nominatim incendium illud perpetraſſe, ac Epiſcopum in facinus cum his conſenſiſſe, referunt. Quo dicto judices, irrogata incendiariis poena, Epiſcopum Elienſem in nongentis libris comitiſſae pro incendii jactura reparanda ſolvendis condemnarunt: Quam ſummam illico ac ſine mora ex regis edicto atque praecepto ſolvit. At Elienſis Epiſcopus, cujus animus nec in ſecundis rebus elatus, nec in adverſis dejectus aut demiſſus fuit, novam de hoc tam famoſo ſibi judicio litem inchoavit. Impetravit a rege poſt multas preces, ut de teſtium fide, & tam iniqui teſtimonii falſitate & perjurio inquiſitio Huntingdoniae habeatur. Die ſtatuto, prioris illius teſtimonii inquiſitionis, & judicii copia a judicibus poſtulata haberi non potuit; quia, inſtante & procurante comitiſſa, miles quidam regius, in cujus tum cuſtodia fuit, exhibere illam judicibus noluit; ſine qua cum judices in cauſa progredi nequiviſſent, re infecta diſceſſerunt. Elienſis autem hanc ſibi contumeliam non a judicibus, ſed a comitiſſa, ne rege quidem inſcio, factam exiſtimavit. Itaque regem temere ac iracundus adiit, acriterque juſtitiam ſibi miniſtrari petiit. Cui rex: "Quis te, inquit, prohibet in regno noſtro "legem habere, vel juſtitiam?" At ille inaniter & inconſiderate effutiens reſpondit: "Domine, ſic eſt, quod in cauſa mea jus obtinere nequeo, "poteſtate, ut credo, regia impeditus." Quo audito rex accenſus: "Certe, inquit, tu Thoma de L'iſle, falſum dicis; nunquam a me im"peditus fuiſti; proinde jus tuo merito congruum tibi reddetur." Ita offenſo atque commoto rege Elienſis Epiſcopus diſceſſit. Paulo poſt parliamentum Weſtmonaſterii celebratum eſt. Ac eo durante cleri ſynodus habita Londini; in qua clerus nullam ſuam opem aut operam in bellicis negotiis regi defuturam promiſit. Sed in parliamento illius injuriae, quam ab Elienſis Epiſcopi verbis acceperat, memor, illum de injuria poſtulavit: Elienſis verba, quae rex recenſuit, negavit: Rex teſtes produxit: Quibus teſtimonium ſecundum regem ferentibus Elienſis attonitus obſtupuit. Cantuarienſis Archiepiſcopus caeterique Suffraganei, cum Elienſem temeritate magis, quam propoſito, in regem deliquiſſe animadverterent, flexis genibus & gemitibus obſecrabant. At rex, cum exorari noluit, Epiſcoporum coetu egreſſus. Elienſis regem poſtea nunquam conſpexit.

An. 1355. Steph. Byrch.

Catalogus Epiſcoporum Elienſium. Arch.

An. 1359. Ste. Byrch.

Catal Epiſc. Elienſium

Ab An Chr. MCCCXLIX

Ad An. Chr. MCCCLXVI.

ſpexit. Supervenit enim ei in hac quaſi contumacia diſcedenti nova calamitas. De hac offenſa regis, rixa inter ſuos & comitiſſae famulos orta eſt; in ea Radulphus quidam genere Normannus, Elienſis Epiſcopi camerarius, interfecit Willielmum Holm comitiſſae familiarem, & in Normanniam aufugit: Quo accepto Epiſcopus ad Somerſham feſtinavit. In itinere occurſum ei eſt confertim a ruſticis per famulos comitiſſae concitatis: Quos caute devitans ad domum ſuam ſalvus Somerſhamiae pervenit. Ibi, quid e re ſua maxime ſit, ſtatuens, cum regis iram & ſuperioris judicii injuriam conſideraret; fore, ut de hoc homicidio, perinde ac de illo incendio, condemnaretur, & agris boniſque ſuis direptis proſcriberetur; omnia ſua pecora & mobilia illico venundari, pretiumque ad ſe perferri juſſit. Id, ut juſſit, peractum eſt. Interea judices regii inquiſitione per duodecim legales homines habita Elienſem Epiſcopum illius homicidii reum, tanquam ſuaſorem & homicidae fautorem atque receptorem, ſtatuunt. Eo judicio omnia ejus bona atque praedia regis fiſco adjudicata ſunt: Ipſeque a regiis judicibus citatus, ut coram eis in regio foro capitis cauſam diceret. Qui a Cantuarienſi Archiepiſcopo ac nonnullis Cantuarienſis provinciae Suffraganeis comitatus acceſſit ad tribunal regium. Cumque declinatoriis exceptionibus ſubterfugere laicorum judicium non potuit; reſpondit ſe antedicti homicidii neque conſcium, nec conſultorem fuiſſe, nec ipſum homicidam poſtea vidiſſe, aut a ſe aliove quocunque recipi, occultari, ac foveri permiſiſſe. De quo petiit, ut per pares ſuos, cum ipſe unus de paribus regni eſſet, non per inferiores, diſcutiatur & decernatur. At judices, plebeiis convocatis, & ex eorum numero duodecim delectis, patefacta illis totius rei geſtae ſerie, Epiſcopum juxta eorum cenſuram homicidii damnarunt. Elienſis hac injuria & atrocitate perculſus petiit ab Archiepiſcopo, ut de hoc tam famoſo crimine, eo quod nec laici judices ſui, nec plebeii pares ſui, jure eſſe poterant, coram eo Primate & Metropolitano canonice ſe purgare liceat. Archiepiſcopus id aequitate & jure poſcente conceſſit. Sed antequam ad purgationem criminis acceſſit; Huntingdonenſi archidiacono, in cujus archidiaconatu homicidium perpetratum fuit, vices ſuas commiſit: Ut publicis edictis ac praeconiis citaret omnes, qui contra Elienſem de eo homicidio objicere aliquid vellent. Id ſaepe ab archidiacono Huntingdonenſi factitatum eſt. At vero cum nullus Elienſis Epiſcopi accuſator prodiiſſet; archidiaconus, interpoſito decreto, omnes ab ejus accuſatione deinceps excluſit. His geſtis ad Archiepiſcopum ventum eſt; a quo Elienſis, cum a nemine in comitatu & archidiaconatu Huntingdoniae accuſaretur, petiit, ut canonica purgatione tam atrocis criminis infamiam coram ſe judice delere poſſit. Archiepiſcopus autem quid ageret incertus, verituſque, ne hac purgatione praejudicium criminali judicio in regio foro inſtituto fieret: " Acquieſcas, inquit, meis conſiliis: Prius dominum regem adeas; cum eo in gratiam redeas; ita & has turbas placabis, & ad omnia eccleſiae tuae jura, quibus jam privatus es, reſtitueris. Neque enim aut mihi aut tibi tutum eſſe poteſt in hac purgatione procedere." Elienſis, cum de regis gratia & reconciliatione deſperaret, nec auxilii quicquam ab Archiepiſcopo tam timido expectaret, cum & edicto proſcriptus, & carceribus, ſi deprehenderetur, mancipandus eſſet, mare tranſiit, & ad papam confugit: Rem omnem explicat: Papa in hoc negotio totius ſuae authoritatis periculum in Anglia verti metuens, cauſam ad ſuum tribunal vocavit. Willielmum

Ste. Byrchin. Arch.

Ad An. Chr. MCCCXLIX.

Ad An. Chr. MCCCLXVI

Ste. Byrchin.

Arch.

lielmum Shareſhul, Willielmum Thorp, Henricum Greene, Willielmum Notton, & Simonem Drayton regios judices, miniſtros atque milites edictis in valvis eccleſiae Paulinae propoſitis ad ſuam curiam citavit: Quos venire ad ſe recuſantes excommunicavit. Deinde poenas contumacia, ut dixit, creſcente aggravavit. Eorum agros atque praedia interdicto ſuppoſuit: Eos, qui excommunicati obierunt, inhumatos ſepulturis extrahi, & e coemeteriis in paludes projici fecit. Inter quos Simon Drayton inſignis & regi charus miles, poſt latam in ſe excommunicationis a papa ſententiam mortuus, ac poſt ſepulturam exhumatus eſt. Ad has Romanae curiae procellas ſedandas ſaevi turbines in Anglia ſuſcitati ſunt: Edicto enim regio proſcripti omnes fuerunt, qui literas, citationes, excommunicationes aut cenſuras papales in Angliam importare, proferre, procurare, aut promulgare, audebant: Captique nonnulli Elienſis Epiſcopi nuncii atque capellani; quorum quidam in turri Londinenſi, alii in Nova Porta vinculis cuſtoditi diuturna carceris moleſtia & inedia perempti ſunt. Papa jam vehementius ad regem ſcripſit; niſi de injuriis in Elienſem Epiſcopum a ſuis judicibus & miniſtris factis ſatisfactum fuerit, ſe ad graviora in regnum Angliae proceſſurum. Rex bello petitus undique, ne domi tumultus oriretur, ad hanc tanc gravem litem componendam ad Romanam curiam legatos miſit. Lis colloquio inter regis legatos & Elienſem Epiſcopum ad concordiam reduci coepit: Sed Elienſis tam diuturnae controverſiae anguſtiis atque mora fatigatus, vitaeque pene pertaeſus, obiit: Quo mortuo omnis controverſia extincta atque ſedata eſt. Verum rex Edwardus hujus periculi, quod ob edicta papalia regno ſibique in tanto diſcrimine imminebat, memor, bello finito & victoriis undique partis, triceſimo octavo poſtea anno ſui regni, cum papales minas non amplius pertimeſceret, parliamento edidit ea ſtatuta, quae communiter STATUTA DE PROVISIONIBUS ET PRAEMUNIRE appellantur: Quibus Romanae curiae potentia coercita, in Anglia tanta licentia & impunitate poſtea nunquam praevaluit. Hic Thomas de L'iſle Elienſis Epiſcopus in aequiſſima cauſa ſuccubuit; quod ea protervitate & audacia regem in ſe commovit, & auxilia a papa poſtulavit. Vir ſatis prudens & pius fuiſſe perhibetur: ſtatuta collegii Corporis Chriſti Cantebrigiae a viris doctis ejuſdem academiae condita confirmavit, anno conſecrationis ſuae primo, anno Domini 1345. Eodem tempore, quo is obiit, magna fuit ubique Epiſcoporum mortalitas: In Anglia uno anno ſeptem, Roffenſis, Elienſis, Herefordenſis, Menevenſis, Londinenſis, Wigornienſis, & Landavenſis, obierunt; in quorum omnium loca ab Innocentio papa alii ſurrogati ſunt. Sequenti anno obierunt Lincolnienſis & Ciceſtrenſis Epiſcopi; quibus etiam a papa ſucceſſores dati ſunt. Sub haec tempora Edwardus regis filius, princeps Walliae Aſaphenſi Epiſcopo mortuo epiſcopalia jura atque praedia, Epiſcopatu vacante, ſibi vendicavit: Quae ad Cantuarienſem Metropolim longa conſuetudine acquiſita ſpectare, omnium pene tam laicorum quam clericorum in illa dioeceſi teſtimonio, Archiepiſcopus in jure aliquandiu cum principe contendens probavit, cauſamque obtinuit. Paulo poſt Dunelmenſis Epiſcopus obiit. Ad eum Epiſcopatum regis gratia Thomas Hatfield praebendarius de Oxgate in eccleſia Paulina promotus eſt: Eam praebendam Londinenſis Epiſcopus cuidam Nicolao Stanwey contulit. Rex, qui priorem praebendarium ſua gratia ad Dunelmenſem Epiſcopatum evexit, ſui juris atque donationis eam praebendam fore aſſeruit; quia per

Ste. Byrchin. An. 1362.

Arch.

per cessionem ultimi incumbentis vacavit, & tam Episcopum quam Nicolaum in suum forum traxit: Qui allegabant cognitionem de ecclesiasticorum beneficiorum vacatione ad ecclesiasticum forum, non regium spectare debere. Rogerus autem Hillary, & Henricus Greene justiciarii regis, quod iniquis dilationibus litem procrastinabant, ad Romanam curiam citati sunt; qui causam illico e regio foro ad ecclesiasticum remiserunt.

ELIZABETHA nobilis foemina, post mortem Johannis comitis Cantii sui mariti, monialium cultum & religionem professa est: In quo cum aliquot annis perseverasset, cujusdam militis Eustachii Abricourt amore capta, egressa monialium domum, contraxit contra votum nuptias, & mane ante lucem sine bannorum editione matrimonium solennizatum est. His Archiepiscopus poenas graves pecuniarias inflixit; eosque obligavit, ut duobus capellanis perpetua stipendia assignarent, & ut jejuniis orationibusque diu vacarent, matrimonii vinculo minime dissoluto. Cantuariensis Archiepiscopus celebre Oxonii collegium, quod Cantuariense appellatur, condidit; cui Maghfeld atque Pagham rectorias appropriavit: Idemque ecclesias de Monketon & Estrey Cantuariensibus monachis concessit. Sed in hoc male audivit, quod viginti & sex damas atque cervos, quos comes Arundeliae annuatim Cantuariensi Archiepiscopo solvit, ducentis quadraginta marcis acceptis, eidem comiti suisque successoribus remisit. In itinere, cum Maghfeldiam profectus esset, equo in paludem decidit. In quo casu cum equus certaret, ac se recuperare vellet, Archiepiscopus luto involutus ac totus madefactus est. Ita madidus ac lutosus Maghfeldiam pervenit; ubi in somnum, antequam vestes exuisset, incidit; ex eo paralysim contraxit. Et postquam annis sedecim, mensibus quatuor, & diebus duodecim sedisset, Maghfeldiae obiit. Moriens Cantuariensi coenobio mille oves legavit, & vestimenta sua aurea, cappam preciosissimam & vasa argentea, videlicet, sex duodecim discorum argenteorum, tot salsaria, quatuorque pelves argenteas armis suis insignitas. Sine populi frequentia, & quam minimis expensis, humari voluit; omnibus in rebus, ut ex ejus vita pateat, magnificentiam multitudinemque sumptuum vitans. Hujus inter provinciales duae tantum constitutiones existunt.

Votiva nupsit, nec separata est.

An. 1366.




P 373



Simonis Islippe.

Ab An. Chr. MCCCLXVI. — Ad An. Chr. MCCCLXVIII.

LVI. Simon Langham.





IMONE Islippe Cantuariensi Archiepiscopo mortuo monachi Cantuarienses Willielmum Edyndon Wintoniensem Episcopum postularunt: Is autem eorum postulationi renunciavit. Deinde, intercessione regia, Urbanus quintus papa Simonem Langham a sede Eliensi ad Cantuariensem, provisionis titulo, transtulit. Monachus hic primo Westmonasteriensis, deinde prior, ac demum abbas, fuit. Quo etiam tempore regi intimus totius aerarii regiorumque redditum custodiam & quaesturam habuit. A Westmonasteriensi deinde coenobio ad Londinensem Episcopatum abductus est; sed illico Eliensi per mortem, ut antea diximus, Thomae de L'isle vacante, regis & papae gratia eo, tanquam ad pinguiorem provinciam, migravit. Ab eaque, ut diximus, papae provisione, deductus, pallium a Bathoniensi Episcopo quarto Novembris in capella sancti Stephani Westmonasterii accepit; deinde Cantuariae in festo annunciationis beatae Mariae inthronizatus est. Hic Archiepiscopus in tota vita omnibusque, quae gessit, muneribus non minus providus atque sagax, quam beneficus ac liberalis, fuit. Ipso autem inthronizationis die homagii fidelitatisque servitia a comite Staffordiae, Thoma Ross, Johanne Tyrrel, Roberto Brokyl, Radulpho Saintleger, militibus, aliisque nonnullis pro his praediis, quae de ejus dominio possident, ei Cantuariae praestita sunt. Id quod in singulis Archiepiscoporum consecrationibus & inthronizationibus cum magna solennitate fieri consuevit. Primo suae translationis anno Urbanus papa in eos, qui plura ecclesiastica beneficia tenerent, severissimum edictum proposuit; ac Simoni Langham Cantuariensi Archiepiscopo mandavit, ut in sua provincia, suo jussu, omnes Suffraganei diligenter inquirerent; quae, ac quot ecclesiastica beneficia atque dignitates in singulis dioecesibus a singulis tenerentur: Tum quaenam alia vectigalia, munera, stipendia vel salaria, clerici, praeter ecclesiastica, possiderent. In ea inquisitione compertum fuit nonnullos viginti ecclesias & dignitates ipsius papae authoritate possidere; illisque insuper iisdem privilegiis indultum esse, ut sine modo atque numero quascunque alias, quocunque modo nactas, licite retinere possint. E quorum numero praecipuos hic selectos inseruimus.

Ste. Byrchin. Catal. Episc. Eliensium.

Fundatio ecclesiae Westmonast.

An. 1367.

Vide latius de his homagiis in Reg. Peckham.

Quo quidem tempore omnia publica regis regnique munera a clericis administrata sunt. Nam Simon Langham Archiepiscopus Cantuariensis, quod antecedentibus & subsequentibus temporibus in usu plerumque fuit, cancellarius erat: Johannes Bathoniensis Episcopus thesaurarius: David de Woller presbyter custos rotulorum: Willielmus Wickham archidiaconus

Ab An. Chr. MCCCLXVI. — Ad An. Chr. MCCCLXVIII.

Lincolniae, custos Privati Sigilli: Johannes de Troy presbyter thesaurarius Hiberniae: Robertus Caldwel clericus hospitii regis: Willielmus Bugbrig generalis receptor ducatus Lancastriae: Willielmus Asheby cancellarius scaccarii: Johannes Newneham camerarius scaccarii, unusque custodum thesauri & jocalium regis: Willielmus de Mulso alter camerarius & receptor atque custos thesauri ac jocalium: Johannes Ronceby clericus familiae, & dispositor ac contrarotulator sumptuum & expensarum in operibus regiis: Rogerus Barnburgh, Willielmus Mirfeld, Robertus Muskham, Willielmus Burstall, Michael Ravendale, Thomas Nuby, Richardus Rydick, Willielmus Lound, clerici in cancellaria regia: Richardus Chesterfeld subthesaurarius regis: Thomas Brantingham thesaurarius regis in partibus Guiennes, & Marchiis Calis. Qui omnes clerici, ecclesiasticis beneficiis & dignitatibus abundabant: Inter hos Willielmus Wickham, mortuo Willielmo Edyndon Wintoniensi Episcopo, ab Urbano papa ejus Episcopatus administrationem in temporalibus & spiritualibus impetravit; annoque sequenti Episcopus Wintoniensis & cancellarius regis creatus est. Cujus tota vita in pecuniis congerendis, studium in duobus nobilissimis collegiis Oxonii & Wintoniae extruendis, ad finem reipublicae utilem sibique gloriosum, relatum est.

T. Walsing. Arch.

Hoc anno Edwardus regis filius praelio commisso Henricum quendam nothum Hispanum, qui conjuncto sibi quodam Bertrando magnoque comparato exercitu Petronem regem regno expulerunt, vertit in fugam & exercitum ejus totum fudit ac dissipavit, regemque in regnum restituit. Pro hac tam insigni victoria, eleemosynae, orationes ac jejunia ab Archiepiscopo per totam provinciam publicantur. Eodem etiam anno provinciam suam visitaturus, in ecclesia & dioecesi propria Cantuariensi exorsus est: In qua vix aliquid gessit memorabile, praeterquam, quod Londini clerum & populum de decimis dissentientes magnaque altercatione contendentes, hoc decimandi modo statuto, ut, de singulis redditibus decem solidos valentibus, denarii quadrans parocho solvatur, praeter oblationes atque decimas personales. Ac paulo post orta est inter eum & scholares Cantuariensis collegii ab antecessore suo Simone Islippe, ut diximus, extructi Oxonii controversia: Archiepiscopus enim fructus rectoriae de Pagham ad illud collegium a Simone Islippe concessae sequestravit: A qua sequestratione a scholaribus ad papam appellatum est. Sed Archiepiscopus appellationi non concedens Johannem Radingal monachum Cantuariensem scholaribus, durante beneplacito, praeposuit; quem etiam cito domum revocavit, aliumque monachum Cantuariensem Henricum Woodhil collegio praefecit. Hic rem strenue ex animo & sententia Simonis Langham Archiepiscopi gessit: Cujus hic fuit conatus, ut saecularibus ejectis clericis introducerentur monachi. In eo tum collegio educatus est Johannes Wicliffe, de quo deinceps plura dicenda sunt. Is summa ope monachis restitit: Sed Archiepiscopi potentia, & papae, ad quem appellatum erat, gratia, monachi superiores in causa fuerunt; quibus saeculares clerici cedere coacti sunt. His gestis Urbanus papa Cantuariensem Archiepiscopum Simonem Langham Avinioni titulo sancti Sixti cardinalem creavit. Quo audito permotus rex praedia Archiepiscopatus tanquam vacantis in suam potestatem recepit. At Archiepiscopus nihilo turbatus, aegre tandem a rege impetrata Avinionem proficiscendi licentia, a suo famulatu destitutus, omnibus Archiepiscopatus insignibus exutus, omnique jurisdictione

 tione priori & conventui Cantuarienſi dimiſſa, ad pontificem properavit. Ibi ſuſcepto cardinalatu in maxima papae, Romanaeque curiae gratia vixit; poſteaque a Gregorio papa undecimo cardinalis Praeneſtinus Epiſcopus creatus eſt. Neque haud ita diu vixit; quin Avinioni vita functus atque ſepultus ſit. Ac triennio poſt oſſa ejus exhumata, & ad Weſtmonaſterienſe coenobium, quod, ut mox dicemus, maxime adamavit plurimiſque donis ac ingentibus affecit, deducta ſepulchroque honorifico condita ſunt. In eccleſiam Cantuarienſem non ita liberalis ac munificus fuit; ad quam cum ab Elienſi traduceretur, haec carmina poeta quidam compoſuit:

Exultent coeli, quia Simon tranſit ab Ely;
Cujus in adventum, flent in Kent millia centum.

EJUSDEM in Weſtmonaſterienſe coenobium inexhauſta extitit & profuſa liberalitas: In quo ſimul atque abbas fuiſſet, quaecunque monachus aut prior ante comparaverat, conſumpſit: in ipſo primo ingreſſu aes alienum eccleſiae Weſtmonaſterienſis, quod ab anteceſſoribus ſuis contractum erat & ad ſummam duarum millium & ducentarum marcarum creverat, diſſolvit. Grandem inſuper pecuniam, quam monachi mercatoribus ſigillatim debebant, ſolvit. Quos ut filios ſemper fovit monaſterioque continuit; nihil ab his unquam ad ſe privatim abduxit, ſed, ut eorum portiones augeret, de ſuo conceſſit. Deinde, cum regis eſſet theſaurarius & cancellarius, permultis comparatis praediis, illud coenobium locupletavit. Ex Anglia diſcedens libros octingentis & triginta libris, cappaſque & veſtimenta quadringentis triginta & ſeptem libris aeſtimata eidem monaſterio donavit. Moriens etiam omnia ſua nomina atque debita, tum vaſa aurea ac argentea, legavit: Debitorum ſumma trium millium nongentarum quinquaginta & quatuor librarum tredecim ſolidorum & quatuor denariorum in inventario deſcripta fuit. Vaſa vero duobus librarum millibus ac ſeptingentis aeſtimata ſunt. Praeterea cardinalis Carthuſianorum coenobium Avinioni condidit: & ad conventum Weſtmonaſterienſem mille marcas miſit, ad annuum redditum quadraginta marcarum comparandum; ad augendas portiones quatuor monachorum, qui perpetuas miſſas pro ſe & parentibus celebrarent. Pecuniae ſumma, quae ex hujus beneficentia ad Weſtmonaſterienſe coenobium pervenit, exiſtimatur fuiſſe octingentarum librarum & decem millium. Unde monachus Weſtmonaſterienſis carmina conſcripſit:

Ex lib. de fundatione eccleſiae Weſtmon.

Res, AEs, de Langham tua Simon ſunt data quondam
Octingentena, librarum millia dena.

HUNC itaque multis encomiis monachi Weſtmonaſterienſes celebrarunt; dignumque eſſe dixerunt, ut qui cum primo illius eccleſiae fundatore compararetur. Cujus tumulo hoc epitaphium inſcripſerunt:

Simon de Langham ſub petris hiis tumulatus,
Iſtius eccleſiae monachus fuerat, prior, abbas;
Sede vacante fuit electus Londinienſis
Praeſul, & inſignis Ely; ſed poſtea primas
Totius regni, magnus regiſque miniſter:
Nam theſaurarius, & cancellarius ejus,

Ac

Ac cardinalis in Roma presbyter iste,
Postque Praenestinus est factus Episcopus, atque
Nuncius ex parte papae, transmittitur istuc.
Orbe dolente, pater, quem nunc revocare nequimus,
Magdalenae festo milleno septuageno
Et ter centeno sexto Christi ruit anno:
Hunc Deus absolvat, de cunctis quae male gessit,
Et meritis Matris sibi coelica gaudia donet.

IN hoc autem cardinali catalogum Anglorum cardinalium ex ipsa Romana curia desumptum descripsimus.

CARDINALES ANGLICI.

I. HADRIANUS PAPA. 4.

Author illorum temporum.

NICOLAUS, cognomento Boso, natione Anglus, ex oppido sancti Albani, Bathoniensis dioecesis monachus, ordinis sancti Benedicti, in monasterio de Malmsburia in Anglia, &c. Fuit abbas in monasterio sancti Rufi prope Valentiam in Galliis in eadem congregatione: quum ob abbatiae suae negotia ad sedem apostolicam sub Eugenio tertio papa venisset, in ejusdem pontificis notitiam venit: qui cognita ejus virtute, doctrina, morum gravitate & sanctitate eum Episcopum cardinalem Albanum creavit, licet invitum & renitentem; legatumque sedis apostolicae creavit, mittens eum ad partes Norvegiae & Sueciae, ut Christum gentibus illis barbaris praedicaret. Ipse autem in legatione proficiscens sua praedicatione intra aliquot annorum spatium ita profecit; ut omnes gentes, quarum gratia profectus fuerat, ad Christi fidem traduceret. Re bene gesta Romam reversus Anastasium quartum, qui Eugenio tertio successerat, mortuum invenit, anno sui pontificatus primo vix exacto, magni nominis vir jam factus. Quamobrem omnium cardinalium suffragiis tertio nonas Decembris, aliquibus diebus ab obitu papae Anastasii quarti jam elapsis, in ejus locum pontifex maximus renunciatus, Hadrianus quartus appellari voluit, anno Christi 1154. Sedit annos quatuor & menses novem; Fredericum imperatorem, cognomento Barbarossam, coronavit. Obiit Anagniae anno Christi 1159. Kalendas Septembris: cadaver Romam allatum in Basilica sancti Petri in pilo marmoreo juxta capellam Gregorii papae tertii sepultum est.

II. BOSO.

BOSO, Anglus papae Hadriani nepos, diaconus cardinalis titulo sanctorum Cosmae & Damiani; post presbyter cardinalis titulo sanctae Pudentianae & sacrae Romanae ecclesiae camerarius, ab eodem papa Hadriano quarto creatus.

III. ANCHERUS.

ANCHERUS civis & archidiaconus Londoniensis presbyter cardinalis titulo sanctae Praxedis ab Urbano papa quarto anno 1262.

IV. ROBERTUS.

FRATER Robertus de Kylwarby, ordinis praedicatorum, Anglus, magister in theologia ex Archiepiscopo Cantuariensi Episcopus Portuensis, & sanctae Rufinae cardinalis a Nicolao papa tertio creatus anno 1277.

V. BER-

V. BERNARDUS.

BERNARDUS de Anguiscello, Anglus, ex Archiepiscopo Arelatensi Portuensis Episcopus & sanctae Rufinae cardinalis a Martino papa quarto creatus 1281.

VI. HUGO.

HUGO Atratus, Anglicus, presbyter cardinalis titulo sancti Laurentii in Lucina, ab eodem papa creatus anno 1281.

VII. BERARDUS.

BERARDUS, Anglus Episcopus cardinalis Praenestinus a Nicolao quarto creatus 1288.

VIII. LEONARDUS.

LEONARDUS Guercini, Anglus, Episcopus cardinalis Albanus a Bonifacio octavo creatus 1300.

IX. GUILLELMUS.

FRATER Guillelmus, Anglus, ordinis praedicatorum, magister in theologia, presbyter cardinalis titulo sanctae Sabinae a Benedicto undecimo creatus 1303.

X. GUALTERUS.

FRATER Gualterus, Anglus, magister in theologia, ordinis praedicatorum, regis Edwardi primi confessor, presbyter cardinalis titulo sanctae Sabinae, a Benedicto undecimo creatus 1304.

XI. THOMAS.

FRATER Thomas, ordinis praedicatorum, magister in theologia, Oxoniensis, presbyter cardinalis, titulo sanctae Sabinae, a Clemente quinto creatus 1305.

XII. ADAM.

ADAM Anglus, Episcopus, Herefordensis, presbyter cardinalis, titulo sanctae Caeciliae, ab Urbano sexto creatus 1378.

XIII. PHILIPPUS.

PHILIPPUS Anglus, Episcopus Lincolniensis, magister in theologia, titulo sanctorum Nerei & Achillei, a Gregorio duodecimo papa creatus 1408.

XIV. THOMAS.

THOMAS Anglus, Episcopus Dunelmensis, presbyter cardinalis, titulo sanct.

XV. ROBERTUS.

ROBERTUS Anglus, Episcopus Sarisburiensis, presbyter cardinalis, titulo sanct.

a Johanne vicecesimo tertio creati 1411.

XVI. HENRICUS.

HENRICUS Beaufort Anglus, Episcopus Wintoniensis, presbyter cardinalis, titulo sancti Eusebii, absens creatus a Martino quinto 1426.

XVII. JOHANNES.

JOHANNES Stafford Anglus, Archiepiscopus Cantuariensis, presbyter cardinalis, titulo sanctae Balbinae, ab Eugenio quarto creatus 1439.

XVIII. THOMAS.

THOMAS Bourchier Anglus, Archiepiscopus Cantuariensis, presbyter cardinalis, titulo sancti Cyriaci in Thermis, a Paulo papa secundo creatus 1465.

XIX. JOHANNES

JOHANNES Morton Anglus, Archiepiscopus Cantuariensis, presbyter cardinalis, titulo sancti Anastasii ab Alexandro sexto creatus 1493.

XX. CHRISTOPHORUS.

CHISTOPHORUS Banbrigge Anglus, Archiepiscopus Eboracensis, presbyter cardinalis titulo sanctae Praxedis, a Julio papa secundo creatus 1511.

XXI. THOMAS.

THOMAS Wolseyus ex oppido Suffolciensi Ipsewiche dioecesis Norvicensis, Archiepiscopus Eboracensis, presbyter cardinalis titulo sanctae Caeciliae, a Leone decimo creatus anno 1515.

XXII. JOHANNES.

JOHANNES Fisherus Episcopus Roffensis presbyter, cardinalis titulo sancti Vitalis,

XXIII. REGINALDUS.

REGINALDUS Polus Anglus, diaconus cardinalis, titulo sanctae Mariae in Cosmedin,

} a Paulo papa tertio creati.

SUNT & alii decem cardinales Angli, vel plures, ante Adriani quarti tempora; quorum cognomina & titulos ignoramus.

IN hoc catalogo hic Simon Langham non recensetur; sicut nec Stephanus Langton, nec Johannes Kemp, qui Cantuarienses Archiepiscopi fuerunt; quos verisimile est ex illo omisso numero fuisse.

Ex rota temporum collectum a fratre minore Scoto, anno Domini 1530.

SED haec nostrorum cardinalium commemoratio non adeo admirabilis est, atque illa Romanorum pontificum computatio, quam Johannes vigesimus secundus papa de suis praedecessoribus collegit. Recenset enim ex ordine sancti Benedicti, cujus ipse fuerat, papas viginti quatuor fuisse; cardinales centum, octoginta & tres; Archiepiscopos mille, quadringentos & sexaginta quatuor; Episcopos ter mille, quingentos & duos; abbates innumerabiles.

Haec Jo. Malverne Mon. Wig. in continuatione Ranulphi, anno 1376.

HIC cardinalis Simon Langham, dum sedit in collatione sua post prandium, subito paralysi percussus loquelam suam amisit; qui per tres vel quatuor dies supervivens, in festo sanctae Mariae Magdalenae spiritum suum Deo reddidit: Cujus corpus apud Donezere juxta Avinionem inter fratres Carthusienses in ecclesia nova, quam ipse a fundamentis fecerat construi, est sepultum; & post, processu temporis ossa ejus inde apud Westmonasterium, ubi primitus fuerat abbas, in Angliam ordinavit deferri; cui monasterio multa bona legavit. Hic duobus annis paulo amplius sedit; constitutionem unam aut alteram edidit; quarum una in titulo de Consuetudine inserta est.

C. Statutum.



LVII. GULI-




Simonis Langham.
WESTMONASTERII.

Ab An. Chr. mccclxviii.

LVII. Gulielmus Wittlesey.

Ad An. Chr. mccclxxv.





Ulielmus Wittleſey conſanguineus fuit Simonis Iſlippe Cantuarienſis quondam Archiepiſcopi, ab eoque non modo educatus & liberaliter inſtitutus, ſed ad multos honoris gradus evectus. Adoleſcens ex avunculi conſilio juri operam dedit; ac utriuſque juris doctor ejuſdem negotia in Romana curia procuravit. Quae cum ſedulitate atque fide ad exitum perduxiſſet, in Angliam reverſus, fuit vicarius Archiepiſcopi generalis, atque officialis; tum decanus de Arcubus: quibus muneribus archidiaconatum Huntingdoniae & rectorias de Croydon atque Clyff adjunxit. Ab his eccleſiis atque muneribus ad Roffenſem Epiſcopatum, inde ad Wigornienſem, poſtremo, Simone Langham creato cardinali & ad Romanum pontificem abducto, ad Cantuarienſem Archiepiſcopatum ab Urbano papa, quinto idus Octobris, tranſlatus eſt. Archiepiſcopatus autem temporalia ei Weſtmonaſterii decimo quinto die Januarii reſtituta ſunt. Fuerunt tunc temporis Avinioni Angli quidam juris civilis & pontificii periti: E quibus quatuor, videlicet, Thomas Paxton, Robertus Stratton, Johannes Shepdam, & Simon Sudbury maximae authoritatis in curia Romana & cauſarum in rota auditores fuerunt; quibus Archiepiſcopus authoritatem procuratoriam dedit a papa petendi & ad ſe tranſmittendi pallium: Id quod ei a Willielmo Wickham Wintonienſi Epiſcopo, undevigeſimo Aprilis Lamethae traditum eſt. Et decimo ſexto die menſis Junii proximo Cantuariae ſine ſolita ſpecie atque pompa inthronizatus eſt. Anno ſequenti, viceſimo primo, videlicet, Januarii celebravit cleri ſynodum in eccleſia Paulina Londini; in qua ipſe latine, docte ac diſerte concionatus eſt. In qua ſynodo Robertus Thorp, Johannes Knyvet, & Thomas Ludlowe regis juſtitiarii, regis nomine, triennales decimas a clero concedi ad bellicos ſumptus petierunt: Et multo ſermone habito clerus biennales decimas aegre tandem conceſſit. Ac poſtea, cum ea conceſſione rex contentus non eſſet, dux Lancaſtriae, regis filius, comes Arundeliae, comes Warvicenſis, & dominus Guido Bryanus ſynodum ingreſſi inſtarunt, regi bellum tam diuturnum pro incolumitate atque gloria patriae tam praeclare feliciterque gerenti triennales decimas a clero, qui ab omni opera & labore belli immunes fuerint, non eſſe denegandas: Quorum inſtantia atque praeſentia, decimae ſtatim nullo contradicente conceſſae ſunt. Eodem anno Urbanus quintus papa Gulielmo Archiepiſcopo acriter praecepit, ut uniones beneficiorum eccleſiaſticorum & eorum impropriationes factas monaſteriis diſſolveret, eaſque deinceps fieri haud permitteret; ſed hoc papae praeceptum, eo mortuo,

Ste. Byrchin Arch.

An. 1368.

An 1369.


Ste. Byrchin. An. 1370.

Ab An Chr. MCCCLXVIII. Ab An Chr. MCCCLXX...

tuo, oblivioni commissum, nunquam postea renovatum est. Carthusianorum item coenobium Londini sumptibus Michaelis Northburgh Londinensis Episcopi, & Walteri Manny militis, cum illa mortifera pestis, de qua in Johanne Ufford antea diximus, in Anglia grassabatur, inchoatum, Londinensi Episcopo mortuo, ab eodem Waltero etiam hoc anno per- An. 1371. fectum est. Edwardus rex, multis commissis praeliis & hostibus saepe fusis, bellum paulatim intermittere, & ad pecunias exhaustas reficiendas in Angliam redire, coactus est. Itaque parliamentum Londini celebratum est. In quo de bellico sumptu, & regiis opibus, regnique facultatibus consumptis actum est: Tantaeque ac tam atrocis criminationis invidia in clerum, quia omnia regia munera civiliaque officia, proceribus bellum cum rege in militia gerentibus, ab his administrata fuerunt, conversa fuit. Quo in clerum concitato motu, proceres, ut clerum in regis odium adducerent, & ab hujusmodi muneribus amoverent, regi suadent multo sibi atque universo regno commodius magisque e re fore, si clericis ab- Tho. Walsingham. cum aliis. dicatis in eorum loca laicos substitueret. Rex ex hac novitate commodum sperans, exactis a clericis administrationum suarum rationibus, hisque amotis, tam cancellariae, quam aerario suo aliisque officiis regiis praeposuit laicos. Quorum administratio tanto detrimento atque incommodo regi ac reipublicae fuit; ut ne quinque annis retinere officia sibi commissa potuerunt, quin clericis restitutis cederent; ut in Simonis Sudbury Cantuariensis Archiepiscopi vita in proximo loco dicetur. In hoc parliamento cleri synodus ab Archiepiscopo in ecclesia Paulina Londini celebrata est, vicesimo quarto die Aprilis; ad quam a rege missi venerunt Robertus Thorp cancellarius, & Richardus Scroop thesaurarius regis, utrique clericis nuper amotis succedentes. Hi subsidium quinquaginta millium librarum a clero regi exhiberi in tantis bellorum sumptibus & difficultatibus petierunt. Clerus hoc infinito sumptu bellico exhauriri jam ecclesiam docent, nec sibi superesse tribuendi amplius facultatem. Eo itaque die regis ministri discedunt vacui. Interjectis paucis diebus, oratione magis instructa atque meditata, redeunt; sed nihilo magis profecerunt. Archiepiscopus regi & proceribus obsequutus synodum ad capellam in ae- Polych. continuator Arch. dibus ducis Lancastriae sitam ab ecclesia Paulina prorogavit. Eo adesse singulos jussit. Et quamvis statuto tempore abessent plures; tamen ducis Lancastriae, procerumque solicitatione, maxime vero Edwardi regis filii oratione, qui plurimas se promisit immunitates atque libertates a patre suo clericali ordini concedi procuraturum; omnes, qui aderant, solutioni quinque millium librarum concesserunt. Gulielmus autem Archiepiscopus, jam, senio confectus, corpore fuit tam debili ac infirmo, ut An. 1374. nulla re gesta duos pene annos domi aeger acquievit. Sexto autem translationis suae anno, rege id procurante, synodum in ecclesia Paulina convocavit. Ipse suggestum ascendens de hoc themate, "Veritas liberavit "nos," latine praedicavit. Cumque peroravisset, valetudinis infirmitate synodo discedere, & vices suas Londinensi Episcopo committere coactus est. In hac synodo iterum a clero regis nomine petitum subsidium fuit. Clerus se jam paucis annis regiis sumptibus exhaustum penitus & enervatum conqueritur; eoque magis, quod non minus a rege, quam a papa, singulis pene annis interpellarentur. Cujus intolerabile jugum si a suis cervicibus depelli posset, subvenire se posse commodius regiis necessitatibus: Eaque tandem lege annalis decima concessa regi fuit. Sed

Guli-

P. 381



Gulielmi Wittlesey.

Ad An. Chr. MCCCLXVIII. | Ad An Chr. MCCCLXXV.


Gulielmus Courtney Herefordensis tunc Episcopus, qui postea, ut dicemus, ad hunc Archiepiscopatum evectus est, nobilitate & genere suo fretus, erat enim comitis Devoniae filius, media synodo se animose extulit, altaque voce edixit: Nec se neque suae dioecesis clerum quicquam daturos, antequam rex his calamitatibus, quas clerus tam diu passus est, remedium adhibuerit. Hac transacta synodo missi sunt ad papam a rege nuncii; ut cum eo agerent, ne deinceps beneficiorum vacantium reservationes & provisiones faceret; & ut electi ad cathedrales, vel conventuales, ecclesias suis electionibus pleno jure gauderent, & a Metropolitanis ex veteri more & instituto firmarentur; aliaque exponerent papae, in quibus rex populusque atque clerus Angliae se nimis diu jam gravari senserat: Quibus papa responsa in scriptis conclusa dedit: ad quae rex ex Praesulum procerumque suorum sententia rescribere vellet, papam de regiis postulatis determinaturum. Hoc accepto responso, in parliamento decretum est; ut cathedrales ecclesiae suis libere electionibus fruerentur; easque rex nec sua potentia, nec intercessione ad papam impediret, sed ope & authoritate juvaret. Quod tamen saluberrime conditum statutum deinceps parum profuit, nec diu servatum est: Etsi mox in An. 1374. consuetudinem usumque receptum in exemplo Thomae Arundel, a monachis Eliensibus electi Episcopi, fuit: Quam electionem nono die Aprilis Gulielmus Archiepiscopus in capella sua Ottefordiae confirmavit, ipsumque electum eodem die ibidem consecravit. Quo anno, quinto die Junii in summa senectute & aegritudine Archiepiscopus Lamethae ex hac vita decessit; postquam annis quinque, mensibus septem, & viginti ac quatuor diebus sedisset. Sepultus jacet in navi ecclesiae Christi Cantuariensis, inter duas columnas e regione tumuli Simonis Islippe. Hujus Ar- Arch. chiepiscopi intercessione atque gratia Oxoniensis academia a jurisdictione Lincolniensis Episcopi per Urbanum quintum papam exempta est; & tam libera potestas cancellarium suum eligendi facta scholaribus, ut cancellarius sine admissione quacunque, simul atque electus sit, magistratum inire atque gerere possit.



Ad An. Chr. MCCCLXXV.

LVIII. Simon Sudbury.

Ad An. Chr. MCCCLXXXI.





Ostquam in superiori, ut diximus, parliamento electionis libertas a papis atque regibus tot saeculis impedita, renovata jam ac restituta visa sit; monachi Cantuarienses, quos libertas effraenatos & indomitos, servitus autem moderatos satisque tolerabiles, semper effecit, Gulielmo Wittlesey Cantuariensi Archiepiscopo mortuo, votis & suffragiis suis Anglum quendam Avinioni cardinalem, qui patriam deseruisset, ad Archiepiscopatum poscebant. Quod monachorum tam adversum regno atque perversum studium regem tam justo dolore affecit; ut de eis proscribendis, & tam monasterio quam regno expellendis, consilium haberet. Sed Gregorius undecimus tum papa, ut regem monachis conciliaret, eam postulationem repudiavit; regeque consentiente Archiepiscopatum Cantuariensem Simoni Sudbury Londinensi tunc Episcopo provisionis titulo donavit. Hoc itaque tam recenti novoque exemplo, praefractorum monachorum protervia illius de liberis electionibus saluberrimae legis vires fregit & papalem authoritatem conservavit.

Ste. Byrch. Arch.

Simon Sudbury, alias Tybald, dictus est: Hoc enim nomen a patre: illud a patria seu civitate accepit. Nigello Tybald patre, stirpe generosa Sudburiae, Suffolciae oppido, in parochia sancti Gregorii natus est. Ab ineunte aetate in literis educatus, cum adolevisset, ad Gallicas & Italicas academias ad civilis & pontificii juris cognitionem habendam a patre missus, doctoris gradum suscepit. Avinionique Innocentii sexti domesticus capellanus & causarum in Romana rota auditor fuit; cum idem Innocentius cancellariatum ecclesiae cathedralis Sarisburiensis provisionis titulo contulit: mortuoque Michaele Northburgh Londinensi Episcopo eadem provisione ad Londinensem Episcopatum evexit. In quo cum multis annis quietus regique Edwardo tertio obsequens sedisset; provisione papae Gregorii contra monachorum postulationem translatus est. Cui in Londinensi Episcopatu Gulielmus Courtney Herefordensis tunc Episcopus, eoque mortuo, ut deinceps dicendum est, in Archiepiscopatu Cantuariensi, successit. Translationis sive provisionis suae bullas papales Londini accepit ineunte mense Junii. Quibus publicatis ad Archiepiscopatum sese transtulit. Primo translationis suae anno, Angli atque Galli longo Marte defessi ad pacis foedera ineunda proclives esse coeperunt. De qua re utrinque legati Brugas missi sunt. Ex Anglia Cantuariensis Archiepiscopus, & dux Lancastriae legati Gallos Brugis convenere. Ibi aliquot mensium facta mora transactum nihil est; itaque mense Martio reversi sunt. Et Archiepiscopus dominica Palmarum post reditum, Cantuariae cum solita magnificentia, comite Staffordiae senescallo in epulis admini-

An. 1375.

An. 1376. Polych. continuator. Arch.

miniſtrante inthronizatus eſt. Poſtea, cum nec pacis eſſet ſpes, nec ad bellum propagandum paratae facultates; parliamentum, ut his anguſtiis ſubveniatur, convocatum eſt. In eo etiam habita Londini in eccleſia Paulina ſynodus; in qua Archiepiſcopus in concione hunc locum Scripturae latine tractavit: "Datum eſt vobis noſcere myſteria." Concione finita, regis nuncii ſynodum ingreſſi ſunt; qui diuturnum bellum, multas praeclare partas victorias, regiſque inopiam ac egeſtatem longa oratione commemorantes, opem pecuniariam a clero flagitant: Reque expoſita ſine reſponſo diſcedunt. Deinde Gulielmus Courtney Londinenſis Epiſcopus, qui ſe antea, ut in Gulielmo Wittleſey diximus, his ſolutionibus oppoſuit, injurias multas ſibi ac Gulielmo Wickham Wintonienſi Epiſcopo factas, in ſcripta redactas exhibuit ſynodo: Petiitque, ne quid regi concedatur, antequam pro illis injuriis ſatisfiat. Synodus aſſenſa conſtituit Archiepiſcopum, ut regem conſuleret. Is prorogata ſynodo regem adiit, cleri offenſas exponit, ut Epiſcopus Wintonienſis reſtituatur, intercedit. Rex paulo ante in lethalem morbum inciderat; & de cleri poſtulatis deliberandi tempus petiit; eum tamen in ſpem inducit, ſe omnes commemoratas injurias ablaturum. Hac ſpe Archiepiſcopus clericorum animos erigens, modicum interim ſubſidium obtinuit; ut ſinguli clerici beneficiis aut dignitatibus praediti duodecim denarios, curati autem quatuor denarios, regi ſolvant. Huic ſynodo Wickhamus Wintonienſis Epiſcopus, a rege proſcriptus nondum tamen reſtitutus, interfuit. Cui ingredienti a ſingulis honorifice aſſurrectum, locuſque ſedenti honori ſuo congruus delatus eſt. Lancaſtriae dux, mortuo jam Edwardo regis filio inviсtiſſimo principe, tum rege aegroto, regnum pene ſolus adminiſtrabat. Qui in maximam affectati regni ſuſpicionem venit; quod, cum militibus atque burgenſibus parliamentum egerat, ut legem Salicae legi in Galliis ſimilem conderent: Ne foeminis in Anglia regnum jus ſucceſſionis daretur. Qua impia ſuaſione populum, quem lenire ſibique verborum ſumma blanditie devincire ſtuduit, maxime alienavit. Deinde nobiliſſimum virum Edmundum Mortimer Marchiae comitem, cujus filia proxima, poſt Richardum regis nepotem, regni haeres extitura fuit, infeſtavit. Clero toti inviſus ob multas injurias: Hic enim author fuit, cur a regiis muneribus, ut in Gulielmo Wittleſey antea diximus, eſſent amoti: Sed, cum his novis rebus tam occulte ſtuderet, regi ſuſpectus in minori indies fuit gratia. Itaque, eo invito, Wintonienſis Epiſcopus & ſuae priſtinae dignitati, & omnibus epiſcopalibus juribus, quibus diu caruerat, reſtitutus eſt. Tum dominus Latymer regis camerarius duci Lancaſtriae conjunctiſſimus, aula excluſus & ejectus; omneſque laici, qui proceribus procurantibus, amotis clericis, negotiis curiiſque regiis praeficiebantur, tanquam mali adminiſtratores abdicati, & clerici iterum recepti, ſunt. Adam Houghton Menevenſis Epiſcopus cancellarius, & Henricus Wakefeld Wigornienſis theſaurarius, fuerunt: Johanne Knyvet, & Richardo Scroop laicis, qui ea munera prius gerebant, turpiter & cum infamia dejectis.

Arch. T. Walſing. — Uxor — Walſing

Et quia tempus ipſum nos duxit in memoriam & recordationem ſagaciſſimi & opulentiſſimi Praeſulis Willielmi Wickham Wintonienſis Epiſcopi; breviter commemoremus ea, quae a probatae fidei ſcriptoribus de eo referuntur; non ut praecones; celebrandi enim eumque laudandi partes his concedimus, qui ex collegiorum ejuſdem profecti ſpatiis majori & abundant

De Willielmo Wickam.

abundant otio & facultate praediti ſunt; ſed, ut ex hiſtoriae fide atque veritate perſpiciamus, quam minimis initiis exorſa grandia, modicis paulatim incrementis, ad tantam magnitudinem creverunt. Genere infimo adeoque perobſcuro ortus eſt; ut quidam ſervili fuiſſe conditione ferant: Aliiſque inſuper nominibus Perottum & Longum appellatum ſcribunt. Et tamen quocunque modo in clericalem cenſum irrepſit tandem: Vix enim mediocriter eruditum, etſi in pleriſque rebus peragendis ſolertem & perſpicacem, fuiſſe conſtat: Tum clericali ordine ſuſcepto Windeſoriae vixit aliquandiu ignobilis & inter pauperiores clericos. Sed eo tempore rex Edwardus tertius multa aedificia in arce Windeſoriae demolitus, eadem lautius & elegantiori ſtructura aedificare ſtatuit. In hoc novo opere Wickhamus ſe primo inter fabros & operarios, cum ibi in paupertate, ordine tamen clericali, egiſſet, interpoſuit & aſſiduus fuit; ſaepeque, cum otioſus tantum ſpectator eſſet, & operam ac manum adhibebat & de ordine modoque aedificandi ſententiam dixit ſuam. Habuiſſe enim in architectura peritiam, ſive eam in ſervilibus operis, antequam eſſet clericus, ac herili inſtitutione, ſive inſtinctu bonitateque ingenii accepit, indoctus enim hoc ab arte aliqua methodove habere non poterat, hinc conſtat: quod fama hominis regi nunciata tanto operi perficiundo praefectus fuit; &, ut chronographus ſcribit: "Willielmum Wickham rex de paupere "clerico aſſumens, conſtituit ſuperviſorem operum ſuorum; & ad ejus "diſpoſitionem omnia ejus aedificia tunc temporis erant peracta." Jamque vir in hoc artificio intelligentiſſimus, idemque aſſiduus atque frugi, a tenuiſſima fortuna, quam diu toleravit, ad regis ſervitium deductus, non minus obſequendi regique in omnibus ſatisfaciendi rationes, quam aedificandi, ſequutus eſt. Neque enim commodius quicquam magiſque opportunum ei ad regis benevolentiam captandam eveniſſe potuit, quam illud tam accuratum in aedium lautitie atque magnificentia ſtudium: in quo rex, victoriis partis, & ob ſenium a militia ceſſans maxime coepit delectari: Cumque omnia ad hoc aedificium ſpectantia Wickhami poteſtati ac arbitrio permiſſa eſſent; undique ex toto regno conquiſivit omnis generis architectos, fabros, caementarios, & hujuſmodi tam extruendi quam deſtruendi operarios. Quorum ad tantum opus tanta opificum multitudo requiſita eſt; ut a rege edictum ſit per totam Angliam, ut omnes opifices ad ſuum opus ſuſcipiendum convenirent, nec quiſquam ullum penes ſe retineat, niſi hoc novo opere perfecto & abſoluto. Hic Wickhamus ſummus architectus non minori ſedulitate quam intelligentia quotidie imperitabat. Quo obſequio & aſſiduitate in tantam regis gratiam ſeſe inſinuavit, ut in omni pene conſuetudine ac colloquio familiariſſimus ei fuerit. In qua opportunitate cum & pluralitas beneficiorum Anglicanis clericis, ſicut in Simone Langham antea diximus, in uſu maxime fuerit, & ei a rege facile fuit impetrare; aliorum exemplo, regiſque conceſſione atque gratia, beneficia eccleſiaſtica atque dignitates coacervavit. Nam praeter archidiaconatum Lincolnienſem, & Wellenſem praepoſituram, & illam uberrimam rectoriam de Manihent in Devonia, duodecim praebendas in cathedralibus eccleſiis obtinuit. Quae omnia conjuncta beneficia in papali regioque cenſu octingentis & ſeptuaginta ſex libris, tredecim ſolidis, quatuor denariis tunc aeſtimata fuerunt. His locupletatus beneficiis, cum & ingenio & rerum multarum uſu ac experientia valeret, regemque aſſiduo obſequio, proceresſque atque aulicos comitate humanitateque leniret,


generis

Johan. Bale. J. Leland.

Contin. Hiſt. Ran.

Verb. author.

In Regiſt. Sim. Lang. Fol. 12.



Edwardi Principis Walliae
NIGRI appellati
CANTUARIAE

Ab An. Chr. MCCCLXXV.

Ad An Chr. MCCCLXXXI.

generis ignobilitatem literarumque inſcitiam ita adumbravit; ut ejus gratiam exiſtimationemque non minuerent: is autem nobiliſſimum doctiſſimumque quemque tam opibus quam dignitate anteiret: Nam, eo Windeſoriae perfecto jam & fabricato aedificio, rex ei privati ſigilli cuſtodiam commiſit, & quaecunque conſilia communicavit. Idem ſuaſor regi fuit in inſula de Shepey caſtellum, ut portus & emporium mercatorum fieret, extruendi; etſi locus ipſe parum commodus ei rei putaretur. Quidam narrant Wickhamum extructa arce Windeſorina, in interiori quodam pariete haec verba, quae Latine tam appoſite & facete exprimi nequeunt, inſculpſiſſe: "**This made Wickham,** Hoc fecit Wickham." Quae locutio in Anglicana lingua, quae caſibus raro diſcriminatur, tam ambigua eſt; ut incertum ſit, utrum is arcem, an arx eum, effeciſſet. Hoc regi a calumniatoribus quibuſdam in ejus invidiam ita delatum eſt; quaſi Wickhamus omnem extructi aedificii laudem ſibi arroganter vendicaret: Quod cum rex iniquo animo tuliſſet eique probroſe objeciſſet: non ſibi tam magnificae regiaeque ſtructurae laudes, ſed ſtructurae ſuas dignitates commoditateſque, aſcripſiſſe dixit: "Nec ego, inquit, hanc arcem; ſed "haec arx me, effecit, & ab ima conditione ad regis gratiam, opes at-"que dignitates evexit:" Cum hoc reſponſo adverſariorum calumniam vitaſſet, opibus & potentia crevit indies. Vacanteque, ut diximus, Epiſcopatu Wintonienſi, cum rex ad ſummum honoris apicem hominem infimum perducere ſtuduiſſet: inſtituit eum regni cancellarium, & cum Urbano papa egit, ut Wintonienſis Epiſcopus crearetur. Sed papa, ſive quod inops literarum, ſive quod locuples pecuniarum Wickhamus fuerit, etſi, rege inſtante, a Wintonienſibus monachis electus ſit, confirmationem anno amplius diſtulit; commiſſa tamen ei ſpiritualium & temporalium rerum illius Epiſcopatus interim cuſtodia. Cum Wintonienſem Epiſcopatum cupide ambiret; quidam ferunt regem ipſum doctrinae exilitatem tenuitatemque ei exprobraſſe: Wickhamumque reſpondiſſe: etſi indoctus fuerit; ſe tamen foecundum foetum parturire, qui doctorum hominum maximam copiam procrearet. Id de ampliſſimis illis collegiis, quae Oxonii ac Wintoniae extruxit poſtea, ſubintellectum eſt. Verum ei in ſummo jam honoris gradu collocato orta mox invidia eſt: Nam a duce Lancaſtriae Johanne Gaunt, qui, ut ante diximus, regem in totum clerum concitaverat, repetundarum atque fraudis in omnibus, quos geſſerat, magiſtratibus accuſatus eſt: Ejuſque potentia, cum ad regem jam infirmum accedere, ut ſolebat, non potuit; tractus in regium forum, nulla ſibi reſpondendi aut crimina diluendi conceſſa dilatione aut venia, a violento quodam judice Willielmo Skipwith regis tum juſtitiario condemnatus eſt. Tum, eodem duce procurante, ablata ſunt ei Epiſcopatus ſui temporalia: quae, ut vulgarem plauſum, cujus perſtudioſus fuit, captaret, Richardo principi, de Burdegalia, regis nepoti, atque comiti Ceſtriae, qui tum etiam Walliae principatum, qui Edwardi patris ſui fuerat, accepit, concedi impetravit. Ita Wintonienſis Epiſcopus Wickhamus, ſpiritualibus Epiſcopatus ſui ſuſtentatus, temporalibus diu caruit. Praeterea dux eidem, regis nomine, praecepit, ne aulae regis intra viceſimum lapidem appropinquaret. Hujus autem tam atrocis odii ducis ac vindictae cauſa fuit; quod Wickhamus nativum ducis ſtatum in controverſiam vocaſſet: Nam, cum dux, ut diximus, regnum clandeſtinis & occultis modis quaereret; Wickhamus eum ſuppoſititium, non regium, partum fuiſſe dixit: Reginam enim gravi-

Walſing. Continuator Hiſt. Ranul.

Ab An. Chr. MCCCLXXV. Ad An. Chr. MCCCLXXXI.

dam, quae Gandavi peperit, non filium, ſed filiam, edidiſſe: Tum verita ne id rex aegre ferret, qui maſculum deſiderabat, ſupponi ſibi juſſiſſe Flandrenſis cujuſdam foeminae filium eodem pene momento natum; & ita foviſſe ac regi exhibuiſſe partum, quem non peperit, videlicet, Johannem de Gaunt Lancaſtriae ducem: Et haec omnia reginam moribundam ſibi ſecretiſſima confeſſione retuliſſe; obnixeque rogaſſe, ut ſi Johannes ille Gandavenſis vel regnum affectaret, vel, deleta regia ſobole, haereditario jure capeſſeret; Willielmus Wickham hoc palam divulgaret; ne haereditas regni ad alienum & ſuppoſititium deveniret. At Wickhamus, etſi in hac epiſcopali tantum umbra atque ſpecie, & bonis & regis gratia ſuaque authoritate, quibus ante floruit, careret; tamen ducis potentiam malevolentiamque callido & aſtuto conſilio, cum aperta vi non potuit, antevertit. Regi jam aegroto ipſaque ſenectute confecto ſemper aderat atque miniſtrabat quaedam foemina Alicia Peres: Haec regi languido & infirmo obſecuta, majorem quam ipſe dux cum rege iniit gratiam: temporiſque commoditatem commodis ſuis adjungens, de multorum cauſis, muneribus praemiiſque conducta, ſolicitavit regem. Hanc, praeſente mercede & uberiori promiſſa ſpe, Wickhamus adduxit; ut a rege reſtitui ſibi ablata Epiſcopatus jura, tam ea, quae ante percepta & in fiſco reſervata eſſent, quam omnia praedia, procuraret: Quod illa, invito duce, continuo impetravit. Quod etſi dux graviſſime toleravit; tamen huic foemineae gratiae regiaeque conceſſioni non repugnavit. Tanta tamen in eum iracundia rex, antequam Alicia Peres interceſſiſſet, in Wickhamum ſaeviit; ut, cum generali indulgentia atque remiſſione ſingulis ſubditis pene ſingula commiſſa flagitia condonaſſet, ſolum hunc Wickhamum immunitate exemerit. Et quanquam clerus populuſque aſſiduas regi preces pro Wickhamo funderent; omnium tamen interceſſioni ſolus dux reſtitit, antequam ab Alicia Peres vinceretur; cum qua contendere & coram rege decertare ne tutum quidem ſibi eſſe duxit. Reſtitutus jam & mirum in modum locupletatus Wickhamus omne ſuum ſtudium atque curam ad praeclara & magnifica illa Oxonii ac Wintoniae condenda collegia convertit. Quae conſtructa & abſoluta tam praeclaris legibus ſtatutiſque fundavit, terriſque ac poſſeſſionibus ita locupletavit; ut caeteris literarum collegia poſtea ſtatuentibus tanquam exemplar atque ſpeciem, quam imitarentur, propoſuiſſe videatur. Id quod a praecipuis collegiorum Cantebrigiae Oxoniique patronis poſtea obſervatum eſt: ut in his, quae fundaverunt, collegiis, Wickhami jura & ſtatuta, pauciſſimis verbis immutatis, verbatim deſcriberent. Quae res prudentiam ejus ſingularem, hiſque, quae in republica geſſit, muneribus dignam indicavit; quod, ad bonarum literarum incrementum, in quibus ne mediocriter eruditus exiſtimabatur, tam accommodata & appoſita ſtatuta excogitavit. Praeter haec maximis ſumptibus extructa collegia eccleſiae cathedralis Wintonienſis navem fabricavit: Conſanguineos permultos opibus praediiſque ditavit: Multis eccleſiis multa contulit. Qua tam larga immenſaque munificentia non obſtante, condito teſtamento legata ad ſummam ſex millium ducentarum & ſeptuaginta librarum, praeter vaſa, gemmas, libros, veſtimenta & ſupellectilem moriens in pecuniis reliquit. Inter quae legata centum librae Aliciae Perot conſanguineae ſuae conceduntur. Quae an eadem fuerit, quam Aliciam Peres hiſtoriographi nuncupant, cujus, ut diximus, gratia regi reconciliatus fuerit, incertum eſt. Honeſtis artibus

Ex Archivis.

In regiſtro Courtney, Fol. 215.

bus tantas congeſtas opes, quae tam laudabiliter utiliterque conſumptae ſunt, exiſtimare convenit. Vir ſemper frugi fuit, atque ipſa parſimonia quaeſtum fecit maximum. Simul atque Epiſcopatum ingreſſus eſt Willielmi Edyndon anteceſſoris ſui executores coram Gulielmo Wittleſey Cantuarienſi, ut diximus, Archiepiſcopo in jure convenit. Ab his centum viginti & ſeptem apros, mille quingentos & quinquaginta ſex boves, tria millia octingentos & ſeptuaginta ſex muttones, quatuor millia ſeptingentas & ſeptendecim oves matrices, tria millia quingentos ac unum ſupra viginti agnos, & mille ſexcentas ſexaginta duas libras, decem ſolidos pro reparatione aedificiorum ad ruinas vergentium, recuperavit. Sedit annis triginta & ſeptem; mortuuſque in eccleſia cathedrali Wintonienſi ad auſtralem parietem in navi eccleſiae honorifico egregioque tumulo conditus eſt. In Regiſtro Wittleſey.

NUNC ad Simonem Sudbury Cantuarienſem Archiepiſcopum revertamur. Cujus tranſlationis anno ſecundo Edwardus rex tertius obiit; & Richardus ſecundus, ejus ex Edwardo principe nepos Weſtmonaſterii ab Archiepiſcopo Cantuarienſi anno aetatis ſuae undecimo unctus & ſacratus eſt: Poſt cujus coronationem annis pene tribus elapſis, conſtituit Archiepiſcopum ſuum cancellarium. Is cleri ſynodo Londini congregata obtinuit duas decimas concedi regi. Eodem anno Johannes Wiclyffe ſacrae theologiae profeſſor, & eccleſiae parochialis de Lutterworthe in Leiceſtriae comitatu rector, multa in Romanam curiam conſuetudinemque Oxonii diſputavit; eadem e ſuggeſtu coram populo ac proceribus ſaepe praedicavit. Huic Lancaſtriae dux, & e plebe permulti, adhaerere coeperunt. Gregorius autem papa veritus, ne ejus ſuaſione Angli deficerent; ad regem, Archiepiſcopum, Epiſcopos, & Oxonienſis academiae cancellarium acriter ſcripſit; ut eum aut coercerent, aut prorſus abſcinderent. Hunc itaque captum & ad ſe adductum Cantuarienſis Archiepiſcopus in ducis Lancaſtriae praeſentia juſſit, ne hujuſmodi dogmata deinceps divulgaret. Sed Johannes Wiclyffe, etſi aliquandiu conticuit, tamen poſtea majore fervore concitatus, in apertas voces contra impios & ſuperſtitioſos Romanae eccleſiae ritus erupit. Quem cum Epiſcopi, papae juſſa atque minas illis caecis & periculoſis temporibus metuentes, ſeverius caſtigare ex papae atque regis praecepto voluiſſent, convenerunt Lamethae. Eo Johannes Wiclyffe ductus eſt. Quo tanta turba non modo civium, ſed ruſticorum, confluxit & in ipſam capellam irruit; ut Epiſcopi ſubito ſtupore correpti ſuae vitae timebant: Quos metu trementes atque fractos quidam Lodovicus Clifford generoſus audacter monuit, ne quicquam contra Johannem Wiclyffe praeſumerent definire. Quo dicto Johannes Wiclyffe ab Epiſcoporum judicio cuſtodiaque liberatus diſceſſit. Poſtea Archiepiſcopus perplexus ſynodum Londini convocavit; in qua nonnulla de hoc eventuro ſchiſmate cavit, & conſtitutiones quatuor edidit; ac deinde in curia ſua de Arcubus multa reformavit, & monumenta ejuſdem curiae publica archivoſque conſervandi modum ordinemque deſcripſit. Cumque rex, priori a clero conceſſa decima exhauſta & conſumpta, iterum egere coepiſſet; Archiepiſcopus alia inſtituta Londini ſynodo de hoc themate Latine in ſuggeſtu peroravit: "Vigilate & orate." Deinde inchoata ſynodo ipſe, cum cancellarius regni eſſet, expoſuit regis neceſſitatem; cui pecuniario ſubſidio, eo ſuadente, aequiſſimis animis a toto clero ſubventum eſt. Archiepiſcopalem

An. 1377.

Walſing.

An. 1378.

Arch.

chiepiscopalem suam jurisdictionem a Suffraganeis aut inferioribus provinciae praelatis contemni ac violari nunquam impune permisit. Johannem Appleby decanum ecclesiae Paulinae, Rogerum Holme ejusdem ecclesiae cancellarium, tum Adamum Mottron Londinensis Episcopi vicarium in spiritualibus generalem, quia decreto cuidam a decano almae curiae de Arcubus non paruissent, sententia severissima lata, omni munere ecclesiastico & authoritate privavit: quam tamen illis poenitentibus & suppliciter genibusque flexis delicti ac contumaciae veniam deprecantibus, tum Johanne Lancastriae duce & Willielmo Wickham Wintoniensi Episcopo una exorantibus, remisit atque relaxavit. Appellationes provincialium semper recepit; eorumque cognitionem pluribus commisit, nec eas a quocunque impediri sivit. Walterum Asbury choralem vicarium in regia capella Windesoriae ab injuriis Willielmi Mugge primi decani ejusdem capellae appellantem in pristinum jus, commissione aliis facta, restituit. Id quod in illa libera & ab omni alia, praeterquam regis, authoritate privilegio vindicata capella, jure metropolitico sibi non licuit; sed ex primaeva illius capellae institutione; quia cancellarius regni principis vice authoritateque functus est. Postquam sex annis, uno mense ac decem diebus sedisset, in populari seditione interemptus est. Hic popularis motus suasione cujusdam Johannis Ball seditiosi atque popularis presbyteri concitatus est. Quem, ad Wiclyffianorum invidiam, ex illa secta & institutione prodiisse quidam fingunt: falso equidem & ignoranter; quemadmodum, cum ad narrationis exitum pervenerimus, mox declarabimus. Atqui verum tamen est, eodem pene tempore hujus insaniam, quo Wiclyffi doctrinam vulgo sparsam & propagatam fuisse: Sed, ut in omni novitate ac mutatione fieri solet, atque hodiernis his temporibus factitatum est, nunciata luce evangelii & libertate Christiana, insana plebs scelerum impunitatem & omnium in ecclesia atque republica ordinum perturbationem sperat. Quae, si duces aut authores immanitatis suae nacta sit, nulla ferarum ipsarum feritas tanta est, quae possit cum illius feritate contendere. Cujus rei nunquam in Anglia conspicuum magis atque evidens argumentum fuit, ex cujus antegressis colligere sequentia licet, quam illius perditi & tumultuosi sacrificuli exemplum: Qui annis amplius viginti, plebe plaudente, ubique in latebris docuit statum servilem contra naturam & legem divinam violenter a potentioribus institutum, & a Christianis cervicibus depellendum; eosque, qui nobilitate & divitiis pollerent aut plebem dignitate anteirent, ad aequabilitatem reducendos: Omnes enim homines gradu ac fortunis pares esse voluit. Tum obedientiam magistratibus, & praesertim clero, debitam, nec non decimas, subtrahendas. Quibus nefariis & popularibus opinionibus permiscuit quaedam Wiclyffi dogmata; quae a potentioribus tum atque doctioribus recepta cognoverat. Haec & similia vulgo plausibilia primo publice praedicavit; deinde sacris interdictus in plateis, vicis, atque campis multitudine congregata disseminavit: Clerum in omni sermone maledictis & calumniis oneravit. Tandem excommunicatus, cum in contumacia perseverasset, ab Archiepiscopo captus & carceribus inclusus est. Cumque ad carceres duceretur, praedixit se manu militari & viginti armatorum millibus, carceribus educendum. Id quod paulo post evenit: Namque rustici & coloni, qui servi ascriptitii fuerunt, jam confertim tumultuari & congregari coeperunt. Qui multitudine copiosa in campo **Blackheathe** collecta Johannem Strawe

An. 1380. An 1381. Froisart.

&

& Walterum Tyler, ejuſmodi enim nomina conſulto & in contumeliam ludibriumque militum & armigerorum ſibi imponebant, furoris ſui duces crearunt. Pauciſque diebus ita adauctus eſt eorum numerus, ut ne regis vim aut potentiam pertimeſcerent. Ac primo in carceres frangunt, & reos eximunt ſuaeque turbae adjungunt; inter quos tum fuit perditus ille atque flagitioſus preſbyter Johannes Balle. Hunc ſibi paſtorem & miniſtrum praeficiunt: Qui concione habita de hoc vulgari metro & proverbio peroravit: **Whan Adame dalve, and Eave ſpan; Who was then a gentleman?** In eo themate explicando omnes homines pares fuiſſe creatos, & aequali ſimilique primaevo atque naturali jure vixiſſe dicebat. Illa honorum, graduum, dignitatum & ordinum diſcrimina, ut ambitioſorum hominum & potentiorum inventa, quibus plebem opprimerent & in ſervitutem cogerent, damnabat. Deinde ſuaſit, ut Archiepiſcopum, Epiſcopos, regni proceres, juriſperitos, juſtitiarios, omneſque, qui judiciis, tribunalibus, aut conſiſtoriis praeeſſent, tanquam plebeianae libertatis inimicos trucidarent: His deletis & ſublatis facile ſibi fore ſervitutem omnem atque paupertatem exterminare; eaque jura deſcribere, quibus ſimili poteſtate & aequali dignitate ac fortuna omnes vivere poſſint. Hoc jam tempus eis divinitus eſſe conceſſum, in quo ſervitutis jugum deponere poſſint; quod ſi praetermittant, non eſſe unquam amplius pro libertate ſperandum. Cum haec & his ſimilia plauſibilia dogmata decantaſſet; magnis clamoribus a tota multitudine dictum eſt: Eum prophetam coelitus miſſum eſſe, ſolumque dignum, qui Archiepiſcopus & regni cancellarius eſſet. Ac ſtatim conſilio capto decernunt, Archiepiſcopum, regni cancellarium, alioſque nonnullos, ſimul atque deprehenderentur, ſine ullo judicio ut regni proditores & plebis inimicos plectendos capite. Deinde edicta ſua publice proponunt, quae regis & plebis ſive communitatis nomine, excluſis Epiſcopis & proceribus, conceperunt. Rex, legatis ad eos militibus quibuſdam, quaeſivit cauſas, quare tanta multitudine ac frequentia conſpirarent. Illi legatos ad regem redire eique nunciare juſſerunt: Se pro magnis quibuſdam reipublicae negotiis conveniſſe; de quibus cum ipſo rege communicare vellent: proinde neceſſe ei eſſe, ſi conjurationis ſuae cauſas propoſitaque ſcire vellet, ut ad eos accedat. Hoc impudens atque audax conjuratorum reſponſum cum accepiſſet rex; conſilium cepit, eundumne ſibi an manendum eſſet? Tum quibus modis tumultus ille, aut quiete ſedandus, aut vi compeſcendus ſit. Multi ſuadent, ut rex eos adeat; fore enim, ſi rege praeſente verbis ac promiſſis lenioribus permulceantur, depoſitis armis ad ſua ſinguli ſecedant. Verum Archiepiſcopus Cantuarienſis & Robertus Hales magiſter hoſpitalis ſancti Johannis, regni theſaurarius, contra ſuadent, neque dignum neque tutum eſſe regi tam abjectam & deſperatam multitudinem adire; de quibus ſumendum eſſe aperto Marte & vi militari ſupplicium dicebant. Quod cum plebi nunciatum eſt; exclamarunt ſe quaeſituros Archiepiſcopum & Robertum Hales; eoſque regis atque plebis hoſtes morte affecturos. Ac, protinus itinere Londinum arrepto, primum in ducis Lancaſtriae domum, quae tum Savoia fuit, invadunt; ibi omnia diripiunt, vaſa argentea atque aurea ſecuribus minutatim proſcindunt; pannos aureos & holoſericos diſcerpunt atque lacerant; annulos, jocalia, gemmas malleolis conterunt; ſupellectilem omnem convulſam & contritam in profluentem Thameſim aut cloacas projiciunt: ad extremum, aedes ipſas, quae pulchritudine at-

que magnificentia quaſcunque, etiam ipſas regias, ſuperabant, immiſſis ignibus & incendio flagrantes relinquunt. Cum ad has ducis aedes acceſſiſſent; vetabant edicto, ne quis clam ſubriperet, aut privatis uſibus aliquid reſervaret ex illa tam ornata & ſumptuoſa ſupellectile, ſed omnia deleri & vaſtari jubebant. Repertus eſt unus, qui in ſinum multa precioſa clam congeſſerat; quem cum ipſa domo iiſque, quae acquiſierat & celaverat, combuſſerunt. Eo ad juriſperitorum domos, quae prope Temple-Bar tum ſitae fuerunt, & ad hoſpitium ſancti Johannis de Clerkenwell properant; odioque Roberti Hales, pari incendio vaſtant. His geſtis, cum numerus eorum jam pene in infinitum creviſſet, in tres partes ſe dividunt; una agros depopulabatur, & ex praeda reliquos ſuſtentabat; altera in eo loco, qui Mile-end, eo quod mille paſſibus Londino abeſt, dicitur, collocata eſt, ut Londinum proficiſcentes obſervarent; quos jurare coegerunt, ut regi atque plebi ſive communitati ſemper ſint fideles. Tertia pars in monte prope arcem Londinenſem, quae vulgariter Tower-Hill appellatur, caſtra poſuit. Rex cum Archiepiſcopo conſiliariiſque ſuis arcem Londinenſem ſexcentis ſagittariis aliiſque permultis militibus inſtructam tenuit. Qui tamen hanc inſanam plebem multitudinemque metuentes, animis conciderunt, & ingreſſum permiſerunt. Illi confertim ingreſſi regiis militibus minantur caedem, regem ipſum conveniunt, libertatem & divitias poſcunt, Archiepiſcopum & Robertum Hales ad caedem poſtulant. Quid multa? Impetrant quaecunque flagitant. Ac primum Archiepiſcopum in miſſae celebratione deprehenſum cum Roberto Hales, & Johanne Legg lictore quodam regio arce educunt, & capitibus ſecuri abſciſſis interimunt. Poſt hanc cladem nullis, quos ſuae dementiae adverſos ſuſpicabantur, pepercerunt; ſed indicta cauſa ſine diſcrimine crudeliſſima permultos morte affecerunt. Rex eis, quaſcunque peterent, conditiones obtulit, ſi a caede & incendiis abſtinerent. Qua pollicitatione regia mitigati multi, armis caſtriſque relictis defeſſi domum redeunt: reliqui, ut conceſſiones regiae in ſcripta publica redactae ſigillo confirmarentur, petierunt. Aliquot jam diebus de conditionibus inter regem atque hos ruſticos actum, & interdum variatum, eſt. Walterus Tyler ruſticorum tribunus petiit ſibi regio diplomate fieri poteſtatem trucidandi omnes juriſperitos, omneſque, qui ratione ſcientiae, ſtudii, vel officii quicquam negotii in jure municipali haberent: Eaque petitione expoſita cum regem, etſi deliberaſſet, conceſſurum putavit, rediit ad ſuos, & digito labiis admoto: Ante quatriduum fore dixit, ut omnia regni jura de ore ſuo manarent. Poſtridie rex per militem Johannem Newton eum de conditionibus oblatis acturum acceſſivit, & ut ocyus accederet, rogavit. Is vero, ſi tanta feſtinatione opus ſit, properare & ad regem ſuum redire celeriter militem juſſit; ſe enim greſſu ſuo proprio arbitrioque venturum. Eumque tardius equo inſecutus regi in Campo Ferrario obviam dat. Ibi antequam regem convenit, idem miles equo vectus rogavit eum, quid de conditionibus a rege oblatis cenſeret. At ruſticus tribunus jam elatior: "Deceret, inquit, peditem magis quam equitem conſpectui meo te repraeſentaſſe." Cui miles veteris militiae atque probitatis memor: "Injuriam, inquit, tibi non facio, quod equitem eques alloquor." Quo reſponſo incenſus ruſticus eductum vagina pugionem in militem vibrat, eumque proditorem appellat. Miles viciſſim ſuum eduxit enſem, & ruſticum mentiri aſſeruit. Qui, concitatis illico ſuis ruſticis commilitonibus, in militem ſe armis

mis defendentem irruit. Rex, cum exitium imminere militi perſpexiſſet, juſſit ut equo deſcenderet, & enſem traderet. Tum Major Londinenſis civitatis Willielmus Walworthe, aliique milites & armigeri regii indignum eſſe dicebant, ut rex militem ruſtico cedere juberet, aut ruſticorum inſolentiam impunitam ferret. Quibus auditis rex, etſi annis pene puerilibus eſſet, tamen ſuſcepta jam audacia Majori imperavit, ut tribunum ruſticum arreſtaret. Major regis juſſum fortiter executus, renitentem ruſticum lictoris ſceptro, magno ictu, in capite percuſſit & ad terram dedit. Mox miniſtri regii eum circumdederunt; a quibus gladiis confoſſus & trucidatus obiit. Duce ſuo interempto, ruſtici, ut mortem ejus vindicarent, ad arma ſe accingunt. Hos rex ut pacaret, magna voce clamavit: "Cur adeo ob " proditoris mortem, qui vos ſeduxit, ſaevitis? Sequimini me regem veſtrum, " qui, quaecunque petieritis, concedam." Itaque, ut eos e ſuburbiis, quae incendere ſtatuebant, educeret, in campos feſtinavit. Illi eum confertim ſequuti ſunt. Interea Willielmus Walworthe, Major Londinenſis, cum mille civibus armatis ſuccurrit; qui turbam illam ruſticam & inarmatam circumducunt, & aliquibus captis atque caeſis, reliquos ad deditionem compellunt: Quorum multitudo tanta fuit, ut, cum ad ſupplicia retineri non poſſint, palantes & diſperſi aufugerunt. Sed poſtea in Cantio & Eſſexia redintegrare conjurationem coeperunt: Quibus rex de manumiſſione, libertate atque venia, diplomata ſigillata miſit, ne concitarentur denuo. Hic itaque ſervilis atque ruſticus tumultus, impiis preſbyteri ſuaſionibus excitatus, praeter hominum expectationem divina ſolum potentia ſedatus atque pacatus eſt. Paulo poſtquam Walterus Tyler interfectus eſt, Major Londinenſis, vir ſtrenuus atque ſedulus, Johannem Straw alterum ruſticorum ducem Londini in cauponali perpotantem deprehendit; & capite damnavit, damnatumque multis modis ſolicitavit, ut finem & propoſitum hujus vulgaris commotionis declararet. Is cum aliquandiu haeſitaſſet & conticuiſſet; ſubjunxit Major: "Certo ſcias nullam vitae ſupereſſe ſpem, " ſed celerem tibi adeſſe mortem; proinde conſule animae tuae ſaluti: " Et, ſi verum fateri vis; ego in adjutorium animae tuae triennales miſ- " ſas faciam celebrari." Id quod ab aliis aſtantibus civibus promiſſum ei eſt. Tum abjecta vitae ſpe & recepto miſſarum ſolatio: "Eo, inquit, " tempore, quo in **Blackheath** convenimus regemque accerſivimus, " ſtatuimus omnes, quos adduxiſſet, milites, armigeros, & generoſos ſu- " bita morte interfeciſſe. Tum regem in noſtram poteſtatem cepiſſe, & " cum eo totum regnum perluſtraſſe; eoque populo exhibito ſuaſiſſe eum " noſtrae conjurationis ducem fuiſſe: Illoſque, quos trucidaſſemus, prodi- " tores & laeſae majeſtatis reos. Deinde conciliata ubique nobis plebe, " primo proceres, deinde regem, poſtremo Epiſcopos, monachos, ca- " nonicos, & eccleſiarum rectores de terra ipſa deleviſſemus. Solique " fratres & preſbyteri mendicantes ſacra nobis celebraſſent. Omnibuſ- " que jam, qui adverſi nobis fuerunt, extinctis atque ſublatis, leges novas " condidiſſemus: & reges in unoquoque regni comitatu creaſſemus; " quibus tanquam imperatorem Walterum Tyler Cantii regem praepoſu- " iſſemus. Quod propoſitum quia per Archiepiſcopum impeditum eſt; " ideo in eum majori furore, quam in quenquam, exarſimus, primumque " morte mulctavimus." Johannes Ball popularis & ſeditioſus preſbyter, hujus conjurationis ſuaſor Coventriae captus, & ad regem in monaſterio ſancti Albani tunc agentem ductus, eadem pene confeſſus; de Wiclyffo ejuſque

i. e. ad deditionem compelleret.

Haec diplomata vide in T. W. ſing. An. 1381.

juſque dogmatibus mentionem nullam fecit: Cujus etiam literae aſtutae & ſeditionis plenae de religione nihil prorſus commemorant. Atque hujuſmodi quidem tumultus non modo in Cantio, & Eſſexia, ſed in pleriſque regni comitatibus, quaſi uno tempore orti ſunt.

EODEM enim anno Cantebrigienſes oppidani magno furore correpti in collegia & ſcholares irruerunt. In praetorio ſuo, quod **Tolbooth** appellant, major & burgenſes convenerunt die ſabbati poſt feſtum Corporis Chriſti: Ibi de ſubdendis ſibi in perpetuum ſcholaribus conſilium ceperunt. Jacobum quendam Grenceſter inſani ſui ſtultique conatus ducem & authorem creaverunt: Quem invitum atque reluctantem, mortis metu, ad ſuſcipiendas illas partes fidemque ſibi juramento dandam, de his omnibus perficiendis praeſtandiſque, quae illi mandarent, coegerunt. Ei fratrem ſuum Thomam Granceſter adjungunt; utroſque villae ſuae burgenſes ſeu municipes creant. Hos invitos duces furioſi ſatellites ſequuti primo collegium Corporis Chriſti adeunt; ibi aedificia diripiunt, chartas, ſcripta, & monumenta incendunt, jocalia & bona collegii auferunt. Collegiorum praefectos & magiſtros vi aggrediuntur: Eos omnibus Academiae a regibus antea conceſſis immunitatibus & privilegiis jure jurando renunciare, ſibique & ſuis in perpetuum ſucceſſoribus obedientiam profiteri, mortis metu, compellunt. Adhaec obligatorias exigunt literas, quibus ſcholarium Univerſitas Majori & municipibus Cantebrigienſibus in tribus librarum millibus devincirentur; ſolvendis, ſi unquam ab illis juratis pollicitationibus deinceps recederent. Nec non acquietancias ſeu liberationes, quibus ab omnibus debitis, recognitionibus, obligationibus, litibus, actionibus, querelis, & impetitionibus ſcholarium, civilibus vel criminalibus, quocunque modo contractis, tam motis, quam deinceps movendis, eximi & exonerari poſſunt, extorquent. Praeterea ciſtas & archivos Univerſitatis tam in eccleſia beatae Mariae, quam in aedibus Carmelitarum, invadunt: Inde chartas, bullas, literas patentes regias, ſcripta, & monumenta omnia eruta igne cremant. Tum media fere nocte campanam magnam in eccleſia beatae Mariae pulſari jubent; cujus ſonitu excitati in praetorium conveniunt. Ibi praeconis voce edictum eſt, ut in domum Willielmi Wigmor, Univerſitatis bedelli, ſeu viatoris ac praeconis, impetum facerent; eumque qui primus comprehenderet, trucidaret: Ejus aedes diripiunt, chartas omnes atque literas, quia eas Univerſitatis fuiſſe credebant, incendunt. In hac turba edictum regis ſupervenit: quod & proclamatum eſt; ne quis deinceps ſub poena capitis & amiſſionis bonorum inſultum aliquem faceret, aut ſeſe cum armis teliſve congregarent. Oppidani nihilominus praecipiti & inflammato furore agitati, magna celeritate ad prioratum de Bernwell, qui mille paſſibus abeſt, contendunt; ibi arbores in ambitu prioratus poſitas ſuccidunt, multaque vaſtant & diripiunt. Poſtea reverſi, cum omnia ſibi proſtrata exiſtimarent, ut aliquem modum finemque furori ſtatuerent; omnes chartas reliquaſque membranas & ordinationes, ac ſtatuta Univerſitatis in foro, tanquam publico incendio atque ſtrage conſumunt. Ad extremum, cum ad cineres redacta eſſent omnia, dilira quaedam & inſana anus, nomine Margareta Stars collectos cineres in ventum manu projecit atque diſſipavit: exclamans alta voce: "Abſcedat clericorum peritia; Abſcedat clericorum peritia." Poſtquam oppidani depoſitis armis ſinguli diſceſſiſſent; rex de tam ſeditioſo & gravi motu certior factus; juſtitiariis quibuſdam ſeu eirenarchis mandavit;

ut

Ab An. Chr. MCCCLXXV. — Ad An. Chr. MCCCLXXXI.

ut inquiſitionem Cantebrigiae horum ſcelerum inſtituerent. Tum rex Rogero cuidam de Scales militi, & vicecomiti Cantebrigienſi aliis literis mandavit; ut Cantebrigienſes municipes ſingulos, captis centum librarum recognitionibus, quarum una pars regi, altera cancellario Univerſitatis debeatur, ad parendum regis juſtitiariis coercerent: Deinde municipes Cantebrigienſes in parliamento de inteſtino tumultu & inſurrectione accuſati atque victi omnes immunitates, libertates atque privilegia, ipſaque adeo municipii jura amiſiſſe, regis ſententia, judicati ſunt. Rexque, diſſoluto prius Cantebrigienſium oppidanorum municipio, adempta illis privilegia, Univerſitati Cantebrigienſi, quam matricem & propagatricem ſcientiarum & doctrinae appellavit, conceſſit: “ Ut cancellarius Univerſitatis Cantebrigienſis, ſuique ſucceſſores ac vices eorum gerentes, ſoli & in ſolidum habeant cuſtodiam Aſſiſae panis, vini, & cerviſiae; ac cognitionem & punitionem ejuſdem etiam Aſſiſae ac ſuperviſum menſurarum & ponderum in dicta villa Cantebrigienſi & ſuburbiis ejuſdem: Nec non poteſtatem inquirendi & cognoſcendi de forſtallatoribus, regratariis, carnibus, & piſcibus, tam putridis, vitioſis, & aliis incompetentibus, quam aliis, & ſuper his punitionem debitam faciendi: Et gubernationem, correctionem & punitionem praemiſſorum ac aliorum victualium quorumcunque, ſimul cum finibus, forisfacturis, amerciamentis inde provenientibus, pro quadam firma decem librarum nobis & haeredibus noſtris inde annuatim reddendis in perpetuum. Et quia jam poſito in ipſorum Majoris, ballivorum & communitatis libera electione, ex praecepto noſtro, ſi ipſi reſiduas libertates & privilegia in manu noſtra taliter exiſtentia, pro quodam annuo incremento ultra antiquam firmam, quam ipſi pro villa & omnibus libertatibus & privilegiis per ipſos prius obtentis penſant, recipere an relinquere voluerint. Nec non idem Major, ballivi, & communitas reſtitutionem reſiduarum libertatum, & privilegiorum praedictorum cum incremento quatuor marcarum nobis & haeredibus noſtris pro eiſdem in perpetuum ultra antiquam firmam ſuam praedictam reddendarum humiliter & inſtanter ſibi fieri poſtularunt. Quare volumus & firmiter praecipimus, quod idem Major ballivi & burgenſes dictam villam cum ſuis pertinentiis &c. habeant & teneant ſibi & haeredibus ſuis in perpetuum adeo plene ac integre, ſicut ea ante impetitionem, ſubmiſſionem & decreta praedicta rationabiliter habuerunt & tenuerunt.” Hactenus breve regium. Ex quo perſpicimus, quam digne atque regie ſeditioſi vulgi in doctorum hominum coetum temeritas caſtigata & compreſſa fuerit. Atque hujuſmodi initio atque cauſa, illa privilegia municipibus Cantebrigienſibus adempta, in ſcholarium juriſdictionem tranſlata atque derivata pervenerunt. Oppidani autem & municipes hoc ipſo adhuc miſere plectuntur; quod, etſi detracta eis, & ſcholaribus conceſſa, ſunt illa inſignia privilegia; tamen pro juribus & libertatibus reſiduis quatuor marcas annuas ultra cenſum & tributum antiquum regi pendunt. In his omnibus tumultibus nihil prius & antiquius fuiſſe videmus imperitae plebi quam literarum & doctrinae interitum atque cladem; deinde dejectionem cleri: Quibus obtentis, non modo jurium violationem, ſed nobilitatis ac principatus everſionem, omniſque ſocietatis & reipublicae ordinumque confuſionem & perturbationem facile cenſent ſecuturam.

Verum non modo Anglia, ſed & aliae nonnullae gentes chriſtianae, hac vulgi inſania tunc turbatae atque vexatae fuerunt. Lutetia Pariſiorum,

cujus est praeter caeteras maxime nobilitata crudelitas, tam frequentes & immanes strages edidit; ut ea civitas sub infelici quodam & ad teterrimam crudelitatem propenso & inclinato sidere sita existimetur. Id quod ex illa recenti nobilium plebisque strage mense Augusto, simulatis inter Navarrae regem & sororem regis Galliae nuptiis, edita nuper cernimus: In qua praeter decem millia virorum, ut fertur, trucidata quadringentae nobiles foeminae primo militum libidini prostratae, deinde ab eisdem crudeliter interemptae, sunt; jubente id papa, ut eos, quos pontificii Hugonotos in Gallia vocant, delerent. In quo tumultu, etsi illos, quos Hugonotos appellabant, trucidare tantum voluissent; tamen pontificii multi cecidere: Quae enim insania est militari libidini ac vindictae subditorum atque civium supplicia committere, quae nec modum servare ullum, nec his, qui omni culpa vacant, parcere potest, sed in eos sine discrimine ac delectu maxime saevit, a quibus maximam praedam & rapinam sperat? Nec dubium est, quin haec pontificiorum in concitando militari furore dementia ac in pactis violandis perfidia in seipsos olim sit maxime recisura. Sed, quoniam hujus verbi HUGONOTI, quo pontificii ignominiose designant Evangelicos in Gallia, fecimus mentionem; videamus quo tempore atque causa ea appellatio exorsa primo sit. Cum Johannes Wiclyff, ut diximus, multa in Romanum pontificem ejusque curiam in Anglia docuisset atque praedicasset; qui ejus doctrinam sequuti Romanam deserebant, LOLLARDI a vulgo dicebantur. Eodemque pene tempore, quia Wiclyffiana disciplina ex Anglia in exteras gentes pervenit, hi, qui in Gallia aliquid in pontificiam superstitionem dixissent, Hugonoti dicti sunt. Ac primum de probroso illo Anglico nomine, tum de hoc Gallico, dicamus. Plerique eos Lollardos appellari solitos putant; quia in quadragesima & diebus prohibitis vescebantur carnibus; sed errant: Nam a lolio seu zizania, Lollardos primo dictos hinc colligimus: Cum Wiclyffiana dogmata in Anglia serpsissent latius; fraterculus quidam ordinis mendicantium in concione pro Paulina cruce Londini habita in Wiclyffianos longo sermone invectus est. In eo sermone explicuit parabolam de inimico seminante lolium in agro boni patrisfamilias sumptam ex decimo tertio capite evangelii secundum Matthaeum; &, crebris convitiis frequenter in Wiclyffianos interpositis, eos lolio comparabat. Ex qua frequenti appellatione, vocabulo in vulgus recepto & dissipato, Lollardi deinceps appellati sunt. Quod etiam ex constitutione Thomae Arundel Cantuariensis Archiepiscopi, quam in Wiclyffianos edidit, apparet: In qua conqueritur Anglicanam ecclesiam multis haereticis opinionibus, & praesertim "novo damnabili Lollardiae nomine" suo tempore infectam. Quod verbum Willielmus Lynwood in illius constitutionis commentario a lolio dictum ait: "Quia sicut lolium, inquit, inficit bonas segetes; sic Lollardi inficiunt fideles simplices, inter quos conversantur." Atque haec de Anglico: nunc de Gallico, nomine pauca dicamus. Hugonotorum appellationem in Gallia, eodem pene tempore, quo Lollardorum in Anglia, exortam fuisse, eosque, qui a doctrina pontificia recesserunt, designasse existimandum est. Quae ab Hugone Aubrioto Burgundione, Parisiorum praeside, hoc casu incepit. Carolus quintus apud Vicennas mortuus ad divum Antonium Campestrem delatus est. Ibi aliquot dies asservatus, dum fratres ejus advenissent: dum ex aede divi Antonii funus effertur, scholastici studii Parisiensis, qui spectandi causa frequentes

Tho. Walf. in Ypodigm. Neustriae.

C. Finaliter de haereticis in verb. Lollardiae.

An. 1380.

frequentes

Ab An. Chr. MCCCLXXV. — Ad An. Chr. MCCCLXXXI.

frequentes aderant, a ſervientibus Hugonis Aubrioti Pariſienſis praeſidis, quia forte praecedentem pompam impedierunt, propulſi in eum atque ſervientes tumultuati ſunt: Quorum aliqui, qui deprehendi potuerunt, in vinculis habiti ſunt. Ab hoc ſevero initio progreſſus, in nocturnis excubiis ſcholares Pariſienſes, ſi quos nocte urbem oberrantes deprehenderet, acriter caſtigavit. Ad quos etiam coercendos arcem Antoninam moenibus fortiſſimis cinctam & pontem ſancti Michaelis atque caſtellum extruxit. Itaque, cum ſummo Univerſitatis Pariſienſis odio flagraret, & a pontificia doctrina tota mente & conſcientia abhorrere animadverteretur, de haereſi poſtulatus & condemnatus eſt. Et, niſi Galliae proceres pro eo interceſſiſſent, periiſſet flamma. Hanc poenam ſeptem pene annis ſuſtinuit; donec, difficillimis tributis impoſitis, Pariſienſis populus ſuſceptis ſubito armis in regem ejuſque conſiliarios repentinum impetum fecit: Eoque cum paucis ad Meldas fugato omnes illius exigendi tributi conſiliarios & miniſtros interemit: In hoc tumultu, carceribus fractis, compediti laxati ſunt: Et Hugo Aubriotus epiſcopalibus carceribus liberatus in Burgundiam diſceſſit. De quo eadem pene verbatim narrat Nicolaus AEgidius in ſuis annalibus & chronicis Gallice ſcriptis: “Hugo Aubriotus Burgundia oriundus, qui in Gallorum controverſiis dijudicandis authoritate atque gratia plurimum valebat, intercedente duce Burgundiae, Pariſienſis praepoſitus inſtitutus eſt; in eoque magiſtratu aequiſſime atque prudentiſſime Pariſios rexit. Quo authore atque inceptore multa praeclara & ſumptuoſa aedificia Pariſiis extructa ſunt; videlicet, pons ſancti Michaelis, eaque moenia, quae ad arcis Antoninae praeſidium collocata, per Sequanam praeterlabentem fluvium extenduntur. Tum Parvum pontem atque caſtellum Pariſienſe aedificavit, aliaque urbis praeſidia, quibus ſcholares Pariſienſes nocte armatos & oberrantes urbe prohiberet, & ſi quos deprehenderet, compeditos in eodem caſtello teneret. Hic de multis criminibus accuſatus eſt: Quoniam, ut permulto ſermone percrebuit, Praelatos atque clerum magnopere deſpexit, maximeque Pariſienſis Univerſitatis ſcholaribus adverſus fuit. Qui odio in eum ſummo ducti, de ſua vita interiori inquiſitiones multas haberi procurarunt. In qua turpis, inhoneſtus, & flagitioſus inventus eſt. Divulgatum etiam fuit, quod cum Judaeis conſuetudinem haberet, quodque altaris ſacramento fidem non haberet, nec ſua delicta ſacerdotibus fateretur; ſed hujuſmodi ceremonias derideret. His criminationibus victus in publica cuſtodia in eodem caſtello, quod ſcholarium Pariſienſium coercendorum gratia extruxit, poſitus & detentus eſt. Deinde eo eductus, Pariſienſis Epiſcopi carceribus & cuſtodiae traditus, audita & publicata ſua confeſſione, haereticus judicatus, & combuſtioni atque flammis adjudicatus eſt. Sed principibus Galliae deprecantibus moderata fuit haec tam gravis ſententia & poena capitalis. Et in eccleſia beatae Mariae Pariſienſi haereticus, & Judaicae ſuperſtitionis ſectator, atque ſacrorum ſacramentorum contemptor declaratus, aeternis carceribus pane atque aqua alendus adjudicatus, &, ut aboleatur illius in perpetuum memoria, epiſcopali carceri incluſus, eſt.” Itaque hujus Hugonis odio, quem ſcholares Pariſienſes inviſum habebant, hi, qui a Romana diſciplina poſtea deſciverunt, Hugonoti in Gallia dicti ſunt: Ut uno pene tempore tam Gallis quam Anglis Romanam faecem deſerentibus nomina ignominioſa & probroſa a calumniantibus pontificiis impoſita ſint. Alii

Froiſſart. Hiſtoire de France, c. 109. le ſiziefme age. Annales Rob. Gaguini de reb. geſtis Franc. Annales Nic. AEgidii.

An. 1387.

Verbatim ex Annalib. & Chron. Nicolai AEgidii Gallice ſcriptis.

hujus

hujus appellationis aliam causam statuunt, ac illud nomen in Turonensi civitate inventum aiunt: Cujus civitatis una porta ab Hugone quondam rege extructa est. Itaque cum hi, qui novam, quam appellabant, religionem in Turonensi civitate sequuti sunt, in locum Hugonis portae vicinum ac propinquum orandi & ritus suae religionis celebrandi causa convenire consueverunt; a reliquis civibus ratione illius portae "Huguenots "sive Huguenauds", id est, Hugonenses dicti sunt. Verum, quaecunque fuerit ad eos designandos huc usque retenti nominis origo prima, jussu tunc regio multis poenarum generibus afflicti, & crudeliter magnis catervis Parisiis interempti, sunt. Cujus tam atrocis saevitiae authores atque suasores, ipsi plebi ac multitudini, quae tam cruentam stragem ferre non poterat, mox poenas dederunt. Namque ope & adjumento civium Parisiensium Burgundiones in civitatem intromissi comitem Armanacensem, rebus omnibus in Gallia praefectum, comprehensum vivum quidem excoriaverunt, & excoriati corpus sanguinolentum plumis involverunt; tum in aerem ductum & aliquandiu per proprias corrigias suspensum, cum sanguine madido congelato plumae infixae durius inhaererent, avulsis sigillatim plumis, tot mortis tormentis & cruciatibus affecerunt, quot plumas

Ex historia Thom. Otterbourn An. H. 5. 5. & 6.

detraxerunt. Ac praeter hunc in ista seditiosa rabie tam singulari & inaudito supplicio affectum, cardinalem de Bar, Archiepiscopum Rhemensem, Episcopum de Meaux, Episcopum Constantiensem, Episcopum de Lisieux, abbatem sancti Dionysii, cancellarium Franciae, praepositum Parisiensem, interfecerunt: Atque, his caesis, quatuordecim millia popularium trucidarunt. Nec in viris satiari haec dira strages poterat, antequam inermium foeminarum quinque millia interemissent. Nam, qui judiciorum atque legum poenas vulgi furori ac temeritati exercendas permittunt, non modo reos, sed insontes, acerrimis suppliciis tradunt. His Parisiis gestis

An. Dom. 1418.

Henricus Angliae rex Rothomagum longa obsidione tenuit. In ea civitate obsidionis tempore bis centum septuaginta personarum millia fuisse censita perhibentur. Ex his centum millia fame perierunt; superstitum esca fuit equina & canina caro: mures item, feles & sorices in deliciis habebantur. Canis pinguis, decem solidis vaenit, equus macer viginti marcis, ovum tredecim denariis, pomum tribus solidis & quatuor denariis, pyrum viginti denariis, quarta pars lagenae frumenti decem solidis. Hac fame pene omnes enecti reddiderunt civitatem, & inermes discedere permissi sunt; praestito regi juramento, ne toto deinceps anno contra se arma capiant. Quibus exemplis videmus, quanto supplicio Christianorum mactationes non humana modo, sed divina ultione vindicentur. Sequenti anno foedus inter ducem Burgundiae & Delphinatem Franciae post diuturnas inimicitias atque simultates initum & juramento firmatum est: Eo foedere constituto, Delphinas versutus & foedifragus, cum ingenuitatem & apertam indolem ducis Burgundiae in conservandis pactis perspexisset, familiaritate & amicitia simulata eum ad colloquium invitavit. Burgundiae dux foederum fide & religione ductus, sine suspicione incaute ad eum venit: Ac simul atque venisset, militibus clam suppositis, proditus & interemptus est. Hanc tam vafre atque simulate a Gallo fabricatam patris necem ducis haerilis filius cum ulcisci voluit; missis ad Angliae regem, qui tum cum Gallo de regno bellum gerebat, nunciis, in ejus clientelam, amicitiam, foedus, ipsamque militiam recipi petiit; ac juramento de summa fide gerenda praestito devenit ultro subditus regis Angliae. Ac ne

Scotia



Simonis Sudbury.
Sepulchrum.

Ad An. Chr. MCCCLXXV.

Ad An. Chr. MCCCLXXXI.

Johannes de Rupeſciſſa in libro quem nominabat, Oſtenſor futurorum.

Scotia quidem in perjuriis, crudelitate, & perfidia diſſimilis cenſetur Galliae: Ad quae vitia, ſi ſtellae atque ſidera ex aſtrologorum ſententia regionibus dominantur, fato quodam dedita videri poſſit: Subeſt enim, ut aſtrologi cenſent, verſutiſſimo & inconſtantiſſimo ſideri Scorpioni. Cujus mores in ſingulis pene Scotis exprimuntur: Sunt enim crudeles, elati, intemperantiae & libidini dediti, falſi atque vafri, pacis, induciarum, foederumque fractores: Natura autem tam fera & indomita, ut, etſi in bellis ſaepe victi ſuccubuerint & ſubjectionem jurejurando promiſerint, redintegrare tamen contra fidem datam praelia, & mortis atque Martis diſcrimina ſubire; quam exterae cujuſquam gentis dominationem perferre, malint. Itaque, cum aſtrologi Martem Scorpionis eſſe dominum eique praeeſſe autument, Scotiam crebris vaſtationibus, incendiis ſtragibuſque cruentis ex illa Martis & Scorpionis conjunctione perpetuo ſubeſſe ſtatuunt. Haec itaque ſceleratiſſimorum ſimilitudo morum Gallos atque Scotos ſemper invicem conciliavit. Tanta enim utriuſque gentis feritas & immanitas in vindictis prodita eſt; quanta non modo inter Chriſtianos, ſed ne inter barbaros, a ſcriptoribus ullis perhibetur. Et quanquam his enumerandis deflexiſſe aliquantulum ab hiſtoriae praeſentis tempore videamur; tamen ea, quae explicavimus, propoſito ita conjuncta ſunt, ut inſeri ea quodammodo neceſſe ſit.

NUNC ad Archiepiſcopum mortuum, qui ab his tumultuoſis ruſticis interfectus eſt, revertamur: Cujus corpus rebus poſtea pacatis ad eccleſiam Cantuarienſem delatum, & ex parte auſtrali altaris Dunſtani ſepultum eſt. Hic Archiepiſcopus, qui ab impia ingrataque multitudine tam diram cladem perpeſſus eſt, in tota vita munificus ac liberalis fuit. Cantuarienſes muros vetuſtate collapſos redintegravit, eamque portam, quae Weſtgate appellatur, primus aedificavit. Sudburiae in Suffolcienſi comitatu, ubi, ut diximus, natus eſt, collegium ſaecularium clericorum multis ſuis haereditariis & emptis poſſeſſionibus opibuſque ditatum extruxit; antequam ad archiepiſcopalem ſedem pervenit, cum Londinenſis eſſet Epiſcopus.

Arch. Ste. Byrch.




5 I LIX. Gu-

Ab An. Chr. MCCCLXXXI.

LIX. Gulielmus Courteney.

Ad An. Chr. MCCCXCVI.





Ic nobilis Antiſtes ex gente illuſtri atque clara profectus eſt, patre natus Hugone Devoniae comite. Juri civili & canonico adoleſcens aſſiduam operam dedit. In eo ſtudio maturitatem ſuam aſſecutus ordinem clericalem ſuſcepit. In tribus deinde cathedralibus eccleſiis Bathonienſi, Exonienſi, & Eboracenſi tres praebendas obtinuit. Poſtea non minus nobilitate, quam doctrina prudentiaque celebris, regnante Edwardo tertio, Metropolitano vero Gulielmo Wittleſey, ad Herefordenſem Epiſcopatum electus

Ste. Byrchin. Walſing. Arch.

eſt. Inde Simoni Sudbury a Londinenſi eccleſia ad Cantuarienſem tranſlato in Londinenſi Epiſcopatu, eoque mortuo in Archiepiſcopatu, ſucceſſit. Monachi Cantuarienſes in uno ſenſu congruentes eum poſtularunt; ac Urbanus papa ſextus ignarus poſtulationis monachorum, proviſionis uſurpatione, eum ante ad Archiepiſcopatum tranſtulit; & Londinenſem

An. 1381.

Epiſcopatum Roberto Braybrooke contulit: Tranſlationis ſuae diploma bullatum, ut aiunt, in eccleſia Chriſti Cantuarienſi publicatum eſt nono Januarii. Deinde, a rege acceptis temporalibus & homagio praeſtito, contulit ſe Lametham. Eo venit monachus quidam Cantuarienſis a priore & conventu cum cruce archiepiſcopali miſſus: Eamque Archiepiſcopo in capella ſua Lamethae ſedenti his verbis duodecimo Januarii tradidit:

Verba Arch.

"Pater reverende, nuncius ſum ſummi regis, qui te rogat, mandat, & praecipit, ut eccleſiam ſuam regendam ſuſcipias, eamque diligas & protegas: In cujus ſignum nuncii, ſummi regis vexillum tibi trado ferendum." Archiepiſcopus autem accepta a monacho cruce dubitationem ipſe hanc injecit: An crucem ante ſe perferri liceat, antequam a papa pallium accepiſſet. Ex eaque quaeſtione alia dubitatio nata eſt: Regis Bohemiae ſoror regi Angliae Richardo ſecundo nuptura in Angliam hoc tempore venit. Has regias nuptias Cantuarienſis Archiepiſcopus jure, ut diximus, metropolitico celebrare, & reginam coronare debuit. De quo non minus ante acceptum pallium, quam de cruce gerenda, dubitavit: Qui tam perplexus dubitationis ſcrupulus non a jureconſultis & cauſidicis, ſed a monachis Cantuarienſibus, qui actus crebros & frequentes rerum ſimiliter ſine pallio geſtarum proferebant, & Cantuarienſis eccleſiae conſuetudinem allegabant, facile ſublatus eſt. Et tamen Archiepiſcopus, etſi ex monachorum aſſertione, geſta ante ſe cruce, inceſſit, proteſtationem caute interpoſuit: Non ſe id in Romanae curiae contemptum facere. Deinde regales illas & ſolennes nuptias Weſtmonaſterii in celeberrimo ac frequentiſſimo procerum coetu paulo poſt feſtum Epiphaniae celebravit. Et ineunte poſtea vere Thomam Cheyney illuſtrem militem ad

papam

papam legavit. Cui & Johanni Treſnant Anglo & papalis palatii magiſtro authoritatem dedit procuratoriam petendi ab Urbano papa pallium. Quo impetrato Thomas Cheyney revertitur, ſecumque adductum pallium Londinenſi prius dedit Epiſcopo: Qui ſexto die Maii, magna aſtante populi clerique corona, Archiepiſcopo in capella in manerio ſuo de Croydon ſedenti id ſolita pompa & magnificentia tradidit. His ſolenniter peractis ritibus, in archiepiſcopali adminiſtratione ita proceſſit: Ballivos Cantuarienſes, qui laica poteſtate adulteria & hujuſmodi crimina, quae a Praelatis erant corrigenda, vindicaverunt; eccleſiaſtica cenſura compeſcuit. Cleri ſynodum in fratrum praedicatorum coenobio Londini habuit; in ea plurima Johannis Wiclyffi dogmata, quae non modo inter doctos, ſed in ipſum vulgus, late ſparſa fuerunt, quaſi haeretica & errorum plena damnavit. Robertum Rygge Oxonienſis Academiae cancellarium, & Thomam Brightwell ſacrae theologiae profeſſorem, quos Wiclyffianae haereſis ſuſpectos habebat, eadem dogmata diffiteri, contrariiſque chirographis ſuis aſſenſum praebere, coegit. Tum Nicolaum Hereford, Philippum Repyndon ſacrae theologiae profeſſores, & Johannem Aſheton in artibus magiſtrum Wiclyffo aſſentientes, cum ab ea aſſenſione nollent avelli, lata ſententia haereticae pravitatis condemnavit. A qua ſententia illi ad papam provocabant. Archiepiſcopus appellatione rejecta eos nihilominus excommunicavit. Tum illa Wiclyffiana dogmata condemnata, ipſoſque haereticos & excommunicatos denunciari, tam Oxonii quam Londini, mandavit. Rex huic eccleſiaſticae ſeveritati adjungens ſuam, literis ad Archiepiſcopum & ejus Suffraganeos, nec non ad cancellarium Oxonienſem ſcriptis, authoritatem dedit apprehendendi & carceribus mancipandi quoſcunque in dictis dogmatibus ſuſpectos habebant. His geſtis magna crudelitate in permultos de religione ſuoque in rebus divinis ſenſu undique ſaevitum eſt. Alteraque cleri ſynodus Oxonii convenit; in qua regi conceſſum ſubſidium eſt, Hugone Segrave regis theſaurario id regio nomine petente. Tum Nicolaus Hereford, Philippus Repyndon, & Johannes Aſheton jurejurando praedictis Wiclyffianis dogmatibus renunciarunt, & ab excommunicatione abſoluti atque reſtituti ſunt. Ipſe Johannes Wiclyffe huc illuc, ne deprehenderetur, latebras quaerens, perſequentium inſidias vitavit; tandem, in feſto ſancti Thomae, paralyſi correptus vitam aliquandiu in aegritudine uſque ad Sylveſtri feſtum produxit: Tumque in his, quae divulgarat, dogmatibus conſtans moritur. Ea vero dogmata latius propagata in Galliam atque Flandriam pervenerunt. Itaque Henricus Spenſer Epiſcopus Norvicenſis, militiae quam theologiae peritior, exercitu ſibi a rege tradito acceptaque ab Urbano papa ligandi ſolvendique poteſtate, trajecit in Flandriam. Dunkirke muro cinctam ac munitam civitatem oppugnavit: Ea capta permultas alias villas & caſtella proſtravit. Mox magnus ex Flandria Galliaque & Armorica Britannia militum conjunctus numerus exercitum triginta millium conflavit. Hi Epiſcopum quinque tantum millium ducem magno impetu prope Dunkirke aggreſſi ſunt. Sed in ea dimicatione duodecim millibus caeſis reliqui fuga diſcrimen evaſerunt. Ex Anglis ſeptem tantum milites interempti ſunt. Pro hac victoria, & Norvicenſi Epiſcopo ſuoque exercitu, frequentes publicae preces in Cantuarienſi provincia ex Archiepiſcopi mandato fuſae ſunt. Interea in Anglia Richardus Scroop miles, regni cancellarius eo munere abdicatus eſt; & rex Robertum Braybrooke Londinenſem

An. 1382.

De his articulis & toto proceſſu vide Regiſt. Courteney, fol. 25. Walſing.

An. 1383.

An. 1384.

Walſing.

Arch.

Ab An. Chr. MCCCLXXXI. — Ad An. Chr. MCCCXCVI.

nenſem Epiſcopum ejus loco cancellarium conſtituit. Hoc tempore Cantuarienſis Archiepiſcopus quendam Richardum Iſmonger de Ailresford in Cantio, quia criminoſos a Praelatis corrigendos authoritate laica caſtigavit & jura libertateſque eccleſiae violavit, excommunicavit. Is humiliter abſolvi petens, jurejurando ſe eccleſiaſticam juriſdictionem non violaturum, poenamque quamcunque ſuae contumaciae ac temeritatis dignam & ab Archiepiſcopo imponendam ſubiturum, promiſit. Poena injuncta fuit haec; ut primo, in foro de Weſtmalling in frequentiſſimo conventu populi, trinis diebus forenſibus, fuſtibus nudus caederetur: deinde tam Maidſtoniae quam Cantuariae eadem poena atque toties plecteretur. In ultima vero caſtigatione Cantuariae eccleſiam nudus ingrederetur, & Thomae delubro cereum ponderis quinque librarum cerae offerret. Quam injunctam poenam ſi non perageret; in priorem excommunicationis ſtatum reincideret. Papa cuidam fratri Carmelitano Waltero Diſſe, qui ducis Lancaſtriae fuerat confeſſor, poteſtatem plurima indulgendi privilegia conceſſit: In his erat, ut, ſi quos papae capellanos crearet, hi nullius juriſdictione, nulla regula aut inſtituta diſciplina, tenerentur. Itaque Petrus de Pateſhul Auguſtinenſis, pecunia data, in numerum papalium capellanorum ab illo Carmelitano aſcriptus eſt. Itaque ab illo arcto vitae genere, quo diu graviter conſtrictus tenebatur, relaxatus omnem immunitatem atque impunitatem propoſitam ac permiſſam ſibi exiſtimavit: Et illico omnes fratrum ordines abominans Wiclyffianis ſe adjunxit. His omnia clandeſtina & impura fratrum flagitia indicavit: Eorumque ſuaſu ſuggeſtus aſcendens contra foediſſimos fratrum ordines ubique praedicavit. Tum in ſcriptis valvis eccleſiae Paulinae affixis varia confratrum inter ſe homicidia, furta, rapinas, regis atque regni proditiones, adulteria, & nefandas contra naturam foeditates, propoſuit. Et, ut ſibi fides haberetur, occiſorum & tortorum nomina commemoravit, dieſque atque loca, quibus illae caedes perpetratae ſunt, deſignavit. Hac patefacta nefanda fratrum turpitudine, multi indies a Romana ſuperſtitione deſciverunt, & Wiclyffi dogmatibus aſſenſi ſunt. Inter quos Willielmus Nevil, Lodovicus Cliſford, Johannes Clenbow, Richardus Story, Thomas Latymer, Johannes Montagu, Laurentius de Sancto Martino, nobiliſſimi & generoſiſſimi milites, fuerunt. Quos pontificii Lollardos & Capuriatos ſive Pileatos nominabant; eo quod altaria praetergreſſi, ex pontificio inſtituto, ſacramento pyxidi incluſo, levatis pileis, honorem non deferebant. Hi illum Auguſtinenſem fratrem, papae capellanum, a fratrum & monachorum impetu tuebantur; eaque, quae de eis praedicarat ac prodiderat, veriſſima eſſe aſſerebant. Magna plebis multitudo his equitibus adhaeſit, & papiſmum execrata eſt. Pontificii, hac indies adaucta multitudine, quid agerent eo magis incerti fuerunt; quod Romae ſub Urbano papa quidam antipapa exortus eſt: Ipſeque Urbanus papa, in magnas ab adverſariis anguſtias coactus, a rege atque clero Angliae opem & adjumentum petiit. Tum Archiepiſcopus, qui in Wiclyffianos ante vehementiſſimus erat, jam in Arundeliae comitem magnam controverſiam inſtituit. Hujus ſervuli piſcinam in Archiepiſcopi manerio de **Southmalling** Ciceſtrenſis dioeceſis ſublatis piſcibus evacuaverunt: Quo facto Archiepiſcopus in magnam actus ſaevitiam Ciceſtrenſi Epiſcopo mandavit; ut piſcinae ſuae praedones, quos ſacrilegos & Cantuarienſis eccleſiae violatores nominavit, excommunicatione feriret. Comes autem regem adiit, petiitque, ut de ea contro-

Walſing.

Arch.

controversia, ne excommunicationem incurrat, in sua praesentia transigatur. Atque Archiepiscopus, postquam rex hujus controversiae cognitionem suscepisset, ad Cicestrensem Episcopum scripsit; ut latas excommunicationes revocaret & ab excommunicando deinceps desisteret. Nonnulla his similia aliquot annis gesta sine commemoratione quidem commode praeteriri possunt. Rege vero & proceribus diffidentibus, ut omnes lites sedarentur, parliamentum Londini tentum est. Ibi Archiepiscopus synodum celebravit & in concione cleri de hoc scripturarum themate peroravit: "Super muros Jerusalem constitui custodes." Tum regi decimam concedi impetravit. In eo parliamento, cum proceres multos, qui seditionis inter eos atque regem authores fuerunt, ad supplicia poposcissent, & de ultimo plurimorum supplicio agerent; Archiepiscopus cum suis Suffraganeis, qui jure interesse causis sanguinis tractandis non poterant, interea dum proceres reos neci adjudicarent, a parliamento hac usus protestatione recessit.

An. 1387. Tho. Walf. Arch.

Protestatio facta per DOMINUM *in parliamento pro se & Suffraganeis suis.*

Regist. Courte. fol. 174.

" IN DEI NOMINE AMEN. Cum de jure & consuetudine regni An-" gliae ad Archiepiscopum Cantuariensem, qui pro tempore fue-" rit, nec non caeteros suos Suffraganeos, confratres, & Coepiscopos, ab-" batesque & priores, aliosque Praelatos quoscunque, per baroniam de " domino nostro rege tenentes, pertineat in parliamentis regiis quibus-" cunque, ut pares regni praedicti personaliter interesse, ibidemque de " regni negotiis & aliis ibidem tractari consuetis, cum caeteris dicti regni " paribus & aliis ibidem jus interessendi habentibus, consulere & tracta-" re, ordinare, statuere & diffinire, ac caetera facere, quae parliamenti " tempore ibidem imminent facienda; in quibus omnibus & singulis, NOS " Gulielmus Cantuariensis Archiepiscopus, totius Angliae Primas, & A-" postolicae sedis legatus, pro nobis, nostrisque Suffraganeis, Coepisco-" pis, & Confratribus, nec non abbatibus, prioribus, ac praelatis omni-" bus supradictis, protestamur, & eorum quilibet protestatur, qui per " se, vel procuratorem hic fuerit modo praesens, publice & expresse; " quod intendimus & intendit, volumus ac vult quilibet eorum in hoc " praesenti parliamento, & aliis, ut pares regni praedicti, more solito " interesse, consulere, tractare, ordinare, statuere & diffinire, ac caetera " exercere cum caeteris jus interessendi habentibus in eisdem, statu & or-" dine nostris & eorum cujuslibet in omnibus semper salvis. Verum, " quia in praesenti parliamento agitur de nonnullis materiis, in quibus " non licet nobis aut alicui eorum juxta sacrorum canonum instituta quo-" modolibet personaliter interesse; eapropter pro nobis & eorum quo-" libet protestamur, & eorum quilibet hic praesens coram protestatur, " quod non intendimus, nec volumus, sicuti de jure non possumus nec " debemus, intendit, nec vult aliquis eorundem, in praesenti parliamen-" to, dum de hujusmodi materiis agitur vel agetur, quomodolibet interesse; " set nos & eorum quemlibet in ea parte penitus absentare; jure pari-" tatis & cujuslibet eorundem interessendi in dicto parliamento, quoad om-" nia & singula inibi exercenda nostris & eorum cujuslibet statui & or-

Ab An. Chr. MCCCLXXXI.

“ dini congruentia, in omnibus ſemper ſalvo. Ad haec inſuper prote-
“ ſtamur, & eorum quilibet proteſtatur; quod propter hujuſmodi ab-
“ ſentiam non intendimus, nec volumus, nec eorum aliquis intendit, vel
“ vult, quod proceſſus habiti & habendi in praeſenti parliamento ſuper
“ materiis antedictis, in quibus non poſſumus nec debemus, ut praemit-
“ titur, intereſſe, quantum ad nos & eorum quemlibet attinet, futuris
“ temporibus quomodolibet impugnentur, infirmentur, ſeu etiam in-
“ fringentur.”

An. 1388. Walſing.

ALIUD deinde Cantebrigiae parliamentum in coenobio Carmelitarum inchoatum eſt; ibique ſynodus rege procurante in eccleſia beatae Mariae celebrata. Regi a clero hac conditione conceſſa decima eſt; ſi ipſe ante Kalendas Octobris proximi cum exercitu in Gallos mare trajiceret. In eo parliamento multa ſalubriter conſtituta ſunt: lataque lex eſt; Ne quis ſine regis licentia aliquod beneficium, proviſionis papalis titulo, ſibi conferri procuraret: Qui ſecus fecerit, ut regis protectione excludatur. Item ſtatuta ſunt de ſtipendiis famulorum, de publice mendicantibus, de armis non ferendis, de ludis non exercendis niſi ad arcum, de ſtapula revocanda de Middleborough ad Caleſiam, de laboratoribus non recipiendis in aliena villa, niſi ſub ſigillo hundredi, &c.

Tho. Otterburn.

HOC anno dominus Thomas Trivet juſtitiarius regis ſupremus, lapſus ab equo interiora ſua dirupit. In hoc anno Scoti quietis neſcii intrantes Angliam, improviſis provincialibus, agebant caedes & rapinas, multos captivantes, & villas conflagrantes, duce eorum Willielmo comite de Douglas; qui ſtatim peremptus eſt manu Henrici Percy in primo congreſſu; quem comes de Dunbar cepit cum fratre ſuo Radulpho Percy, ubi multi ex Anglis caeſi ſunt. Scoti nihilominus humiliati, adventum aliorum procerum non audentes expectare, fugerunt.

Walſing.


In ſuperiori autem parliamento, cum laici ſubſidium ſub hac conditione regi conceſſiſſent, ſi clerus decimam concederet; Archiepiſcopus cum ſuis Suffraganeis valde iniquum & peſſimi exempli aſſerebant, cleri in regem donationes, quae ſpontaneae gratuitaeque eſſe debent, a laicis tam ſtrictis modis & conditionibus alligari: Proinde ſe de quacunque cleri conceſſione in ſynodo non acturos, niſi illa laicorum conditione deleta. Itaque rex, qui eo die interfuit, expungi laicorum conditionem juſſit; quod mox publice in parliamento factum eſt. Poſt haec Archiepiſcopus, cum viſitationem metropoliticam in provincia peragere conſtituit; ut majori authoritate niteretur, impetravit ab Urbano papa, ut ſine Romanae curiae impedimento viſitationem totius provinciae ſuſciperet. Itaque Roffenſem, Ciceſtrenſem, Bathonienſem ac Wellenſem, necnon Lincolnienſem dioeceſim nullo reſiſtente aut contradicente viſitavit.

Regiſt. Courteney, fo. 80.

Cum autem ad Exonienſem ventum eſſet viſitationemque inchoaſſet; eandemque ſaepius de die in diem ac de loco in locum prorogaſſet, & juriſdictionem tam Epiſcopi quam reliquorum in ea dioeceſi praelatorum, durante ſua metropolitica viſitatione, ſuſpenſam teneret ac impediret: Exonienſis Epiſcopus omnibus ſuae dioeceſis praecepit ac mandavit, ne Archiepiſcopo in viſitatione parerent; tum, ut beneficiorum inſtitutiones, collationes & admiſſiones, teſtamentorum inſinuationes, bona inteſtatorum adminiſtrandi commiſſiones, electionum confirmationes, cauſarum omnium cognitiones atque deciſiones, criminum correctiones, omniaque jura ordinaria non aliunde, quam a ſe ſuiſve

ſuiſve inferioribus in ſua dioeceſi praelatis peterent. Omnes, qui ſecus fecerint, eodem edicto ſententia lata excommunicavit. Hoc prohibitorium atque cenſorium Exonienſis Epiſcopi edictum Archiepiſcopus contrario edicto ſuſtulit ac delevit; & excommunicationis illius ſententiam irritam ac inanem pronunciavit. Exonienſis deinde quater ad papam appellavit; & appellationes ſuas in ſcriptis eccleſiae cathedralis Exonienſis valvis affixit: Eas omnes Archiepiſcopus rejecit ac refutavit, & nihilominus in viſitatione pergit. Ipſum Epiſcopum reſponſurum certis in viſitatione propoſitis articulis, variis edictis, citat. Quidam Exonienſis Epiſcopi aſſeclae Petrum Hill Archiepiſcopi mandatarium in oppido Topeſham comprehenderunt; maleque mulctatum, mandatum in membranis ſcriptum & Archiepiſcopi ſigillo ſigillatum, quod in ſinu ad Epiſcopum citandum habuit, dentibus cum cera manducare & deglutire coegerant: Ad quos tanquam rebelles & facinoroſos coercendos rex Edwardo Courteney, Devoniae comiti aliiſque mandavit; ut eos inventos ad Archiepiſcopum ducerent. Capti tandem hanc poenam ab Archiepiſcopo injunctam ſubeunt: In eccleſia Cantuarienſi, Paulina Londoniae, & Exonienſi, diebus feſtis ſtatutis, camiſiis tantum induti crucem, cereis accenſis portatis, in illa papali proceſſione praecedant: tum miſſidicum preſbyterum, qui quotidianas miſſas ad tumulum comitis Devoniae celebret, dato ſalario ſuſtentent: Poſtremo, viginti ſolidos ſinguli reficiendis Exoniae civitatis muris municipibus ſolvant. De hac peracta poena Archiepiſcopum teſtimonio trium decanorum Londinenſis, Cantuarienſis & Exonienſis ſigillis ſuis ſigillato certiorem faciunt. Poſtea Archiepiſcopus in viſitationis negotiis proceſſit; & Willielmum Byde legum doctorem, advocatum curiae de Arcubus, quia contra Cantuarienſis ſedis dignitatem conſilium Epiſcopo Exonienſi dediſſet, ordine atque loco movit. Tum juramentum praeſcriptis quibuſdam verbis concepit; quod a ſingulis ejuſdem curiae advocatis deinde admiſſis praeſtitum & obſervatum eſt. Exonienſis autem Epiſcopus appellationem ſuam, quam ad papam contra Archiepiſcopum interpoſuit, ſedulo proſequutus eſt. Sed, cum ſuam conditionem non modo inferiorem, ſed duriorem eſſe perſpexiſſet, quod rex Archiepiſcopo adhaeſerat, appellatione deſerta ad Archiepiſcopum ſupplex confugit; & tam delictum ſuum, quam Archiepiſcopi authoritatem, juriſdictionem & praerogativam agnoſcens, temeritatis & contumaciae veniam, in quam conſilio potius quam judicio ſe ductum fatebatur, impetravit. Sariſburienſis autem Epiſcopus, cum viſitandus eſſet, eoſdem ſibi ſpiritus animumque reſiſtendi Archiepiſcopo ſumpſit: ſed in jure, ut ſibi viſus eſt, cautius prudentiuſque egit. Cum enim Archiepiſcopum ſola Urbani papae authoritate ad viſitandum ſuffultum putaret: Urbano mortuo, a Bonifacio ſuo ſucceſſore pro ſe ac ſuae dioeceſis ſubditis privilegium, ne Urbani literarum authoritate viſitarentur, impetravit; ratus archiepiſcopalem & metropoliticam authoritatem atque juriſdictionem, niſi papa ſubveniente, haud valere. Sed Archiepiſcopus & in jure peritior, & uſu atque experientia certior, & in aula, Romanaque curia gratioſior, cum ad eum in manerio de **Croydon**, cum papali privilegio, quo ſe a viſitationis jure eximi putabat, Sariſburienſis Epiſcopus veniſſet; ſtatim decretum ſuum interpoſuit; ac coram tabellione actis inſinuavit, ſe Sariſburienſem Epiſcopum ejuſque totam dioeceſim authoritate metropolitica viſitaturum: Deinde Epiſcopum edicto ac mandato ſuo publico monuit; ut metropoliticam viſitationem, de Urbani

P. 405



Gulielmi Courteney.

An. 1395.

tiam ad proximum tantum parliamentum ratae ſint. Circa haec tempora mirum in modum crevit eorum numerus, qui Wiclyffo aſſenſi ſunt; ut non modo plebs, ſed nobiles procereſque regni, exiſtimabantur his opinionibus imbui, quas Wiclyffiani praedicabant: Multaque in opprobrium & dedecus Epiſcoporum atque cleri dicta, edicta, ſcripta ac divulgata ſunt; quae vix comprimi authoritate regia potuerunt. Id ſcriptores Epiſcoporum ignaviae atque ſocordiae tribuunt; quos ſciunt, " quae ſua fuerunt, non quae Jeſu Chriſti, quaeſiviſſe". Ipſe Archiepiſcopus, etſi eccleſiaſticas opes annuis ſolutionibus indies exhauriri ſenſerat, tamen obtinuit a papa; ut ſuae provinciae clerus de ſingulis viginti ſolidis quatuor denarios ſibi ſolvant. Hanc licentiam papae Archiepiſcopus Eboracenſis & Epiſcopus Londinenſis executi ſunt: Lincolnienſis autem ab hoc tributo ad papam appellavit. Qua appellatione pendente, Archiepiſcopus, poſtquam quatuordecim annis decem menſibus & diebus viginti duobus ſediſſet, pridie Kalendas Auguſti apud **Maideſtone** obiit: Ubi, demolito veteri opere, collegium ſaecularium ſacerdotum extruxit ac fundavit. Tum eccleſiam de Mepham collapſam ad uſus infirmorum fratrum redintegravit; juxtaque eam quatuor novas aedes extruxit. Eccleſiae Cantuarienſi, ad reparationem navis eccleſiae, clauſtri, & murorum, mille marcas legavit. Item imaginem argenteam & deauratam Trinitatis cum ſex Apoſtolis circumſtantibus, ponderis centum & ſexaginta librarum, album veſtimentum cum ſex cappis, viride veſtimentum cum ſeptem cappis, libroſque permultos. In eccleſia Cantuarienſi juxta feretrum Thomae Becket ex auſtrali parte ſepultus jacet.


Walſing.



Ab An. Chr. MCCCXCVI. | Ad An. Chr. MCCCCXIII.

LX. Thomas Arundel.





CANTUARIENSIS ecclesia a monachis, fratribus, ac plebeiis clericis tot saeculis pene usu capta, a nobilibus tandem & illustribus viris occupata est. Nam mortuo Gulielmo Courteney, cujus Archiepiscopatus tranquille & quiete transactus est, Thomas Arundel origine ac generis claritate pari, sed dissimili diversaque fortuna, successit. Hic patrem habuit Arundeliae comitem; & adolescens theologiae deditus clericali ordine initiatus gessit archidiaconatum Taunton. Tum, cum subdiaconus tantum esset, ad Eliensem Episcopatum electus, inde ad Eboracensem Metropolim, ac demum ad Cantuariensem, provisione papali, pervenit. Cujus provisionis bulla undecimo Januarii Cantuariae publicata est. Deinde Henricus Chillenden Cantuariensis prior crucem archiepiscopalem in ecclesia Westmonasteriensi, rege ac proceribus praesentibus, usitata illa & concepta verborum formula, quam in Gulielmo Courteney supra retulimus, tradidit: Et decimo Februarii proximo ab Willielmo Wickham Wintoniensi Episcopo pallium accepit: Tum Cantuariam profectus decimo nono ejusdem mensis magnis sumptibus & solita magnificentia inthronizatus est. Eo die cleri synodus Londini convenit: Quam Edmundus Stafford Exoniensis Episcopus, regni cancellarius, ad finem ejus mensis prorogavit. In hac synodo scholares Oxonienses querelam contra Thomam Hyndman, Universitatis cancellarium, & Nicolaum Faux ejus commissarium, proposuerunt: Quod exemptionis jura, quibus ab archiepiscopali & episcopali jurisdictione Universitas fiat immunis, a papa impetrassent; non modo in Metropolitani & ordinarii, sed in ipsius Universitatis, praejudicium atque gravamen. Quod privilegium servitutis, potius quam libertatis, instar esse docebant: Cum enim antea, si iniquis cancellarii aut procancellarii imperiis opprimerentur, aut injuriis afficerentur; appellationibus & archiepiscopali aequitate subventum eis fuit; nec in unius potestatem redacti, a quo nec permissa esset provocatio, nec quae superioris jurisdictione possit coerceri, quasi perpetuae servituti subjacerent. Itaque ab Archiepiscopo petierunt, quoniam sua min eos jurisdictionem agnoscerent, & antecessoris sui Gulielmi Courteney moderationem atque prudentiam, cum Academiam Oxoniensem tam in capite quam in membris visitaret, experti essent; ut ea a cancellario ejusque commissario procurata privilegia rescinderet: Quibus ipsi, interposito ad id Michaele Sergeaux, juris utriusque doctore, legitimo procuratore expresse atque publice in synodo renunciarunt. Eam renunciationem Archiepiscopus ratam habuit, & exemptionis Oxoniensis privilegia irrita & inania

Arch.

An. 1396.

inania judicavit. Tum cancellarius quaſi furore actus petulanter ac immodeſte ſe abdicavit magiſtratu, ſynodoque ſine venia diſceſſit: ſed Archiepiſcopus eum edicto revocavit, ejuſque proterviam atque audaciam repreſſit. In eadem ſynodo doctores Oxonienſes quaſdam Johannis Wiclyffi opiniones expoſuerunt; quas ſynodus condemnavit: ſynodo autem dimiſſa Archiepiſcopus ſtatuta quaedam pro curia de Arcubus condidit; deinde totam pene provinciam viſitando luſtravit. Londini veterem quandam de ſolvendis decimis conſtitutionem, a Simone Nigro Londinenſi quondam Epiſcopo latam, renovavit: Ea conſtitutione cautum eſt, ut parochiani ſingulis diebus dominicis atque feſtis denarii quadrantem parocho offerant, nec non tantundem ex ſingulis redditibus decem ſolidorum. In tota autem viſitatione cauſas & querelas omnium provincialium, ſuſpenſa ordinariorum jurisdictione, audivit atque definivit; viſitationemque in nonnullis dioeceſibus anno amplius prorogavit: eaque finita cauſas ad ſe ante delatas non ordinariis, ſed aliis a ſe conſtitutis commiſſariis, a quibus juramenta ſuae juriſdictioni parendi exegit, delegavit. Tota viſitatione completa Richardus rex parliamentum Londini tenuit poſt octavas nativitatis ſanctae Mariae; ad quod convenire juſſit omnes dominos ſibi adhaerentes cum armatis & ſagittariis, ac etiam homines comitatus Ceſtriae, ut inquit Thomas Otterburne, ad vallandum latus ſuum; quorum tutelae rex ſe totaliter commiſit. In quo parliamento dux Glocestriae, & comes Arundeliae, frater Archiepiſcopi, nec non comes Warvici laeſae majeſtatis atque proditionis condemnati ſunt. In eo parliamento cum Archiepiſcopus, ut in Gulielmo Courteney ſupra commemoravimus, dum de poenis capitalibus ageretur, abfuit; proſcriptus & exilio mulctatus eſt. Dati ei ſunt quadraginta dies; quibus ſi non exiret patria, capite plecteretur. Is Romam profugit, & in maxima vixit gratia cum Bonifacio papa; qui ad regem ſcripſit, ut tam illuſtrem nobilemque Praeſulem in priſtinam gratiam ac dignitatem reſtitueret. Sed, cum nihil proficeret; bullis ac verbo tenus eum ad ſancti Andreae Epiſcopatum in Scotia tranſtulit; & multis eccleſiaſticis dignitatibus in Anglia eum, invito rege, proviſionis titulo locupletare ſtatuit: Quod cum rex accepiſſet; ad papam acerrime in Archiepiſcopum invectus his verbis ſcripſit.

T. Otterb.

An. 1397.

Literae regiae ad Epiſcopum Romanum adverſus THOMAM ARUNDEL.

Haec ex continuatione Polychronic. in Rich. 2. circa annum Dom. 1397.

“ THOMAS, proditionis non expers, noſtrae regiae majeſtati inſidias fabricavit; pro cujus demeritis, immo potius inexplicabilibus maleficiis aeternum ſolum eſt paſſus exilium, qui pati potius debuit & merito proditoris ſupplicium; unde Dei reverentia fuit propitia noſtra majeſtas regia; de quo dolet eadem regia celſitudo, dolent etiam & mirantur omnes & ſinguli regni noſtri. Cum jam intelleximus eundem Thomam ad veſtrae ſanctitatis praeſentiam evocatum, & talibus conſolatoriis ſermonibus ipſum, ut dicitur, animaſtis; quod ad eadem beneficia vel majora infra noſtrum regnum, vel ſaltem in partibus noſtrae ditioni ſubditis, ſe credit veriſimiliter promoveri, & in his & in aliis ſede Apoſtolica communiri. Quod quam directe & immediate contra ſtatum noſtrum & regni noſtri pacificam gubernationem, ac manifeſtum periculum quod ſilentio praeterimus, tenderet; vita no-

“ ſtra

" stra comite, nullatenus tolerabimus, etsi totus mundus ad hoc quo- " modo libet consentiret. Novimus etiam hunc hominem ad medullas; " novimus ejus animum, impatientem quidem pacis cujuslibet; qui ad in- " veteratas imaginationes nobis suspectissimus totam intentionis suae con- " geriem, etsi non publice, tamen per fuscata velamina, si liberum ad " partes nostras poterit habere recursum, inter nostros ligeos derivabit. " Praevideat igitur sancti apostolatus vestri discretio, ne hac in parte tale " praejudicium contra mentem praesertim nostram & conscientiam, no- " bis, quod tum vix credere possumus, inferatur; per quod inter sacer- " dotium & regnum scandalorum materia valeat exoriri; quae forsan tam " leviter sopiri non poterit, sicut ex causa inhonesta inconsultius gene- " rari. Ut enim plano, non ficto, sermone loquamur; amicus autem " nobis benevolus esse non poterit, qui notoriis inimicis dextras exhibet " sive confert. Alibi namque, si vobis placuerit, satis sibi providere po- " teris; dum tamen nostro manum non intinxerit in catino. Quod enim " in partibus a nobis distantibus & remotis sibi, prout vobis placuerit, " provideatis, regia majestas aequanimiter poterit tolerare. Hanc quae- " sumus materiam cordi teneriter commendetis; prout volueritis, quod " regia devotio ad vestrae voluntatis beneplacita vehementius accendatur." Et sic nec papa nec cardinales valebant nec audebant regiae majestati contra- venire. Sed Rogero Walden, postea Londinensi Episcopo & tunc thesaurario Angliae, ad instantiam regis concessit papa successionem sedis Cantuariae.

QUIBUS literis papa deterritus, non modo Thomam Arundel non promovit; sed, rege postulante, Rogerum Walden, Eboracensem decanum & postea Londinensem Episcopum, Cantuariensem Archiepiscopum creavit. Hic toto tempore, quo Thomas, exilio mulctatus, peregrinatus est, se pro Archiepiscopo gessit, synodos celebravit, constitutiones nonnullas provinciales tulit; inter quas una de observandis feriis inter eas edita est, quas Willielmus Lyndwood congessit & divulgavit. Tum papa, postquam regi in Rogero Walden promovendo placuisse atque gratum fecisse visus sit, coepit provisoriam suam potestatem in creandis & transferendis Episcopis declarare. Johannem Lincolniensem Episcopum ad Episcopa-
An. 1398. tum Cestriae tunc vacantem transtulit. Lincolniensem Episcopatum Henrico Beaufort, Johannis Lancastriae ducis ex Katharina Swynford filio, ut sibi ducem devinciret, contulit. Sed Lincolniensis cedere, potius quam tam ambitiosam pati translationem, maluit. Itaque, ea spreta, ingressus monasterium Cantuariense cum monachis reliquum vitae curriculum per-
Walsing. egit. Eo itaque cedente, frater quidam praedicatorum, qui regis confessor fuerat, a Landavensi Episcopatu ad Cestrensem translatus est. Rex, cum animadverteret papam absoluta quadam & effraenata in sui regni Episcopatibus disponendis uti potestate, clerum convocavit, & ab his quaesivit: An papae liceret arbitrio atque voluntate sua, quoscunque vellet, creare atque transferre Episcopos. Clerus, cui tum nefas fuit de papae potestate detrahere aut dubitare, regiis interrogatis directe non respondit: Sed suasit, ut rex quasi cleri populique sui regni supplicationibus instigatus papam suis literis rogaret; ut a talibus translationibus collationibusque pro commodo ecclesiae Anglicanae desisteret. At rex, accepto tam pusillo & inerti a clero responso, in papam motus juravit: Quod, si papae in hoc negotio constanter clerus restitisset, ipse in eorum auxilium regiam manum

manum admoveret. Venit ad regem eo tempore Petrus de Boſco, Aquenſis Epiſcopus, papae nuncius; egitque, ut rex permitteret ſuis ſubditis a papa beneficiorum proviſiones acquirere; & STATUTA CONTRA PROVISORES, BREVIAQUE DE QUARE IMPEDIT, ET PRAEMUNIRE FACIAS, revocaret. Sed rex ob populi procerumque poteſtatem, qui contra vehementer niterentur, id ne ſuae quidem eſſe poteſtatis reſpondit: Itaque eum re infecta dimiſit. Hoc anno Romae repertus eſt theſaurus Helenae, matris Conſtantini, primi Chriſtiani Caeſaris, in nummis aureis Helenae effigie percuſſis. Hujus theſauri magnitudine papa capitolium & caſtellum ſancti Angeli Romae conſtruxit. Sub haec tempora rex, Johanne Lancaſtriae duce mortuo, Henricum ejus filium ac haeredem, quem antea in Hiberniam relegaſſet, decenni damnavit exilio: & ipſe, multis pecuniis magniſque copiis collectis, ad ſupplicium de Hibernis ſumendum, qui Marchiae comitem trucidaſſent, profectus eſt. Interea Henricus dux Lancaſtriae ſe cum Thoma Arundel Archiepiſcopo, & ejus nepote, ante interempti comitis Arundeliae filio, in mutuo exilio ſe conjunxit. Qui conjunctis & comparatis copiis Angliam ingrediuntur: Et primo Willielmum Scroop theſaurarium, alioſque regis conſiliarios, quorum improbis ſuaſionibus & ſe proſcriptos, & multa a rege perperam ac in reipublicae detrimentum geſta, cognoverant, Briſtoliae captos ſecuri feriunt. Rex nunciata hac turba in Angliam feſtinat. Interim dux Lancaſtriae grandem exercitum ſexaginta millium conflarat, & omnium pene animos, a rege tantis tributis alienatos, ſibi conciliarat. Rex in his anguſtiis non minus armatam hoſtium vim, quam ſuorum fugam & defectionem, pertimeſcens petiit cum Thoma Arundel Archiepiſcopo, quem in exilium miſerat atque proſcripſerat, colloquium: In eo colloquio, regno cedere ſe paratum ait; ſi vitae ſecuritas ſibi fiat victuſque reliquo vitae ſpatio honorificus ſuppeditetur: Eaque conditione ſe reddidit in ducis Lancaſtriae poteſtatem. Tum Bonifacius papa, cum regem a duce Lancaſtriae ſuperatum acceperat, Rogerum Walden, tanquam invaſorem atque praedonem, de archiepiſcopali celſitudine, poſtquam eam duobus annis occupaſſet, dejecit: eo quod "praeſumpſerat aſcendere cubile viventis patris "ſui"; reſtituitque per literas bullatas in Archiepiſcopatum Thomam Arundel; totiuſque rei crimen atque odium in regem & Rogerum Walden, a quibus deceptum ſe ac circumventum conqueritur, convertit. Poſtea, cum Richardus rex, Eboracenſi Archiepiſcopo & Herefordenſi Epiſcopo procuratoribus ſuis conſtitutis, in parliamento ſeſe regno abdicaſſet; eaque abdicatio omnium in parliamento praeſentium apertis votis ac ſuffragiis rata eſſet; Henricus Lancaſtriae dux regnum, haereditatis proximitate, illico in parliamento vendicavit: Cui ab omnibus aſſenſum eſt. Tunc ab Archiepiſcopo Thoma Arundel manum ejus dextram tenente ad regale ſolium ductus in eoque collocatus eſt: Et Archiepiſcopus ſumpto hoc ſcripturarum themate: "Vir dominabitur in populo ejus", magnanimitatem ac virtutem in parliamenti concione laudavit. Deinde, eundem Weſtmonaſterii die lunae, in quo Edwardi regis confeſſoris commemoratio celebrabatur, in frequentiſſimo omnium ordinum undique applaudentium coetu coronavit. Ac, dum parliamentum Weſtmonaſterii habitum eſt, Thomas Archiepiſcopus in eccleſia Paulina ſynodum celebravit: Ad eam Northumbriae & Weſtmerlandiae comites a rege miſſi ſunt: Qui clero indicabant, non ſe ad pecunias exigendas a rege veniſſe; ſed ut regis

An. 1399.

Verb. Walſ.

Walſing.

Arch.

gis in clerum & eccleſiaſticam libertatem benevolentiam declararent: Qui omnes eccleſiae immunitates regia poteſtate tuiturus eſt, & haereticos ſibique adverſos quoſcunque his, quibus clerus optaret, ſuppliciis affecturus. Itaque petiit, ut pro ſua regnique ſalute preces aſſiduas effundant Domino. Archiepiſcopus cleri nomine magnas viciſſim regi reddidit gratias; petiitque, ut authoritate regia papales proviſiones & praeventiones tolleret; quibus effectum, ut viri docti in Academiis ſtudentes, cum praemia indignis & ambitioſis ea Romae quaerentibus darentur, ſtudia deſererent, & inſcitia doctrinam expelleret: Ejus ſe mali remedium inventurum rex pollicitus eſt.

An. 1400.

Rogerus autem Walden, ſede Archiepiſcopali motus, in epiſcopali ordine & charactere privatus aliquandiu in luctu gemituque, ſine Epiſcopatu ullove publico adminiſtrando munere, delituit. Tandem Cantuarienſis Archiepiſcopi benignitate ad Londinenſem Epiſcopatum promotus primo ſui ingreſſus anno obiit. Multi deinde uno alteroque anno in regem inteſtini motus facti ſunt.

An. 1403.

Quibus ſedatis, rex viduam Johannis de Monteforti, ducis minoris Britanniae quondam uxorem, ſibi matrimonio conjunxit. Ea a Cantuarienſi Archiepiſcopo Weſtmonaſterii regi nupta & coronata fuit. Poſt quas nuptias orta eſt alia nova quorundam procerum in regem conjuratio; qui, ut vulgus commoverent & ad res novas moliendas accenderent, Richardum regem regno invitum & coactum ceſſiſſe, ſed tamen ſuperſtitem eſſe, atque bellicas ubique copias ad recuperandum regni jus parare, fingunt.

Walſing. Arch.

Quibus captis ultimoque ſupplicio affectis, & depoſito tumultu, parliamentum Londini congregatum eſt. Tum clerus, Archiepiſcopo jubente in ſynodum eodem convenit:

An. 1404.

Inchoata ſynodo Northumbriae, Weſtmerlandiae, ac Worceſtriae comites, & Thomas Erpingham camerarius Angliae ingreſſi ſynodum regias anguſtias & neceſſitatem exponunt, opem a clero poſtulant:

V. de Stat. An. 4. H. 4. cap. 3.

Paucis inde diebus, clerus bonorum decimam pollicetur, & a rege in parliamento pro clericis laicali ſeu regio foro convictis ſtatutum ferri obtinuit. Tum Archiepiſcopus conſtitutionem Simonis Iſlippe de clericis convictis ante commemoratam obſervari praecepit; & quoſdam Londinenſes Wiclyffianas opiniones ut haereticas deteſtari atque abjurare compulit, conciliumque ſtatim diſſolvit. Atque anno ſequenti, repetita iterum ſynodo, altera decima a clero regi praeſtita eſt. Sed milites & burgenſes parliamenti, cum praeſtare juxta ſuas copias atque facultates regi nollent, clerum tanquam omnium haereditatum bonorumque invaſorem & poſſeſſorem accuſarunt; a quibus niſi temporalia ſubtrahantur, non poſſe laicos regiis neceſſitatibus ſubvenire oſtenderunt: Quibus reſpondit Archiepiſcopus; clericos ſemper regi amplius multo quam laicos, ſaepiuſque decimas, quam hos quintas decimas, regi perſolviſſe: Tum, etſi abeſſent abbatiae clerici; tamen ſuos colonos atque famulos regi in omnibus bellis atque praeliis pari aut majori numero, quam laicorum, adeſſe; ac inſuper nec domi otioſos eſſe; cum pro regis regnique ſui incolumitate, bello atque pace, quotidianas preces agerent.

Verba Walſ.

"ET, cum ad haec prolocutor militum vultu voceque praetendiſſet publice, ſe preces eccleſiae parvipendere: Jam, inquit dominus Cantuarienſis, video manifeſte, quorſum tendit regni fortuna, excluſis vilipenſiſque ſuffragiis, quibus Divinitas placari ſolet: Certe nunquam fuit diu regnum ſtabile, quod vacavit a precibus & devotione. Attamen tu, qui vilipendis cleri religionem, ne tu putes impune direpturum eccleſiae "poſſeſ-

“ poſſeſſionem. Erat autem prolocutor miles, dictus Johannes Cheyney; qui, ut fertur, militiam ſortemque Chriſti deſerens, in ſortem Martis apoſtatando tranſierat. Nam, prout dicunt, diaconus fuerat ordinatus, nulla tamen, ut reſiliret, diſpenſatione licentiatus. Archiepiſcopus, inter haec regem nutantem conſiderans, ſurrexit genu flexo coram rege: Rogavit, ut attenderet primitivum propoſitum ſuum; quod cuilibet ſervaret jura propria pro poſſe ſuo; attenderet & juramentum, quod non invitus praeſtiterat; videlicet, quod eccleſiam miniſtroſque ejus honoraret, foveret, & manuteneret; attenderet & periculum juramenti ſive dedecus violati, & eccleſiam gaudere permitteret ſuis privilegiis & libertatibus, quibus gaviſa eſt anteceſſorum ſuorum temporibus; vereretur offendere Regem per quem reges regnant; vereretur & cenſuras, quas incurrunt, qui res eccleſiaſticas depraedantur; quos omnes conſtat excommunicationis ſententia innodari. His a Cantuarienſi prolatis, rex praecepit ei repetere ſedem ſuam; aſſerens voluntatis ſuae fore, eccleſiam in adeo bono ſtatu dimittere, ſicuti eam invenerat, vel potius meliori. Archiepiſcopus concionatus militibus dixit: Vos, inquit, & veſtri ſimiles conſilium dediſtis domino noſtro regi moderno, & anteceſſoribus ſuis; ut confiſcarent bona cellarum, quae Gallici vel Normanni poſſederunt in Anglia; dicentes eis, per haec divitias accumulandas in magna copia; & quidem, prout valent, multa fulvi metalli millia; ſed tamen conſtat hodie regem non eſſe ditiorem dimidia quidem marca, vobis vel extorquentibus vel emendicantibus de manu ſua, & vobiſmet appropriantibus dicta bona: unde poteſt convinci, vos non pro regis utilitate, ſed pro veſtra cupiditate temporalia noſtra petere. Quia procuidubio ſi rex, quod abſit, veſtro ſatisfaceret execrando propoſito; non eſſet opulentior uno quadrante ſequenti anno.”


Post haec Archiepiſcopus Cantebrigienſem Academiam jure metropolitico viſitavit; multaque collegiorum ſtatuta ordinavit, pravas conſuetudines delevit, facinora ſcholarium caſtigavit: &, cum viſitationem remiſit, omnia, quae ſibi in viſitatione detecta fuerunt, cauſaſque, de quibus cognoſcere ac inquirere coepit, ſuae juriſdictioni reſervavit. Reliquos Archiepiſcopatus ſui annos in ſynodis celebrandis, hiſque coercendis, qui Johannis Wiclyffi dogmata ſequuti ſunt, tranſegit: Neque enim ullus, eo Archiepiſcopo, ſine ſynodo & conceſſione ſubſidii effluxit. Anno autem Archiepiſcopatus ſui undecimo, cum & regni cancellarius conſtitutus & in regis legatione miſſus eſſet, Henricum Beaufort Wintonienſem Epiſcopum, qui Willielmo Wickham ſucceſſit, vicarium ſe abſente generalem conſtituit. Is eo anno ſynodum Londini convocavit, regique decimam & ſubſidium concedi impetravit. Poſtea eidem ſynodo papalis quidam quaeſtor acceſſit, multaque papae tribui voluit; quae a clero denegata ſunt. Proximo anno, cum Gregorius duodecimus electus eſſet papa, eique Petrus de Luna, quibuſdam cardinalibus aſſentientibus, ſe oppoſuiſſet & papa Benedictus diceretur; Archiepiſcopus clerum Londini rege ipſo praeſente convocavit; ſuaſitque, ut, dum confligerent ac digladiarentur inter ſe papae, tributa Romanae curiae pendi ſolita in regis cuſtodia ac ſequeſtro ponerentur: Cui a rege atque clero aſſenſum eſt. Illud decretum in populi concione, proxima die dominica, ad crucem Paulinam publicatum eſt. Tum legati ad Romanam curiam miſſi ſunt Wintonienſis Epiſcopus, dominus Scroop, & Cantebrigienſis atque Oxonienſis Academiae cancellarii; qui nunciarent colluctantibus papis, niſi alteruter papatum

An. 1405. Arch.

Arch.

patum deponeret, neutri deinceps Anglos quicquam praestituros. Ac, ne gemini papae rem Romanam pessundarent, concilium generale Pisis in Hetruria convocatum est; ad quod a synodo Robertus Sarisburiensis & Henricus Chicheley Menevensis, Episcopi, cum priore Cantuariensi, cleri procuratores constituti atque missi sunt. In eo concilio cardinales, amotis confligentibus illis & gannientibus papis, novum elegerunt: quem Alexandrum quintum appellarunt. Legatis autem ad concilium emissis, Archiepiscopus in ea synodo jura quaedam, quibus tam Cantebrigiensis quam Oxoniensis Academiae tenerentur, condidit; quae in publicatis constitutionibus continentur. Nam & Richardus rex Thomae Arundel Cantuariensi Archiepiscopo, antequam in exilium iret, utrasque Academias, etsi, ut ante diximus, exemptionem privilegio clam a papa obtinuissent, subjecit; & obtenta privilegia non minus archiepiscopali, quam regiae, authoritati praejudicialia ideoque rescindenda decrevit. Wiclyffianorum numerus indies jam adauctus est; in quos Archiepiscopus atque clerus summa crudelitate saevire coeperunt: Quam quidem ad rem totius cleri synodus Londini convenit, & Wiclyffiana dogmata iterum condemnavit. In eis dogmatibus Johannes quidam Badby, Wigorniensis dioecesis sutor vestiarius, suasus constanter perseveravit. Hunc Wigorniensis Episcopus primo in sua dioecesi haeresis condemnavit, postea que ad hanc synodum duxit: Ibi Archiepiscopus eum de dogmatibus, an ea vera crediderat, interrogavit: Is ingenue & audacter confessus, abduci ab eorum fide atque suasione noluit. Itaque Archiepiscopus Wigorniensis Episcopi sententiam in eum ante latam confirmavit: Eumque duci Eboracensi, & Wintoniensi Episcopo regni cancellario, dominoque Roos rotulorum custodi, qui synodo interfuerunt, tradidit: a quibus ad regem ductus, ejus praecepto carnificinae commissus & in Fabrorum Ferrariorum campo igne crudeliter crematus est. In hac Wiclyffianorum caede atque vastitate Henricus quartus obiit; eoque mortuo Henricus quintus ejus filius, suscepto imperio, Londini quinto idus Aprilis ab Archiepiscopo Cantuariensi coronatus est. Posteaque, cum Episcoporum crudelitas mactatione atque clade infimorum satiari non poterat, in nobilibus potentioribusque expleta est: Nam in hac immani atque fera saevitia crevit eorum numerus, qui Wiclyffo assensi sunt. Ex eo numero fuit vir, nobilitate & agnatione sua atque affinitate clarus Johannes Oldcastell; quique cum domini Cobham haerede atque filia contraxit nuptias; ex eaque gente ac familia dominus Cobham appellatus est. Wiclyffiani, quos tunc Lollardos appellabant, in libellis famosis quos in valvis ecclesiarum locisque publicis proposuerunt, affirmabant centum hominum millia suae sectae adhaerere. Ex hoc facto, cum motus & perturbatio reipublicae timeretur, & de hujus Wiclyffianae multitudinis ducibus inquireretur, Johannes dominus Cobham, qui favere illis plurimum visus est, in discrimen atque dubitationem adductus est: Qui naturae suae ingenuitate causaeque integritate fretus, cum de eo quaereretur, nihil celavit. Itaque synodo Londini congregata Archiepiscopus consilium cum Suffraganeis capit, quibus modis contra Johannem dominum Cobham in hoc negotio agere oporteat: Regi enim non minus nobilitate quam virtute atque probitate sua charus fuit; & synodalia Archiepiscopi decreta, quibus Wiclyffiana dogmata damnata fuerunt, contempsit atque derisit. Igitur Archiepiscopus regem primo convenit; ei discrimen atque periculum hujus eventuri mali exponit; Johannem dominum Cobham gravissime accusat. Rex virum nobilem sibique charissimum praesenti periculo exponere noluit;

An. 1409. — An. 1413. — Arch. Walsing. — Arch. Walsing. — Tho. Walf.



Henrici IV. et Joannae Reginae.

CANTUARIAE

luit; rogavit Archiepiſcopum, ut inquiſitionem differret: ſeſe enim cum eo acturum, ut ab illis opinionibus revocaret: ſed, cum neque proficere quicquam ſuadendo rex potuit, & indies ab Epiſcopis interpellaretur, virum clarum ſibique familiariſſimum Epiſcoporum poteſtati & carnificinae permiſit. Archiepiſcopus itaque eum, edicto in eccleſia cathedrali Roffenſi propoſito, ad ſynodum citavit: Qui, cum comparere noluit, excommunicatus & regis mandato a Roberto Morley milite, turris Londinenſis cuſtode, apprehenſus & ad carceres ductus eſt. Tum ſaepius examinatus ab Archiepiſcopo, Romani pontificis poteſtatem Romanaque inſtituta, ritus & ceremonias execratus eſt; cumque in ea ſententia conſtanter perſtitiſſet, ab Archiepiſcopo tandem haereticus pronunciatus atque condemnatus eſt: Ac paulo poſt a patibulo catenis pendens, crudeli flamma ſuppoſita, crematus obiit: Multique eum ſequuti ſimilem necem fortiter pertulere. In ea etiam ſynodo multi falſarii, qui papales bullas & ſigilla confinxerunt & adulterarunt, deprehenſi ſunt. Clerus autem, poſtquam dominum Cobham condemnaſſent, in ſynodo decreverunt; ne ſacrae ſcripturae in Anglicanam linguam verterentur.

In conſtitut. An. 1406. articulo 7.


ATQUE utinam, dum tam impiam legem generalem tulit Archiepiſcopus Oxoniae, meminiſſet ſaltem illius ſermonis, quem in Annae reginae funere Weſtmonaſterii de laudibus ejus habuit, cum eſſet cancellarius regni & Archiepiſcopus Eboracenſis: Quae regina obiit, anno 1394. Quam non alio nomine magis laudavit, quam quod, quamvis advena eſſet atque peregrina, nempe Bohemica & ſoror Wenceſlai regis Bohemiae, & conjunx Richardi ſecundi; tamen quatuor Evangelia in Anglicam linguam verſa & doctorum commentariis declarata aſſidue meditaretur: Ut, quod in tam nobili foemina regiaque conjuge, commemoratione ac praeconio dignum duxit; in caeteris tam execranda poena ſententiaque non vetuiſſet. Sed, cum in eadem concione funebri, a tam piae reginae ſacris literis deditae laudibus, ad reprehendendam Praelatorum atque clericorum ſocordiam & ignaviam in propagando Evangelio tranſiiſſet; nec minus ſe, qui tunc regni cancellarius fuit, quam alios mundanis negotiis deditos, & a paſtorum vigilantia curaque averſos, acerrime increparet: Multi haec verba, quae ad ſpeciem & uſurpationem veritatis ſimulate dixiſſet, facete ludentes, affirmabant; ſi, cancellariatus munere aulicíſque negotiis relictis, dare ſe totum Evangelio vellet, ac perinde faceret ut praedicarat; nunquam emiſſum a quoquam ſermonem meliorem. Sed, quia ea dixit, a quibus eum fuiſſe alieniſſimum, & ambitioſe actae vitae & legum nefarie crudeliterque latarum inconſtantia declarat; detraxit ſibi ſuaeque orationi fidem: ideoque poſtea, cum perveniſſet ad ſedem Cantuarienſem, iram Dei in fine vitae ſenſit: quippe, ut ſcribitur, lethali morbo correptus, ita faucibus atque lingua ligatus eſt, ut nec deglutire nec fari poterat; atque tandem mutus fameque enectus obiit. Quod divinum ei illatum ſupplicium, juſtum fuit; ut, qui verbum divinum, ſalutarem Chriſtianorum eſcam, nunciari vetuiſſet, is elinguis inedia periret. Annis ſeptendecim unoque menſe ſedit: Sepultuſque in boreali parte navis eccleſiae Cantuarienſis jacet. Nulla in re magnificum ſe oſtendit. Sed ingreſſus Archiepiſcopatum campanile condidit Cantuariae, & more rituque pontificio campanas quinque nominibus impoſitis conſecravit: Primam ſanctam & individuam Trinitatem, alteram virginem Mariam, tertiam Angelum Gabrielem, quartam ſanctum Blaſium, quintam Johannem Evangeliſtam, appellavit.

Ex lib. Wigorn.

Th. Gaſcoi. in Dictionar. theologico.

Ab An. Chr. MCCCCXIV. Ad An. Chr. MCCCCXLIII.

LXI. Henricus Chicheley.



EGE, ut diximus, atque sanctione jam diu ante contra papales provisiones lata, multisque regum decretis & cleri intercessionibus, procerumque atque populi minis interpositis, ne impetrarentur a papa Episcopatuum & beneficiorum provisiones; ea tamen adhuc impunitate ac licentia permissae atque obtentae sunt, ac si nullo jure vetari putarentur: Quae regum conniventia & permissio pontificiorum audaciam ita aluit; ut, cum monachi Cantuarienses avitam suam eligendi potestatem, papalibus provisionibus aliquot jam saeculis suspensam & intermissam, recuperare vellent, & a rege accepta venia Henricum Chicheley Menevensem Episcopum ad metropolitanam sedem postulassent; is electioni neque consentire, neque dissentire voluit; sed papae arbitrio rem totam permisit. (Arch. An. 1414.) Papa vero Johannes vicesimus tertius, ut provisionis usucaptionem teneret mordicus, nec ab ea desuetudine ulla aut contrariis tolerandis actibus recederet, monachis Cantuariensibus rescripsit; Cantuariensis Archiepiscopatus collationem suae provisioni ante mortem Thomae Arundel fuisse reservatam: seque irritum ac inane decrevisse, quicquid ab his, aut aliis quibuscunque, in suae provisionis praejudicium fieret. Tum Archiepiscopatum eidem Henrico Chicheley provisionis suae praetextu donavit: (Walsing.) Qui papae provisionem admisit, eoque titulo Archiepiscopatum ingressus est. Natus est Henricus Chicheley in oppido Heighamferrers Northamptoniensis comitatus; & Oxonii in jure civili ac canonico in Collegio Novo a Willielmo Wickham Wintoniensi quondam Episcopo extructo institutus. Ibi doctoratus gradu in utroque jure suscepto Sarisburiensem archidiaconatum ab Episcopo Sarisburiensi accepit. Tum multa regia negotia, munera, & legationes obivit; quibus prudenter & integra fide perfunctis, regis gratia ad Menevensem Episcopatum, deinde ad Cantuariensem Archiepiscopatum, ascendit. Cui Archiepiscopatum gerenti Henricus Beaufort Wintoniensis Episcopus pallium a papa missum vicesimo nono mensis Julii, rege ac proceribus multis praesentibus, honorifice tradidit. Deinde Archiepiscopus Archiepiscopatus proventus semestri tempore, quo Archiepiscopatus fuisset vacuus, regi debitos numeratis sex centum marcis redemit. Papa Menevensem Episcopatum, a quo Henricum Chicheley Cantuariam transtulerat, cuidam suo notario Anglo archidiacono Surrey contulit; (An. 1415.) atque mox eundem notarium ad Lichefeldensem transtulit; deinde, Menevensem anno sequenti Stephano Patrington carmelitano fratri dedit: Omnesque adeo Episcoporum translationes & provisiones authoritate papae, spretis adhuc legibus & regum interdictis, impune factae sunt.

VERUM

VERUM magna & inaudita pene jam accidit huic papae calamitas: Nam concilium generale in Constantia Germaniae civitate, imperatore electo & cardinalibus id procurantibus, ob dissidium inter duos, ut diximus, antipapas, quorum utrique papatum vendicabant, componendum, per orbem Christianum convocatum est. Itaque synodus in Anglia Londini celebrata est; ut legati ac procuratores ad concilium profecturi constituerentur. Comes Warvicensis, Episcopi Sarisburiensis, Bathoniensis & Herefordensis, cum abbate Westmonasterii, & priore Wigorniae hanc legationem obierunt. Ex his, ut diximus, papis unus Gregorius duodecimus dictus est: Is, cum impar esset alterius potentiae, Roma profugit, & Arimini delituit. Hic in concilio abdicavit se, ea conditione, papatui; si Johannes alter papa perinde cederet: Johannes autem, qui Romae permanserat, & se pro papa palam gesserat omnemque illam papalem potestatem exercuerat, & emolumenta uberrima perceperat, ab imperatore, ut schisma tam diuturnum cessaret, tandem invitus & aegre adductus abdicationem simulavit: Sed pridie, quam cedendum & renunciandum fuit, clam nocte discessit; & in Austria a duce perfugium quaesivit. Motus hac perfidia & calliditate imperator, eum armis insecutus; venatorio & fero vestitu amictum & arcus ac sagittas breves gestantem, tandem apprehendit: Eodemque habitu adductum concilio & frequentissimo cardinalium coetui exhibuit. Qui pastorem suum ferino habitu mutatum, lupum & praedonem ecclesiae sententia lata judicaverunt, & addixerunt carceribus. Vulgus ejus bona tanquam proscripta statim diripuit; quorum pretium inaestimabile pene fuit. Ipse auri argentique thesaurus septuaginta quinque librarum millibus censebatur. Quibus auditis in Anglia, collecta & in Paulina ecclesia recondita, donec haec inter antipapas altercatio dijudicaretur, pecunia, ruptis seris extracta & regi ad usus bellicos concessa est. In superiori autem Londinensi synodo Henricus Archiepiscopus, postquam legati ad concilium discessissent, de privilegiorum & exemptionum viribus coepit diligenter explorare. Hoc a monachis ita reprehensum est, ut dicerent novum Archiepiscopum hoc initium suorum actorum fecisse; ut bilem & amaritudinem suam declararet. Haec vero synodus, postquam clerus duas decimas regi concessisset, dimissa ac dissoluta est. Ac rex Henricus, jam pecuniis omnibusque bellicis copiis instructus, exercitum fortem & invictum in Gallias trajecit: ubi, multis celeberrimis partis victoriis, tandem praelio acri commisso in loco, qui AGINCOURT appellatur, Gallorum exercitus superbissimo delectu & diligentissima conquisitione collectus pene omnis interiit; septingentis proceribus captis, caesis autem tribus ducibus, quinque comitibus, & centum proceribus, armigeris ac militibus quatuor millibus sexaginta novem. Gregarii autem milites, quorum numerus non est relatus, tanquam pecora mactati sunt. Omnium, quae unquam facta sunt, praeliorum hoc secundissimum & gloriosissimum Anglis, calamitosissimum & ignominiosissimum Gallis, fuit: Nam, ex Anglis Edwardus dux Eboraci, & Michael comes Suffolciae, quatuor equites, & unus armiger, militesque viginti octo tantum cecidere. Victo itaque Gallo rex inclytis nobilibusque secum ductis captivis, rediit in Angliam. Et, altera ab Archiepiscopo celebrata synodo, duas decimas a clero cum summa benevolentia & gratificatione oblatas accepit. In hac synodo dies festus Johanni Beverlaco dedicatus est; & abbates multi, qui exemptionis praetextu abfuerunt, sacris ab Archiepiscopo

Walsing. (margin, line 8)
Walsing. (margin, line 24)
Walsing. (margin, line 30)
An. 1416. Arch. (margin, lines 48–49)

piscopo

piscopo interdicti, cum ejus jurisdictioni paruissent, statim restituti sunt. Synodoque finita Archiepiscopus Edmundum Lacy Herefordensem Windesoriae, Johannem Wakering Nordovicensem, & Johannem Chaundler Sarisburiensem electos Episcopos, dum, papatu vacante, provisiones cessarent, Londini confirmavit atque consecravit. Interea, in concilio Constantiensi papis abdicatis, Wiclyffiana dogmata condemnata sunt. Tum Johannes Hus & Hieronymus Prague, contra fidem eis datam, quam concilium cum haereticis non esse servandam decrevit, crudeliter flammis combusti. Quae, quoniam satis fuse ab aliis explicata sunt, hic suo tempore obiter attigisse nobis sufficiet. His gestis, longa deliberatione habita, cardinalis de Columna electus papa prodiit: Cujus electioni Richardus Londinensis Episcopus; qui etiam, damnato Johanne Hus, antequam flammis traderetur, coram imperatore & concilio Latine praedicavit, primum suffragium dedit. Hic papa in sancti Martini festo electus, ipse Martinus dictus est. Ac postridie presbyteratus, perendieque Episcopatus, charactere suscepto primam missam in Constantiensi ecclesia celebravit. Huic missae centum & quadraginta mitrati interfuerunt. Postea in coronationis suae solenniis Anglicis clericis plurimus honos delatus est: Namque prior sancti Johannis de Clerkenwell in peragendo coronationis ritu papae diadema tenuit: Deinde ei in prandio sedenti ab eodem priore, & abbate sancti Edmundi ministratum est. Post prandium papa, equo ornatissime phalerato vectus, cardinalibus, Episcopis & abbatibus, phaleratis etiam equis insidentibus, comitatus, civitatem Constantiensem transiit. Imperator in illa equitatione equum papae fraeno pedes duxit: Quem reges, duces, nobiles, proceres, caeterique laici pedites sequuti sunt. Eam cleri elationem, & principum populique demissionem, tam caeca tempora tulerunt. Ac, Martinus papa in ipso pontificatus ingressu jura sua provisionum usurpata coepit exercere: Namque Menevensem Episcopum Stephanum ad Cicestrensem, ejusque loco Benedictum Bangorensem ad Menevensem sedem transtulit. Tum eodem anno Henricus Cantuariensis Archiepiscopus Londini synodum convocavit: In quam dux Bedfordiae, qui rege in Gallico bello absente rempublicam administrabat, ingressus, literas de Martino papa a Constantiensi concilio missas ostendit. Quae postquam essent publice recitatae, hymnis & litaniis cantatis, novi papae commemoratio celebratur; tum regi bellum cum Gallis gerenti synodus decimas duas concessit. In hac synodo Robertus Gilbert sacrae theologiae professor, Mertonensis collegii Oxoniae praeses, longa & diserta oratione egit, ut scholaribus, quorum in literarum studiis industria viguit, attribuantur & ad victum interim necessaria, & proponantur maturis praemia. Hunc sequutus Thomas Kington legum doctor, & advocatus curiae de Arcubus, pari facundia pro Cantebrigiensibus intercessit. Quibus suadentibus decretum est; ut ecclesiasticorum beneficiorum patroni, ea vacantia, his, qui graduum dignitatibus ab Academiis donati sunt, deinceps conferant, gradus & professionis ratione juxta beneficiorum census & valores habita. Hoc saluberrimum decretum ab artium magistris atque professoribus, qui sua multitudine reliquos in Universitatibus regentes superabant, cum in scholarium congregatione de eo approbando ageretur, temere tanquam juvenili multitudine rejectum & repudiatum est: Non alia sane ratione, quam quod doctoribus aliisque, quibus ordine & loco essent inferiores, in adipiscendis beneficiis pares esse non poterant. Ad eam etiam synodum

Walsing. An. 1417.

In registro Chicheley.

dum Bedfordiae dux miſit quendam a ſe Wiclyffianae doctrinae ſuſpectum homunculum; qui ob corporis brevitatem Johannes Dwarfe dictus eſt, ſynodumque ingreſſus riſus & cachinnos omnibus pene commovit. Is dogmatibus quibuſcunque ſibi objectis renunciavit, & dimiſſus eſt. Quod (An. 1419.) quo conſilio dux Bedfordiae fecerit, jocone an ſerio, difficile eſt judicare: Exivit enim, poſtquam omnia negaſſet, homuncio, nec tam deſpectus a clero, quam ipſe clerum deſpiciens atque ludens. Anno tranſlationis ſuae ſexto Archiepiſcopus aliam ſynodum Londini celebravit; in qua conceſſa regi eſt eccleſiaſticorum proventuum media decima. In hac ſynodo Richardus Walker Wigornienſis preſbyter veneficii reus, eam ſectam, ad crucem Paulinam praedicante Londinenſi Epiſcopo, poſtquam poenitentiam egiſſet, publice execratus eſt: Ac ſuorum praeſtigiorum codices atque inſtrumenta flammis delevit publice. Jamque multi Epiſcopi in Anglia obierunt; in quorum loca Martinus papa proviſionis titulo ſubſtituit alios. Neque enim quiſquam tam immodica & effraenata conferendi atque providendi licentia uſus eſt atque hic papa; qui in Conſtantienſi concilio ingreſſus papatum, omnium eccleſiarum vacationes, interpoſito decreto, ſibi reſervavit. Duobus his proximis annis tredecim Epiſcopatus in Cantuarienſi provincia transferendo atque providendo contulit. Ci- (An. 1420.) ceſtrenſi Henricum, Sariſburienſi Johannem, Wigornienſi Philippum, Roffenſi Johannem, Lincolnienſi Richardum, Exonienſi Edmundum, Herefordenſi Thomam, ac Lichefeldenſi Gulielmum, praefecit. Tum ad Londinenſem ſedem vacuam Epiſcopum Ciceſtrenſem tranſtulit. Ad Ciceſtrenſem rurſus Epiſcopum Herefordenſem, & ad ejus ſedem Roffenſem traduxit. Ac in Roffenſi demum eccleſia Johannem Langdon Cantuarienſem monachum Epiſcopum praefecit. In quo Epiſcopatu providendo Cantuarienſi Archiepiſcopo injuriam feciſſe papa viſus eſt; quod is Epiſcopatus, a Cantuarienſi Archiepiſcopo primo erectus atque ſtabilitus, omnia tam ſpiritualia quam temporalia jura ab eodem accepit: Semperque ſub ejus tutela atque poteſtate fuit: & Roffenſis eccleſiae Epiſcopus Cantuarienſi Archiepiſcopo pro temporalibus homagium praeſtare conſuevit. Cujus homagii verba a Johanne Langdon Gallice prolata hic inſerimus: "Jeo Jehan Langdon Eveſque de Rouceſtre jure a les ſaintz (Ex regiſtro Chicheley, fol. 34.)
" evangelies, qui de ſe jour en avant ſerra foial, & loial, & foy porterai a
" vous treſreverent pier en Dieu Henry par la grace de Dieu l'Archeveſ-
" que de Canterbiry & Primat de toute l'Angleterre, & a vos ſucceſſeurs,
" des terres & tenementes les queux jeo claime tenir de vous, & loialment
" ferai & connoiſtrai les ſervices, que jeo doi fair a vous mon ſeigneur: ſi
" Dieu me aide & les ſaintes evangelies." Verum papa neque modo neque ratione ulla habita ſine diſcrimine omnes jam in Anglia Epiſcopatus, connivente rege & in bellis occupato, proviſione ſua contulit. In qua exercenda tantopere feſtinavit; ut ſimul atque Eboracenſem Epiſcopatum fuiſſe vacuum accepiſſet, Richardum Lincolnienſem Epiſcopum eo temere tranſtulit. Verum, cum decanus & capitulum Eboracenſe authoritate legum contra papales proviſiones ſancitarum ei reſtitiſſent; neque Richardum Lincolnienſem Epiſcopum, inani papae titulo proviſum, Archiepiſcopatus & eccleſiae Eboracenſis poſſeſſionem ingredi permiſiſſent; (In regiſtro Chicheley, fol. 39.) coactus eſt papa contraria bulla eum, quem ad Archiepiſcopatum promovere voluit, ad Epiſcopatum Lincolnienſem tanquam a calce ad carceres iterum revocare. Quo Eboracenſium exemplo, papalis in Epiſcopatibus provi-

dendis authoritas, contra quam nec leges regni, nec edicta regia, nec procerum populique minae valebant, primum fracta & debilitata fuit.

An 1420.

Archiepiscopus deinde octavo suae translationis anno synodum Londini in Paulina ecclesia celebravit: In hac synodo primo concessa est a clero regi decima. Sed clerus a rege vicissim impetravit: Ne hospitii sui pro victualibus provisores clericorum bona aut possessiones attingerent: Deinde, ut clerici in foro regio capitalium criminum postulati, datis fidejussoribus judicio sisti, carceribus liberentur: Tertio, ut presbyteri castrati felonum, id est, homicidarum poenis afficerentur. Tum in eadem synodo Willielmus Taylor, liberalium artium professor, qui in Wigorniensi dioecesi neque Sanctos, neque Christum Jesum, ratione humanitatis esse pro salute Christiana invocandos docuit, quoniam eadem & similia dogmata ante coram Thoma Arundel Cantuariensi Archiepiscopo confessus & detestatus esset, tanquam in haeresim relapsus, clericali ordine atque gradu privatus, & laicali potestati traditus est. Ad hanc autem synodum Johannes Rikinghale Cantebrigiensis Universitatis cancellarius, quoniam abfuit, ab Archiepiscopo citatus venit; qui se cum Johanne Castel Oxoniensi cancellario conjunxit, illudque de conferendis beneficiis Cantebrigiae vel Oxonii studentibus decretum, quod ab artium, ut diximus, professoribus ante receptum & admissum non fuit, renovari impetraverunt.

Vide secundam partem registri Chicheley, fol. 27.

Huic autem doctis viris concesso a synodo praemio impuri indoctique fratres diu restiterunt: Sed Henricus quintus rex literarum studio ductus, contra petulantem fratrum instantiam, ad synodum de eo interponendo decreto scripsit; idque in parliamento postea confirmavit.

Walsing.

Deinde, constitutionibus quibusdam latis de inductionum ac institutionum feodis moderandis, haec synodus finita & dimissa est.

An. 1422.

Sequenti autem anno altera in eodem loco incepta & inchoata est; in qua Henricus quidam Webbe, qui ex illa licentiosa turba, de qua in Thoma Arundel diximus, profluxit, & in Wigorniensi dioecesi, ordine clericali legitime non recepto, divina ministrare & praedicare consuevit, poenae fustium adjudicatus est. Itaque in tribus cathedralibus ecclesiis Paulina, Wigorniensi, & Bathoniensi nudus in processionibus virgis verberibusque publice caesus est.

Walsing.

Hoc anno indictum est generale concilium Papiae, & Anglicani cleri nunciis ac procuratoribus eo profecturis in hac synodo provisum est subsidium. In hujus synodi extremo Henricus White presbyter quibusdam dogmatibus renunciare coactus est. Eodem etiam anno Katharina Angliae regina filium primogenitum die sancti Nicolai Episcopi in arce Windesorina peperit, eumque Henricum nominavit: Cui ab Archiepiscopo Cantuariensi, cum summa populari laetitia ac solennitate, baptizato testimonium fidei ex more perhibuerunt Johannes dux Bedfordiae & Henricus Wintoniensis Episcopus. Ac regina post hunc felicem partum & purificationem valens mense Aprili proximo ad regem in Normanniam trajecit: Cujus secundus jucundusque adventus regalibus amplexibus exceptus est. At rex in hoc bello Gallico omni contentione, vigiliis laboribusque sudans, etsi omnia sibi prospera secundaque evenerunt, tamen ex intemperata lassitudine febrem acutam contraxit: Cujus vi consumptis & exhaustis viribus, a medicis desperatus, obiit penultimo Augusti.

Walsing.

Cujus immatura mors non a suis modo, sed ab exteris atque peregrinis, ob bellicam virtutem lugenda fuit: Qui nullum unquam praelium sine parta victoria gessit. Mente benigna atque pia, vultu modesto, sermone raro ac moderato, fuit. At

vero

vero in consiliis sagacitatem & providentiam, in judiciis aequitatem, in bellicis rebus agendis magnanimitatem & constantiam summam declaravit. Idem in rebus divinis tribuendisque eleemosynis fuit assiduus: Cujus tota vita in castrensibus expeditionibus pene contrita est. Moriens in testamento praecepit, ut Westmonasterii sepeliretur: Quod magna solennitate & publico moerore factum est. Justa ei tribus in locis Cantuariae, Londini & Westmonasterii celebrata sunt. Paulo post etiam rex Galliae, cum de generi sui morte accepisset, luctus ei funebres decrevit; & proceres ac magnates suos jurejurando constrinxit, ne, se mortuo, a foedere de regno Galliae Angliae regi tradendo recederent. Sed, cum tam glorioso amisso genero consolationem nullam admisit, ipse aegritudine doloreque confectus tredecim postea diebus vita cessit. Jamque utrumque tam Angliae quam Galliae regnum, jure foederis & haereditatis, ad Henricum sextum infantem & in incunabulis fotum obvenit: Cujus tutela ex patris testamento Johanni Bedfordiensi & Humfredo Glocestrensi ducibus commissa est. Inter quos ita divisa & dispertita regna fuerunt; ut Bedfordiensis Galliam, & Glocestrensis Angliam, administraret. An. 1424. Arch.

In Gallia vero, Carolo rege defuncto, Carolus regis filius, qui vivente patre inita foedera rupit, regnum sibi vendicavit; propositisque edictis se Carolum septimum Galliae regem nominavit. Ad quem comprimendum, in Anglia militum delectus habitus, pecunia confecta, & omnia bellica adjumenta comparata sunt. Archiepiscopus Cantuariensis duodecimo Octobris clerum in ecclesia Paulina convocavit: In ea Henricus Beaufort Wintoniensis Episcopus regni cancellarius, & Johannes Stafford Bathoniensis electus Episcopus regni thesaurarius, ad bellum Gallicum opem a clero petunt: Et, interposita paucorum dierum deliberatione, Willielmus Lynwood, officialis curiae Cantuariensis de Arcubus, hoc responsum ab inferiori cleri synodo acceptum Episcopis declaravit: Non esse penes cleri procuratores potestatem subsidium concedendi: Nam, cum indicta synodo in singulis dioecesibus constituti essent; clerus his solutionibus consentiendi licentiam expresse ademit: Quia tantis tributis diu pendendis ad magnam inopiam & egestatem devenit. Itaque cancellarius a superiori synodo ad inferiorem transiens, longa & diserta oratione de regis jam minoris necessitate ac de instanti in Gallia bello egit: ac ne quicquam suasit. Postridie aderant & alii consiliarii atque proceres: Sed, inferioribus praelatis atque clericis in priori sententia perseverantibus, nihil concessum est. Tum synodus superior, cum inferiores praelatos nulla ratione adduci posse cerneret; ut his bellicis negotiis subvenirent, decrevit ultro decimam; statuitque, ut, ea invita & reluctante, altera synodo, a toto clero exigatur. In hac synodo Willielmus Russel Stamfordiensis frater Stamfordiae publicae praedicavit: Religiosorum atque fratrum cum foeminis concubitus licitos & sine peccati reatu permissos esse. Is a synodo damnatus tam nefandum & impurum dogma e suggestu retractavit. Eodem anno vicesimo quarto Aprilis alia synodus Londini instituta, & decima regi concessa, est. In ea multi fratres seditiosa quaedam dogmata retractabant. Inter quos Willielmus Russel affirmabat, decimas personales non cadere sub divino praecepto. Haec opinio, ut schismatica, non modo a synodo, sed ab utrisque Cantebrigiensi & Oxoniensi Academiis, damnata est: Is autem frater in transmarinas regiones profugit, ad eumque persequendum & deprehendendum synodus perquisitoribus decrevit ex singulis

Ab An. Chr. MCCCCXIV. — Ad An. Chr. MCCCCXLIII.

gulis libris quadrantem. Proximo autem anno proxima ſynodus ſub eodem Archiepiſcopo decimo quinto Aprilis inchoata eſt: Quae, Johanne Kempe Eboracenſi Archiepiſcopo & Waltero Hungerford milite regiis conſiliariis, illo cancellario, hoc theſaurario regni, regis nomine poſtulantibus, regi decimam conceſſit. Ac iiſdem his petentibus triennio poſt in recenti ſynodo media decima regi a clero data eſt: In qua cum interveniſſent a papa nuncii,& ſubſidium ſibi ac imperatori contra Bohemos Wiclyffianam doctrinam ſequentes praeſtari petiiſſent; inanes reverſi ſunt.

PAPA autem, ut hujus Bohemenſis belli praetextu, pecunias perinde conflare poſſit, atque olim in Hieroſolymitano bello, in quo cruce ſignati primo inſtituti ſunt, ut diximus, conſuevit; publicatis ubique omnium criminum atque ſcelerum impunitatibus & indulgentiis, etſi in Anglia obtinere nihil poterat, tamen in aliis regnis tentavit, quid facere poſſit: Ut ex literis ad Wintonienſem Epiſcopum miſſis licet cernere; quas hic verbatim inſeruimus.

Ex Archivis. "HENRICUS permiſſione divina Cantuarienſis Archiepiſcopus totius "Angliae Primas & Apoſtolicae ſedis legatus dilectis in Chriſto "filiis fratri Willielmo Molaſh priori eccleſiae noſtrae Cantuariae & ma"giſtro Jacobo Burbach Archidiaconi noſtri Cantuariae officiali ſalutem, "gratiam & benedictionem. Miſſis nuper per ſanctiſſimum dominum no"ſtrum papam reverendiſſimo in Chriſto patri, & domino Henrico Dei "gratia titulo ſancti Euſebii presbytero cardinali, de Anglia vulgariter "nuncupato, in univerſa Germania, ac Hungariae & Bohemiae regnis "Apoſtolicae ſedis legato, literis Apoſtolicis bullatis: Idem dominus car"dinalis literas ipſas veraciter tranſumptas ſigillo ſuo ac ſigno & ſubſcri"ptione Richardi Petteworth notarii publici in fidele teſtimonium ea"rundem munitas nobis jam pridie tranſmiſit, in noſtris civitate & dioe"ceſi ſub certis modo & forma inferius deſcriptis publicandas, diligen"terque & celerius exequendas. Quarum quidem literarum Apoſtolica"rum tenor de verbo ad verbum ſequitur & eſt talis.

"MARTINUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Henrico, ti"tulo ſancti Euſebii presbytero cardinali, in univerſa Germania ac Hun"gariae & Bohemiae regnis, Apoſtolicae ſedis legato ſalutem & Apoſtoli"cam benedictionem. Salvatoris omnium Domini, qui ſe pro redemp"tione dominici gregis, ut illum ſuae haereditatis participem faceret, in "pretium immolari non abnuit, vices, licet immeriti, gerentes in terris "circa ejuſdem gregis excubias, ut in Salvatoris noſtri exardeſcens bene"placitis ad coeleſtem gloriam evocetur, vigiliis vacamus aſſiduis; & prae"ſertim, ne reproborum & haereticorum ad praecipitia quaeque trahen"tium inſania, diſtentis ſuae malignitatis & verſutiae laqueis, inconſutilem "Dei tunicam, quae unionem fidelium repraeſentat, dilaniet & abſcindat: "ſed, ut illum Domino lucrificaremus, alios vero deviantes a catholicis "documentis perverſiſſimos homines evertere atque comprimere, divina "nobis aſſiſtente gratia, valeamus. Conſiderantes igitur iniquitatis alum"nos Wiclyffiſtas & Huſſiſtas, alioſque haereticos & infideles, qui verae ſa"lutis ſemitam deſerentes, Chriſtianae religionis perſecutores acerrimos ſeſe "reddunt; quique falſis & veſanis dogmatibus & damnatis erroribus hae"reſiumque fomentis orthodoxam fidem evertere molientes, univerſum "regnum Bohemiae & partes illi conterminas infecerunt: ac cupientes "eorum temeritatem, quantum cum Deo poſſumus, obviare, fideles mi-

"lites

“ lites Christi, pugiles, athletas, vivificae Crucis, qua nos a damnatione redemit, charactere insignitos, contra praefatos haereticos denuo duximus excitandos; ut haereticos ipsos, qui Dei timore postposito ecclesias, monasteria, & alia pia loca Apostolorum, martyrum, & confessorum sanguine dedicata, eorumque imagines concremant & evertunt, ac fidem catholicam in Germania & alibi confundere & delere moliuntur, a nequissimis eorum propositis, quibus in christianum sanguinem & catholicos sacerdotes saepenumero debacchantur, non solum spiritualibus, verum etiam temporalibus convocatis praesidiis possimus, authore Domino, coercere. Hodie siquidem pro succidendis, ex agro dominico vepribus pestiferis ac nocivis, ac quibuslibet perversis erroribus de ipsorum haereticorum mentibus extirpandis, illorumque salubri reductione ad gremium sanctae matris ecclesiae paterna solicitudine vigilantes, ut quandoque ad cor reversi ab hujusmodi resipiscant erroribus, quibus gregem ipsum seducere & inficere moliuntur, &, si forsan in eorum obstinatione perseverare voluerint, evertantur: TE ad universam Germaniam ac Hungariae & Bohemiae regna, tibi plenae potestatis legati de latere officium committendo, de fratrum nostrorum consilio tanquam pacis angelum providimus destinandum; prout in aliis nostris literis desuper confectis plenius continetur. NOS igitur cupientes, ut hujusmodi legationis officium ad laudem & gloriam divini nominis, ac salutem & pacem fidelium animarum eo facilius exequaris, quo ampliori fueris authoritate imbutus; directis in coelum oculis ad illum, cujus res agitur, divinum & humanum praesidium invocantes, ut hujusmodi adjuti praesidiis, eorundem haereticorum temeritatem, nisi se ad Christum converterint, coercere & comprimere valeamus; charissimos in Christo filios nostros reges, ac dilectos filios duces, marchiones, principes, barones, comites, capitaneos, magistratus, & quoslibet alios officiales, eorumque loca tenentes, communitates quoque & universitates, civitatum, terrarum, oppidorum, castrorum, villarum, & aliorum quorumcunque locorum, caeterosque christiani nominis zelatores, status, dignitatis, & religionis cujuslibet, ubilibet per Angliam, & in locis quibuslibet constitutos rogamus, requirimus & hortamur, ac per aspersionem sanguinis omnium gloriosissimi Redemptoris paternis affectibus obsecramus; in suorum remissionem peccaminum, eis suadentes, ut ad Wiclyffistarum, Hussitarum, & aliorum haereticorum praefatorum subversionem & exterminium, ac ad impendendum tibi contra eos profutura suffragia, quibus tam salutaris negotii prosecutio adjuvetur; potenter atque viriliter se accingant: Quos spiritualibus donis, indulgentiis videlicet & peccatorum suorum remissionibus, de ipsorum fratrum consilio providimus mittendos. Quocirca circumspectioni tuae per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus tu per te, vel venerabiles fratres nostros Patriarchas, Archiepiscopos & Episcopos, ac dilectos filios, electos, administratores, abbates, priores aliosque ecclesiarum & monasteriorum praelatos, & caeteros christianae religionis professores, ubilibet per Germaniam & alibi residentes, quos tibi in coadjutores super his duxeris eligendos; quos per te, vel deputandum a te, contra haereticos ipsos exercitum convocari, vel expeditionem aut quamvis aliam ordinationem fieri contigerit, ad praemissum tam salutare negotium prosequendum, veluti praecones fortes exaltando in ipso Crucis nomine voces vestras in singulis civitatibus & dioecesibus, terris, castris, villis, & locis Angliae qui-

“ buslibet, ubi congrue prospexeris, vel prospexerint juxta datam tibi & illis a Deo prudentiam, quibuscunque Christi fidelibus ad id audiendum confluentibus; quibus vero poenitentibus & confessis, ut ad id libentius inducantur, pro vice qualibet accessus eorum, centum dies de injunctis eis poenitentiis per te vel per illos, quibus id commiseris, ut praefertur, auctoritate apostolica relaxentur, verbum salutiferae Crucis ac ipsius admirabile signum publice proponere & praedicare procures; ac ipsi Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, electi, administratores, abbates, & alii, quos elegeris, catholici sacerdotes studeant & procurent; illudque fidelibus ipsis id devote suscipere volentibus, tuis ac ipsorum eligendorum exhortationibus ac opportunis monitionibus praeviis, ut cum debita reverentia tam gloriosum signum recipiant; idque contra perversa molimina & conatus eorundem haereticorum suis cordibus imprimant, & negotium hujusmodi fidelibus & ferventibus animis persequantur, eadem authoritate concedas, & ipsi eligendi concedant, eorumque humeris affigas pariter & affigant. Nos enim ab intimis nostris praecordiis affectantes, ut toti orbi innotescat, quanta mentis nostrae amaritudine sustinemus contra gregem Christi talia perpetrantes; tantisque insolentiis & facinoribus, quantum cum Deo possumus, obviantes, & ut fideles ipsi ad id eo ferventius animentur, quo veriorem gratiam exinde se noverint percepturos, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli, Apostolorum ejus, authoritate confisi, & illa quam dedit nobis Deus ligandi atque solvendi potestate, eisdem fidelibus, qui Crucis ejusdem signo suscepto per illud tempus, quod per te vel alium in hujusmodi praedicatione eis duxeris praefigendum; & quoties pro extirpatione haeresium ad te veniendo, vel quo fideles ipsos contra eosdem haereticos accedendo transmiseris, contra illos praefato exercitui in personis propriis interfuerint & expensis, quibus, ut inibi interessent, sine fraude iter arripuerint; si in ipso fuerint itinere vita functi, plenam suorum peccaminum, de quibus corde contriti & ore confessi fuerint, veniam impertimur, & in retributionem justorum salutis aeternae pollicemur augmentum: eisque, qui non in personis propriis illuc accesserint, sed ipsorum duntaxat expensis juxta suarum facultatum qualitatem & exigentiam idoneos destinaverint bellatores: Ac illis, licet alienis expensis, propriis tamen adierint in personis, plenam suorum concedimus veniam peccatorum: Caeteros vero, qui in personis propriis interesse, & propter inopiam suis expensis alios destinare, nequiverint; dummodo hujusmodi durante prosecutione negotii in jejuniis & orationibus perseverent; suppliciter exorando, quod Altissimus dignetur ipsos fideles de perversis haereticis victoriam reportare, sexaginta dies de injunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus: Hujusmodi quoque remissionis volumus & concedimus esse participes, JUXTA QUANTITATEM SUBSIDII ET DEVOTIONIS AFFECTUM, eos omnes, qui durantibus expeditione & exercitu supradictis, pro hujusmodi consummatione negotii CONGRUE MINISTRAVERINT & circa illud auxilium & consilium impenderint opportuna: Universos praeterea & singulos, quos eodem signo Crucis muniri contigerit, ut praefertur, illo privilegio illaque immunitate gaudere decernimus, quae Cruce signatis pro Terrae Sanctae subsidio in generali concilio sunt concessa; eorumque personas, nec non familiam, res, & bona, sub beati Petri & apostolicae sedis atque nostra protectione permanere debere. Statuentes insuper, ut bona praedicta extunc, donec de eorum reditu

“ vel

" vel obitu certiſſime conſtiterit, integra maneant & quieta. Illorum vero Archiepiſcopi, nec non archidiaconi, & alii ſuperiores eorumque officiales, ipſos ac hujuſmodi bona authoritate praedicta tueantur; non permittendo eos contra hujuſmodi ſtatuti tenorem ab aliquibus indebite moleſtari: moleſtatores & contradictores quoſlibet & rebelles per cenſuram eccleſiaſticam & alia juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo: invocando etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilium brachii ſaecularis; NON OBSTANTE, ſi aliquibus communiter, vel diviſim, à dicta ſit ſede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujuſmodi mentionem. Caeterum, ut ipſius vivificae Crucis ſigno muniti, eo facilius reddantur hujuſmodi remiſſionum & indulgentiarum participes, quo ſe liberius eximere poſſe conſpexerint ab onere delictorum: Tibi & eiſdem Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, electis, abbatibus, & praelatis, ac aliis idoneis ſacerdotibus ſaecularibus, vel regularibus, ad id per te aſſumendis, de quibus tibi pro tempore viſum fuerit, ut tu & ipſi omnium, pro hujuſmodi negotii expeditione conſignatorum confiteri volentium, confeſſiones audire, ipſiſque confeſſionibus diligenter auditis, pro peccatis ſuis & exceſſibus omnibus per illos commiſſis, etiamſi ex manuum injectione in clericos & religioſos, aut incendiarii vel ſacrilegi fuerint, debitae abſolutionis beneficium impendere, & injungere poenitentiam ſalutarem; etiamſi hujuſmodi peccata tam grandia & enormia eſſent, propter quae dicta ſedes eſſet merito conſulenda, libere & licite valeas, authoritate praedicta, tenore praeſentium indulgemus. Verum, quia difficile videretur praeſentes literas ſigillis exhiberi; volumus, quod tu hujuſmodi literarum tranſumptum, propria manu confectum tuoque ſigillo impendenti injunctum, perſonis & locis ſingulis, ubi & quando tibi expedire videbitur, tranſmitti & inſinuari procures. Cui quidem tranſumpto velut originalibus literis ubique dari volumus & decernimus plenam fidem. Dat. Romae apud ſanctos Apoſtolos, decimo quinto Kalendas Aprilis, pontificatus noſtri anno decimo.

" NOS igitur, Henricus Archiepiſcopus antedictus, volentes praefatas literas apoſtolicas, & ſingula in eis contenta, quatenus nos civitatemque noſtram & dioeceſin concernunt, authoritate apoſtolica per dictum dominum cardinalem nobis commiſſa publicare & reverenter exequi, ut tenemur; Vobis conjunctim & diviſim committimus & mandamus, in virtute ſanctae obedientiae firmiter injungendo, quatenus literas ipſas apoſtolicas & plenum effectum earundem in eccleſia noſtra cathedrali, villiſque & locis aliis noſtrae dioeceſis, ac in ſynodis & capitulis clerique congregationibus, coram clero & populo ſpecialiter ad hoc vocatis, clare, diſtincte, & aperte in vulgari, cum exhortationibus devotis, & inductionibus, diebus feſtivis & dominicis receptionem veſtram praeſentium proxime & immediate ſequentibus, publicetis, & ſic faciatis ab aliis publicari. Intimantes eiſdem clero & populo, ac Chriſti fidelibus noſtrae dioeceſis quibuſcunque, quod nos authoritate apoſtolica, per praefatum dominum cardinalem nobis, ut praefertur, commiſſa certos ordinavimus & deputavimus, prout tenore praeſentium ordinamus & deputamus, praedicatores & confeſſores in locis diverſis noſtrae dioeceſis; videlicet, dilectos in Chriſto filios fratres Jacobum Grove & Thomam Aſhe, monachos eccleſiae noſtrae Cantuarienſis

" in

“in eccleſia & civitate noſtra Cantuaria, fratrem Johannem Wotton priorem Doveriae apud Dover, magiſtrum Matthaeum Aſheton legum doctorem apud Wingham, magiſtrum Thomam Meome in decretis licenciatum apud Deal & Sandvicum & illas partes, & magiſtros Johannem Gorſich baccalaureum in theologia, vicarium eccleſiae de Wrotham, ac Johannem Bottle in legibus baccalaureum apud Maideſton, & in illis partibus, magiſtrum Johannem Warreve legum doctorem, rectorem eccleſiae beatae Mariae in Mariſco & Romney, ac magiſtrum Walterum Adam in legibus baccalaureum, rectorem eccleſiae parochialis de Allington, & dominum Willielmum Love vicarium de Lyde ibidem & pro partibus illis: quos ad hoc tam in munere ſufficientes quam in ſcientia idoneos pro populo noſtrae dioeceſis reputamus; qui quidem praedicatores verbum Crucis ſalutiferae & ipſius admirabile ſignum cunctis Chriſti fidelibus inſinuabunt, proponent & publice praedicabunt; ipſorumque confeſſiones audient, eoſque a peccatis eorum abſolvent, & ſignum ſanctae Crucis hujuſmodi omnibus & ſingulis ſuſcipere volentibus concedent, & ipſorum humeris affigent, juxta & ſecundum formam & effectum informationum, inſtructionum, & articulorum praefati domini cardinalis mature in hac parte digeſtorum; quos vobis tranſmittimus praeſentibus alligatos: Adque omnia & ſingula facienda & exercenda praefatis praedicatoribus & confeſſoribus diviſim, ut praefertur, authoritate, qua ſupra, plenam committimus in Domino poteſtatem; abſolutionibus tamen omnium & ſingulorum Cruce ſignatorum in caſibus gravibus, propter quos ſedes Apoſtolica foret conſulenda, praefato domino cardinali ſpecialiter reſervatis. Volumus inſuper, & authoritate ſupradicta mandamus, quod ſinguli praedicatores & confeſſores ſuperius nominati & deputati in veſtris manibus corporalia praeſtent juramenta; quod ipſi, quae ſibi committuntur in praemiſſis, juſte, bene, & fideliter exequantur juxta & ſecundum informationes & inſtructiones ſuperius memoratas. Si qui vero fuerint, qui hujuſmodi ſanctae Crucis ſignum a nobis affectent recipere, ad noſtram accedant praeſentiam; qui ſemper parati erimus per Dei gratiam in perſona propria cum totius animi devotione totum id eis, quod nobis authoritate, qua ſupra, committitur, impertiri. Dictis inſuper praedicatoribus & confeſſoribus noſtra pro parte vobis exponere mandamus; quod ipſorum ſinguli nomina ſingulorum per ipſos & eorum quorumlibet Cruce ſignandorum redigi faciant in ſcripturam. Moneant etiam iidem praedicatores & confeſſores cruceſignatos hujuſmodi quoſcunque; quod ante vel poſt ipſam ſuſceptam Crucem ad praeſentiam praefati domini cardinalis, ubicunque fuerit, ad ultimum, citra primum diem menſis Martii proxime futurum perſonaliter accedant; audituri ab ipſo & ſcituri, quid ulterius in dictae Crucis negotio fuerit faciendum: Et, quid feceritis in praemiſſis, nos citra viceſimum diem menſis Februarii proxime futurum, debite, diſtincte, & aperte certificetis per veſtras, & ſic certificet uterque veſtrum per ſuas literas patentes, harum ſeriem, ac nomina & cognomina cruceſignatorum hujuſmodi; quae vos a praedicatoribus & confeſſoribus praedictis recipere volumus in ſchedula, literis veſtris certificatoriis annectenda, deſcripta, continentes, authentice ſigillata. Dat. in manerio noſtro de Slyndon, primo die menſis Januarii, anno Domini 1428, & noſtrae tranſlationis anno decimo quinto.”

ANNO 1426 Henricus Epiſcopus Wintonienſis a papa Martino quinto preſbyter cardinalis Romanus titulo ſancti Euſebii, & ejuſdem in Anglia legatus, creatus eſt. Verum, ne authoritatem illam legatinam ſine regis permiſſu ac licentia, contra jura & conſuetudines regni gereret; Richardus quidam Cawdry clericus, regis procurator conſtitutus eſt, ut ab omnibus injuriis, gravaminibus & praejudiciis per papam, aut Romanam curiam, in regem atque regnum illatis ſeu inferendis ad proximum generale concilium provocaret. Itaque, ſimul atque compertum eſt Epiſcopum legatinam poteſtatem, irrequiſito rege, ſuſcepiſſe & legatina inſignia tuliſſe; Richardus Cawdry procurator regius coram Humfredo Glouceſtriae duce, regis minoris curatore, & Elienſi, Bathonienſi atque Norvicenſi Epiſcopis, nec non Staffordiae & Huntingtoniae comitibus, & Waltero Hungerford theſaurario ac Radulpho Cromwell baronibus, regiis conſiliariis praeſentibus, appellationem ab eo atque papa ad concilium in ſcriptis interpoſuit. In qua expreſſit: "Quod nullus apoſtolicae ſedis legatus venire debeat in "regnum regis Angliae, aut alia ſua terras & dominia; niſi ad regis "Angliae pro tempore exiſtentis vocationem, petitionem, requiſitionem, "ſeu rogatum; Romanis pontificibus tolerantibus & conſentientibus tam "tacite quam expreſſe." In qua tamen appellatione, ſi dictus Epiſcopus non tanquam legatus, ſed tanquam cardinalis, quidquam dicere, aperire, aut proponere a papa regi vellet, ſibi liceret: In quibus rex eatenus ei ſubveniret; quatenus id juribus & privilegiis ſuae regiae coronae atque inclyti ſui Angliae regni facere poſſit. Hac appellatione ex ſcripto recitata, Epiſcopus in praeſentia praefatorum Praeſulum atque procerum faſſus & proteſtatus eſt: "Quod non fuit, nec eſt, neque erit ſuae intentionis per "ingreſſum ſuum in Angliam, neque per aliqua per eum facta ſeu facienda, dicta ſeu dicenda, legatinam poteſtatem, quam ſuſceperat, ſine "permiſſu regio exercere; aut juribus, privilegiis, libertatibus, aut con-"ſuetudinibus regis atque regni in aliquo derogare aut contravenire; ſed "eadem omnia & ſingula conſervare, defendere, manutenere, atque ro-"borare."

An. 1418.

Verba appellationis conceptae.

Verba proteſtationis.

SUPERIOR ſynodus ſex amplius menſibus duravit; in eaque magna contra Wiclyffianos ſtatuta perſecutio fuit ab Willielmo Lynwood officiali curiae Cantuarienſis de Arcubus, Thoma Browne vicario Archiepiſcopi generali, atque Thoma Beckington decano de Arcubus; certa quadam via juriſque formula deſcripta, qua in Wiclyffianos & haereticos fuerit procedendum. Hoc anno, qui fuit octavus regni Henrici ſexti, in parliamento ſtatutum eſt; ut Praelati atque clerici eorumque famulatus, cum ad ſynodos acceſſerint, iiſdem privilegiis ac immunitatibus gaudeant, quibus milites & burgenſes parliamenti. Inter hanc autem & ſequentem proximam ſynodum quatuor pene anni interjecti ſunt: Quae cauſa Baſilienſis concilii congregata eſt: Nam Eugenius papa concilium hoc authoritate papali dimiſit. Sed cardinales & Praelati conjuncti concilium adhuc, invito papa, celebrarunt. Synodus itaque decrevit, ut ad papam legati, & ad concilium procuratores, docti ac facundi mitterentur; ad quorum ſumptus ſuſtinendos ex ſingulis libris duo denarii a clero conceſſi ſunt. Tum Johannes Stafford Epiſcopus Bathonienſis cancellarius, & dominus Scroop theſaurarius regni, nec non Willielmus Lynwood cuſtos Privati Sigilli, pro rege ſubſidium poſtularunt, & mediam decimam tandem aegre

An. 1430.

impetrarunt. In hac ſynodo multa contra Epiſcopos ab inferioribus praelatis querelae delatae ſunt; quod vicarios generales, officiales, atque commiſſarios ignaros & imperitos legum in dioeceſibus ſuis ſtatuiſſent. Conſtitutum itaque eſt; ne quis juriſdictionem eccleſiaſticam exerceret, niſi juris civilis aut canonici gradum aliquem a Cantebrigienſi, vel Oxonienſi, Academia accepiſſet. Ac proximo etiam anno, cum legati atque nuncii ad papam & Baſilienſe concilium, ut diximus, miſſi rediiſſent; ſynodus iterum Londini convenit; in qua deliberatum eſt, utrum Eugenium papam, an concilium Baſilienſe, ſequerentur. In qua deliberatione inferior ſynodus decrevit, concilio deſerto, eſſe papae adhaerendum: Cui decreto ab Epiſcopis etiam aſſenſum eſt. In hac ſynodo poſtulatam pro rege decimam clerus denegavit; verum, inſtantibus magna contentione proceribus, tandem conceſſit. In proxima vero ſynodo, ferventi peſte, nihil actum eſt; praeter diem feſtum Fridiſwidae inter Sanctas relatae decretum. Verum poſtquam illa longa inter concilium & Eugenium papam controverſia pene tranſacta fuerat; Eugenius concilium a Baſilea avocavit, & ad Ferrariam, Italiae civitatem, tranſtulit. Igitur Archiepiſcopus, ſynodo Londinum convocata, cum Epiſcopis & praelatis de procuratoribus ac legatis ad concilium mittendis eorumque ſumptibus egit. Sed inferiores praelati, quia Epiſcopi tantum & abbates generalibus conciliis intereſſe conſueverunt, non eſſe ſibi ejuſmodi ſumptuum onus imponendum aiunt; neque quicquam praeſtiterunt. Itaque ab Epiſcopis & abbatibus ex ſingulis libris quatuor denarii legatis profecturis tributi ſunt. Ad hanc ſynodum Eugenius papa more pontificio literas humanitate atque odio permixtas dedit, in quibus declaravit Elienſis Epiſcopatus adminiſtrationem, Lodovico Rothomagenſi Archiepiſcopo commendationis titulo ſeſe contuliſſe. Hanc autem ſynodum alia proximo anno ſequuta eſt; in qua ſine mora & difficultate conceſſa fuit regi decima, atque omnia cleri adjumenta uberrime promiſſa; ſi illas duras PRAEMUNIRE leges, quibus ſaepiſſime falſo accuſarentur, quibuſque clerus tanquam iniquis laqueis irretiti tenerentur, abrogaret. Rex jam in minore aetate conſtitutus, nondum enim decimum nonum annum attigerat, ſe, cum ad legitimam aetatem perveniret, curaturum ne clerus tam duris legibus & actionibus urgeatur, benigne reſpondit: Interim enim leges antea latas commode novari non poſſe.

Arch.

An. 1434. Arch.

An. 1438. Arch.

An. 1439. Arch.

ATQUE haec quidem ultima fuit ab hoc Archiepiſcopo celebrata ſynodus. De quo, etſi tres deinde annos vixerat, tamen non adeo multa praeter ea, quae ipſe ad memoriam ſui nominis perennem fecit, dicenda ſuperſunt. Virum prudentem & magnanimum fuiſſe conſtat, &, ſi illa papalis ſuperſtitio abfuiſſet, quae ſua tum contagione omnes peraeque gentes infecit, de eccleſia perinde ac de republica optime meritum. Huic Archiepiſcopo Willielmus Lynwood conſtitutiones archiepiſcopales a ſe in pulchram conſonantiam digeſtas, & accuratiſſimis commentariis explicatas, dedicavit. Willielmus autem Lynwood primo fuit officialis curiae de Arcubus, deinde cuſtos Privati Sigilli regii, ac demum ad Menevenſem Epiſcopatum evectus. Idem Archiepiſcopus in oppido de Heigham Ferrers, in quo, ut diximus, natus eſt, collegium magnificum extruxit; in eoque clericos ſaeculares & praebendarios beneficiis & dignitatibus eccleſiaſticis locupletatos collocavit. Ac in eodem oppido pauperibus hoſpitalem domum condidit, eique multa praedia in uſum & eleemoſynas pauperum

perum



Henrici Chicheley.

Ab An. Chr. MCCCCXIV. — Ad An. Chr. MCCCCXLIII.

perum comparavit: quod a fratribus deinde suis Roberto & Gulielmo Chicheley, civibus Londinensibus, quos in testamento haeredes instituit, permultis aliis adjectis & acquisitis praediis auctum & dilatatum est. Neque his extructis Archiepiscopus acquievit; quin Oxonii ad literarum studia colenda collegium celeberrimum Omnium Animarum, nec non collegium sancti Bernardi, quod postea a Thoma White, Majore Londinensi & milite, possessionibus auctum, & collegium sancti Johannis appellatum est, erexit. Cantuariae praeterea bibliothecam reparavit, ac cujuscunque generis libris instruxit; maximam campanilis partem fabricavit, ac conventui plurima ornamenta ac jocalia dedit. Vivus proprium tumulum, in qua sepeliendus erat mortuus, conventus consensu in ecclesia Cantuariensi condidit. Procuratores curiae suae de Arcubus, judice sedente, eo indui habitu, quo in Academiis artium baccalaurei utuntur, primus jussit. In jurisdictione exercenda severitatem cum aequitate conjunxit; ac ne summis quidem, cum deliquissent, pepercit. Nam dominus Strange, & Johannes Trussel miles hostiliter invicem affecti, cum ad Dunstani Orientalis templum Londini in festo Parasceves obvii essent, pugnam cum suis famulis & clientibus commiserunt. In ea pugna & conflictatione, cum in ecclesiam irruissent, Thomam Petwarden ejusdem parochiae civem Londinensem interemerunt. Itaque Archiepiscopus caede jam facta & sanguine christiano in ecclesia fuso, omnes, qui eam pugnam committebant & in ecclesiam irruebant, excommunicavit. Posteaque de primis illius conflictationis authoribus inquisivit: Et, cum comperisset dominum Strange, & ejus uxorem causam primam dedisse tanto tumultui; eos nominatim ad crucem Paulinam proxima die dominica excommunicatos denunciari praecepit. Qui deinde ad eum, flexis genibus, supplices venerunt, & absolvi multis precibus petierunt. His Archiepiscopus hanc poenitentiam injunxit: Ut, proxima die dominica ille, capite nudo, illaque pedibus nudis, ab ecclesia Paulina ad Dunstani templum cum omnibus suis famulis atque asseclis, qui pugnae interfuerunt, camisiis tantummodo indutis, per plateas publice incederent. Quos Reginaldus Kentwood Londinensis archidiaconus ad consecrandam illam sanguinis effusione pollutam ecclesiam sequeretur. In consecratione autem peragenda, domina Strange, quae maritum suum ad eam pugnam, muliebri vindicta, instigavit, omnia vasa, ad eam consecrationem necessaria, aqua repleret: Tum ecclesia jam consecrata, ea, quae hujus violati templi maxime rea fuit, primo ornamentum aliquod decem libris aestimatum altari offerret; deinde maritus ejus dominus Strange pyxidem argenteam quinque librarum templo dedicato donaret: His gestis ad ecclesiam Paulinam absolutionem petituri, eo quo prius incesserunt modo, ad Archiepiscopum redirent. Hoc tempore collegium Whittingtonense a Johanne Coventry, & Johanne Carpenter civibus Londinensibus haeredibus testamenti Richardi Whittington Londini conditum est: A quibus etiam nova porta Anglice Newgate, quae antea antri atque specus foedissimi instar fuit, ad hanc, quam hodie videmus, speciem reducta & fabricata est. Demum Henricus Chicheley, multis a se prudenter atque pie gestis, postquam viginti & octo annis ac undecim mensibus, diebusque totidem sedisset, duodecimo die mensis Aprilis hac vita functus est: Et in eo, quem vivus extruxerat, tumulo ad septentrionalem presbyterii partem posito sepultus jacet.

An. 1417.

An. 1443.

LXII. Jo-

LXII. Johannes Stafford.



LLUSTRIS jam familiae atque gentis Praesul, post Henricum Chicheley vita functum, archiepiscopalem dignitatem suscepit, Humphredi Stafford militis filius. Abbatis Buriae in Dorce- Arch. strensi comitatu natus est, stirpemque ac originem suam adolescens doctrina nobilitavit. Profectus autem e jureconsultorum scholis, in quibus doctoris gradu donatus est, in arcuata curia forensium causarum advocationi & patrocinio se dedit: Quem mox Henricus Chicheley, Cantuariensis ante eum Archiepiscopus, vicarium suum in spiritualibus generalem causarumque ad ecclesiasticum forum spectantium auditorem, constituit. Atque his muneribus publicis adjecit decanatum sancti Martini Londini, & praebendam Miltonensem in ecclesia cathedrali Lincolniae. Jamque regi Henrico quinto cognitus, intimis ac summis ejus consiliis adhibitus Privati Sigilli custodiam habuit. Tum thesaurarius regni, & Wellensis decanus, ac canonicus ecclaesiae cathedralis Sarisburiensis constitutus est; mortuoque Henrico rege quinto Bathoniensem Episcopatum a Martino quinto papa provisionis titulo accepit: Ac demum ad archiepiscopalem An. 1443. celsitudinem ab Eugenio papa a Bathoniensi ecclesia translatus est. Nondum enim illa, tot legibus sanctionibusque vetita, papalium provisionum Arch. usurpatio cessavit. Acceptis autem translationis suae bullis in aedibus Bathoniensis Episcopi, ad regem, qui tum Elthamiae in Cantio fuit, postridie properavit; redditoque ei fideli homagio temporalia Archiepiscopatus accepit. Tum crux a Johanne Salisbury sacrae theologiae professore & priore Cantuariensi ibidem adducta, eique, concepta solita verborum formula, tradita est. Eodemque etiam loco pallium ab Eugenio papa missum, ac ad se per Roffensem Episcopum delatum vicesimo tertio Augusti induit. Thomas Beckington primo in Privati Sigilli custodia, deinde in Bathoniensi Episcopatu, ei successit.

Hoc anno Henricus sextus, Angliae rex, summus bonarum literarum patronus duo regalia literarum studiis consecrata collegia inchoavit: Unum Etoniae, quod prope arcem Windesorinam, in qua rex natus est, positum est: alterum Cantebrigiae. Itaque Eliensi Episcopo mortuo, in cujus dioecesis Cantebrigia sita est, Johannes Stafford Archiepiscopus Lincolniensi atque Sarisburiensi Episcopis mense Januario mandavit; ut coemeterium, altare, & campanas illius incepti collegii consecrarent. Secundo transla- An 1444. tionis suae anno, rege praecipiente, synodum Londini celebravit. In ea, Arch. cum de subsidio regi tribuendo ageretur, clerus petiit; ut STATUTA PROVISIONUM, ET BREVIA SEU ACTIONES DE PRAEMUNIRE, quae callida & malitiosa leguleiorum interpretatione ad cleri perniciem & ecclesiasticae disciplinae

Ab An. Chr. MCCCCXLIII. plinae perturbationem converſa ſunt, aut penitus abrogentur, aut humaniori ac benigniori jure nitantur: Deinde, ut eodem modo de groſſis arboribus non decimandis aequius ſtatuatur: Poſtremo, ut contra laicos, qui clericos in regiis foris falſo & injuſte exagitant, gravis aliqua poena ſanciatur. Verum conceſſa regi decima: de his cleri poſtulatis ſynodus ulterius deliberandum cenſuit; atque diſceſſit. Eodem anno Archiepiſcopus per totam provinciam Cantuarienſem edixit; ut nundinae & emporia in eccleſiis aut coemeteriis, diebuſque dominicis atque feſtis, praeterquam tempore meſſis, non teneantur. Ac proximo anno Archiepiſcopus Margaretam reginam Henrico regi Weſtmonaſterii penultimo die menſis Maii nuptiis conjunxit, eamque conſecravit. Jamque juris regni periti, ut ſui commodi cauſa regia fora multitudine litium & infinitate replerent, pleraſque cauſas & controverſias ab archiepiſcopali & epiſcopali audientia ad ſua judicia vocabant; & eccleſiaſticam juriſdictionem decimarum, matrimoniorum, & teſtamentorum atque ultimarum voluntatum finibus & cancellis concludere volebant; in quibus etiam ſaepe ejus poteſtatem prohibitionibus regiis coercebant & impediebant. Tum illa PROVISIONUM STATUTA, ET BREVIA DE PRAEMUNIRE, ſi Praelati ac judices eccleſiaſtici digitum, ut aiunt, latum praeſcriptos a ſe juriſdictionis fines tranſilirent, multis minis vibrabant. Ea poena Praelatis valde terribilis fuit: Nam, ſi a laicis judicibus rei pronunciarentur, & bonis omnibus mulctandi, & aeternis carcerum tenebris involvendi, erant. Hujus poenae atrocitate Epiſcopi & praelati juriſdictione praediti, ita perplexi & perturbati ſunt; ut, quia leguleiorum minantia tela vix vitare poterant, concilium ſine mora ineundum putarunt; & Londini in ſynodo convenerunt. In ea ſupplicationem, totius Anglicani cleri nomine conceptam, regi tradiderunt; in qua de laicis judicibus oppido ſemperque clericis infeſtis graviter conqueſti ſunt: Nullam eſſe cauſam dixerunt, cur pro regis regnique incolumitate ac ſalute major fides conſuetudinum atque legum peritis, quam ſibi eccleſiaſticae juriſdictionis praelatis, haberetur: Se enim jure certo haerere ac inſiſtere; illos arbitrio vagari, & jura pro cauſis quotidianis quotidiana ſuo aeri inſculpere, eademque in cauſis eiſdem figere, tollere, ac refigere: Tum, quod in aliis ſtatutis, ſi parliamenti authoritate edantur, quo quidem jure neſcitur, interpretationem ſibi peculiariter arrogare, & leges, condentium intentiones atque mentes, quae ſola lex omnibus humanis legibus imperitat, incertis motivis & decretis impudenter & imperite, quocunque vellent, deducere: Non eſſe autem aliam regi cauſam, cur Praelatorum fides ſibi in dubium veniret; quam quod prioribus ſaeculis clerus a rege defecit, & Romano pontifici adhaeſit. Nunc autem eadem iſta lata jura, quae, Praelatis ipſis in parliamento contra Romanum pontificem deprecantibus, pro jure regio ſancita ſunt, in Praelatos regni iniqua juridicorum & leguleiorum calumnia cenſuraque torqueri. Id quod ex uno inani verbo, ab aliquo litigioſo calumniatore perperam interpretato, perſpici facile poſſit. Nam lex his diſertis verbis ſancita eſt: **That if any purchaſe or purſue, or cauſe to be purchaſed or purſued in the court of Rome,** OR ELSEWHERE, **any ſuch tranſlations,** PROCESSES, **and ſentences of excommunications, bulles, inſtrumentes,** OR ANY OTHER THINGES, **which touch the king, againſt him, his regalty, or his realme, &c.** "Si quis impetret aut perſequatur, ſeu impetrari vel perſequi procuret in curia Romana, ſeu ALIBI, aliquas ejuſ-

Ad An. Chr. MCCCCLII.

An. 1445.

An. 1446.

Anno 16. Rich. 2. c. 5.

"modi translationes, PROCESSUS, & sententias excommunicationum, bullas, instrumenta, vel ALIAM REM QUAMCUNQUE, quae regem tangat, contra eum, ejus regalem dignitatem, vel regnum, &c." Ex his verbis causidici, qui Praelatos sanctionum periculis involvere vellent, cavillantur hac tam gravi poena ecclesiasticos judices teneri, si quantulumcunque in jurisdictionem regiam commiserint, aut quovismodo titubaverint. Quo terrore proposito, perdifficilis & periculosa erit ecclesiasticae jurisdictionis, tam arctis coercitae finibus, tractatio: Quod eo est iniquius; quia statutum illud in Praelatorum gratiam latum est. Cum enim indignissimi antea quique ad papam promiscue confugissent; ab eoque, nummis intervenientibus, opulentissima beneficia & maximas dignitates ecclesiasticas impetrassent; nec Praelati, ea ambitione & cupiditate Romana impediti, ecclesias, quarum essent patroni, libere conferre poterant, proscriptione sancitum est: Ne regis deinceps subditi ecclesiarum provisiones a papa peterent; aut citationes, processus, excommunicationes, vel ecclesiasticas censuras a papa Romae, SEU ALIBI, ratione hujusmodi provisionum decretas, interpositas aut fulminatas, in Anglia, VEL ALIBI, contra regem, aut regis subditos, exequerentur, denunciarent, aut promulgarent. Quod verbum, ALIBI, calumniosi leguleii malitiosa interpretatione convertunt in Praelatos; ejusque sensum esse callide fingunt; si de causa civili non modo Romae, sed in ecclesiasticis foris & consistoriis, quae curias Christianitatis appellant, etiam in regno, lis forte interveniat. At longe alium fuisse illorum sensum, quorum consensu conditum tum statutum fuit, quique illud verbum in curia Romana, vel, ALIBI, interposuerunt, certum est: Quia papa ipse saepe ab urbe Romana Lugduni, Pisis, Avinione, aliisque locis Roma longe lateque disjunctis abfuit; in quibus illa provisionum jura non minus, quam Romae, usurpavit: Tum legatos papae eadem ipso papae nomine frequenter facere; quibus perinde illa saluberrima sanctione occurrendum fuit, quam his, quae Romae fiunt. Itaque contra omnem juris & aequitatis rationem esse; ut, quae salubriter in Praelatorum utilitatem constituta sunt, iniquissimis interpretantium cavillis in eorum perniciem torqueantur. Praeterea, quis existimare queat tam insanos tum fuisse Episcopos, ut tam duris & saevis, si modo ita accipiantur, in se legibus vellent consentire? Nam, si causas forte civiles in suis foris tractent, pedemque in regis jurisdictionem intulerint, an eadem poena afficiendi censerentur, qua papae provisores? Etenim omni aequo & rationabili jure, poenam convenit esse delicto parem: Itaque, si jurisdictionis sibi commissae fines exeant, non ipso jure tam graves poenas incurrant; sed prohibitionibus coerceantur: Quas si contempserint, vindicentur de contemptu: Legum enim poenas verborum ambiguitate ad casus non expressos nullo jure referendas; sed, si verbum ullum in condenda lege ambiguum interveniat etiamsi de condentium mente non appareat, tamen id in benigniorem significationem interpretatione deducendum: Ad extremum, addiderunt inique secum agi, quod laicorum judicum, qui, ut ecclesiastica jurisdictio penitus enervetur & contemptui vulgo fiat, quidlibet statuere vellent, tanquam inimicorum censuras & judicia patiantur. Summa petitionis hujus fuit; ut parliamenti interpretatione illa vox, ALIBI, quae tam perplexam difficultatem induxit, declaretur; tum, ut ecclesiastici judices, nisi prohibitiones regias spreverint, illa tam atroci contra provisores poena non teneantur: postremo, ut hi, qui de jurisdictionis finibus totis viribus

ribus contra Praelatos tam hoſtiliter ſemper dimicare ſolent, a concedendis prohibitionibus, & cognoſcendis hujuſmodi cauſis exercendiſque in eccleſiaſticos judices judiciis, ſuperſedeant: Aliique ſtatuantur, qui, cum de juriſdictionis utriuſque finibus agatur, aut illae cauſae in controverſiam venirent, ſine omni ſuſpicione & interpretari controverſa jura aequius, & ſine invidia judicare rectius, velint. In hac autem re Polydorus Vergilius falſus eſt: Quod Martinum papam, qui diu ante obiit, cum Henrico ſexto rege de reſcindendis illis juribus & actionibus egiſſe; & illa ſtatuta, quae contra papae proviſiones lata ſunt, a poenis PROVISIS & PRAEMONITIS nuncupata eſſe ſcribat. (Lib. 19. Ann. 1374.) Sed, ut omiſſo homine peregrino & a noſtrae hiſtoriae ſenſu veritateque alieno, ad hanc Praeſulum atque praelatorum ſupplicationem revertamur: Si tum, cum papa authoritatem regiam in omni juriſdictione exerceret, cumque vis ejus etiam regibus eſſet formidabilis; tamen contra tam immanem & violentam juris regni peritorum interpretationem deprecari Praelati coacti ſunt; quid nunc facient, cum eccleſiaſticae juriſdictionis gubernaculis principi delatis, & papali uſurpatione excluſa, nec illa cauſidicorum turba, neque quiſquam inſtitutus hominum ordo, majore fide, religione, doctrina, prudentia, & facundia papalem oppugnent & principis juriſdictionem tueantur, quam Praelati? Ut graviori ſupplicio digni ſint hi; qui eccleſiaſtica judicia jam contra papam, eaque principis nomine exercitata, obſoletis illorum ſtatutorum calumniis nunc impediant, & Praelatos a munere ſuo pie recteque gerendo deterreant; quam, qui priſcis illis temporibus papales proviſiones Romae, VEL ALIBI, impetrarent. Quod, ſi tam iniqui calumniatores duriores eſſe volunt, & vetera ob alias cauſas lata jura non ad principis aut reipublicae, ſed ad ſuam utilitatem atque quaeſtum, & ad integerrimi religioſiſſimique Praelatorum ordinis perniciem, refricare volunt; ſaltem ipſi ſimili lege lata patiantur legem talionis: eademque poena plectantur, ſi in eccleſiaſticae juriſdictionis limites incurrant; qua Praelatos, ſi ſuas cauſas vel minimo digito attingerent, affici volunt.

NUNC reliquam hujus Archiepiſcopi hiſtoriam, quae perbrevis eſt, abſolvamus. (Arch.) Hoc ipſo anno, quo haec acta ſunt, Eugenius papa, qui, majorum ſuorum exemplo, fel cum melle permiſcuit, ad Henricum regem ſextum auream roſam, inſtituta ſolenni legatione, miſit; & literis ſcriptis de ejus natura ac virtute, tum quibus ceremoniis Romae quotannis in eccleſia ſancti Petri celebratur, multa declaravit. Hanc auream roſam Lodovicus quidam Cardona regi in capella quadam ſancti Stephani Weſtmonaſterii, Archiepiſcopo Cantuarienſi tum regni cancellario, & Archiepiſcopo Eboracenſi Johanne Kempe cardinali, nec non Eboracenſi & Exonienſi ducibus praeſentibus, obtulit: Quam papae benignitatem rex non modo reſcriptis gratiis, ſed plurimis donis, remuneravit. Verum papa, cum regem tam inani munuſculo permulſum & delinitum exiſtimaſſet manum admovit gravioribus: Exegit ab Anglicano clero omnium proventuum decimas; ad eaſque colligendas nuncios cum bullis ad Archiepiſcopum Cantuarienſem deſtinavit. Sed rex, comperta tam recondita fraude, Archiepiſcopum vetuit, ne obſequeretur papae. Itaque Archiepiſcopus literis ſe ad papam, de ſuis mandatis regio juſſu peragi interdictis, excuſavit; ejuſque nuncios ſpe ac expectatione inani deceptos remiſit Romam. Toto hujus Archiepiſcopi tempore papa proviſione adhuc Epiſcopos (An. 1447. Arch.) ſtatuit:

Ab An. Chr. MCCCCXLIII — Ad An. Chr. MCCCCLII.

ſtatuit: Inter hos inſignem doctrina & pietate virum Willielmum Waynflete, mortuo Henrico Beaufort, creavit Wintonienſem Epiſcopum: Qui, cum ſcholae Willielmi Wickham, Wintonienſis quondam Epiſcopi, ludimagiſter eſſet, ab hoc rege Henrico ſexto, qui ſcholam & collegium Etonae, ut diximus, ſtabilivit, Etonenſis ſcholae primus ludimagiſter conſtitutus eſt; deinde praepoſitus collegio. Ac demum in Wintonienſi eccleſia a papa Nicolao collocatus, extruxit Oxonii celeberrimum collegium ſanctae Magdalenae dedicatum. Henricus autem rex tanto religionis ardore atque zelo, caeco tamen, quod dolendum eſt, flagravit, ut multas peregrinationes in hujus Archiepiſcopi tempore ad Thomae delubrum Cantuariae pedes ſuſceperit.

Johan. Uton. Mon. Cant. de obitib. & memorandis Eccleſ. Cant.

JOHANNES Stafford Archiepiſcopus, Lamethae febri correptus, valetudinis cauſa ſeceſſit Maideſtoniam: ibi, poſtquam annis novem diebuſque tredecim ſediſſet, obiit. Biduoque poſt, corpus ejus Cantuariam a fratribus albo veſtitis deductum, & Epiſcopo Roffenſi cum priore & monachis Cantuarienſibus triduo miſſificantibus ac funebres ritus pontificio more ſolenniter peragentibus, juxta Thomae martyrium ante novam capellam Mariae Virginis ſepultum eſt.


Johan. Uton. de obitibus.



Ab An. Chr. MCCCCLII.

LXIII. Johannes Kempe.

Ad An. Chr. MCCCCLIV.





POSTQUAM monachi Cantuarienſes Johanni Stafford ſepulto aliquandiu juſta feciſſent; Johannem Waltham in ſacra profeſſione baccalaureum, & Walterum Hereford maneriorum eccleſiae Cantuarienſis cuſtodem, commonachos ſuos, ad regem Henricum ſextum cum literis mittunt; in quibus licere ſibi, ſua conceſſa venia, petunt, Johannem Kempe Eboracenſem Archiepiſcopum, & Romanum titulo ſanctae Balbinae eccleſiae cardinalem, ad Cantuarienſem metropolim poſtulare. Regeque annuente, conſpirantibus ſuffragiis, in vigiliis Apoſtolorum Petri & Pauli eundem poſtularunt: Regemque ac poſtulatum cardinalem de ſua poſtulatione rite & legitime peracta Richardo Graven, & Waltero Hereford confratribus ſuis, deſtinatis ad eam rem nunciis, certiores fecerunt. At papa Nicolaus, qui proviſionis ſibi ab anterioribus papis traditae uſu captam poteſtatem mordicus retinuit, eum duodecimo Kalendas Auguſti, monachorum electione neglecta, proviſionis titulo ab Eboracenſi metropoli ad Cantuarienſem tranſtulit. Id ea calliditate fecit; ut, cum regem & clerum Anglicanum irritare non auderet; eodem tamen Praeſule, quem ex regis ſententia Cantuarienſes monachi elegiſſent, a ſe proviſo, & regi obſequi & a ſuo jure nequicquam recedere videretur. Itaque ſex bullis, prima Archiepiſcopo, ſecunda Cantuarienſi capitulo, tertia provincialibus Suffraganeis, quarta Cantuarienſis civitatis & dioeceſis clero, quinta ejuſdem populo, ac ſexta Cantuarienſis eccleſiae vaſallis, miſſis & in eccleſia Chriſti Cantuarienſi, in feſto ſancti Matthaei Evangeliſtae, per Thomam Aſhe ejuſdem eccleſiae monachum pro celeberrima concione publicatis, Johannes Kempe Cantuarienſem Archiepiſcopatum, derelicto Eboracenſi, ſuſcepit. Hae bullae jam tot numeris diviſae & multiplicatae papalem cenſum, qui decimis & proviſionibus ſublatis imminutus fuit, adhuc Romana meditatione fraudeque auxerunt. Hic Archiepiſcopus Archiepiſcopatum ingreſſus crucem Cantuarienſem in aedibus Thomae Kempe Londinenſis Epiſcopi, ſui conſanguinei, viceſimo quarto Septembris accepit Fulhamiae; atque ibidem poſtridie, Praeſulibus ac proceribus multis praeſentibus, induit a Nicolao papa miſſum & ab eodem Epiſcopo Londinenſi traditum ſibi pallium. Deinde alia bulla, hic Johannes Kempe Archiepiſcopus atque cardinalis, ſicut antea ab Eboracenſi Archiepiſcopatu ad Cantuarienſem, ita nunc a ſanctae Balbinae cardinalatu ad cardinalatum ſanctae Ruffinae titulo praeſtantiorem, deductus eſt. Quarum tot ac tam magnificarum bullarum ſumptus hi ſciunt, qui ſolverunt atque acceperunt. Cum vero ad hujus Praelati binis Archiepiſcopatus & Cardinalatus titulis inſigniti inthronizationem ventum ſit; quid omittendum fuit, quod e tantae dignitatis ratione, Archi-

Johan. Uton. de obit.

An. 1452.

Arch.

Ab An. Chr. MCCCCLII.

epiſcopus tantus facere debuiſſet? Itaque undecimo die menſis Decembris hac ſolennitate inthronizatus eſt: In proceſſione occurrunt ei prior & monachi Cantuarienſes in albis cappis clamantes: "Paſtor noſter cardinalis "ſanctae Ruffinae, & Archiepiſcopus Cantuarienſis", &c. His obviam facit Archiepiſcopus, Thoma Londinenſi, Willielmo Waynflete Wintonienſi, & Johanne Roffenſi Epiſcopis, illis a lateribus, hoc a tergo comitatus. Hos Epiſcopos abbates tres ſequuti ſunt, videlicet ſancti Auguſtini Cantuariae, de Bello, atque Feverſham. In tertio ordine collocati nobiles, comes Wigornienſis, vicecomes L'Iſle, dominus Molins, & prior ſancti Johannis: Ultimus autem ordo venerabilibus viris tam clericis quam laicis, decano Lincolnienſi, archidiacono Elienſi aliiſque permixtus fuit. Jam omnibus ingreſſi Archiepiſcopatus ritibus recenſitis, breviter oſtendamus, cujuſmodi a primo in eccleſiam ingreſſu tam multis titulis hic celebratus Archiepiſcopus fuit. Natus eſt Wyae in Cantio, & in literis a pueritia, tum in jure ab adoleſcentia, inſtitutus, ſuſcepto doctoratus gradu Dunelmenſem archidiaconatum adeptus eſt. A Dunelmenſi archidiaconatu Henricus Chicheley Cantuarienſis Archiepiſcopus eum ad arcuatam curiam ſecundo Archiepiſcopatus ſui anno traduxit; ac ejuſdem curiae decanum ſuumque in Spiritualibus vicarium generalem creavit: Quae munera cum praeclare geſſiſſet, Normanniae ducatus praefectus praetorio fuit. Ab eo munere ad Epiſcopatum Roffenſem electus venit: Ibi cum tribus annis conſediſſet, ad Ciceſtrenſem Epiſcopatum tranſlatus, inde proximo anno ad Londinenſem deductus, tum quadriennio poſt ad Eboracenſem Metropolim poſtulatus acceſſit. Diximus ante Richardum Lincolnienſem Epiſcopum a papa proviſionis titulo Eboracenſem Archiepiſcopatum accepiſſe; qui a decano & capitulo Eboracenſi, ſpreta proviſione papali, rejectus eſt: Eodem enim tempore Johannem Kempe elegerunt. Quem deinde Nicolaus papa, poſtquam rege imperante a monachis Cantuarienſibus electus eſſet, fucata quadam & adumbrata, ut diximus, proviſionis ſpecie, ut Praelatum magnanimum ſibi devinciret, ad Cantuarienſem ſedem tranſtulit. Hic tot titulis decoratus antiſtes non ita diu ſedit. Sed primo ſuae tranſlationis anno ſynodum Londini celebravit; in qua tributo a clero regi ſubſidio, de decimis a Londinenſi populo clero debitis acta multa; ſed nihil tranſactum eſt. In ea Richardus Warvicenſis & Johannes Wigornienſis comites, prior ſancti Johannis & Johannes dominus Stourton barones, aliique milites a rege miſſi, expoſitis bellorum difficultatibus in Gallia, petierunt, ut eccleſiaſticis proventibus regi ſubveniatur: Quibus Archiepiſcopus cum ſuis Suffraganeis reſpondit ſe id ſedulo curaturos. Itaque concilio nobiles diſceſſerunt. Poſt hos inſignis quidam praelatus, decanus ſancti Severini prope Burdegaliam Aquitaniae civitatem, ſynodum ingreſſus polita & copioſa latina oratione declaravit, Aquitaniam deficientem peneque a Gallis recuperatam, prudentia & magnanimitate illuſtriſſimi comitis Salopiae, in officio & ſubjectione retineri: Ideoque a cunctis regni ſubditis & praeſertim a clero, his bellicis neceſſitatibus primo quoquo tempore ſuccurrendum. Quo ſuadente clerus duas decimas ſine mora aut difficultate quacunque conceſſit. Erat in Anglia eo tempore Romanus quidam Vincentius Clemens, papae ſubdiaconus atque quaeſtor; qui, cum accepiſſet quanta benignitate ſynodus in regem fuiſſet, inclinare ſe poſſe tam propenſam ad liberalitatem ſynodum ſperabat, ut papae perinde atque regi opem ferret. Itaque prolixa & tragica narratione indicavit, quanto

[Margin notes: "An. 1452. Arch." beside "multa; ſed nihil tranſactum eſt"; "Arch." beside "ſine mora aut difficultate quacunque conceſſit"]

Ab An. Chr. MCCCCLII — Ad An. Chr. MCCCCLIV.


quanto periculo & diſcrimine novus papa Nicolaus cum toto cardinalium coetu inſidias cujuſdam Stephani de Porchariis, militis Romani, vitaſſet: Qui, nebulonibus & meretricibus, quibus Romam ſcaturire docebat, conſociatis, papam, cardinales totamque curiam trucidare & abolere conabatur: Deprehenſum autem illum Stephanum, & cum nonnullis ſuae conjurationis reis condemnatum ac patibulo ſuſpenſum. Tum ſynodum rogavit; ut publicas per totam provinciam preces pro papae & ſuae curiae ſalute frequentes haberi decerneret; omnium autem gratiſſimum fore, ſi ſynodus Anglicana, in qua maximam ſpem papa ſemper collocavit, ſcriberet: Ut papa ſuae ſaluti conſuleret, & Romam tanquam BABYLONIAM omniumque ſcelerum atque flagitiorum ſentinam deſereret, & ſedem atque curiam ſuam in alia regione ac civitate ſtatueret. Ad quod ſi ſubſidium abunde promitterent; non eſſe dubium, quin Roma Italiaque deſerta, papa alio migraturus, & clerum Anglicanum in maximo honore deinceps habiturus, ſit. Verum hic Romanus callidus ſuaſionum artifex, cujus doli ſua multitudine & diuturnitate jam putidi in Anglia fuere, praeter preces atque vota nihil impetravit. *Verba Legati Pontif. ex Arch.*

EODEM autem anno tantam vim Dominus Deus incuſſit ventis, ut aedes atque arbores excelſae templorumque turres corruerent. Quae quidem exempla tanquam divina ſupplicia, quoniam in hac, tanta temporum ſerie ducta, hiſtoria occurrunt nobis in diverſis locis ſaepius; eadem ſimul hic collecta ſub uno quaſi oculorum obtutu atque ſenſu ponamus: Ut, quoniam pontificii Paulini templi incendium religionis Evangelicae a nobis receptae atque cultae vitio vertunt; perſpiciant ipſi ex incendiis, vaſtationibus, & ejuſmodi repentinis detrimentis clades multo graviores ſuis illis caecis temporibus eveniſſe. Anno enim Domini 764. Jeamberto Archiepiſcopo ſedente, cum pontificia ſuperſtitio vires jam maximas nacta eſſet; *Sim. Dunelm.* non modo aedes, monaſteria, templa, oppida tota atque urbes celeberrimae, ſed, quod extremi divini judicii inſtar fuit, regiones nonnullae repentino incendio flagraverunt. In quo Londinum & Eboracum, maximae Angliae civitates, cum Donwico & Donaceſtria aliiſque nonnullis locis, flammis conſumptae ſunt. Similique incendio monaſterium de Burgh triennio poſtea deletum eſt: Cujus divinae vindictae cauſam ſi quis requirat, probabiliorem certe non poſſumus reddere, quam, quae ab ipſo ſcriptore commemoratur, "propter ingluviem & ebrietatem monachorum"; *Verb. Chro. Petriburgh.* quorum externa vita tanta ſanctitatis ſpecie populo fulgere videbatur. Idemque monaſterium, quaſi hujus ſupplicii praemonitum, hoſtili Gallorum invaſione, anno pene ante hoc incendium, direptum fuit. Inclyta vero Londinenſis civitas flamma coeleſti iterum icta, anno Domini 1077, a primis ſuis jactis fundamentis ſimilem cladem ac interitum nunquam paſſa eſt. Cujus, praeter has, quatuor deinde aliae flammatae vaſtationes contigerunt. Nam anno 1086. Paulinum templum incendio fulguris percuſſum eſt, totaque eccleſia combuſta: Illudque incendium totam Angliam celeriter percurrens, omnes pene cathedrales eccleſias & praecipuas quaſque civitates delevit. *Annales Wigorn. Th. Wiccius canonicus de Oſney Oxon.* Tum altera Londinenſis urbis conflagratio anno 1132. fuiſſe perhibetur. Tertia flamma coeleſtis primo templum Paulinum cepit, & ulterius accenſa ad pontem Londinenſem, & ad ſancti Clementis eccleſiam Danorum, pervenit anno 1135. Quarta vero cum *Matt. Paris.*

vico

vico de Southwark flagrante flammae, quod mirum est, interfluentes Thamesis undas transilientes tres pontis columnas & magnam civitatis partem incenderunt, & magnam virorum, mulierum & parvulorum multitudinem subito, quasi fatali vindicta, interemerunt. Atque Eboracum, consumpto [Ann. Wigor.] prius monasterio, altero incendio crematum est 1135. Ipsam Cantuariam Metropolim tribus incendiis, modicis temporum intervallis separatis, ad ruinam atque cineres redactam legimus: Primo, cum Elphegus a Danis [Gervasius.] occisus est: Secundo, cum Lanfrancus, insignis papalis militiae dux, Archiepiscopatum suscepit: Tertio, paulo postquam Thomas Becket papali martyrio candidatus fuit 1174. Quos tam horribiles casus justo, sed occulto, Dei judicio Cantuariae inflictos asserit Gervasius Cantuariensis monachus. Praeterea totam pene Cantuariam altero anno 1161. arsisse scri- [Th. Wiccius.] bit Thomas Wiccius: Ecclesiamque Christi, igne coelitus immisso, an- [Tho. Sprott.] no 1168. concidisse testatur Thomas Sprottus; ejusque causam censet abbatum incuriam; qui magnatum precibus victi, infantes a nutricum uberibus vixdum ablactatos, abductos monachatu initiare solebant. Civitas Rof- [Chro. Petrib.] fensis ter incensa fuit coelitus, annis, 1086, 1130, & 1136. Wintonien- [Ann. Wigor. Rich. Divisiensis.] sis bis annis 1080, 1101. Wigorniensis ecclesia semel 1201. Civitas ter: Primo, cum totum monasterium & castellum consumpta sunt anno 1113. Secundo, cum a rege Stephano capta atque combusta fuit anno 1150. Tertio, 1202. Glocestrensis quinquies: Primo, anno 1102. ecclesia sancti Petri Glocestriae una cum civitate igne cremata est: deinde uno an- [Ex. lib. Glocestrensis Monasterii.] no 1122. bis conflagravit. Quarto, anno Domini 1300. in die Epiphaniae subitum incendium monasterium circumdedit, atque claustrum, campanile, & magnam cameram cum vicinis ac proxime adjunctis aedificiis consumpsit. Quinto, anno sequenti, qui fuit annus Domini 1301. aliud exortum incendium ecclesiam parochialem Danton, Glocestriae moenibus adjunctam, totam ad muros combussit; & quatuor campanilia ad terram percussit, campanas aut liquefactas fudit, aut vi sua confregit. Ci- [Catal. Episc. Cicestrens.] cestria etiam bis combusta cum toto coenobio fuit: Primo, tempore Rodulphi Cantuariensis Archiepiscopi 1114: Deinde sedente ibidem Seffrido [Chro. Petrib.] Episcopo. Lincolniensis civitas, anno 1123. unum incendium passa est: Alterum villa Petriburgensis, anno 1116. in quo superbum illud monasterium solo aequatum est. Norvicensis civitatis pars, 1413. repenti- [In vita Harvaei.] nis ignibus conflagravit. In Eliensi civitate tempore Harvaei primi Eliensis Episcopi summum culmen campanilis ecclesiae sancti Petri media nocte accensum cives perterrefactos ad extinguendum incendium excitavit. [Walt. Gisb.] Carliolensem civitatem, cum monasterio atque cunctis fratrum minorum aedibus, anno 1280. horribile incendium vastavit. Ab his civitatum incendiis ad monasteriorum & ecclesiarum transeamus. Anno 1184. monasterium Glasconiense, & ecclesia Juliani Cenomanensis fulmine consumuntur: Et 1188 villa de Beverlaco cum ecclesia Johannis Archiepiscopi [Walt. Covent.] combusta est: Quo quidem anno Baldwinus Cantuariensis Archiepiscopus, & Richardus Episcopus Wintoniensis monachos ex Cantuariensi coenobio expulerunt. Anno 1261. campanile ecclesiae de Evesham fulgure accensum [Ann. Wigor. Gervas. in Mapp. mundi.] est. Ac monasterium de Barnwell prope Cantebrigiam fulgure etiam ictum flagravit, anno 1282. Coenobium Gisbornense, anno 1282. combustum est. Midletonensis ecclesia in Dorcestrensi comitatu, cum monachi ad [Ann. Wigor.] matutinas preces convenissent, correpta fuit fulgure; quo coenobii campanile, campanae ornamenta, vasa & instrumenta publica monacho-

rum



Iohannis Kempe.

Ab An. Chr. MCCCCLII. | Ad An. Chr. MCCCCLIV.

rum combustione deleta sunt. Antiquissimum illud Edmundi de Bury coenobium, praeterquam quod bis igne sacro deletum est anno 1334. etiam ab oppidanis, a quibus iterum incensum fuit, depraedatum est anno 1370. Quo etiam anno monasterium Abendonense, quod quinquies mille passibus abest Oxonio, ab Oxoniensibus direptum est; ducibus quidem ipsis municipibus seu burgensibus, militibus vero gregariis villae Oxoniensis & Abendonensis artificibus; asseclis aliquibus scholaribus, qui se libidinibus & flagitiis dediderunt. Omitto ventos, fulmina, flumina, terrae motus, nives, glacies, grandines; quibus submersae regiones, prostrata aedificia, agri inundati, dejectae arborum excelsae sylvae, ipsi pene portus maris congelati, annis 1147, 1266, 1280. aliisque fuerunt. In Sarisburiensi civitate, resolutis a gelu tenacissimo aquis, aquae totam civitatem, cum Edwardus rex tertius secundo sui regni anno parliamentum ibi celebrare instituisset, ita inundarunt; ut in missarum celebratione in ecclesiam laberentur, & regios pedes ad occidentale chori ostium attingerent: ideoque a divinis celebrandis in ea ecclesia biduo cessatum est. Omitto etiam immanes & horrendas pestes. Londini triginta hominum millia una aestate ex peste consumpta sunt anno 1407. Postea ex dysenteria occubuere quadraginta millia anno 1411. Quae quidem tot tantaeque strages divinae, cum & frequentiores & vehementiores multo in illis papisticis saeculis fuerint, quam nunc sunt; existimare sane possumus Dominum Deum misericordem, obsoletis jam & abjectis illis pontificiis sacris, recepto suo sacratissimo evangelio, sua benignitate nobis esse magis propitium atque secundum.

Chro. Burgn.


Ann. Wigorn. Walsing.

JAM ab his divinis suppliciis & vindictis ad ultimum hujus Archiepiscopi finem accedamus: Cujus Archiepiscopatus acta non alia, quam quae recensuimus; & extrema nobis ex historiis suisve Archivis traduntur. Postquam anno uno, octo mensibus unoque die sedisset, ex hac vita Lamethae evanuit undecimo Kalendas Aprilis. Deinde ipsis Kalendis cadaver ejus Cantuariam traductum, funerumque suorum sacris a Londinensi & Roffensi Episcopis, nec non monachis Cantuariensibus pontificio more peractis, inter sedem archiepiscopalem & tumulum Johannis Stratford ad australem portam presbyterii inhumatum est. In funerum eleemosynis cuilibet ecclesiae Cantuariensis sacris ordinibus initiato tredecim solidos & quatuor denarios; caeteris, sex solidos & octo denarios largitus est. Benignitas ejus atque liberalitas non alia in Archivis Cantuariensibus commemoratur; quam, quod consanguineos suos, his, quas tam multis annis multisque sedibus acquisivit, divitiis mirum in modum locupletavit; & in Cantio quosdam ad equestrem splendorem, quosdam ad alias dignitates, evexit.

An. 1454. Joan. Uton, de obit. Arch.

LXIV. Thomas Bourchier.

Johan. Uton. de obit.
An. 1454.



ECUNDO nonas Aprilis conventus Cantuarienſis Johannem Goldwell ſacriſtam, & Walterum Hereford maneriorum cuſtodem, ad Henricum ſextum regem cum literis mittunt: In quibus de morte atque funere Archiepiſcopi ſui Johannis Kempe certiorem eum faciunt, & libertatem eligendi priſtinam petunt: quod a rege conceſſum eſt tanta quidem facilitate atque aequitate, ut electionis libertati, nec prece nec interceſſione quacunque, praejudicaret. Itaque Cantuarienſes monachi nono Kalendas Maii in feſto ſancti Georgii unanimis ſuffragiis Thomam Bourchier Elienſem Epiſcopum ad Cantuarienſem Metropolim poſtularunt: Quae quidem poſtulatio proprio quodam & peculiari encomio celebranda eſt; quod aliae electiones aut regum atque principum literis a monachis extortae, aut papae proviſionibus impeditae, ſunt; haec ſola ſuis viribus atque libertate ſtetit. Haec poſtulatio ad papam Nicolaum quintum Romae Kalendis Junii perlata eſt; atque mox ſcriptis & ſigillatis bullis confirmata: Quae, reverſis & expeditis nunciis, in eccleſia Chriſti Cantuariae a quodam Willielmo Thornden monacho Cantuarienſi undecimo Kalendas Septembris pro concione publicatae ſunt. Tum prior Cantuarienſis cruce velata ante ſe geſta ad Archiepiſcopum equitavit, eamque in Elienſi domo apud **Holborn** Londini tradidit. Venit deinde in Angliam a papae latere miſſus legatus Archiepiſcopus Ravennae quinto idus Decembris; ſed, antequam a Caleto trajiceret, accepit a rege ingrediendi licentiam. Hic legatus huic novo Archiepiſcopo novum a papa honoris inanis titulum detulit, eumque in primo congreſſu reverendiſſimum patrem cardinalem ſancti Cyriaci in Thermis appellavit. Hoc accepto titulo inthronizatio ſeptimo Kalendas Februarii Cantuariae celebrata eſt. In hujus feſti conviviis medius inter Epiſcopos Archiepiſcopus ſedebat, ac a dextris Londinenſis cum Roffenſi, a ſiniſtris Wintonienſis cum Roffenſi collocati ſunt. Occupabant in eadem camera proximam menſam abbates Auguſtini, Martini de Bello, de Feverſham, ac priores Cantuariae, Doveriae, Combewell, cum monachis Cantuarienſibus. In ſuprema aulae, quae alba dicta eſt, ſedebant dux Buckinghamiae, comes Dorceſtrenſis, comes Staffordienſis, comes de Eu, comes de Shrewſbury, vicecomes Beaumont, dominus Fitz-warin, dominus de Berners, dominus de Abergavenny, dominus de Say, dominus de Clynton, dominus de Echingham, barones. In magna aula diſcumbebant ad primam menſam dominus Richardus Ferrers, dominus Rogerus le Coniers, atque milites Suſſexiae: ad proximam dominus Johannes Cheyney vicecomes Cantii, dominus Thomas Tyrrel, dominus Thomas Brown cum militibus & generoſis Cantii. Hos excelſos

&

& illustres viros innumera plebs sequuta est. Peracta autem inthronizatione tam magnifica, visitavit ecclesiam atque dioecesim Cantuariensem; in qua multa statuendo atque sanciendo edixit: Primo, ut religiosi, qui abjecto suae professionis habitu, saeculari amictu vestiti beneficia acquirunt, beneficiis amoti apostasiae poenis plectantur: Secundo, ne ecclesiastica beneficia sine Episcopi licentia locentur: Tertio, ut de sylvis, arboribus, fasciculis & billetis solvatur decima, quacunque consuetudine non obstante: Quarto, ut nuptiis contrahendis, testamentisque conficiendis duo pluresve testes adhibeantur: Praeterea de variis clericorum atque laicorum excessibus corrigendis multa decreta; quae ad crucem Paulinam publicari pro concione mandavit.

An. 1455. Johan. Uton. Arch.

ERAT hic Thomas Bourchier illustri genere prognatus, frater Henrici Bourchier de Eu, postea Essexiae, comitis, in Oxoniensi Academia institutus, ac ejusdem cancellarius, & decanus sancti Martini Londini: deinde Wigorniensis Episcopus, ab eoque ad Eliensem, tum demum ad Archiepiscopatum, ut diximus, translatus. In hoc anno Richardus dux Eboracensis, adjunctis sibi Richardis duobus, uno Sarisburiae, altero Warvici comite, Edmundum Somerseti ducem, Henricum Northumbriae comitem, ac dominum Clyfford, Henrico rege praesente, cum septem militum millibus ad sanctum Albanum commisso praelio trucidavit: totiusque regni administrationem & protectionem sub eodem rege suscepit; & cancellariatus munus Sarisburiae comiti, ac Caleti portus custodiam Warvicensi, commisit. Haec rerum novitas aliquot annis frequentes bellorum strages intulit Anglis; donec, interfecto Richardo Eboracensi duce, altero praelio in dominica Palmarum Eboraci commisso inter Edwardum ducis haerilem filium & Henricum sextum regem Mars litem diremit: In quo superatus rex amisit regnum, quod Edwardus vendicavit. Quem Thomas Archiepiscopus Westmonasterii quarto Nonas Martii regem unxit & sacravit. Celebravit eodem anno Archiepiscopus synodalem cleri conventum Londini; in qua concessa regi decima, multaque de arboribus decimandis acta sunt: Statutumque praeterea omnium Praelatorum consensu fuit: Ne inferiores praelati in bannorum editione, aut ullis negotiis matrimonium tangentibus dispensationes concederent. In eadem synodo Galfridus Longbrook, procurator magistri Petri Courteneii archidiaconi Exoniensis, a Majoris Londinensis lictoribus ad instantiam Simonis Nottingham de actione personali apprehensus, & violenter in jus, obtorto, ut aiunt, collo, ductus est: Quod cum synodus accepisset; prior ecclesiae Christi Londini ad Majorem & vicecomites missus est; ut idem Galfridus durante synodo a custodia & judicio dimitteretur; alioquin synodum contra Londinenses per ecclesiasticas censuras ad graviora processuram: Hoc nuncio Galfridus liberatus & synodo restitutus est. His temporibus illa utilissima cudendi atque imprimendi scientia Argentorati Germaniae civitate inventa est; etsi de authoris, loci, annique certa veritate inter scriptores magna dissensio est; quam perpendant lectores. Haec autem hoc anno in ejus laudem edita carmina sunt:

O felix nostris memoranda impressio saeclis,
Inventore nitet utraque lingua tuo.
Desierat quasi totum, quod fundis in orbem;
Nunc parvo doctus quilibet esse potest.
Omnes te summis igitur nunc laudibus ornent:
Te duce quando ars haec mira reperta fuit.

ET

ET ſane divino beneficio haec ars in hoc ſaeculo hominibus patefacta eſt, ex cujus foecundo quaſi gremio omnes artes ac ſcientiae, caecitate & caligine abſterſa, tanquam e longaevis tenebris prodierunt.

An. 1463. NUNC ad hiſtoriam revertamur. Edwardus rex duobus jam annis feliciter geſtore gno parliamentum Weſtmonaſterii tenuit; quo etiam tempore Archiepiſcopus & clerus in ſynodo convenerunt. In hac ſynodo Johannes comes Wigorniae, Henricus comes Eſſexiae, dominus Edmundus Gray theſaurarius Angliae, dominus Humfridus Cromwell, dominus Wenlocke, dominus Johannes Prior ſancti Johannis, & Robertus Stillington legum doctor, cuſtos Privati Sigilli, regis conciliarii, allatis literis regiis petierunt a clero decerni regi ad Scotos repellendos ſubſidium. Quod quidem gratiſſimis omnium animis tam munifico regi conceſſum eſt; qui ſuperiori anno eccleſiae immunitates atque jura iniquis, ut in Johanne Stafford antea diximus, juridicorum calumniis convulſa & labefactata diplomate regio reſtauravit. In quo ſanxit & decrevit, ut clerus tam veteribus eccleſiaſticis juribus quam novis, ſi quae condere vellent, malitiam eorum, a quibus ſua jura violantur, compeſcant; tum in cauſis omnibus ad eccleſiaſticum forum ſpectantibus, etiam in majorum arborum decimis, etiamſi viginti aut plures annos aetate exceſſerint, ſine metu aut poena STATUTORUM DE PROVISIONIBUS, aut BREVIUM, ſeu ACTIONUM DE PRAEMUNIRE, aut cujuſcunque prohibitionis etiam nulla conſultatione obtenta libere procedant: Et, ſi quis judex regius, ſeu ſaecularis aliquem Archiepiſcopum, Epiſcopum, archidiaconum ſuoſve vicarios, officiales, commiſſarios, aut judices eccleſiaſticos quoſcunque BREVIBUS, & proceſſu aliquo impediat aut deterreat; ut ad ejuſdem Archiepiſcopi, Epiſcopi, judiciſve eccleſiaſtici impediti aut perterriti monitionem, quam rex ratam fidemque eidem habiturum dixit, in cancellaria, ſtatuto ſibi ab eodem eccleſiaſtico judice die, ſub poena ducentarum librarum compareat, reſponſurus regi de contemtu ſuumque in eccleſiaſticum judicem proceſſum authoritate regia reſcindi & irritum ac inane pronunciari viſurus. Cum itaque omnis laicorum judicum in Praelatos querimonia, tum, cum Romanae curiae poteſtas etiam regibus ipſis terrorem incuſſit, ſola haec fuit; quod niſi pleraeque cauſae ab eccleſiaſtico foro amputentur, appellationibus a regia cognitione ad papalem perferantur; quid nunc dicere poſſunt, cum Praelati regiam authoritatem, & divino verbo ſanctius, & ſua juriſdictione multo peritius tueantur quam cauſidici? An non quod a rege Edwardo tunc impetratum eſt, id nunc Praelatorum precibus concedi multo eſt aequius? Sed de ſynodo iſta reliqua perſolvamus, quae gravem poenam ſanxit in eos, quorum vi aut praecepto aliqui a coemeteriis aut eccleſiis lociſve ſacris in jus aut carceres ducti ſunt. Tum alia conſtitutione de veſtitu clericorum edita, ſynodus dimiſſa eſt.

Arch. Vide in convocatione anno nono Tho. Bourchier, fol. 18. p. 2. Johan. Uton.

POST iſta Edwardus rex Elizabetham filiam domini Richardi Woodvylle, domini de Rivers, ſibi matrimonio junxit. Hae nuptiae Weſtmonaſterii, a Cantuarienſi Archiepiſcopo celebratae; atque regina coronata eſt ſeptimo Kalendas Junii; qui eo anno feſtus fuit dies dedicatus Auguſtino primo Cantuarienſi Antiſtiti. An. 1465. Quibus nuptiis celebratis rex & regina peregrinantes ad Thomae delubrum venerunt Cantuariam, & magnis Archiepiſcopi ac eccleſiae Cantuarienſis ſumptibus ibidem aliquandiu convivati ſunt. An. 1466. Sequenti anno venit in Angliam Patriarcha Antiochiae, patria a Turcis capta, profugus, ſecumque duos camelos & quatuor dromedarios

ſtupenda

Ab An. Chr. MCCCCLIV. Ad An. Chr. MCCCCLXXXVI

ſtupenda & inuſitata magnitudine duxit: Cujus exulis inopia Archiepiſcopi liberalitate & hoſpitio ſublevata eſt. Nuptiis deinde inter Carolum Burgundiae ducem & dominam Margaretam Edwardi Angliae regis ſororem contractis, altera peregrinatio a rege & regina cum eadem domina Margareta, & Clarentiae, ac Gloceſtriae ducibus regis fratribus aliiſque inclytis proceribus Cantuariam ſuſcepta eſt: In qua multis muneribus ad Thomae delubrum oblatis, atque triduo in epulis lautioribus conſumpto, rex & regina Londinum reverſi ſunt. At domina Margareta mare trajecit, & ad maritimum portum de Scluce applicuit; ubi a Burgundiae magnatibus recepta ad ducem ducta eſt. Inter quos tertio die menſis Julii nuptiae a Sariſburienſi Epiſcopo celebratae ſunt. Hae nuptiae ſumma prudentia conciliatae, maximo deinde regi in exilium profugo ad regnum recuperandum praeſidio fuerunt. Eodem anno in maris Cantiani littore cete quoddam maximum captum eſt; cujus longitudo amplexus decem, latitudo quinque, ſuperabat; quod in varias partes diſſectum vix a viginti quatuor bigis a littore ad portum delatum eſt. Archiepiſcopus Eboracenſis peregrinandi cauſa ad Thomae delubrum ſequenti anno acceſſit; ſed, quia ex veteri illa compoſitione, de qua in Henrico Chicheley antea diximus, pro cruce in Cantuarienſi provincia geſtanda non obtulit jocale, coactus eſt peregrinationis ſuae inſtitutae ritus Auguſtino praeſtare; deinde quinto die menſis Julii, praeſentibus Warvicenſi & Oxonienſi comitibus, jocali oblato ad Thomae delubrum peregrinando acceſſit. Idem poſtea cum magno clericorum choro ad ingentem quandam navem a comite Warvicenſi extructam pontificalibus indutus cymba vectus eſt; eamque miſſis & innumeris pontificiis ritibus a ſummo mane ad veſperum productis ſacravit & Trinitatem appellavit. In hac navi comes Warvicenſis, dux Clarentinus & Archiepiſcopus Eboracenſis, ad Caletum, cujus portus, ut diximus, cuſtodiam Warvicenſis tenuit, poſtridie applicuerunt; ibi nuptiae inter Clarentinum ducem & Annam Warvicenſis filiam contractae, & ab Eboracenſi Archiepiſcopo celebratae, ſunt. His peractis nuptiis Warvicenſis, qui jam ab Edwardo rege animo defecit, Clarentinum ſuum generum ad foedus ſecum contra regem fratrem ineundum ſolicitavit; ut excuſſo illius jugo, Henricum ſextum arce Londinenſi incluſum liberent & regno reſtituant. Foedus hoc, ipſi Warvicenſi tandem exitioſum, initum eſt. Hoc Edwardus ipſa ſuſpicione olfecit; & Cantuariam cum regina atque domina Elizabetha primogenita filia, ſtipatus quinque Epiſcopis multiſque proceribus, properavit. Ibi, oblatis multis Thomae delubro donis, biduo conſilium cum Epiſcopis & baronibus ſecretiſſimum habuit; a quo Archiepiſcopus Cantuarienſis, immerito ſuſpectus, excluſus eſt. Res acta ſic eſt; ut, educto Warvicenſis manu Henrico ſexto, neceſſe fuit Edwardo ad Burgundiae ducem, a quo militare auxilium impetravit, aufugere. Cum quo reverſus, capto Henrico ſexto, Warvicenſem praelio Barneti commiſſo fugavit & interfecit: Deinde alio praelio Tewkeſburiae ſuperavit Henricum ſextum ejuſque filium Edwardum: quibus victoriis in regno ſecurus atque ſtabilitus fuit.

An. 1468. An. 1469. Johan. Utoni An. 1469. An. 1470. An. 1471.

Post haec, quatuor annis proximis, quatuor ſynodi inſtitutae tot regi ſubſidia praeſtiterunt. At papa bellicoſus per totum chriſtianum orbem edixit, a cunctis chriſtianis gentibus conflandum in Turcarum principem exercitum; cujus ipſe imperator futurus ſit, & bellum fortiter in An. 1476.

5 U Turcas Arch.


Ab An. Chr. MCCCCLIV. — Ab An. Chr. MCCCCLXXXVI

Turcas geſturus: Ad hanc rem non modo ſibi militibus opus eſſe, ſed pecunia. Itaque eccleſiaſticorum proventuum decimas a totius orbis chriſtiani clero exegit; tum ab his omnibus, qui plura beneficia tenebant, integros unius anni proventus. Cum autem quaeſtores ſui cum bullis in Angliam veniſſent; hac arte deluſi ſunt: Totus jam clerus papalem potentiam imperatorio more ad procinctum accinctam multo atrocius quam ante formidabant. At rex ſcriptis ad Archiepiſcopum literis exponit, quanti periculi atque praejudicii hoc exemplum futurum ſit, ſi papae clerus obſequeretur; ſimulque oſtendit rationem, qua vitare offenſam papae poterint omnemque rei indignationem in regem transferre: Si, decima regi conceſſa, rex regni ſui clerum tutaretur & excuſaret, & ad papae cupiditatem explendam ſuo, non cleri, nomine aliquid largiretur. Ad hoc rex ex ſingulis libris duodecim denarios popoſcit; clerus ſex denarios conceſſit, & papalium quaeſtorum laqueos evaſit. Aliquot jam anni ſine re aliqua commemorabili praeterfluxere. Anno autem tranſlationis ſuae viceſimo ſexto Archiepiſcopus ſynodum Londini celebravit. In ea Johannes quidam de Giliis juris utriuſque doctor, papalis in Anglia quaeſtor, ſuggeſtum aſcendit, & pro concione cleri de hoc ſcripturae themate latine praedicavit: "Vide, ne lumen, quod in te eſt, &c." Concione finita, poſtquam Willielmus Worſley decanus eccleſiae Paulinae & Johannes Bourchier archidiaconus Cantuarienſis praeſentaſſent Archiepiſcopo & ſuperioribus Praelatis Willielmum Pykenham legum doctorem archidiaconum Suffolcienſem, & decanum collegii de Stoke-Clare & rectorem de Hadenham, ubi portam magnam erexit, cleri prolocutorem; dux Glocestrenſis, marchio Dorceſtrenſis, comes Northumbrienſis, comes le Ryvers in eadem ſynodo ſubſidium regis nomine a clero poſtularunt. Itaque decima ſine mora aut difficultate data eſt. Tum Johannes de Giliis papae quaeſtor latina oratione facunde declaravit Sixtum papam quartum, dominum ſuum, vaſa omnia aurea & argentea ac ſupellectilem pene totam pro defenſione Rhodi contra Turcas vendidiſſe; ideoque, conſumtis ſuis facultatibus, univerſali eccleſiae proventuum eccleſiaſticorum decimas impoſuiſſe: Qua de re prolatas papae bullas oſtendit. Verum non minus in hoc negotio, quam in ſuperiori, fruſtratus eſt. Cum enim ſaepius ſynodus conveniſſet, nec quicquam de papae poſtulatis egiſſet; tandem quaeſtoris illius aſſiduis clamoribus acta rem totam cardinali Archiepiſcopo committit. Is, ne nihil agere videretur, literis ſuis Willielmo Lacy apparitori ſuo generali mandavit, ut Epiſcopos, abbates, decanos & archidiaconos quoſdam, quos ad peragendum papae negotium deſignaret, quinto die Junii adeſſe in eccleſia Paulina juberet. Eo die pauci convenerunt; rejectaque in alios dies, quia hi, qui juſſi ſunt, regiis negotiis procurandis excuſabantur, ſaepius res eſt. Tandem tam varias dilationes habuit; ut morte Edwardi regis quarti inanem & dignum papali commento exitum ſortita ſit. Edwardo autem rege mortuo, ejuſque funeri juſtis peractis Thomas Eboracenſis Archiepiſcopus, Johannes Lincolnienſis, Edwardus Ciceſtrenſis, Johannes Elienſis Epiſcopi, Willielmus Haſtings dominus de Haſtings, Thomas Stanley dominus de Stanley, & Thomas Montgomery miles, executores teſtamenti Edwardi regis codicem ejuſdem teſtamentarium Cantuarienſi Archiepiſcopo exhibuerunt, & tempus deliberandi de aſſumenda vel reſpuenda ejus executione petierunt. Quo conceſſo Archiepiſcopus omnia domini regis bona atque

An. 1480. Arch. (beside "ſimo ſexto Archiepiſcopus ſynodum Londini")

An. 1483. Arch. (beside "commento exitum ſortita ſit")

jura



Thomae Bourchier.
Sepulchrum.

jura ſequeſtro & cuſtodiae Willielmi Dawbeney, Richardi Laurence, & Roberti Foſter interim, dum illi deliberarent, commiſit, praeſentibus omnibus pene Praeſulibus & proceribus regni. Sigillum vero magnum, & privatum, nec non annulum ſignatorium ad ſuam cuſtodiam recepit atque penes ſe retinuit. Sed, quia ſumptus funerales mille quadringentas nonaginta & ſex libras exhauſerant; data ab eodem Archiepiſcopo poteſtas fuit executoribus, ex bonis haereditariis venditis eam ſummam conficere, reliquis bonis ſub ſequeſtro reſervatis.

An. 1484.

ANNO ſequenti Richardus dux Gloceſtriae, horrenda caede Edwardi & Richardi filiorum fratris ſui Edwardi regis perpetrata, ſimulans Edwardum fratrem nothum injuſte regnum tenuiſſe, idem vi triennio occupavit; qui ab hoc Archiepiſcopo Weſtmonaſterii coronatus & ſacratus eſt. Is in ſacratione ſtipulanti Archiepiſcopo omnes libertates & immunitates eccleſiae juxta canonum inſtituta defenſurum, omniaque regni jura a ſancto Edwardo rege quondam deſcripta ſervaturum, totumque populum atque clerum in pace protecturum, jurejurando promiſit. Verum tam immanium ſcelerum terribili conſcientia tanquam furiis exagitatus, neque ſomnos poſtea dulces, nec ſpiritum ducere tranquillum, unquam potuit. Sed in tertio uſurpati a ſe regni anno ab Henrico Richmondiae comite in acie ad undecimas Kalendas Septembris victus & trucidatus eſt. Tum Henricus rerum potitus cum domina Elizabetha Edwardi quarti regis primogenita filia contraxit nuptias: His unis ſecundiſſimis nuptiis duae gentes & familiae illuſtriſſimae, quae tot annis de imperio dimicabant, Lancaſtrenſis, cujus haeres fuit Henricus Richmondiae comes, & Eboracenſis, quae, trucidatis, ut diximus, a Richardo tyranno duobus fratribus, ad dominam Elizabetham jure haereditario obvenit, unitae & imperpetuum conciliatae ſunt. Archiepiſcopus Cantuarienſis iſtas nuptias celebravit, illumque paulo ante regem Angliae, nomine Henricum ſeptimum, Weſtmonaſterii coronavit atque ſacravit tertio Kalendas Novembris. Poſtea rex parliamentum Weſtmonaſterii, Archiepiſcopus ſynodum Londini, celebravit. In ſynodo clerus regi victori & tyrannoctono proventuum ſuorum decimas ultro detulit. In parliamento permiſſum fuit Epiſcopis clericos adulteros atque fornicarios carceribus ſuis coercere. Proximo anno Thomas Bourchier Archiepiſcopus, poſtquam triginta duobus annis ſediſſet, obiit, & ab aquilonari latere ſummi altaris in eccleſia Cantuarienſi ſumptuoſo tumulo conditus ſepultus jacet.

De his ſtipulationibus & promiſſ. vide Regiſt. Tho. Bourchier part. 2. f. 177.

An. 1485.

An. 1486.

HIC dedit Univerſitati Cantebrigienſi centum viginti libras, quae permiſtae cum centum libris, quas ante eum Magiſter Billingforth, quondam praefectus collegii Corporis Chriſti dictaeque Univerſitatis cancellarius, dederat, in eadem ciſta reponuntur. Haec jam ciſta in ea domo, ubi congregationes & convocationes ſcholarium conveniunt, poſita utriuſque fundatoris nomine "ciſta Billingforth & Bourchier" appellata eſt; cujus conſervando theſauro duo cuſtodes ſingulis annis deputantur.

Ex Archivis.

LXV. Jo-

Ab An. Chr. MCCCCLXXXVI. — Ad An. Chr. MD.

LXV. Johannes Morton.



JOHANNES Morton, Beerae Dorceſtrenſis comitatus oppido natus, adoleſcens Oxonii ſtuduit, &, cum in jure civili atque pontificio profeciſſet, controverſis cauſis in arcuata curia patrocinandis advocatus fuit. Tum beneficio atque gratia Thomae Bourchier Cantuarienſis Archiepiſcopi, cui ob juris ſcientiam & prudentiam charus fuit, non modo multis eccleſiaſticis dignitatibus auctus, ſed ſumma fide Henrico regi ſexto commendatus, eſt. Cujus conſiliis adhibitus in duriſſimis illis & periculoſiſſimis temporibus ei tam firmiter adhaeſit; ut ne in caſtris atque ſummo diſcrimine ab eo unquam diſcederet. Hanc hominis fidem & integritatem, ipſius hoſtis Edwardus rex quartus etſi ſuis partibus adverſam tantopere tamen adamavit; ut victoria parta Johannem Morton multis beneficiis ad ſuum ſervitium alliceret, & ſecretis conſiliis adhiberet. In quibus cum & quantum ingenio polleret, & quo erga ſe animo & induſtria ſingula tractaret, perſpexiſſet, ad Elienſem Epiſcopatum eum promovit. Non erat tum quiſquam, in quo ſuarum rerum recte gerendarum fiduciam, aut poſteritatis ſuae tuendae ſpem, majorem quam in hoc Epiſcopo rex collocaret. Itaque moriens eum teſtamento unum executorum ordinavit. Id quod Richardus tyrannus, qui Edwardi ſui fratris maſculinam prolem delevit, veritus, cumque animadvertiſſet tam fidum Epiſcopum ad ſuas nefarias & ſceleratas partes ab impuberibus regiis filiis tuendis nullo modo adduci potuiſſe; proditionis eum atque laeſae majeſtatis inſimulavit, & Turri Londinenſi incluſit. Mox inde eductum, cum intendere homini tam inſonti nullam accuſationem potuit, ſceleris & parricidii ſui ſocii, ducis Buckinghamiae, cuſtodiae tradidit. Sed, cum horrendis artibus atque dolis, & ope ducis Buckinghamiae Richardus tyrannus in regio ſolio poſitus eſſet; occulta quaedam ſimultas odiumque incredibile inter hunc regiis ritibus inauguratum tyrannum atque ducem ſubito interceſſit: Quod cum tanto fervore in imo ducis pectore aeſtuaret, ut celari diu non poterat; rem omnem Johanni Morton Elienſi Epiſcopo, quem arctiori adhuc cuſtodia tenuit, indicavit. Quo quidem neminem ſe habere potuiſſe exiſtimavit commodiorem ad id, quod meditabatur, vindictam exitiumque tyranni. Cumque eum ſponte in eundem ſecum ſenſum primo ſermone incidere vidiſſet; laxavit ei duras cuſtodiae habenas permiſitque libertatem. At Johannes Elienſis, etſi valde recreabatur, ducem tanto odio a tyranno defeciſſe, proſpexit tamen id prudenter, quod evenit; Deum de utriſque tanti ſceleris ſociis ſupplicium ſumpturum. Ideoque, quanquam ducis conatum probaret, adhaerere tamen ei noluit; ſed nactus ex hac indulta libertate tempus opportunum, habitu & amictu mutato, celeriter atque clam in Elienſem ſuam inſulam profugit; indeque trajecit in Flandriam.

Tum

Tum clandestinis literis atque nunciis cum omnibus his egit, quos Edwardi regis stirpi favere cognoverat, ut inter dominam Elizabetham Edwardi primogenitam filiam & Henricum Richemondiae comitem, in exilio jam agentem, procurarentur nuptiae; tam ad dejiciendum tam saevum & crudelem tyrannum, quam ad intestinas seditiones tollendas, quae tam diu inter Eboracensem & Lancastrensem familias ad totius regni perniciem ingruerant. Hoc sanum consilium auspice Deo profectum, depulso, ut ante diximus, tyranno victoriaque divinitus Henrico regi septimo delata, Deo propitio, eventum secundum habuit. Itaque Henricus regno potitus Johannem Morton secum in patriam reducem regni cancellarium constituit: Deinde Thoma Bourchier mortuo eundem ad ecclesiam Cantuariensem a monachis postulari, & confirmatione Innocentii papae ab Eliensi solvi atque transferri, procuravit. Haec translatio perinde atque illa Thomae Bourchier, qui ab Eliensi etiam sede ad Cantuariensem deductus est, sex distinctis bullis, etsi minori compendio agere papa potuisset, publicata est. Sed aucto pretio, multiplicari etiam convenit illa plumbea instrumenta. Mox ab Willielmo Sellyng sacrae theologiae professore & ecclesiae Cantuariensis priore allatum est vexillum Archiepiscopo; quod in manerio Eliensis Episcopi in Holborne accepit atque osculatus est; ac deinde crucigero suo tradidit. Sed nuptiis, ut diximus, inter Henricum regem septimum celebratis, papa ad confirmandum illud legitimum divinitusque conciliatum, ac ad pacem & tranquillitatem Anglorum maxime necessarium, matrimonium suis bullis minime necessariis opus esse putavit; quia quarto cognationis gradu conjuncti nuptias contraxerunt: Quod quidem nullo neque divino, neque civili jure, sed pontificio tantum prohibetur. In quibus etiam, ne authoritate carere videretur, regnum acquisitum regi confirmavit; illudque jure haereditario, jure belli, jure conjugali, jure electionis, jure senatus seu parliamenti Anglicani, necnon jure pontificio atque suo, ad Henricum regem septimum ejusque haeredes in perpetuum spectare debere pronunciavit. Quid jam amplius his juribus a papa addi potuit? Solum jus divinum omisit: cujus etsi ipse expers fuit; tamen illae coelitus nobis datae nuptiae carere non potuerunt. Archiepiscopus autem primo suae translationis anno synodum Londini celebravit. In hac synodo, quia rex Franciscum Lovellum cum Humfredo Stafford, qui ad Colcestrense asylum profugerant, eoque ad novos populi tumultus concitandos exiissent, aliosque rebelles in acie prostravit, & conspirantium duces capite punivit, omnesque motus sedavit, impetravit a clero decimam. Verum eodem tempore Willielmus quidam Simondus humili quidem sorte ac conditione, verum non indoctus nec doli fraudisque ignarus presbyter, puerum venusta facie & versuto ingenio Lambertum Simenellum literis instituit Oxonii: Cui simul atque divulgatum esset Edwardum ducis Clarentiae filium, a rege novos populi motus formidante in Turri Londinensi servatum, jam neci traditum esse; illico mutat nomen eumque Edwardum appellat, & cum eo protinus in Hiberniam trajecit. Ibi narrat se servasse Edwardum ducis Clarentiae filium & a mortis periculo eripuisse: Ac Hibernenses pueri specie & similitudine decepti facile veniunt in ejus fidem; & tam Anglos, quam Margaretam ducissam Burgundiae, sororem ducis Clarentiae, solicitant, ut hunc puerum auxilio militari juvent & in regno ponant. Ex hoc audaci sacrificuli & pueri facinore magna strages edita est; sed Henricus rex Marte superior evasit, & fusis adversariis puerum ejusque praeceptorem improbum in praelio cepit;

Arch. An. 1486.

illum rei culinariae addixit, hunc, quia presbyter fuit, Archiepiscopo misit: Qui durante superiori synodo eum suis carceribus mandavit; statimque ob multitudinem clericorum delinquentium, qui vix suis carceribus contineri poterant, coram Majore & senioribus Londini civibus eduxit. Is fassus est se oppidani cujusdam Oxoniensis filium Lambertum Simenellum a patre abductum finxisse & mutasse in personam Edwardi ducis Clarentiae filii; eoque commento Hibernenses & Anglos concitasse ad eum motum, qui nuper tam funestus fuit: [An. 1487. Arch.] Post quam confessionem tanquam laesae majestatis & tanti homicidii ac christiani effusi sanguinis reus clericali ordine privatus, Majori & vicecomitibus London traditus est. Deinde in eadem synodo eductus est ex Turri Londinensi Edwardus puer ducis Clarentini filius haerilis; quem in synodo omnibus ostensum Archiepiscopus secum Lametham duxit. Multi, ad quos superioris conjurationis crimen pertinebat, ipsi sibi conscii asyla seu sanctuaria petebant; sed bulla Innocentii papae id privilegium ademptum est his, qui ex locis sanctis ad perpetranda hujusmodi scelera exirent, ad eaque redirent. Inter hos Humfredus Stafford aliique, qui cum eo ante ad asylum, ut diximus, Colcestrense confugissent, & post hanc pugnam asyla repetebant, inde extracti poenas luerunt sanguine. [De hac bulla vide Regist. Morton f. 6.] Lataque ex illa papali bulla lex est; ut asylis inscripti, si homicidia, furta, incendia, sacrilegia, depopulationes agrorum, regni aut regis proditiones postea commiserint, inde ejecti vi laica ducantur ad supplicia. In hac synodo coerciti sunt acribus minis inepti quidam praedicatores; qui in concionibus populum praesentem & auditores nihil docent; sed cum plausu populari, eloquentia canina, latrant immodestius in Episcopos absentes. Tum Londinensis clerus increpatus est, quod vestibus molliter lasciviret, & in cauponis frequentius perpotaret. His gestis dimissa synodus est: Ac sub initio proximi anni iterum inchoata. [An. 1488. Arch.] In hac synodo Oxoniensis atque Derbiensis comites, contra Gallorum paratam ad bellum potentiam, juvandum clericorum bonis regem suaserunt. Itaque synodus concessit regi subsidium viginti quinque millium librarum binis solutionibus eodem anno solvendum. Et, si bellum illud biennio duraret, alterum pari aestimatione subsidium decrevit; ea lege, ut ea concessio ad consequentiam non traheretur nec exemplo suo deinceps clero praejudicaret. Ipsi etiam Archiepiscopo a tota provincia haud modicum auxilium tributum est: Accepit enim subsidia duo; in quorum utroque curati, si quadraginta solidorum salario conducti essent, tres solidos quatuor denarios; si septem marcarum, sex solidos octo denarios; si decem marcarum, decem solidos; si duodecim, tredecim solidos & quatuor denarios; si decem librarum, sexdecim solidos & quatuor denarios: Eademque deinceps portione, si majora salaria capiant, solverunt. Ac similis pene ratio in ecclesiis parochialibus, cantariis, hospitalibus, liberisque capellis habita est. Hujus archiepiscopalis subsidii prima solutio in sola Cantuariensi dioecesi ad summam trecentarum quinquaginta quatuor librarum excrevit.

Hoc anno Innocentius papa, rebus omnibus in Anglia sedatis & victis confoederatis, terribilem bullam excommunicationes in rebelles tonantem ad Henricum septimum misit; quam Archiepiscopus in tota sua provincia denunciavit. [An. 1489. Arch.] Idemque papa anno sequenti in bullis emittendis frequentior fuit. Nam, cum apertis postulationibus obtinere ne quicquam amplius in Anglia potuisset, occultas quasdam acquirendi rationes sibi incundas putavit. Itaque insolita quadam & admirabili bulla Johanni de Giliis suo,

ſuo, ut in Thoma Bourchier antea diximus, in Angliam quaeſtori pleniſſimam & ſingularem authoritatem dedit; uſuram, ſimoniam, furta, homicidia, ſpolia, rapinas, adulteria, fornicationes, & crimina quaecunque perpetrata, praeter cleri percuſſiones, & in Romanum pontificem conjurationes, ac certos quoſdam ſuae ſoli poteſtati caſus reſervatos, a reorum conſcientiis remittendi atque diſſolvendi: Praeterea indulgendi atque diſpenſandi, & tam bona aliena, quam ea, quae fraude quacunque acquiruntur, ſalva conſcientia retinendi; "SOLUTA ALIQUA EORUNDEM PARTE PAPAE "COMMISSARIIS, ſeu eorum vices gerentibus." Omnes denique excommunicandi, qui huic bullae obſtarent; qui vero juvarent, ſedi Romanae pro ſuis meritis commendandi. Hanc bullam Archiepiſcopus retento originali tranſcripſit, & ad ſingulos provinciae ſuae Suffraganeos miſit: Quem Innocentius papa tanquam bene de ſe meritum Antiſtitem aliis bullis reformatorem & viſitatorem monaſteriorum & locorum quorumcunque, ab archiepiſcopali & ordinaria juriſdictione privilegiorum antiquorum praeſidio tutorum ſeu exemptorum, ordinavit. Eodem anno, Roffenſi ponte rupto & ad interitum ruinamque labente, omnibus ſuis provincialibus, qui aliquid ei reparando legaſſent aut donaſſent, quorumcunque ſcelerum quadraginta continuis diebus commiſſorum poenam purgatoriam remiſit. Et proximo anno ſimilem indulgentiam divulgavit his, qui collegium fraternitatis a Richardo Whittington extructum & a ſe confirmatum ope aut opera quacunque juvarent. Eodem deinde anno, qui fuit ſuae tranſlationis quintus, dioeceſim Lichfeldenſem & Coventrenſem, Johanne Halſe Epiſcopo ibidem mortuo, viſitavit. Viſitavit deinde ordine iſtas dioeceſes, Epiſcopis earum aut mortuis, aut ad alias eccleſias deductis, Bathonienſem & Wellenſem, Wintonienſem, Lincolnienſem, Exonienſem, Richardo Fox ad Bathonienſem & Wellenſem, nec non Coventrenſem & Lichfeldenſem, Willielmo Epiſcopo ad Lincolnienſem ſedem poſtulatis vel electis; bis Roffenſem, Wigornienſem, & Sariſburienſem.

De hac bulla vide reg. Morton fol. 18. pag. 2.

Verba bullae.

An. 1490. Arch.

ANNO autem tranſlationis ſuae octavo ab Alexandro ſexto papa hic Archiepiſcopus cardinalis, titulo ſanctae Anaſtaſiae, creatus eſt. Quo anno Henricus rex ſeptimus non minus pietate in principem integerrimum Henricum regem ſextum, quam inanis ſuperſtitionis zelo, ductus optavit eum ab Alexandro papa inter Sanctos referri. Papa, ut hoc negotium curioſe tractaret, tam ordinem atque modum quam ſumptus, Sanctos in ſuum Kalendarium ſeu catalogum inſcribendi, primo accurate deſcripſit. Ac primo hoc ſanctificandi tanquam privilegium ſuae ſolius authoritatis atque poteſtatis eſſe quinque rationibus probat.

An. 1494.

I. QUIA cum ſanctis adjungi Deo maximum eſt hominis chriſtiani beneficium, maximaque cauſa, quae inter mortales poſſit proponi; itaque, cum graviores omnes cauſae ad papam referantur, hanc ejus praecipuam eſſe debere.

II. QUIA Sancti miraculis declarantur; miracula autem a fide proveniunt: omnes autem fidei controverſias a ſolo papa decidi.

III. QUIA ſolius papae eſt declarare dubia ſcripturarum; multo igitur magis declarare dubia Sanctitatis.

IV. NE, ſi id cuilibet Epiſcopo permittatur, & plerique Epiſcoporum indocti ſint & ſimplices, populus credulus decipiatur.

V. NE numerus Sanctorum in infinitum creſcat, niſi papa modum ſtatuat; eaque ratione frigeat devotio, & Sanctitas vilipendatur.

HIS argutiis cum canonizationem, ut appellat, Sanctorum in ſua ſola poteſtate reſtare vult evincere; proximo loco, quae ad ſuam Sanctificationem requi-

De hac canonizatione vide Regiſt. Morton, fol. 202.

requirantur, ostendit: Quae duo esse debent; vitae sanctitas & miracula: nam nec vita integrum nisi edat miracula, nec miraculis clarum sine vita pura, inter Sanctos canonizandum ac ab hominibus reputandum ait. Itaque utrumque horum testibus probandum, antequam quis inter Sanctos habeatur. Longum esset enarrare singula, nisi historiam, in qua brevitati studemus, multis paginis non necessariis compleremus. Sumptus autem, qui cantoribus, campanariis, choristis, parafrenariis ecclesiae sancti Petri, nec non commissariis, notariis, ac papae servientibus cubiculariis, ferrariis, ac hujusmodi turbae in peragendis Romae canonizationis ritibus fere attingunt summam mille atque quingentorum aureorum ducatorum. Quae feoda etiam augeri ad extremum addit papa, SECUNDUM CANONIZATI POTENTIAM. Cum itaque tam Henricus sextus canonizandus, quam Henricus septimus qui officio quodam caeco ductus canonizationem voluit impetrare, utrique reges fuerint; existimare jure possumus regem, non papam, magnitudine sumptus huic canonizationis negotio supersedisse. Inceptum enim fuisse constat ex bulla Alexandri sexti papae missa ad Johannem Morton Cantuariensem Archiepiscopum, & Richardum Fox Episcopum Dunelmensem; quae in loco registri memorato extat. Rex igitur contentus hoc solo fuit; ut cadaver ejus regium, quod Richardus tyrannus, non religione, aut inhumati honore, sed fratris sui Edwardi regis quarti, cujus regnum proditorie caesis haeredibus vi ac dolo occupaverat, invidia atque calumnia, a Certeseiensi coenobio ad arcem Windesorinam transtulerat, more solenni regio inde exhumatum, ad Westmonasterii coenobium duceretur & humaretur. Quod etsi sine authoritate pontificia facere potuisset; tamen rex ad papam indignis modis supplicare coactus est.

Vide Regist. Morton, in fol 200. ad finem.

INCIDIT autem hoc anno inter Archiepiscopum & Londinensem Episcopum gravis quaedam de jurisdictione controversia. Ac lis prope eadem est, quae inter Gulielmum Courteney Archipraesulem & Exoniensem Episcopum quondam, ut diximus, intercessit; sed ad suae Praerogativae curiae propugnationem specialius propiusque accedit. Richardus quidam Blodwel Londinensis Episcopi commissarius executores testamentorum Richardi Simpson & Johannis Erick civium Londinensium ad exhibenda eadem testamenta & actis coram se insinuanda citavit. Eosdem rursus Archiepiscopus, quia testatorum bona pluribus dioecesibus divisa erant, a Londinensis Episcopi jurisdictione vendicavit & ad suum tribunal vocavit. Itaque hi executores ab eo commissario excommunicati, & ab Archiepiscopo absoluti, sunt. Londinensis Episcopus ad papam provocavit, & lis Romae de hac praerogativa Cantuariensis sedis instituta est. Commissa fuit ab Alexandro papa haec causa Petro de Accoltis, juris utriusque doctori & auditori causarum in Romana curia. Magna hujus judicii per totam provinciam Cantuariensem expectatio Suffraganeorum animos, qui Londinensi Episcopo adhaeserunt, diu tenuit suspensos: Sed Archiepiscopus non modo primaeva Cantuariensis sedis praerogativa, sed ipsa consuetudine & temporis diuturnitate ex propriis archivis atque tabulariis evicit causam. Postea Alexander papa tam hanc de testamentis insinuandis bonaque intestatorum administrandi commissionibus praerogativam, quam vacantibus episcopalibus ecclesiis jurisdictionem, Archiepiscopo, nec non ecclesiae metropoliticae Cantuariensi, ad aeternam concordiam omnesque de jurisdictione lites & altercationes in perpetuum tollendas, quatuor bullis confirmavit. Dum haec controversia Romae agitaretur, multi provinciales ab inferioribus praelatis, quia suam jurisdictionem in incerto versari



Johannis Morton.

verſari diſcrimine cernebant, incitati varias in Archiepiſcopum calumnias in vulgus ſparſerunt; contra quos Alexander papa bullam excommunicationes crudeliter fulminantem edixit. Atque hoc modo eccleſiae Cantuarienſis jura ſaepe in dubium atque controverſiam vocata, tandem ſub hoc Archiepiſcopo firmata & ſtabilita ſunt. Papa vero Alexander, qui, ut paulo ante diximus, Johannem quendam de Giliis cum retinendi, remittendi & indulgendi poteſtate quaeſtorem atque corraſorem pecuniarum in Anglia conſtituit, aut inſatiabilis fuit, aut profuſus celeriter egere coepit, aut quod eſt veriſimilius, ab Anglis toties papali fraude expilatis nihil percepit. Itaque Robertum Caſtellenſem notarium ſuum cum novis mandatis atque ſimili poteſtate miſit in Angliam; ut a ſingulis curatis aureum Anglicum exigeret; Praelatorum autem erga papam benignitatem non flagitaret: ſed permulſis eorum animis, aequis precibus impetraret: Quo anno Anſelmum Cantuarienſem quondam Archiepiſcopum, Johanne Morton magnis id ſumptibus procurante, canone ſuo inter Sanctos retulit. Johannes Morton, poſtquam Cantuarienſem provinciam tredecim annis rexiſſet, obiit. Delubrum ipſe vivus ſumptuoſum in eccleſia Cantuarienſi in ſubterraneo crypto extruxit; in quo humatus eſt.


[Margin: Arch.] [Margin: An. 1500.]

Vir fuit prudens, facundus atque gravis; qualem Henricus ſeptimus vitae ſocium morumque quaſi magiſtrum plerumque penes ſe habuit. Tulit, ut diximus, ſub Richardo tyranno vitae diſcrimina, exilium atque carceres: At tribus regibus Henrico ſexto, Edwardo quarto, & Henrico ſeptimo, probata integerrimi prudentiſſimique patris fides nunquam in dubium venit. In condendis & reparandis pleriſque aedibus & Archiepiſcopatus ac eccleſiae ſuae aedificiis magnificentiam, in pauperibus crebris eleemoſynis refocillandis, indigentium liberis in literis ſtudiiſque alendis, notis atque familiaribus promovendis, propinquis & conſanguineis, quibus opimas & honorarias haereditates acquiſivit, ditandis, pietatem, liberalitatem & munificentiam ſummam declaravit; ut in teſtamento ſuo fuſius apparet. Prima inter hunc & Richardum Fox poſtea Wintonienſem familiaritas in exilio conflata eſt; quos prudentiae, integritatis morumque piorum ſimilitudo in fide atque amicitia tota reliqua vita deinceps ſemper retinuit. In teſtamento omnia pene ad pias cauſas reliquit: Regi portiforium, reginae pſalterium, dominae Margaretae filiae regis primogenitae, quam "filiolam", quia ejus in baptiſmo compater fuit, appellat, cyphum aureum & quadraginta libras, eccleſiae Elienſi mitram & crucem archiepiſcopalem: Caeteris ſuis neceſſariis admodum parce legavit; quia ejus liberalitatem in vivis uberrime ſenſerant. Supellectilem diviſit inter famulos. Haeredes ſeu executores ſuos, ut Oxonii viginti, Cantebrigiae decem ſcholares, viginti annis continuis in literarum ſtudiis exhiberent, jurejurando aſtrinxit. Eo vero mortuo Cantuarienſes monachi regis impetrata licentia Thomam Langton Wintonienſem Epiſcopum ad Cantuarienſem ſedem poſtularunt: Verum is peſte, quae eo anno triginta hominum millia in Anglia conſumpſerat una cum Thoma Rotheram Eboracenſi Archiepiſcopo, antequam accepit a papa confirmationem, e vivis ſublatus eſt. Poſt quorum obitus Richardus Fox Wintonienſem, & Thomas Savage Londinenſis Epiſcopus Eboracenſem, eccleſiam occupavere. Londinenſis autem Epiſcopatus Gulielmo Warham legum doctori delatus eſt.

[Margin: An. 1500. Arch.]

Ab An. Chr. MDI. | Ad An. Chr. MDII.

LXVI. Henricus Dene.





Enrici regis ſeptimi tempora multis inteſtinis conjurationibus turbata ſunt. Ex his una eaque ultima reliquas omnes, quas rex, etſi ſummum pene diſcrimen adferebant, prudenter compeſcuit, dolis & fortunae varietate ſuperabat. Obſcuro quidam ortu Petrus Varbechus, juvenis liberali forma & ingenio ad tractandos dolos apprime compoſito, Richardus Edwardi quarti regis ſecundus filius falſo creditus eſt. Hoc commentum indelebili odio muliebri fabricatum eſt; nempe Margaretae Edwardi regis quarti ſororis, & uxoris Caroli Burgundiae ducis: Quae omnes exquiſivit rationes, quibus Henrico ſummum pararet exitium. Eadem, ut in Johanne Morton antea diximus, Lambertum Simonellum ducis Clarentini filium ſimili mendacio fictum in regno ambiendo juvit. Itaque huic Petro, qui ſe Richardum Eboracenſem ducem appellavit, adhaeſerunt hi, qui ex rerum novitate & perturbatione reipublicae praemia ſperabant. Nonnulli etiam viri clari atque nobiles ea charitate & benevolentia, qua Edwardi quarti progeniem, aut odio, quo Henricum Septimum proſequuti ſunt, ſpecie veri facile decepti, ejus partes ſequuntur. Sed rex olfacta celeriter & explorata conjuratione, vim omnem tanti incendii extinxit, & tam exitioſam ac, ut putabatur, inextricabilem a domina Margareta contextam telam diſcidit. De ducibus permultis capitis ſupplicium ſumpſit. Petrus autem ex Hibernia fugatus in Scotiam, affinitatem ex nuptiis cum Scotorum rege contraxit; deinde a rege Gallorum accerſitus ejuſque promiſſis animatus tentavit adventum in Angliam; ac a Cantiis repulſus ad Cornubienſes, quos ob tributum exactum in regem tum concitatos noverat, properat. Tandem militibus ſuis caeſis & profligatis in Beauleienſi coenobio, quod prope Southamptonam jacet, ſacra loca petit: Sed ad extremum regi deditus laqueo ſuſpenſus eſt. Multis prolixe verbis haec conjuratio, quae octo pene annis duravit, ab his, qui res regias in hiſtoriis tractant, explicatur. Nobis autem eam breviter commemorare neceſſe fuit, quod rex Henricus, cum hujus conſpirationis recens jacta ſemina in Hibernia, ubi radices agebant, mature vellet extirpare; hunc, de quo nunc agendum eſt, Archipraeſulem, tunc monachum & Lanthonienſis coenobii praefectum, virum bonae frugi & officii plenum Hiberniae cancellarium deſignavit: Qui cum Edwardo Poyningo inſulae tum praefecto Petrum ex humaniori cultiorique inſulae ditione cum ſylveſtribus Hibernenſibus in paludes atque nemora locaque inacceſſa compulit; & reliquam citius inſulam ad officium fidemque reduxit. In hoc munere ſolerter exequendo Bangorenſis in Wallia Epiſcopus propter loci vicinitatem

tem

tem absens creatus est. Ac eum quidem Episcopatum, cujus jura a vicinis potentioribus incolis, Episcopis plerumque absentibus, convulsa & usucapione pene ad alienos dominos translata sunt, recuperandis illis amissis prope juribus, restituit. Solebant enim Angliae reges hunc Episcopatum tam exiguum atque tenuem, propter ejus exilitatem, in abbatem aliquem locupletem alterius dioecesis conferre: Itaque, cum sui commodi & pinguioris fortunae causa a Bangorensi Episcopatu abesse, & in abbatiae otio atque fructu delitescere soleret; & Episcopatum, in quo vix aut ne vix quidem unquam resideret, negligeret; ex generosis Wallis vicinis quisque paulatim coepit aliquid ejus Episcopatus proprium sibi vendicare. Quod sane novum non est in Anglia: Videmus enim, quanta semper cupiditate atque ferocia, cum supini atque desides sint Episcopi, laici in eorum jura praediaque incurrant. Itaque hujus Bangorensis Episcopatus rebus inter vicinos, ignaris Episcopis, qui vices saepe suas ipsis praedonibus commiserunt, distractis perexigua sane pars huic Episcopo Henrico residua fuit. Verum is non minus prudenter atque sedulo exploravit de his juribus atque praediis, quae sui Episcopatus antiquitus erant propria; tum qua ambitione & injuria eadem invasissent hi, a quibus occupabantur; quam animi magnitudine & constantia summa, deturbatis & ejectis illis malae fidei possessoribus, omnia pene clam avulsa jura recuperavit. Ac plebeii quidem Episcopum adjuverunt: sive quod inconstans atque mobile vulgus novos indies optat dominos, & rerum dominia crebro huc illuc transferri cupiat; sive quod episcopalium praediorum ablationem summum tum sacrilegium putavit. Est ad septentrionem insulae Monae, quam Anglesеiam jam nuncupant, inter promontoria Corneti, ejusque quod Caput Sanctum dicitur, interposita insula, quam veteri Britannico vocabulo **Ynys**, sive **Moyl, Rhoniad**, i. e. phocarum seu alitum insulam vocant; quia ea marina animalia magno ibidem numero verno & autumnali tempore singulis annis capiantur. Hanc insulam antiquitus fuisse Bangorensis Episcopatus, & ab injustis occupatoribus retentam ac possessam, Henricus jam Episcopus accepit. Itaque, cum & jure concedere possessionem avitam suae ecclesiae nollent incolae, sed vi resistebant, eos classe ac militibus aggressus, recuperavit insulam & Bangorensi sedi restituit. Praeterea in palatio & ecclesia reparandis, quae diu ante Henrico rege quarto regnante ab Oweno Glendour rebelle incendio vastatae fuerunt, sumptus multos fecit. Et ab hoc Episcopatu ad Sarisburiensem deductus, reliquit tamen discedens suo successori Pigoto mitram atque baculum pastorale; ea lege, ut in ecclesiae Bangorensis a se incepta reparatione pergeret: Quod quidem ab eo factum est. At Henricus Henrico regi septimo prudentia animique magnitudine notus, in Sarisburiensi ecclesia haud diu sedit; verum Johanne Morton mortuo ad Cantuariensem Archiepiscopatum elatus est. Eo anno Alexander papa annum Jubilaeum Romae celebravit; quo coeli portas omnibus christianis regnum Dei ingressuris a se referatas & patefactas edicit. Id omnibus christianis gentibus, legatis a papa undique missis, nunciatum est: Si Romam eo anno jubilatum veniant, accepturos singulos peccatorum veniam. At vero ne his, qui aut valetudine, aut gravioribus negotiis impediti, tam longinqui itineris molestiam commode subire non poterant, tam benignus atque JUBILANS pater non prospexisse videretur; fecit omnibus potestatem vota aut hanc curiosam profectionem pecunia redimendi: atque his, qui id

An. 1501. Arch.

Ab An. Chr. MDI. | Ad An. Chr. MDII.

id fecerint, infernalia delictorum ſupplicia, perinde ac ſi Romam acceſſiſſent, remiſit. Tum, ut ad ſolvendum acrius urgeret: ſuſcipiendum illico in Turcam atrox bellum, ſeque cum exercitu id ſtrenue geſturum praedicat. Quo tam feliciter, in anno Jubilaeo ſeque praeſertim duce ac imperatore, auſpicato non poſſe non chriſtianis gentibus victoriam, & exitium Turcis, evenire ſuadet. At, ne rex tantae fraudi obſtaret, permiſit ei papa ſuae praedae partem. Hoc papae negotium in Anglia procuravit Gaſpar quidam Pows Hiſpanus, vir doctus atque elegans; cujus in rebus agendis ſolertiam expertus papa, mandare ei tuto poterat, ea, quae recte curari voluit. Is paucis menſibus ingentem conflavit in Anglia pecuniam. Quam ſimul atque hic, magnanimus ſcilicet imperator, Alexander papa accepiſſet; abſtinuit a bello, & reliquo vitae tempore more papali indulſit laetus & locupletatus genio. Atque hic quidem annus Jubilaeus omnium papalium exactionum atque expilationum Anglis toties, ut ex anteacta hiſtoria patet, vexatis tandem finem attulit. Modica quaedam ex fumis vectigalia ſibi adhuc reliqua fuere: Dignum ſane ſuis mercibus pretium; ut, quia tot ſaeculis fumum vendidit Romana curia, alatur ipſa interim fumo, tandemque aeterno gehennae incendio flagret.

Arch.

EXPLETO autem hoc Jubilaeo Alexander papa pallium, Archiepiſcopatus videlicet inſigne, per Adrianum quendam Caſtellenſem ſuum ſecretarium miſit: Quod Lichefeldenſis atque Coventrenſis Epiſcopus, qui authoritatem ad id a papa accepiſſet, Archiepiſcopo Lamethae his conceptis verbis tradidit.

"AD honorem Dei omnipotentis, & beatae Mariae virginis, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, & domini noſtri Alexandri papae ſexti, & ſanctae Romanae eccleſiae, nec non & Cantuarienſis eccleſiae tibi commiſſae, tradimus pallium de corpore beati Petri ſumptum, plenitudinis videlicet pontificalis officii; ut utaris eo infra eccleſiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis ei ab Apoſtolica ſede conceſſis." Et mox accepto pallio Archiepiſcopus papae hoc praeſtitit juramentum.

Juramentum Arch. Cant. papae praeſtitum.

"EGO Henricus Archiepiſcopus Cantuarienſis ab hac hora, in antea, fidelis & obediens ero beato Petro ſanctaeque apoſtolicae Romanae eccleſiae, & domino meo domino Alexandro papae ſexto ſuiſque ſucceſſoribus canonice intrantibus. Non ero in conſilio aut conſenſu, vel facto, ut vitam perdant vel membrum, ſeu capiantur mala captione. Conſilium vero, quod mihi credituri ſunt per ſe, aut nuncios, aut eorum damnum me ſciente nemini pandam. Papatum Romanum & regalia ſancti Petri adjutor eis ero ad retinendum & defendendum, ſalvo meo ordine contra omnem hominem. Legatum ſedis apoſtolicae in eundo & redeundo honorifice tractabo, & in ſuis neceſſitatibus adjuvabo: Vocatus ad ſynodum veniam, niſi praepeditus fuero canonica praepeditione. Apoſtolorum limina Romana curia exiſtente citra Alpes ſingulis annis, ultra vero montes ſingulis bienniis, viſitabo, aut per me, aut per meum nuncium; niſi apoſtolica abſolvar licentia. Poſſeſſiones vero ad menſam mei Archiepiſcopatus pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeodabo, vel aliquo modo alienabo, inconſulto Romano pontifice: Sicut me Deus adjuvet & haec ſancta Dei evangelia."

HOC


Ab An. Chr. MDI.

Hoc juramentum a ſingulis Epiſcopis papae praeſtari conſuevit; ex quo perſpicere poſſumus, eos, qui tanta religione papam coluerint, regi, ſi contra papam quicquam egiſſet, haud fidos eſſe potuiſſe. Ad An. Chr. MDII.

An. 1502.

Nihil autem praeter illum annum Jubilaeum Henrico Deneo Cantuariae ſedente memorabile intervenit. Qui, cum duobus annis ſediſſet, decimo quinto Februarii obiit Lamethae. Inde cadaver ejus per Thameſim fluvium a triginta tribus nautis nigro panno veſtitis Feverſhamiam in cymbâ funebri more ornata cum cereis accenſis ductum eſt. Quo etiam iidem nautae idem cadaver ſimili funebri ritu in feretro Cantuariam duxerunt. Sepeliri ſe per eum locum, ubi Thomas Becket trucidatus eſt, in teſtamento juſſit. Cantuarienſi eccleſiae legavit imaginem Johannis Evangeliſtae argenteam, centum quinquaginta unius unciarum ponderis. Funeralibus item ſumptibus quingentas libras deſtinavit: Ideo funus ejus magnifice ac ſumptuoſe peractum eſt. In eo funere exequendo Thomas Wolſeius, qui capellanus tum ejus fuit, cum Richardo Gardiner altero capellano, ab executoribus teſtamenti hujus Archiepiſcopi impendendis funerariis ſumptibus praefectus eſt. De hoc Thoma Wolſeio, qui Henrico rege octavo poſtea regnante cardinalis & Archiepiſcopus Eboracenſis fuit, plura deinceps dicenda ſunt.






Ab An. Chr. MDIII.

LXVII. Gulielmus Warham.

Ad An. Chr. MDXXXII.





ACTENUS, quibus artibus atque dolis Anglicana eccleſia a Romanis pontificibus nongentis amplius annis tractata ſit, commemoravimus: Nunc ad perſpicua magis atque clara tempora, in quibus fulgore Evangelii pontificiae tenebrae profligatae fuerunt, earumque tota vis ac potentia fracta penitus atque concuſſa concidit, appropinquamus. In quo ſane admirabile eſt in vindicanda atque proſternenda Romana ſuperbia occultum conſilium Dei; ut, cum tanta temporis diuturnitate vires acquiſitas omni humana ope ac prudentia ita firmaſſet, ut nulla pene vi debilitari aut proſterni poſſe putaretur, in ſummum tum exitium interitumque rueret, & tantorum flagitiorum perennes poenas daret. Hanc divinam vindictam hypocriſis, fraudes, expilationes, rapinae, libidines & nefandae foeditates, regum & regnorum proditiones, falſitates, perjuria, faſtus ac elatio, diraeque martyrum ſtrages diu popoſcerunt. Ac Romanum quidem imperium, quod cruentum & omnium pene gentium ſanguine madidum fuit, caedem & crudelitatem a lupae nutricis Romuli regis uberibus ſuxit, & mox interfecto Remo caementum ad condenda moenia fraterno ſanguine permiſcuit; juxta illud Lucani:

Fraterno primum maduerunt ſanguine muri.

Idem ab his funeſtis auguriis progreſſum, caedibus indies auctum fuit; donec non alio magis morbo quam magnitudine laborans ſua, cum omnes pene gentes ſua ditione teneret, & non minus re militari, quam literis & eloquentia optimiſque legibus & inſtitutis floreret, & clariſſimis ducibus, oratoribus, ac prudentibus firmiſſime ſtare putaretur, civilibus tandem bellis in ſe motum & converſum de ſuis civibus tantarum caedium ſumpſit ſupplicium; ac totius orbis, totque annis retentum ac tot cladibus acquiſitum, belloque captum dominium amiſit. Verum non eadem eccleſiae ratio fuit, quae imperii Romani: Hoc enim caede atque vi ſemper ſibi ſimile conſtabat. At illa, prima ſua inſtitutione, ad Evangelii amuſſim ſancta & ſimplex, Deo devota atque conſecrata, crebris martyriis caſtigata, vitaeque integritate & puritate ipſa nive candidior atque ſole illuſtrior, fuit. Itaque poſt longaevas perſecutiones recepta a regibus & imperatoribus Romanis fide chriſtiana, tanquam ſpecimen & idea viſibilis eccleſiae, omnibus Romani orbis gentibus exhibita & oſtenſa eſt, & in magno a caeteris eccleſiis honore habita atque culta; donec religionis atque ſanctitatis vero exemplo depoſito dominationem & imperandi pote-

poteſtatem ſibi vendicavit, partamque vera religione gloriam in hypocriſin ac ſuperſtitionem commutavit. Deinde priſtinae & inverſae vitae commonita in fideles ita ſaevit; ut nulla non modo imperatorum Romanorum, ſed ne tyrannorum Siciliae, immanitas unquam tanta fuit, quae potuiſſet cum papali feritate crudelitateque contendere. Nam ex hac dominandi cupiditate, obſequentibus etiam flagitioſiſſimis omnium ſcelerum impunitas, reſiſtentibus vero maxime piis extrema atque ſumma pernicies, propoſita fuit. Hinc tantae ſimultates tantaque perjuria ingenuitatem Chriſtianam invaſerunt; ut nec invicem haberi amplius fides, nec ullius ſalus ab inſidiis tuta eſſe poſſit. Et ſane peropportuna atque commoda eſt ea comparatio, qua fideles Romanam eccleſiam deſignant, & meretrici ſimilem oſtendunt: Nam primo virgines pulchritudine atque venuſtate praeditae, tum caſtae & ab omni libidinis ſenſu alienae, amorem & benevolentiam non minus corporis quam virtutis ſpecie colligunt: ſin ad luxum & libidinem ſint proclives, incendunt amore ſuo fatuos, & ſingulorum libidini muneribus proſtitutae, ſimul atque forma cum aetate tranſierit, vetulae aut maleficia & lenocinia exercent, aut deſpectae inſaniunt. Sic Romana eccleſia ſpecioſa primo atque integra floruit; deinde ſpecie ſua ſuperba & delectata, cum frontem impudenter extuliſſet; amore cepit inſanos, atque pretio ſe venundari paſſa eſt. Ad extremum, cum tot commaculata ſordibus amore putido foeteret, & contempta jam eſſet atque ſpreta, in ſaevitiam tanquam in rabiem converſa nullum genus maleficii aut crudelitatis praetermittit. De cujus lupanaris exitio quia nunc dicendum eſt, ad hiſtoriam revertamur.

GULIELMUS Warhamus in Southamptonienſi comitatu generoſa ſtirpe natus eſt, literiſque puer inſtitutus in collegio ab Willielmo Wickhamo Wintonienſi, ut diximus, Epiſcopo prope Wintonienſem civitatem extructo: deinde ad alterum ejuſdem Wickhami collegium Oxonium deductus incubuit adoleſcens juri civili; cujus peritiam aſſecutus, legum doctor & cauſis in arcuata curia tractandis Johanne Mortono Archiepiſcopo advocatus fuit. Juri autem civili cum eloquentiam & humaniores artes adjunxiſſet; a rege Henrico ſeptimo ad ſummam cancellariae curiam vocatus, & cuſtos Archivorum ſeu Rotulorum conſtitutus eſt. Idem tum cum Lincolnienſi & Roffenſi Epiſcopis aliiſque doctorum eodem gradu Cantebrigiae donari impetrabant, quo Oxoniis affecti ſunt. Cumque Edwardi quarti progenies in perſona Petri Varbechi, ut diximus, a domina Margareta Burgundiae duciſſa eſſet ſimulata; hic Warhamus, tum Rotulorum cuſtos, ad Philippum Burgundiae ducem ab Henrico rege ſeptimo in legatione miſſus eſt: in qua prudenter atque facunde perſuaſit, ut fictis ac compoſitis a domina Margareta mendaciis dux fidem non haberet, nec ſtructis ac meditatis in Henricum regem inſidiis opem ferret. Paulo poſt ab hac legatione reverſus, tranſlato, ut diximus, Eboracum Thoma Savage Londinenſi Epiſcopo, ipſe Epiſcopus ibidem electus & conſecratus eſt. In ea eccleſia duobus vix annis ſedit, cum Henricus Deneus Cantuarienſis Archiepiſcopus, de quo antea diximus, obiit; in cujus locum procurante rege Warhamus ſucceſſit. Qui confirmationem, pallium at- An. 1503.
que legatinam poteſtatem a Julio papa ea multitudine bullarum accepit, Arch.
qua priores, ut diximus, Archiepiſcopi accipere ſoliti ſunt.

AT

An. 1504. Arch.

AT vero in inthronizatione, quam Cantuariae celebravit nono die Martii, qui eo anno in quadrageſima fuit, regalem pene pompam & magnificentiam edidit. Venit enim pridie Cantuariam, ut omnia ſolenniter praepararet, Edwardus inclytus Buckinghamiae dux centum & quadraginta equitibus ſtipatus, idemque Archiepiſcopi ſeneſchallus & pincerna: Ac pincernae munus delegavit in eo feſto Thomae Bourchier militi. Ipſe autem ſeneſchallus omnia munera locaque perluſtravit; ne quid inthronizationis magnificentiae poſtridie deeſſet. Sequenti die, qui dominicus fuit, cum toto famulatu obvius fit Archiepiſcopo Cantuariae civitatem ingreſſuro, eique ſe humiliter ad ſancti Andreae templum inclinavit. Tum Archiepiſcopum pedibus nudum, ut mos erat, inſequentem ad prioratum ſancti Thomae praeceſſit: Ubi a priore & conventu honorifice recepti ſunt, ac Archiepiſcopus miſſam ex more celebravit. Ea peracta ingreſſus eſt duce praecedente palatium, recepitque ſe primum in cameram interiorem. Inde paulo poſt in magnam aulam publice pranſurus prodiit. Ibi edita ſunt inter epulas in ſingulis patinis haec ſpectacula. Quia, ut diximus, hic Archiepiſcopus ex Oxonienſi Academia profectus eſt, cancellarius Oxonienſis, bedellis ſuis praecedentibus, cum toto ſcholarium Oxonienſium coetu regi cum proceribus in parliamento ſedentibus fingitur Gulielmum Warhamum his carminibus exhibere:

Deditus a teneris ſtudiis hic noſter alumnus
Morum & doctrinae, tantum profecit, ut Aulam
Illuſtrare tuam, curare negotia regni,
Rex Henrice, tui poſſit honorifice.

His totidem a rege carminibus reſponſum eſt:

Tales eſſe decet, quibus uti ſacra majeſtas
Regni in tutando debeat imperio.
Quare ſuſcipiam, quem commendaſtis alumnum,
Digna daturus ei praemia pro meritis.

Deinde rex eum ſanctae Mariae Rotulorum his verſibus commendat:

Eſt locus egregius, tibi, Virgo ſacrata, dicatur,
Publica ſervari quo monumenta ſolent.
Hic primo hunc ſi Tu dignabere, dignor, honore,
Commendo fidei ſcrinia ſacra ſuae.

In tertia patina candidae columbae ſpecies pro Sancto Spiritu ſimulata a coelo in Archiepiſcopum deſcendens ore tenet iſta carmina:

Gratia te traxit donis coeleſtibus aptum;
Perge, parata manent uberiora tibi.

TUM ad ferculorum appoſitionem ventum eſt: Quod ſolenne ſervitium Edwardus dux Archiepiſcopi ſeneſchallus, eques & capite nudus, album dextra baculum ferens praeceſſit, & ſimul atque apponerentur fercula,

cula, caput Archiepiſcopo humiliter inclinavit & in cameram pranſurus ſeceſſit. In hac prima ferculorum appoſitione alia edita ſunt ſpectacula: Rex Gulielmum Warhamum, rotulorum cuſtodem, ſancto Paulo in Turri quadam inter ſanctum Petrum & Erkenwaldum medio his carminibus tradit:

Urbis Londini caput, o doctiſſime Paule,
Hic regat, & ſervet paſtor ovile tuum.

Tum a magna ſanctorum multitudine haec prodeunt ſcripta carmina:

Hic, niſi praeclara morum indole praeditus eſſet,
Haud peteretur ei tantus honoris apex.

Poſt conſecratio & inſtallatio ejuſdem Gulielmi Warhami, cum Londinenſem Epiſcopatum ſuſcepit, figuratae fuerunt & hoc dicto illuſtratae:

Auxilium meum a Domino.

At haec in prima ferculorum appoſitione. In ſecunda vero, primo tria theatra exhibita ſunt; in primo ſanctus Paulus, Erkenwaldus & rex Henricus Gulielmum Warhamum Epiſcopum Londinenſem Alphego, Dunſtano & Thomae Becket Cantuarienſibus quondam Archiepiſcopis his carminibus obtulerunt:

Eſt minor iſta tuis ſedes virtutibus; illa
Thomae digna tuis eſt potius meritis.

Quibus Archiepiſcopi arridentes reſpondent:

O Gulielme, veni, Domini ſis cultor agelli,
Eſto memor quis honor, quae tibi cura datur.

Tum iidem Archiepiſcopi Gulielmum ſummae Trinitati infinita Angelorum, Prophetarum, & Patriarcharum multitudine circumſeptae offerunt, proferentes iſta carmina:

Non deerunt exempla tibi ſanctiſſima patrum
Sanctorum, hoc ipſo quos imitere loco.

Appoſita deinde fercula ſunt. Ad extremum, prodeunt alia tria theatra; Primum papam cum cardinalibus in ſolio ſuo ſedentem, & archiepiſcopale pallium Archiepiſcopo tradentem, repraeſentat his verſibus:

Amplior hic meritis ſimili potiatur honore,
Suppleat & veſtrum ſede vacante locum.

Secundum inthronizationem in eccleſiam metropoliticam, & capeſſendae poſſeſſionis ritum continebat: Tertium eccleſiam Cantuarienſem & chorum Archiepiſcopis clericis & cantoribus repletum exprimebat: Atque

haec omnia ſpectacula ex cruſtis ſaccaro & amygdalis commixtis & deauratis compoſita fuerunt; ut in rotulo impreſſo fuſius apparet.

Post haec appoſitis delicatioribus placentis convivium hoc tam ſplendidum & magnificum peractum eſt. In quo aſſidebant a dextris Archiepiſcopi comes Eſſexiae, Epiſcopus Maionenſis, & prior eccleſiae Chriſti Cantuariae: a ſiniſtris vero dominus de Abergavenie, dominus de Brooke, & abbas ſancti Auguſtini. Cum ipſo duce in camera diſcumbebant dominus Clinton, Edwardus Poynyngs miles, dominus Phynox capitalis juſtitiarius regis, dominus Willielmus Scot miles, dominus Thomas Kempe miles, magiſter Butler ſerviens ad legem. Proxima his erat theologiae atque juris doctorum menſa: Tum baronum atque militum: Tertio generoſorum. Interiores etiam loci convivis repleti ſunt; quorum atque ferculorum multitudinem enarrare vereor, ne videatur lectori incredibile. Sed hanc tum convivandi plus quam Aſiaticum luxum, ad nimiam jam parſimoniam redactum vulgus ubique conqueritur: Atque id quidem falſo de Praelatis; quibus ereptae poſſeſſiones in laicos tranſlatae ſunt.

Sed ab his nugis ad ſeria tranſeamus, & de Gulielmo Warham jam in poſſeſſione Archiepiſcopatus collocato dicamus: Qui non minus lautus ac magnificus quam doctus ac facetus fuit. Id ex ea legatione, quam ad Philippum Burgundiae ducem a rege Henrico ſeptimo miſſus obiit, & ex literis ad Eraſmum Roteradamum ſcriptis licet intelligere: In literis Eraſmum calculo afflictum facete ac liberaliter, nec minus joco quam ſerio, conſolatus eſt: Miſſis enim decem Anglicis aureis: "Quid ſibi, inquit, "volunt ſaxa in corpuſculo tuo: Non enim conſtruendo es magnificas "domos, vel ejuſmodi quippiam, ut opinor; quocirca, cum non ſint e "re tua calculi, cures te quamprimum ſuperfluo onere liberare; deſque "pecuniam, ut auferantur hi lapides: Secus quam ego, qui quotidie do "pecuniam, ut lapides adferantur ad mea aedificia." In legatione vero Margaretam Caroli quondam, ut diximus, Burgundiae ducis uxorem, foeminam factioſam & partibus deditam monſtrum appellavit: Quod, cum caeterae foeminae nono aut decimo menſe, idque juvenes, pariant, illa jam vetula peneque ſexagenaria duos monſtroſos partus unum centeſimo, alterum octuageſimo, menſe edidiſſet; eoſque non puſillos atque teneros, ſed adeo robuſtos, ut cum rege potentiſſimo congredi ac praelio dimicare potuiſſent. Eraſmus etiam ignotus propter ſummam doctrinam tantopere ab eo adamatus eſt; ut, cum Baſileae ageret, ſuam imaginem arte accuratiſſimi & ingenioſiſſimi pictoris, Hans Holben Flandrenſis, quem ob eximiam pingendi notitiam Henricus rex apud ſe retinuit, quam ſimillime depingi & ad Warhamum per eundem pictorem in Angliam perferri curavit. Iſque ſe aliis tabulis ab eodem pictore ad vivam ſimilitudinem expreſſum & delineatum ad Eraſmum viciſſim miſit. Quae excellentiſſimae doctorum virorum figurae a reverendiſſimo patre domino Matthaeo Cantuarienſi Archiepiſcopo, antiquitatis Anglicanae ſedulo exploratore ac theſauro, conſervantur. Eraſmus autem eum cognitum in tanta admiratione habuit; ut, cum multas chriſtianas regiones peragraſſet, ab eoque invitatus in Angliam veniſſet, cum animadvertiſſet quantum inter Epiſcopos Angliae & aliarum gentium interfuiſſet; ſcripſit ſolam Angliam doctos Epiſcopos habere. Et, cum Novum Teſtamentum in Latinum ſermonem vertiſſet, ſtatuit illud Gulielmo Warhamo dedicare; ſed

Verba Epiſt. G. Warhami ad Eraſmum in epiſtolis Eraſmi.

ſed poſtea per literas impetravit ab eo veniam, ut Leoni decimo, Romano tum pontifici, deſtinaretur. Atque hanc arctam neceſſitudinem doctrina conciliavit. Quae ſimilem in hoc Archiepiſcopo erga Johannem Coletum eccleſiae Paulinae Londinenſis decanum: virum itidem pium atque doctum, amorem ingeneravit. Hic Coletus in tranſmarinis Academiis diu ſtuduit, ac reverſus Paulinas epiſtolas Oxonii publice interpretatus eſt. Scotum, Thomam Aquinatem & ejuſmodi curioſos ac inanes Theologomachos damnavit, ad ſcripturae ſacrae regulam omnia reduxit: Similequе ſcripturas declarandi inſtitutum Cantebrigiae tum ſequutus eſt doctor Warner, poſtea rector Wintertoniae in Norfolcia; qui etiam Thomae Bilney flammis Norwici combuſto ſupremum conſilium adhibuit. Vir fuit Coletus tam Latino quam materno ſermone facundus atque copioſus: Vitae praeterea integer, prudens, comis atque frugi. Cumque Paulinum decanatum regis beneficio accepiſſet; in divino verbo praedicando aſſiduus fuit, & ad juvenes primis literis & grammatica inſtituendos ſcholam illam egregiam, quae Paulina dicitur, extruxit. Hic in concionibus ſaepe pupugit bardos illos & ſtupidos theologos; qui ſemper eundem meditatum ſermonem concioni adferebant, & ex legendis notas ac decantatas narrationes ſaepius iterabant. Inter hos tum fuit Londinenſis Epiſcopus, qui Fitz-James appellabatur, atque hoc odio motus Coletum de haereſi coram Warhamo Archiepiſcopo poſtulabat: "Quoniam, ut crimi-" nabatur, ſimulachrorum cultum damnabat: deinde, cum de verbis Sal-" vatoris noſtri ad Apoſtolum Petrum ter repetitis, "Paſce oves meas," prae-" dicaret, de hoſpitalitate mentionem nullam feciſſet; ſed tertiam paſ-" cendi Chriſti oves rationem alio traduxiſſet: poſtremo, quod ſermo-" nes ſtudio longo praemeditatos reprehenderet." Verum Archiepiſcopus, cum huic Londinenſis Epiſcopi accuſationi ſubeſſe odium ipſaque accuſationis capita inania atque frivola judicaret, & Coletum ob theologiae aliarumque ſcientiarum peritiam unice diligeret, eum judicio ſolvit atque liberavit. Coletus autem judicio dimiſſus verbum Dei frequentius & ardentius praedicavit. Cumque ex more, Archiepiſcopus deſignaret quoſdam praedicatores, qui diebus dominicis, Mercurii atque Veneris in ſeptimanis quadrageſimalibus coram rege concionarentur; proxima tunc ſequenti quadrageſima Coletus die Veneris ante Paſcha, qui a pontificiis ſanctus dicebatur, juſſu Archiepiſcopi concionem coram rege habens docuit, quomodo ſub Chriſti vexillis militandum Chriſtianis fuerit. Eo tempore rex in Gallos bellum parabat. Ac Coletus, cum de ſedandis principum diſcordiis Chriſtianiſque a bello revocandis multa eaque mira facundia protuliſſet; ſubjunxit, his, qui ſub Chriſti vexillis pugnant, Chriſti humilitatem, non Alexandri aut Julii Caeſaris aut ſimilium imperatorum ferociam, eſſe proponendam. Rex aliquanto turbatus ac veritus, ne ſuorum ducum atque procerum animos tam piae ac diſertae orationis vi a bello in Gallos ſuſcepto flecteret ac averteret, finita concione eum accerſivit. Id Londinenſis Epiſcopus ſuique aſſeclae, qui inviſum Coletum habebant, in eam partem interpretabantur; ac ſi Coletus, qui contra regis ſententiam atque mentem tam acriter praedicaret, veniret regi in proditionis ſuſpicionem, & regis juſſu ad carceres ex aula duceretur: Multaque in eum, dum adhuc cum rege loqueretur, petulanter invecti ſunt. At vero praeter illorum opinionem rex Coletum valde humaniter comiterque tractavit, eique ſuum de bello Gallico gerendo conſilium & inſti-

institutum indicavit: non se id sponte, sed lacessitum & coactum ac ad regni tutelam, suscepisse: proinde, quamvis in concione de christiana pietate gerenda & omnis vindictae cupiditate deponenda eleganter atque pie dixisset; ita, ut suum ipsius animum in Gallos hostiliter affectum pene mitigasset; tamen, quia hoc bellum necessitatis, non voluntatis, nec illatio belli, sed Gallicanae vis ac injuriae repulsio, quaedam esset; rogavit eum, ut altera concione se ac aulam suam de bello ad incolumitatem atque defensionem patriae Christianis suscipiendo eadem orationis facultate, qua de humilitate tum docuit, institueret. In quo Coletus non minus regi quam Christo officium atque obsequium praestitit. Nam de bello christianis licito gerendo tanta gravitate & eloquentia dixit; ut non modo regem atque proceres ad bellum jam propensos, sed languentes atque timidos, contra Gallos tum incenderet. Rex finita concione ei in populi corona gratias egit, & proceribus suis astantibus: "Sequatur, inquit, quisque illum, quem maxime probat, doctorem; mihi enim solus Coletus arridet." Post hoc encomium regale Coletus ab inimicorum invidia securus atque tutus Evangelium indies in concionibus propagabat: Et tam aulicis, quam civibus Londinensibus, quos orationis facundia allexit & delinivit, auditoribus florebat.

SED illa temporum caecitas paucissimis adhuc christianae lucis radiis illustrabatur. Sequuta mox sunt magis lucida claraque tempora, quae a papalibus tenebris Christianos vendicabant. Ea in Anglia ab hoc initio inchoata in Romanae curiae interitum & occasum paulatim ita, ut dicemus, progressa sunt. Henricus rex septimus inter Arturum Walliae principem filium suum primogenitum & Catharinam Ferdinandi Hispaniarum regis filiam nuptias conciliavit. Ea in Angliam copiosa classe advecta, cum ad portum appellare vellet, fluctuum ac ventorum vi saepius rejecta est. Id mali cujusdam ominis instar esse aliqui censebant, nec fore has secundas nuptias praedicebant. Sed, postquam varios portus repulsa petiisset, tandem egressa navem cum regali magnificentia Londinum ducta, ibique in templo Paulino a Cantuariensi Archiepiscopo novendecim Episcopis assistentibus, rege cum regina proceribusque praesentibus Arturo principi nupta est. Verum hujus matrimonialis gaudii usura modica fuit: Nam nuptiis celebratis Arturus in Walliam a patre sibi datam provinciam cum conjuge discessit; ibique quinto postea mense ex hac vita migravit. Tum luctus atque moeror omnes aliquandiu occupavit. At funeri justis peractis Henricus dux Eboracensis Arturi frater, postquam muliebri experientia compertum fuit dominam Catharinam ex Arturo non concepisse, princeps Walliae a patre designatus est. Catharina vidua, quia magna dote propter nuptias affecta fuit, remansit in Anglia. His gestis cum, Henrico rege septimo mortuo & Westmonasterii sepulto, regnum Angliae jure haereditario Henrico octavo inclytissimo regi obveniret; egerunt cum eo quidam, ut dominam Catharinam Arturi fratris sui relictam viduam, uxorem duceret. Tanti momenti negotium consiliariorum deliberationi commissum est. Inter consiliarios tum maximae authoritatis fuerunt Warhamus Cantuariensis Archiepiscopus & Richardus Fox Wintoniensis Praesul. Hic nuptias suasit; ille dissensit: Verum, cum in consilio quaereretur, utrum illae nuptiae forent licitae, regique atque regno expedirent; vicit in ea deliberatione utilitas. Existimaverunt enim dominam Catharinam, si non ab Henrico rege duceretur, propter dotis magnitudinem extero

tero alicui, fortaſſe etiam Gallo aut Scoto infenſiſſimis regni hoſtibus, illico nupturam: Id quod regi atque regno magnam calamitatem atque detrimentum adferre poſſit. Tum illis nuptiis, ad regni praeſidium contra Gallos conciliari in perpetuum Anglis, ſi ſoboles inde proveniat, Hiſpanos. Rex, qui octodecim tantum annos exceſſiſſet, ad hoc illicitum connubium facile per aetatem conſiliariis ſuadentibus ductus eſt. Sed, quia jure divino fratris ſui relictam viduam haud liceret ducere, itur ad papam Julium; in cujus pectore omnis divini atque humani juris ſcrinium latere putabatur. Is, qui non, ut Moſes, accipere leges a Deo, ſed dare, conſuevit, ex ſuo ſacro videlicet ſcrinio, theologis cardinalibus etiam diſſentientibus, inſtante Ferdinando ad contrahendum inter Henricum octavum regem & dominam Catharinam matrimonium juris divini diſpenſationem produxit. Hae nuptiae Archiepiſcopo Weſtmonaſterii miniſtrante celebratae fuerunt. Poſteaque tam rex quam domina Catharina ab eodem Archiepiſcopo ſacrationem regiam acceperunt. Hoc infauſtum An. 1509. Arch. & authoritate papali auſpicatum connubium poſt viginti annos diſſolutum, ipſi papae atque Romae fuit exitiale.

SEQUENTI autem anno exorta eſt gravis inter Archiepiſcopum ac ejus Suffraganeos de praerogativae Cantuarienſis jure altercatio. Ejus Romae inſtituendae author fuit Richardus Fox Wintonienſis Epiſcopus; qui, cum opibus & authoritate atque gratia cum rege ſumma valeret, tantae potentiae animi magnitudinem adjungens, ferre non potuit Archiepiſcopi An. 1510. Arch. praerogativam. Itaque cum, antequam ea de re lis ulla moveretur, inter ſe primo communicarent, ſuamque praerogativam & potentiam trecentis amplius annis longaeva conſuetudine confirmatam Archiepiſcopus oſtenderet; nec ſe laturum, ut Wintonienſis Epiſcopi pertinacia eccleſiae Cantuarienſis jura violarentur, fervidius affirmaret; Wintonienſis incenſus fertur reſpondiſſe; Quamvis Archiepiſcopus in altiori ſolio ſediſſet, ſe tamen in pinguiori collocatum: Et ab ea contumelia ſtatim tranſit ad deferendam papae contra Archiepiſcopum querelam. Wintonienſi Epiſcopo Londinenſis, Lincolnienſis & Exonienſis regii, ut idem rex poſtea affirmavit, conſiliarii tanquam duci adhaeſerunt. Inſtitutae autem litis capita fuerunt: Quod cum, ut ſaepe antea diximus, ſi quis de vita decedens bona notabilia in diverſis dioeceſibus poſſideat, ejus teſtamentum ab Archiepiſcopo inſinuaretur; aut, ſi inteſtatus deceſſerit, bonorum ſuorum adminiſtratio ab eodem peteretur: Primo, ne hujuſmodi bonorum appellatione, praediorum atque proventuum haereditates, nec debita niſi ſperata, cenſeantur: Deinde, niſi decedentium bona, quae quis extra eam dioeceſim poſſidet, in qua moritur, ſummam decem librarum attingant, notabilia non dicantur, nec archiepiſcopali praerogativae locus fiat: Tum, ut bonorum aeſtimatores ab Archiepiſcopo in Suffraganeorum dioeceſibus non conſtituantur; ſed executorum aut adminiſtrantium juramentis de bonorum aeſtimatione ac valore fides habeatur: Poſtremo, ne peculiares juriſdictiones diverſae inſtar dioeceſium diverſarum reputentur. Papa hanc litem, quam ſibi lucroſam fore putabat, avide ſuſcepit: Et Suffraganeis contra Metropolitanum litigaturis decrevit edictum, quo Archiepiſcopum in jus Romam vocarent. Richardus Wintonienſis, cum hoc edictum ac-

cepisset, virum generosum ac solertem Willielmum Paulet nuper summum Angliae thesaurarium, praediorum suorum episcopalium seneschallum, accersivit; eique in mandatis dedit, ut eo edicto Archiepiscopum citaret. Is mandatum peregit: Citatus itaque Archiepiscopus, & acris controversia Romae de sua praerogativa consectata est. Cumque causa multis dilationibus procrastinaretur; Wintoniensis Episcopus & Suffraganei procuraverunt a papa, ut is hanc a se causam ablegaret & Henrici octavi regis arbitrio referret. Is datis arbitris, qui de lite cognoscerent, tandem ad Archiepiscopum scripsit: Et sibi, & regno Angliae magnam partam infamiam, si sui regni Episcopi de hujusmodi jurisdictionis controversia Romae, ubi omnium pene gentium nuncii atque legati convenirent, tanta inter se acerbitate contenderent: Proinde statuere se, ne Romae deinceps litigarent; tum, ut si decedentium bona minoris quam decem libris aestimentur, ab archiepiscopali praerogativa non disponantur: praeterea, ne praedia, proventus & bona immobilia, quae jure regni legari atque sub testamenti factionem cadere non possunt, ad praerogativam suam exercendam praestarent authoritatem: Ad extremum, ut neque ab Archiepiscopo neque ab Episcopis ulterius constituantur aestimandis defunctorum bonis judices, nisi ab executoribus aut administratoribus requirantur. Quod suum arbitrium rex triennio proximo observari praecepit: Eo vero transacto, si quae litigantium pars se gravari sentiat, jure contra alteram experiri eodem decreto permisit. At vero Archiepiscopus rescripsit: Etsi arbitrio ac decreto regio obsequi atque parere paratus sit; salva tamen sua in regem observantia, existimare se tam bona immobilia quam caetera, etsi summam quadraginta solidorum Anglicanorum non excedant, si tamen sint extra eam dioecesim & jurisdictionem, in qua defunctus moriatur, suam praerogativam fundare: Cujus rei longaevam ac probatam consuetudinem ex veteribus & antiquissimis Cantuariensium Archiepiscoporum monumentis produxit. De apparitoribus item bonorumque atque rerum haereditariarum aestimatoribus, si ab Archiepiscopo & Episcopis non designentur; verendum esse, ne, si aestimandi potestas solis executoribus & administratoribus committatur, ex defunctorum bonis vilius aestimatis atque pensis executorumque atque administratorum fraude, non modo Archiepiscopo & suis Suffraganeis, verum etiam, quod multo gravius est, ipsis defunctorum creditoribus, saepe etiam illorum liberis, cum, mortuis parentibus, in tutela atque curatione hujusmodi executorum aut administrantium fuerint, injuria summa fiat. Quae vitari nulla ratione commodius possit; quam, si bona ab Archiepiscopo vel Episcopis eorumve commissariis aequa lance aestimata administranda committantur. Tandem Archiepiscopus, ut iniret cum suis Suffraganeis concordiam, quod facere boni viri solent, cum agere summo jure potuisset, de suo jure multum remisit & Suffraganeis concessit. Namque pollicitus est in aliis defunctorum bonis, quam quae Anglicano veteri nomine "catalla" dicerentur, praerogativam nullam vendicaturum; si modo catallorum appellatione ea bona censerentur, de quibus defunctus testari poterat. Tum de apparitoribus & aestimatoribus, ut in bonis aestimandis & feodis exigendis sint deinceps moderatiores, aequius statuendum. Praeterea executorum atque administratorum juramentis de bonorum aestimatione fidem habiturum, si contrarii probatio elici ac investigari non possit. Summam etiam decem librarum,

An. 1513. Arch.

Arch.

librarum, ad ſuam exercendam praerogativam extra eam dioeceſim, in qua defunctus moritur, ſatis aequam declaravit. Poſtremo, etſi in diverſis peculiaribus parochiis defunctorum bona ad eam ſummam diviſa ſint; niſi tamen ea bona in peculiaribus parochiis, quae in diverſis ſuae provinciae dioeceſibus Cantuarienſi eccleſiae reſervantur, ſita ſint, interpoſiturum non eſſe ſuam praerogativam. Atque haec inter Cantuarienſem Archiepiſcopum ac provinciae ſuae Suffraganeos toties excitata de praerogativa controverſia hac aequabili atque temperata Warhami moderatione in perpetuum tandem ſopita eſt.

SED Ricardus Fox Wintonienſis Epiſcopus, cum ob conciliatas illas inter regem Henricum octavum, & dominam Catharinam, quae omnia poſtea, ut dicemus, perturbarunt, maxima authoritate atque gratia apud regem ac reginam valeret, ſenioque & infirmis debilitatiſque viribus affectus, tantorum regni negotiorum magnitudinem atque multitudinem obire non poterat; impetravit a rege vacationem, & ad gubernandam ſuam Wintonienſem dioeceſim ex aula receſſit. Sed vir aulicae ambitionis atque ſimultatis peritus, veritus ne extenuaretur ſua gratia, & adverſariorum invidia abſenti ſtrueret inſidias, duos ex ſuo famulatu claros & inſignes viros regi commendavit; quorum praeſentia ſe abſentem in regis gratia retineri poſſe ſperabat: Thomam Wolſeium capellanum, & Willielmum Paulet armigerum, praediorum Wintonienſis Epiſcopatus ſeneſchallum. Hic primo hoſpitii regii theſaurarius fuit, & cumulata indies ac adaucta regis in ſe gratia ampliſſimos honores gradatim conſecutus eſt: Henrico octavo ac Edwardo ſexto regibus, nec non Mariae ac dominae Elizabethae reginis conſiliarius fuit, regni theſaurarius atque marchio Wintonienſis; Ac aetate longaeva in aula honoribuſque prudenter decurſa & in magna fortunae varietate jactata tandem obiit, anno Domini 1572. At Thomas Wolſeius animo elato atque fero, non generoſo ac moderato, fuit; humili loco ac obſcuris ortus parentibus, erat enim lanii filius ut quidam putant, & luxu, rapina ac ambitione plenus nobilium atque plebis omniumque ordinum immanis carnifex tandem devenit. Cujuſmodi ingenia, cum ab infima tenuique fortuna ad ſummam evecti ſunt, honores temperate gerere aut modum retinere non poſſunt. Hic ſocius fuit Magdalenenſis collegii ab Willielmo Wainflete, ut diximus, Oxonii extructi; eo excluſus, quod aerarium collegii invaſiſſet, ſcholam grammaticalem Readinghae aperuit, & modico interjecto tempore, donec furti ſui infamia aboleretur, inſinuavit ſe in famulatum Henrici Dene Cantuarienſis Archiepiſcopi. Eo vero mortuo venit ad Richardum Fox Wintonienſem Epiſcopum; qui, cum non animadvertiſſet, quantum nequitiae atque occultae fraudis ſub excellenti & commodo ingenio latere poſſit, eum regi commendavit. Rex eum eleemoſynarium ſuum ordinavit. Ac Wolſeius, jam id nactus, ad quod omnem ingenii vim & conatum diu intenderat; ut aliquo loco in aula haereret apud regem; oſtendit ſe brevi, qui vir in officio atque magiſtratu eſſe poſſit: Regem obſequio, aulicos affabilitate & comitate tractavit, in omnium gratiam & benevolentiam irrepſit, nec quicquam aulicae curioſitatis praetermiſit, quod ad magnificentiae & ingenii oſtentationem, cujus fuit ſtudioſior quam ullius ſanctitatis, valere poſſe

poſſe putaret. Rex ipſe juvenilibus jam annis per aetatem eos maxime adamavit, qui praeter ingenii ac doctrinae ſpeciem, CUJUS IPSE SATIS GNARUS, UTPOTE CANTEBRIGIAE PRIUS INSTITUTUS FUIT juxta quorundam ſententiam, elegantiam atque vitae pompam edere ac declarare potuiſſent. In quo Wolſeium nactus eſt ex ſententia virum, qui & doctus & oratione dulcis, ingenio profundus, & corporis etiam geſtu ac habitu tam concinnus erat; ut cum frequenti colloquio regem deliniret, intimis regni
An. 1514. conſiliis adhibitus eſt. Tum in Gallicana expeditione una cum rege fuit in caſtris, omnibuſque publicis regis negotiis tam domi quam militiae ſolus Wolſeius praefuit. Ab eaque expeditione cum rege reverſus, cum Warhamus Cantuarienſis Archiepiſcopus per ſenilem aetatem vel invaletudinem praeſidere amplius cancellariae judiciis non poterat, regique munus cum magno ſigillo redderet, Wolſeius ei ſucceſſit: Qui mox etiam Lincolnienſis Epiſcopus jubente rege electus eſt. In eo Epiſcopatu vix uno anno ſedit, cum dominus Banbrigge Eboracenſis Archiepiſcopus & cardinalis Romanus, regis ad papam legatus Romae ex veneno interiit.
An. 1516. Quo cognito Wolſeius ad Eboracenſem eccleſiam a Lincolnienſi tranſlatus eſt; regeque acriter intercedente cardinalitium titulum atque legatinam poteſtatem accepit a papa. Nihil homini elatione atque gloria inſano praeter papatum defuit: cujus, ut poſtea dicemus, fuit cupidiſſimus. Et, cum omnia tam eccleſiaſtica quam civilia negotia in ejus ſolius poteſtate fuiſſent, Romanae eccleſiae potentiam atque dominationem tanto ſtudio & ſeveritate tuebatur; ut incredibile videri poſſit eam ſub hoc imperatore atque duce in Anglia cadere potuiſſe. Nam regem ipſum juvenem blandis ſuaſionibus, quocunque voluit, impulit; ut, quod de ſervis aſtutis dicit quidam,

Callidus ſervus domino imperat,

de hoc Wolſeio, qui regem ſubditus rexit, dictum exiſtimari poſſit. Qui tanto faſtu & opinione ſui inflatus fuit, ut, cum de maximis regni cauſis ad papam aut exteros reges ſcriberet, ita plerumque literas exorſus eſt:

EGO ET REX MEUS.

Et in hunc modum dominante, clerus etiam, tanquam ſuperbum ſuum ſatellitium, imperitabat populo; in quem omni luxu & libidine, exemplo hujus ducis, tunc maxime laſcivientem nemo vel ſibilare aut hiſcere auderet. Sed, cum hujus authoritate ac potentia Romana vis in Anglia maxime ſtabiliri & corroborari viſa ſit; adfuit ei iſtius dolis in ſe converſis ſumma eaque divinitus illata calamitas.

NAM hoc ipſo anno, quo Wolſeius ad tuendam papalem in Anglia celſitudinem illum cardinalitii honoris apicem obtinuiſſet; Martinus Lutherus Auguſtinenſis monachus, Frederici Saxoniae ducis capellanus, contra Leonem decimum papam, indulgentiarum praetextu pecunias in Germania colligentem, praedicavit. Cui quo magis ſilentium vel vi vel precario pontificii imponere ſtudebant; eo magis eloquendo ac ſcribendo

contra

contra omnes papales fraudes, rapinas, ac ipsum fucatum atque adulterinum in gentes christianas dominatum ex sanctis literis invectus est. Hunc mox in Helvetia Zuinglius & Oecolampadius Argentorati sequuti sunt; quorum doctrina Germania ac Helvetia repletae paulatim a pontificiis defecere. Quas res gestas copiosissime a Sleidano & Germanis explicatas, quoniam in hujus Archiepiscopi, de quo tractamus, tempora inciderunt & cum proposito cohaerent, nobis attigisse sufficiat. Eodem autem tempore, quo expilatores papae, contra quos Lutherus praedicabat, grassabantur in Germania, venit ab eodem Leone papa Campegius quidam Romanus cardinalis ad Henricum regem cum amplissima omnia devinciendi & absolvendi potestate; suppetias papae pro Hungariae tuitione cum Turcis, ut simulabat, dimicaturo postulaturus: Cujus adventus tanto motu concitavit ambitiosos Wolseii spiritus, qui metuebat ne superiorem ferre cogeretur, qui parem aequo animo tolerare non poterat, ut ei cum uberrimis promissis legatos obvios daret, si se collegam saltem suum in hac nova potestate faceret. Ad id Campegius praemiorum pollicitatione allectus, facile adductus est, & remissis illico Romam nunciis id a papa impetrarunt. Campegius interea, dum haec nova potestas a papa mandaretur, Caleti mansit nec Angliam ingressus est. Reversis autem cum ea potestate nunciis Wolseius cum inani ac ostentatoria pompa Doverum proficiscitur: eo Campegius Caleto discedens trajicit. Obvii jam cardinales mutuis se primum osculis & amplexibus, deinde colloquiis, tractant. Quid multa? Omitto enim id consulto, quo nihil est inanius, in eundo atque redeundo pompae fucum. Ex his duobus cardinalibus difficile dictu est, uter alterum fraudibus antecessit; sed luxus ac superbiae Wolseius palmam tulit. Hoc enim tempore ejus non exemplo solum, sed suasu, holosericae vestes ab Anglicano clero susceptae sunt: A quo tan- An. 1517.
quam splendida & fulgenti caterva stipati cardinales regem adeunt, legationis causam exponunt. Rex non hoc modo, sed quaecunque alia cujusvis momenti negotia, Wolseio committit. Is artificiosa & callida oratione Campegio plurimis & regis & suis muneribus affecto suadet; ne moram in Anglia ducat, sed recurrat illico Romam: se enim ad Romanae ecclesiae commodum hoc nuper acceptum legatinum negotium curaturum. Campegius discessit; ac Wolseius rem serio aggressus curiam erexit, quam "Legatinam" appellavit. Ea plane praedatoria fuit: omnium Episcoporum & caeterorum ecclesiasticorum judicium atque praelatorum jura, & exemptorum etiam locorum privilegia, devoravit; scelerum quorumcunque veniam & impunitatem, quibus libuit, indulsit; ipsam Cantuariensem praerogativam heluo invasit; omnes humani ac divini juris habenas & relaxationes usurpavit. Atque haec effraenata cardinalis potentia eo magis insuperabilis visa est; quod regali simul & papali authoritate suffulta non modo Praesules clerumque coercuit; sed proceres populumque prostravit. Nam in altero cancellariae munere, ut multitudinis benevolentia collecta justus judex videretur, ostendit sese popularem, suscepitque inferioris plebis querelas contra procerum atque potentiorum, a quibus opprimebantur, injurias; quas sane non minori severitate, quam causidicorum, leguleiorum & formulariorum falsitates, perjuria, litigatoriasque cautelas vindicavit.

REPLEVIT itaque brevi utraque sua tribunalia, tam hoc regio quam illud papae nomine exercitatum, tanta multitudine causarum, ut caeteris tam regiis quam ecclesiasticis foris exhaustis & exinanitis, e suis solis delegationes infinitas educeret. His de causis occultum erga se odium Praesulum, procerum, & juris regni peritorum animis ingeneravit. Sed regi, papae, atque aulae, multitudinique ita gratus fuit, ut nullius etsi justissima querela contra hanc gratiam & potentiam potuit praevalere. Crevitque adhuc indies hujus cardinalis monstrosa potentia: Maximiliano enim imperatore mortuo, Carolus ejus nominis quintus dux Austriae, & Castiliae rex a Germania principibus Caesar designatus est. Is ex Hispaniis solvit trajecturus in Belgium; sed in Angliam in itinere venit dominam Catharinam Angliae reginam suam amitam visurus. Qui cum

An. 1520. Doverum appulisset, ab Warhamo Archiepiscopo & cardinali Wolseio, maxima procerum, Praesulum, nobilium atque praelatorum turba stipatus Cantuariam ductus est. Clerus Cantuariensis aliquot milliaribus in splendidissimis cappis ex utraque viae parte, odorum suffimenta ex incenso thure emittens stetit. Rex & regina Caesari ejusque matri Castiliae reginae fiunt obviam. Cantuariae ab Warhamo Archiepiscopo in archiepiscopali palatio magnis sumptibus & exquisitissimis epulis excepti sunt. In aula coenatum est: Cujus supremam partem Caesar, inferiorem rex tenuit. Epulis sublatis Caesar cum regina, Angliae rex cum Caesaris matre saltant. Omitto reliquam magnificentiam, qua tanti hospitis adventus celebratus est. Verum Angliae rex, ne christiani principes, Turca tum invadente, mutuis inter se bellis conflictarentur, egit de firmanda in orbe christiano cum Carolo pace. Quam magni momenti rem perfacilem futuram, si Caesar, Angliae, & Galliae reges uno foedere jungerentur. Caesar annuit staturum se his pactis, quae inter Angliae & Galliae reges inirentur; Et in Belgium mox discessit. Ardebantque postea reges inter se de hac salutifera ac perpetua pace communicare. Itaque Ardis convenerunt. At, cum de pacis legibus tractandum sit, rex amplissimam totius rei procurationem sigillo magno Angliae confirmatam cardinali concessit; ut, quaecunque vellet, rata & cassa haberet. At regis Galliae procuratores, qui tanta potestate praediti non erant, hujus procurationis amplitudine deterriti, cum ipsi exiguis mandatorum sui regis finibus tenebantur, negotio supersedebant, & ad regem suum referunt, aut ipsi interessendum tractationi, aut suam aliis authoritatem sine ulla juris exceptione plenissime committendam. Rex Galliae admiratus Angliae regem, tantam in uno homine eodemque clericalis ordinis atque generis obscuri, totius sui regni fiduciam collocasse, cum ipse nec suorum subditorum quempiam tanta fide, nec se cum homine parvi a nobilibus penso conjungere dignatus; tum veritus ne, si recusata regis Angliae conditione, se rejecto & repudiato foedus inter eum & Carolum Caesarem firmaretur, in omnem eventum ipse confisus seu cardinali, seu regis aequitati, eandem sub sui regni sigillo procuratoriae potestatis plenitudinem Wolseio cardinali concessit, quam Henricus rex Angliae concessisset. Ita, quod vix unquam legimus alicui papae contigisse, ut Caesari ac duobus tam excelsis & inclytis regibus foederum atque pacis conditiones daret, hoc Wolseio cardinali evenit. Qua principum gratia paulo post ut

An. 1521. potentior, sic insolentior, factus est. Namque inter Caesarem atque Gallum

Gallum exortis mox inimicitiis, belloque utrinque parato, hic cardinalis tanquam hujus ſeptentrionalis orbis papa ſpecie quadam & obtentu legationis ab Angliae rege, adiit utroſque: ſed rege ſeu connivente, ſeu ignaro, legationem ſibi finxit & ementitus eſt, ac magnum regni ſigillum, quod laeſae majeſtatis crimen eſt, ſecum eduxit regno: Quo factum eſt, ut interea, dum is aberat, & judiciorum comitia & litium expeditiones, & judicum ac vicecomitum comitatibus praefectiones, dum is ſua manu ac poteſtate omnia teneret, incredibili reipublicae malo ac detrimento ceſſarent. In ea praeterea legatione regali ac ſplendido luxu quadringentis ſexaginta equitibus ſtipatus inceſſit, vaſa regni pretioſiſſima ac ingentem theſaurum exportavit, in epulari lautitie ac delitiis miniſtrabatur ei a nobilibus & praelatis, genibus ad terram curvatis. Quam intolerabilem in preſbytero ſuperbiam atque pompam Galli, Hiſpani, & Belgae, admirantes libellis deſcripſerunt. Ex hac Caeſaris & Galli diſſenſione, dum utrique inter ſe contenderent, uter alterum in curia Romana majori gratia ſuperabat, duae Romae factiones, quae adhuc durant, inter papas atque cardinales ſubito natae ſunt. Ex eo enim tempore aut Caeſariani, aut Gallicani, dicti ſunt. Wolſeius indole ac natura non potuit non eſſe factioſus & ex alterutra parte; contra antiquum inter Anglos & Burgundos foedus adhaeſit Gallo, praemiis muneribuſque a fide regi regnoque debita depravatus. Id eo fuit evidentius, quod ſpurium ſuum, quem cognomento Winterum appellavit, hoc ipſo tempore commiſit tanquam pignus Gallo, ut in aula ſua inſtitueretur, & Gallorum linguam atque mores ediſceret. Deinde, cum a Gallo ad Caeſarem veniſſet; quanquam Gallus ab icto foedere prius receſſiſſet, & belli ſuſcipiendi cauſas dediſſet, impudenter tamen conatus eſt Caeſarem ad iniquas Galli pacis conditiones cogere; quibus, niſi pareret, inconſulto Angliae rege denunciavit ei bellum. At Carolus rex eo magis hominis hujus imperium contempſit; quod de Henrici regis avunculi ſui in ſe amore atque ſenſu, tum de veteri Burgundico foedere, & priſtinis capitalibus in Anglos atque Gallos bellis ac inimicitiis, quae nullo pene aevo reconciliari poſſint, certum & exploratum haberet. Ita Wolſeius, quanquam ſibi viſus ſit hujuſmodi minis metum intuliſſe Caeſari, tamen inanis atque ſpretus reverſus eſt. Eo vero reverſo aurei Gallici Londini paſſim ſcatebant. In hac legatione, quae malorum ſibi atque Romae fuit initium, tres inſignes ex ſuo famulatu viros, qui claris ingeniis pollebant, habuit, Stephanum Gardinerum legum doctorem, Thomam Morum & Cromwellum; ex quibus Morus Gardinero doctior, eoque Gardinerus juris peritior, fuit: At Cromwellus utroque prudentior atque ſanctior. Hoc anno Henricus Angliae rex, cum accepiſſet Lutheriana dogmata a Germanis recepta & approbata etiam in ſui regni viſcera progreſſa latius ſerpſiſſe, ab Wolſeio cardinali Romani pontificis fortiſſimo ſatellite inſtigatus librum de papae authoritate & indulgentiis contra Lutherum edidit. Id ita papae placuit; ut, cum Wolſeii cardinalis ſuaſu blandiri regi voluit, verum illi & a domino Deo datum FIDEI DEFENSORIS titulum inſcripſit. Non aliter ac Hebraeorum ſacerdotum princeps Annas de mundi Salvatore Domino Jeſu Chriſto ipſe ſenſerat; vere tamen olim vaticinatus eſt, cum neceſſe eſſe dixit "ut unus pro populo moreretur." Sic papa, dum Romanam fidem ab Henrico rege defenſum iri putaret, qui eam Evangelica ſuſcepta poſtea funditus evertit, in veriſſimo

Ex ipſo diplomate.

mo

mo quidem titulo & vaticinio deceptus est. Hunc inscriptum a papa in bulla regi titulum cardinalis Wolseius facundissima oratione, in qua regem coram Praesulibus ac magnatibus & exterorum regum legatis, a pulchritudine, magnanimitate, prudentia omnibusque animi corporisque dotibus in coelum extulit, legit regique tradidit. Qui postea a fecialibus tubas clangentibus editus atque proclamatus est: Eodem etiam anno Londinensis Episcopatus, mortuo Fitz-James, de quo antea diximus, Cuthberto Tonstallo legum doctori, viro eruditissimo prudentissimoque, tum publicorum regni scriniorum custodi, delatus est. Hic ante vicarius Warhami Archiepiscopi generalis fuit; vitamque tandem Dunelmensis Episcopus longaevus ac tempore satur in Archiepiscopi Cantuariensis familia, a qua primum ad aulam prodiit, ut in MATTHAEI PARKER Cantuariensis Archiepiscopi vita inferius dicemus, finivit, decimo octavo Novembris anno 1559. cum annos octuaginta & quinque transegisset. Sepultus est in choro Lamethanae ecclesiae sub marmore; cui hoc epitaphium ejus inscribitur per Gualterum Haddonum:

Anglia Cuthbertum Tunstallum moesta requirit,
Cujus summa domi laus erat atque foris.
Rhetor, arithmeticus, juris consultus & aequi,
Legatusque fuit, denique Praesul erat.
Annorum satur, & magnorum plenus honorum
Vertitur in cineres aureus iste senex.

In eo autem bello, quod nuper, ut diximus, inter Caesarem & Gallum commotum est, Wolseius ausus non est suadere regi, ut a confoederatione & amicitia Caesaris ad suscipiendas Galli partes discederet. In eo enim nihil se profecturum cernebat; quod & plebs Angliae mercatoribus a Gallis contra foedera spoliatis & injuste tractatis in Gallos incensa fuerat, & rex a Caesaris legatis accepisset illud, ut diximus, a Wolseio Caleti compositum tripartitum foedus a Gallo primo fuisse violatum; rexque affinitate & necessitudine Caesaris & Galli injuriis Caesari adhaesit. Itaque, cum in Hispanias proficisceretur Caesar, ad firmandam & retinendam cum Angliae rege veterem conjunctionem transiit per Angliam. Qui, cum pari similique ornatu & magnificentia, qua, ut ante diximus, exceptus esset, navigavit in Hispanias. Rex vero, cum bellum in Gallos per feciales denunciasset, exercitusque duos ex optimo militum delectu instruxisset, ad eos alendos cardinali dedit negotium pecuniae conficiendae. Is, qui se ultro omnibus negotiis immiscuisset, & in rebus gerendis nihil mite atque moderatum sapuisset, tam atrox in hoc negotio fuit; ut plebem, cujus benevolentiam curiosa quadam specie, non ex animo & ingenue, affectavit, a se penitus abalienavit. Nam & quintam bonorum partem a singulis exegit; jussitque, ut unusquisque non a proximis solito more censeretur, sed veram bonorum aestimationem exhibere jurejurando cogeretur. Quod plebi jugum tam intolerabile visum est; ut cunctis jam reipublicae ordinibus execrabili fuerit odio. Tum censores designabat, qui de clericorum statu opibusque inquirerent. At clerus eum exprobrabat, quod praeter legem aut exemplum a se quicquam sine synodo regis nomine poposcisset. Itaque parliamentum Westmonasterii

An. 1522.

Ad An. Chr. MDIII. — Ad An. Chr. MDXXXII.

monaſterii celebratum eſt, mandatoque regis Warhamus Archiepiſcopus cleri ſynodum Londinum convocavit. In qua Wolſeius intolerabili motus elatione, eoque faſtu tumens, quo omnium jura violavit, inauditi exempli flagitium commiſit: *Cum enim ei non fuit in Cantuarienſis provinciae ſynodo locus,* ut omnia ad ſuam legatinam poteſtatem raperet, concilium in templo Paulino Warhamo Archiepiſcopo atque praeſidente inceptum papae authoritate *diſſolvit,* & idem poſtridie coram ſe legato papae Weſtmonaſterii adeſſe mandavit. Quod paucis poſtea diebus, *ſimul atque ſubſidium bello gerendo competens a clero regi conceſſum eſſet,* iterum dimiſſum fuit. Paulo poſt Thomas Hannibal legum doctor regis Angliae legatus in Romana curia roſam auream inſigni artificio fabricatam a papa Clemente regi dono miſſam in Angliam portavit, & regi in procerum Praeſulumque praeſentia cum copioſa teſtificatione papalis erga regem benevolentiae Weſtmonaſterii tradidit. De quo Clemente papa Romae mortuo haec carmina conſcripta ſunt:

Clementem eripuit nobis Clementia fati;
Hic eſt, qui fuerat jam dedecus urbis & orbis.

WOLSEIUS cardinalis, qui, ut diximus, omnium jura atque privilegia legatina ſua poteſtate violavit, Dunelmenſem Epiſcopatum vacantem ingreſſus eſt & Eboracenſi adjunxit. Idemque alienarum rerum cupidus & inſatiabilis cum omnia expetebat, ut in luxum & oſtentationem profunderet; cum Richardus Foxus Wintonienſis Epiſcopus, cujus, ut diximus, capellanus fuerat, ejuſque beneficio & commendatione in regis gratia poſitus ad tantarum dignitatum culmen faſtigiumque aſcenderat, caecus & ſenio confectus eſſet, nec commode potuiſſet Wintonienſem Epiſcopatum adminiſtrare; hic ſceleratus ingratuſque erga tam benignum patronum libertus ad eum nuncium quendam miſit; ut valetudini jam ſtuderet, & ſtipendio contentus Epiſcopatui cederet. Quae quidem impia ambitioſiſſimi & avariſſimi hominis ingratitudo ita Foxum commovit, ut nuncium haec reſponſa referre juſſerit: Etſi ipſe in ſenectute oculis orbatus candida & atra diſcernere non potuit, vera tamen a falſis & juſta ab iniquis potuit: Qua quidem in re meliorem ſenſum & intuitum, quam oculorum, jam habere; cum caecus ingrati hominis malitiam, quam oculis ante non perſpexiſſet, jam animo cerneret. Cavendum autem eſſe magis cardinali, quam ſibi; ne, cum pene lippus & tantae ambitionis atque cupiditatis tenebris involutus ſit, in graviorem caecitatem incidat, nec exitum ſuum proſpiciat: Proinde de Wintonienſi Epiſcopatu gerendo, quem ſenex atque caecus non corporis, ſed mentis, oculis rexerit, ſolicitus non ſit; ſed oculorum ſuorum aciem avertat, ac his, quae ſub rege adminiſtravit, negotiis intendat. De hac cardinalis impudenti ingratitudine Foxus apud multos conqueſtus eſt; ut ea querela ſaepius repetita multorum ſermonibus tandem ad regem, qui Foxum diligebat, tranſiit. Erat tum Foxi Epiſcopi regiſtrarius Johannes cognomento Coocus, homo ſcurrilis, ſed jocoſus, impoſturis, rapinis, profuſione, omnique genere nequitiae, etſi inferioris eſſet ordinis atque loci, cum ipſo tamen cardinale conferendus. Hic cum ſaepe ad regem literas & nuncia a domino ſuo Foxo pertuliſſet, coepit audacter enarrare, quam immemor accepti beneficii ingratuſque eſſet cardinalis: Tum, quia cunctis jam inviſus fuit, de

Ab An. Chr. MDIII. — Ad An. Chr. MDXXXII.

interioribus suis rebus sedulo inquisivit, intellexitque a chirurgis quibusdam, qui cardinalem curabant, eum ex venerea lue, sive morbo Gallico, quod cum generosioribus meretricibus saepe rem ac consuetudinem haberet, altero oculo captum esse: Divinum certe supplicium: Ut, qui munificentissimo suo domino exprobraret caecitatem, is ex foedissimo vitio luscus & monoculus fieret. Existimavit autem Coocus nihil potuisse hoc nuncio optatius domino suo evenire. Itaque arrepto calamo literas ad Foxum sine mora scripsit; sed loquacitate sua effectum est, ut cardinalis eas literas intercipi & ad se perferri curaret. Et protinus, dum in cauponula liberius perpotaret, & inter rabulas festivus Coocus esset, a lictoribus captus & in vincula ductus est. Ibi diu a quorumcunque necessariorum colloquio secreto servatus est. Sed res a servulis enunciabatur amicis suis atque consanguineis, qui de Cooco, cujus anteacta vita tot sceleribus inquinata fuit, penitus actum putabant. Cardinalis illico in his locis, in quibus moram aut habitationem Coocus habere consuevit, designavit exploratores, qui ad se de Cooci gestis criminibusque referrent: Quorum tanta copia relata est; ut, cum atrocissima deligerent, rapinis, adulteriis, ac ejusmodi injuriis ac turpitudinibus praetermissis, de furtis atque proditionibus, quibus probatis Coocus ultimum supplicium pateretur, accusationes varias instituebant. Cujus salus cum propter suam nequitiam, tum cardinalis potentiam, a cunctis suis desperaretur; is tamen non conscientia, sed domini sui Wintoniensis Episcopi fiducia, nequicquam pertimuit, nec spiritus audaciamque remisit. Majoris certe nequitiae atque pertinaciae neminem reperire cardinalis potuit, cum quo de capite atque vita ad suam ipsius magis contumeliam, quam cum Cooco, contenderet. Qui carceribus eductus, per varia actus tribunalia, per varia exagitatus judicia, cum homini impudenti nec os defuit, neque frons; occulta Wintoniensis Episcopi gratia non modo cum rege, sed cum regiis judicibus atque causidicis, tum cum tota inquisitorum multitudine, quibus cardinalis invisus fuit, accusationes omnes delevit, & vitavit pericula. Omnium jam sermonibus percrebuit atque ferebatur haec acris contra Coocum concertatio; qua non alia res ulla majorem cardinalis infamiam in vulgus propagavit. Is itaque incensus nova indies in Coocum finxit crimina; ac veritus Coocus ne, si dominus suus Wintoniensis Episcopus, qui per aetatem diu vivere jam non posset, moreretur, cardinalis potentiae non resisteret, impetravit ab eo ad regem literas: quibus datis, cum postea regem in aula cum cardinali colloquentem vidisset, flexis genubus sublatisque manibus ejulans petiit cum suspiriis misericordiam atque ab omnibus anteactis criminibus absolutionem. Nam etsi a variis accusationibus variis judiciis absolutus esset, intentare tamen jam cardinalem non confertim, ut solebat, sed seorsim accusationes; ut, simul atque una elisa sit, altera atque indies nova Coocus defatigetur. Rex illico jussit, ut praeterita quaecunque illi remittantur. Cum vidisset cardinalis evasisse Coocum e suis manibus, eum accersivit, multaque cum eo collocutus hominem sibi ipsi moribus atque indole non dissimilem humanius familiariusque tractavit: Promisitque, si sibi morem gereret, eum in suum famulatum recepturum. Coocus sive metu, sive ex animo fidem dedit cardinali, & sub regio diplomate a cunctis criminibus absolutus, postquam aliquot annos in causis capitalibus misere volutatus esset, domum recessit.

OBIIT

Ab An. Chr. MDIII. — Ad An. Chr. MDXXXII.

OBIIT deinde Richardus Fox Wintonienſis Epiſcopus doctrina prudentiaque venerandus pater; qui collegium Corporis Chriſti extruxit Oxonii, vivuſque ei plurima donavit atque tradidit. Sed, cum in teſtamento moriens multa Eccleſiae atque ſedi Wintonienſi aliiſque pie legaſſet, 1528. cardinalis Epiſcopatum Wintonienſem una cum Eboracenſi atque Dunelmenſi ſuſcepit, bona Richardi Fox defuncti legatina poteſtate ſequeſtravit, teſtamentique ſui tabulas, quas, ut multi ſuſpicabantur, a Cooco accepit, aperiri & actis publicis inſinuari non eſt paſſus. Legata nulla praeſtita, ſed ab hoc heluone abſorpta, ſunt; inter quae, cum copioſiſſima magnaeque aeſtimationis cujuſquam generis ſupellex, qua quinque epiſcopales aedes inſtruerentur, relinqueretur; eademque aeſtimata ſingulis ordine ſucceſſoribus tradenda eſſet; ab hoc, qui tam Epiſcopatum occupavit quam haereditatem invaſit, expilata eſt. Hujus expilatae haereditatis dedit ipſe vivus eodem genere ſupplicii poſtea poenas. His tot tantiſque ſceleribus & incredibili omnium odio flagravit. Soli regi adhuc cordi fuit: Qui, etſi ſuperbiam & cupiditatem ejus inexplebilem non probaſſet; propter ea tamen, quæ procurabat atque expediebat negotia, eum e re ſua fuiſſe credidit. Sed, ſimul atque comperiſſet, quanta fraude atque ſimulatione in maximae fidei ac momenti rebus uſus ſit, repente una cum Romana authoritate corruit. Ac fraus ejus, quanquam occultiſſima atque vaferrima fuit, his tamen quaſi ſcintillis primo emicuit: Diximus ante, etſi rex a Caeſare disjungi nollet, cardinalem tamen Gallicarum partium clam fuiſſe. Itaque, quamcunque ſine ſuſpicione pro Gallo operam dare ſibi licuit, eam ſedulo praeſtitit: Nam, ſimul atque Caeſar repetito & renovato priſtino cum rege, ut diximus, foedere in Hiſpanias ſolviſſet; omnes Galli regno exacti ſunt. Capitis enim poena in eos Gallos, qui remanerent, ſancita eſt. Deinde rex atque Caeſar Gallum conjunctis copiis aggrediuntur. At Gallus Mediolanum, quod in Caeſaris tum ditione atque fide fuit, expugnat, caſtraque deinde ad Paviam ponit. Rex Angliae magnam pecuniam Caeſarianis militibus, qui tum in Italia ſub Borboniae duce, qui a Gallo defecerat, merebant, mutuo dedit. Ea pecunia a Venetis, domino Pace eccleſiae Paulinae decano regioque ad Venetos oratore fidejubente, accepta eſt: Qui niſi interpellatus illico pecuniam praeſtitiſſet, milites conducti defeciſſent. At pecunia repraeſentata exhilarati, cum Gallus expugnato Mediolano ferocior in caſtris nimium ſecurus ac ſupinus fuiſſet, in ipſa caſtra audacter involant, hoſtes aut interimunt aut profligant, ipſum Gallum & nonnullos proceres captivos in Hiſpanias ad Caeſarem mittunt. Hoc peſſime habuit Wolſeium cardinalem; qui omnes artes rationeſque inivit, ut, pactis inconſulto Caeſare inter regem atque Gallum induciis, violarentur foedera Burgundica, & inter Caeſarem atque regem naſcerentur inde inimicitiae. Eodem enim fere tempore, quo haec Mediolani & Paviae geſta ſunt, Johannes quidam Joachimus vir obſcurus, qui in exercenda mercatura bona ſua decoxerat, verſutus tamen & in dolis Gallicis verſatus, obtinuit a cardinali commeatum, ut a praeſidibus Galliae in Angliam tutus atque clam venire poſſit. Is cum veniſſet, delituit in aedibus cujuſdam domini Lark praebendarii ſancti Stephani; nec ad quemquam, praeterquam ad cardinalem, idque nocte ac ſecreto, prodiit: Cum eo agit de induciis. Cardinalis regi, qui de illius decocti nebulonis adventu nihil cognoverat, ſuadet de legati alicujus Gallici, qui de induciis, aequiſſimis atque commodiſſimis ſibi rationibus, acturus eſſet, adventu. Rex conditiones

tiones audire non recusavit. Venitque protinus Brinionus Rothomagi praeses, Galliae legatus, eodemque hospitio, quo Johannes Joachimus, usus est. Sed Belgae & Antuerpiani Caesaris subditi, inter quos olim Joachimus mercator bona sua dissipaverat, de eo in Angliam veniente prius cognoverunt, & Caesaris ad regem oratores certiores fecerunt. Illi Joachimum nocte ad cardinalem euntem atque redeuntem saepe observabant; tum explorabant, quibus & quantis pollicitationibus cardinalem aliosque nonnullos, qui cum rege tum valebant, solicitaverat de induciis. De his omnibus Prattus tum Caesaris legatus scripsit in Hispanias literas; quas intercipi ac sibi tradi cardinalis curavit, easque reseratas legit. Postridie legatum Prattum convenit: Mirari se, ait, cur hujusmodi fabulas in literis daret ad Caesarem. At Prattus sui esse officii dixit de rebus tantis dominum suum admonere; nec recte fecisse cardinalem, qui signatas atque destinatas ad Caesarem literas reserasset. Rumores jam subito non modo de induciis, sed de pace, sparsi sunt. Itaque legatus papae Romam scripsit, regem foedus cum Gallo mox icturum; proinde satius esse papae cum eodem etiam ocyus, quam serius, conjungi. Quibus literis motus papa Gallicam factionem sequutus est; at suo magno, ut dicemus sequenti anno, malo. Sed haec omnium rerum perturbatio, quam cardinalis meditabatur, & Gallorum legatio, allato illo de Caesaris victoria & Galli captivitate nuncio, impedita est. Nam rex repudiatis Gallis Cuthbertum Tonstallum Londinensem Episcopum & Richardum Wingfield militem de belli Gallici progressu legavit ad Caesarem; ac interea de pecuniis, quibus bellici sumptus sustentarentur, conficiendis consilium cepit. At Wolseius cardinalis odio jam aperto saevit in dominum Paceum, regium, ut diximus, ad Venetos oratorem; quia se inconsulto duci Borboniae & Caesarianis militibus pecunias ministrabat; sine quibus Caesaris exercitus dissipatus discessisset, Gallusque Marte superior extitisset. Ita enim sine ulla mora atque difficultate cardinalis existimavit regem suo suasu defecturum a Caesare atque pacturum cum Gallo. Itaque dum Paceus apud Venetos ageret, cardinalis regem, ut mox dicemus, ita in eum optime de rege meritum abalienavit; ut nec pecunia, pro qua fidejusserat, restitueretur, nec sibi ut legato quicquam etsi crebris literis instanti mitteretur: Id quod gravissimum eruditissimumque virum, beneque sibi conscium in aegritudinem incurabilem, indeque in delirium, coëgit. Nam capto Gallo, quod papam atque cardinalem Wolseium intus pupugit, Caesar in Italiam ad tuendas suas ditiones, quas superiori adventu atque motu Galli turbatas esse cognoverat, proficiscendum sibi statuit. Qui Caesaris adventus formidabilis papae fuit; quod paulo ante ex oratoris sui in Angliam literis, ut diximus, cum Gallo foedus iniisset; & cum Caesar regnum Neapolitanum, Siciliam insulam, & Mediolanum teneret, ne adventu & potentia sua totam Italiam occuparet, Venetos, Florentinos, Urbinates & caeteras liberas Italiae ditiones atque civitates eodem metu solicitavit, ut conjunctis viribus averterent & prohiberent ab Italia Caesarem. Itali itaque de impediendo Caesare foedus ineunt. Interea novis conditionibus & obsidibus datis, Caesar Gallum captivum relaxavit, & pax etiam inter regem atque Gallum stabilita est; quo nihil papae atque Italis optatius potuit contingere. Legatos enim illico ad Gallum mittunt de ejus liberatione gratulatum, eique ostendunt foedus, quod de coercendo Caesare inter se pepigissent. Gallus a papa, juramento Caesari dato solutus & foedifragus

gus eidem se inscripsit foederi; & copiose ac diserte satis scriptam apologiam in Caesarem edidit, cur a fide recesserit. Iidem legati, postquam cum Gallo transegissent, veniunt ad regem in Angliam. Is in ejusmodi foedere cum papa atque Gallo cohaerere noluit; sed pristinae necessitudinis memor Caesarem, ut caveret, quod quidem gratissimi fuit officii, certiorem facit. Bellum jam atrox, violatis inter Caesarem atque Gallum papali absolutione foederibus, incensum est. Caesar copias bellicas undique conquisivit, ut in Italiam navigaret; cumque cognovisset cardinalem omnes conatus intendisse, ut regem ab antiquo foedere Burgundico abduceret, Hugonem Mendosanum, virum illustrem atque nobilem, oratorem ad eum misit; qui & Galli perfidiam regi declararet, & regem in veteri necessitudine atque fide retineret. Gallus itidem suos misit oratores, ut regem ad se allicerent. Uterque tam Gallus quam Caesar, uter sibi regem magis devinciret, laboravit. In quo Wolseius boni scilicet cardinalis officium, ac ut se dignum fuerat, Caesaris odio fecit. Produxit nunc primum id consilii, quod diu imo pectore latuisset, ut Caesare deserto rex perpetua necessitudine & affinitate jungeretur Gallo: Simulavit inter Gallum & dominam Mariam regis ex domina Catharina filiam nuptias: De quibus cum a regis Galliae consiliariis ageretur, praeses Parisiensis, qui in eo consilio fuit, dicebat non fore honorificas illas tanto regi nuptias; quia domina Maria ex illicito coitu, nempe fratris Henrici regis vera conjuge, procreata, esset spuria; ideoque nec jure in haereditate regnoque patris posse succedere. Hoc responsum cardinalis dolo fabricatum est; & tamen, ne is videretur in re tanta obrepere subito regi, dominum Longlandum Lincolniensem Episcopum Henrici regis confessorem, virum in theologia scholastica doctum, ad se vocavit: Quaerit ab eo, AN JURE DIVINO FRATRI LICEAT FRATRIS SUI DEFUNCTI VIDUAM UXOREM DUCERE? Is de hac quaestione perplexus unum aut alterum deliberandi diem petit; ac reversus nefarias esse & incestas nuptias affirmavit. Tum narravit ei cardinalis, quid a regis Galliae consiliariis responsum fuit, cum inter dominam Mariam & regem Galliae nuptiae conciliandae essent: Proinde sui esse officii dixit, cum esset confessor regius, regem quamprimo tempore admonere; ut repudiata adulterina conjuge, justas sibi nuptias, e quibus justa ei & haereditaria nascatur soboles, procuret; ne, se mortuo, liberis ex hac domina Catharina genitis ejectis, oriatur gravis inter proceres de regno adipiscendo contentio. Hoc consilio, in quo sibi tantum cardinalis placuit, non potuit inveniri aut excogitari quicquam regno salutarius, aut sibi, papae atque curiae Romanae perniciosius. Ut ait Hesiodus:

Ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.

Malum consilium consultori pessimum.

DUM haec geruntur, dux Borboniae, qui cum Caesarianis militibus in Italia fuit, papae facinus ulturus Romam expugnavit; eaque capta, papa atque cardinales in arcem, quae Angelica dicitur, profugiunt, aedibus suis desertis ac Caesarianis militibus derelictis praedae. Illi diuturna obsidione papam & cardinales, quorum calamitatem ne Romani quidem deplorabant, tenuerunt, processiones & caeteras ceremonias pontificias cum ornamentis & solennitatibus requisitis indies peregerunt. Hac re in Anglia

nunciata Wolseius cardinalis omne, quod restabat, virus in Caesarem evomuit: Ad regem flebili oratione venit, casum papae cum lacrymis exponit, in Caesarem acerrime invehitur: satius esse regi judicat ab ejus necessitudine & affinitate discedere, quam, cum FIDEI DEFENSOR a sanctissimo papa nominatus sit, hanc inferri papae & ecclesiae Romanae contumeliam perpeti. Rex commotus decrevit fecialibus suis denunciare Caesari bellum; nisi dimidium militaris praedae Paviae captum & Aureliarum ducem sibi redderet, ac papam liberaret. Caesar benigne respondit se obsidionis papalis ignarum: de caeteris regi satisfacturum. At cardinalis, etsi non subesset belli causa, tamen inconsulto rege ad Clarentium fecialium principem regis nomine scripsit, ut bellum denunciaret. Is mandatum peregit. Tum regem solicitavit, ut sororem regis Galliae, Catharina repudiata, uxorem duceret: Nec esse causam, cur ea affinitate conciliata timeret Caesaris potentiam; eoque magis, si papam militibus aut pecunia juvaret. Rex pecunias concessit, sed milites noluit. Cardinalis itaque cum ingenti thesauro ad Gallum proficiscitur; Gallus in Italiam exercitum copiosum regis sumptibus mittit. De nuptiis novis & repudianda domina Catharina agitur: Rumores inde varii inter Anglos atque Gallos exagitantur. Id quod regi valde displicuit, bellum Caesari denunciatum, & de novo matrimonio conciliando a cardinali, antequam is prius cognovisset & domina Catharina a se legitime separata esset, tractari. Verum eo audaciae progressus fuit cardinalis, ut, cum omnia sibi licere liberaque esse putaret, nullis potuit finibus metisque contineri. Ab hac itaque legatione reversus cardinalis, cum vidisset alieniori a se animo fuisse regem, quod Caesari indiceretur bellum, crimen omne impudenter in Clarentium transtulit, eique, simul ac redierit, poenam capitis minatus est: Quod cum a suis familiaribus accepisset Clarentius, vias praeterea & portus a cardinali observari, ut praeceps, antequam regem conveniret, ad ultimum supplicium duceretur; portum Rhiam clam ingressus, & ad regem ductus tres cardinalis literas ostendit; quibus nisi citius bellum indiceret, simile sibi proposuit supplicium. Commotus hac falsitate & impudentia rex dixit se nondum regiam potestatem gessisse, sed commisisse alteri; cujus se valde poenituit. Sed ille cardinalis dolo injectus matrimonii scrupulus cum regis animo insedisset altius, nec ullo modo evelli potuisset, nec rex tam facile, ut cardinalis existimavit, ad alteras nuptias, nisi prioribus infectis, transire voluisset; dum cardinali multo quam ante incertius visum est, utrum Gallicae nuptiae, quas is tam arroganter sine regis consensu paraverat, regi cordi futurae essent, coepit jam ad hoc, quod suasit, divortium lentis atque plumbeis pedibus progredi. Rex vero de illo Gallicano responso, atque cardinalis audacia, exanimatus pene & perplexus seorsim indies cum Praesulibus doctisque viris egit de suo matrimonio: Qui una conspiratione & consensu in lege divina vetitum ac prohibitum fuisse affirmabant. Itaque rex tardantem cardinalem incitavit, ut Romam aliquos accelleraret; qui a papa mature in Angliam mitti procurarent de re tanta legationes. Romana curia, ut colligi & existimari aliter ex antegressis & sequentibus non potest, hanc causam Wolseio cardinali delegavit, id est, veterano illi Campegio atque Wolseio, quod perinde fuit: Nam Campegius decennio ante cessit cardinali in alia, ut diximus, legatione. Nunc autem longis ac molestis itineribus, pedibusque aeger venit in Angliam, ut ex Wolseii sententia de hoc regali negotio judicaret.

Ab An. Chr. MDIII. — Ad An. Chr. MDXXXII.

dicaret. Quod etſi proſpectum & olfactum antea fuit; tamen, quid a papa & his cardinalibus meditatum ſit, res ipſa ac eventus negotii tandem indicavit. Antequam hujus cauſae cognitionem ſuſcepiſſent, quia vulgus variis de tanta re ſermonibus fluctuabatur, rex Idibus Novembris ad Praeſules, proceres, conſiliarioſque ſuos hujuſmodi orationem habuit. 1528.

HENRICI *regis octavi de repudianda domina* CATHARINA *oratio.*

“ VENERANDA & chara nobis Praeſulum, procerum, atque conſilia-
“ riorum cohors, quos communis reipublicae atque regni no-
“ ſtri adminiſtrandi cura conjunxit, haud vos latet divina nos providen-
“ tia viginti jam ferme annis hanc noſtram patriam tanta felicitate
“ rexiſſe, ut & illa ab hoſtilibus incurſionibus tuta ſemper interea fuerit,
“ & nos in his bellis, quae ſuſcepimus, victores ſemper evaſimus. Et
“ quanquam in eo gloriari jure poſſimus, majorem tranquillitatem, opes,
“ ac honores, prioribus huc uſque ductis ſaeculis, nunquam ſubditis a ma-
“ joribus parentibuſque noſtris Angliae regibus quam a nobis proveniſſe;
“ tamen, quando cum hac gloria in mentem una venit ac concurrit mor-
“ tis cogitatio, veremur ne nobis ſine prole legitima decedentibus majo-
“ rem ex morte noſtra patiamini calamitatem, quam ex vita fructum ac
“ emolumentum percepiſtis. Recens enim in quorundam veſtrorum ani-
“ mis adhuc eſt illius cruenti temporis memoria, quod a Richardo tertio,
“ cum avi noſtri materni Edwardi quarti ſtatum in controverſiam vocaſ-
“ ſet, ejuſque haeredes regno atque vita privaſſet, illatum eſt. Tum ex
“ hiſtoriis notae ſunt illae dirae ſtrages, quae a clariſſimis Angliae genti-
“ bus Eboracenſi atque Lancaſtrenſi, dum inter ſe de regno ac imperio
“ multis aevis contenderent, populo evenerunt. At illae, ex juſtis nup-
“ tiis inter Henricum ſeptimum & dominam Elizabetham, clariſſimos
“ noſtros parentes, contractis, in nobis inde legitima nata ſobole ſopitae
“ tandem deſierunt. Si vero, quod abſit, regalis ex noſtris nuptiis ſtirps,
“ quae jure deinceps regnare poſſit, non naſcatur; hoc regnum aut civili-
“ bus atque inteſtinis ſe vaſtabit tumultibus, aut in exterorum dominatio-
“ nem atque poteſtatem veniet. Nam quanquam forma atque venuſtate
“ ſingulari, quae magno nobis ſolatio fuit, filiam dominam Mariam ex
“ nobiliſſima foemina domina Catharina procreaverimus; tamen a piis
“ atque eruditis theologis nuper accepimus, quia eam, quae Arturi fratris
“ noſtri conjunx ante fuerat, uxorem duximus, noſtras nuptias jure divi-
“ no eſſe vetitas, partumque inde editum non poſſe cenſeri legitimum.
“ Id quod eo vehementius nos angit & excruciat, quod cum ſuperiori
“ anno legatos ad conciliandas inter Aureliarum ducem, & filiam no-
“ ſtram Mariam nuptias ad Franciſcum Gallorum regem miſiſſemus; a
“ quodam ejus conſiliario reſponſum eſt: Antequam de hujuſmodi nup-
“ tiis agatur, inquirendum eſſe prius, an Maria fuerit filia noſtra legitima:
“ Conſtat enim, inquit, quod ex domina Catharina fratris ſui vidua, cu-
“ juſmodi nuptiae jure divino interdictae ſunt, ſuſcepta eſt. Quae ora-
“ tio quanto metu ac horrore animum noſtrum turbaverit, quia res ipſa
“ aeternae tam animi quam corporis ſalutis periculum in ſe continet, &
“ quam perplexis cogitationibus conſcientiam occupat, Vos, quibus & ca-

“ pitis

“ pitis aut fortunae, ac multo magis animarum jactura immineret, remedium niſi adhibere velitis, ignorare non poſſe arbitror. Haec una res, quod Deo teſte & in regis oraculo affirmamus, nos impulit, ut per legatos doctiſſimorum per totum orbem chriſtianum theologorum ſententias exquireremus, & Romani pontificis legatum verum atque aequum judicium de tanta cauſa laturum, ut tranquilla deinceps & integra conſcientia in conjugio licito vivere poſſimus, accerſeremus. In quo, ſi ex ſacris literis hoc, quo viginti jam fere annis gaviſi ſumus, matrimonium jure divino permiſſum eſſe manifeſte liquidoque conſtabit; non modo ob conſcientiae tranquillitatem, verum etiam ob amabiles mores virtuteſque, quibus regina praedita & ornata eſt, nihil optatius nihilque jucundius accidere nobis poteſt. Nam, praeterquam quod regali atque nobili genere prognata eſt, tanta praeterea comitate & obſequio conjugali, tum caeteris animi morumque ornamentis, quae nobilitatem illuſtrant, omnes foeminas his viginti annis ſic mihi anteire viſa eſt; ut ſi a conjugio liber eſſem ac ſolutus, ſi jure divino liceret, hanc ſolam prae caeteris foeminis ſtabili mihi jure ac foedere matrimoniali conjungerem. Si vero in hoc judicio matrimonium noſtrum jure divino prohibitum, ideoque ab initio nullum irritumque fuiſſe pronuncietur; infelix hic meus caſus multis lacrymis lugendus ac deplorandus erit: Non modo quod a tam illuſtris & amabilis mulieris conſuetudine ac conſortio divertendum ſit; ſed multo magis, quod ſpecie ac ſimilitudine veri conjugii decepti in amplexibus pluſquam fornicariis tam multos annos trivimus, nulla legitima prognata nobis ſobole, quae nobis mortuis hujus inclyti regni haereditatem capeſſat. Hae noſtrae curae iſtaeque ſolicitudines ſunt, quae mentem atque conſcientiam noſtram dies noctesque torquent & excruciant; quibus auferendis & profligandis remedium ex hac legatione & judicio opportunum quaerimus. Ideoque Vos, quorum virtuti atque fidei multum attribuimus, rogamus ut certum atque genuinum noſtrum hac de re ſenſum, quem ex noſtro jam ſermone percepiſtis, populo declaretis; eumque excitetis, ut nobiſcum una oraret, ut ad conſcientiae noſtrae pacem atque tranquillitatem in hoc judicio veritas, multis jam annis tenebris involuta, tandem pateſiat.

Haec cum rex dixiſſet, magnum ob rei magnitudinem ſilentium omnes diu tenuit.

At legati reginam adeunt, eique legationis ſuae cauſam exponunt: Quae tam adverſo & improviſo nuncio attonita atque moeſta, valde ſe mirari ait, cur de hujuſmodi nuptiis, quae viginti pene annis omni controverſia carerent, jam ſubito ambigeretur: incredibile enim eſſe, ut inclytiſſimi reges Henricus ſeptimus & Ferdinandus, tum pontifex Romanus, cum prudentiſſimorum conſiliariorum multitudine in re tam clara tantopere hallucinarentur: Ferdinandum autem ſuum patrem magnis ſumptibus a curia Romana diſpenſationem obtinuiſſe, ut, quanquam principi Arturo Henrici regis fratri antea nupta ab eoque cognita fuerit, liceret tamen cum Henrico rege matrimonium copulare. Totum autem hujus motae controverſiae crimen in Wolſeium cardinalem conferebat; quod is in Caeſarem hoſti-

liter

Ab An. Chr. MDIII. — Ab An. Chr. MDXXXII.

liter affectus, & a regina propter intolerabilem arrogantiam, luxumque ac libidines, in quibus turpiter volutabat, reprehenſus eſſet, has in foeminam tragoedias excitaret. Wolſeius autem ſeſe leviter excuſavit, & in Gallum omnem facti invidiam traduxit: Se tantum judicem a pontifice Romano cum cardinali Campegio datum aſſeruit; quod ſuſceptum munus ſumma ſe aequitate praeſtiturum promiſit. Paulo poſt, cum legati judicium atque cauſae cognitionem ingrederentur, Warhamus Cantuarienſis Archiepiſcopus cum jam inſtitutam de re tanta litem cerneret, ex Cantebrigienſi & Oxonienſi academiis celebriores theologos & juris pontificii atque Caeſarei peritiores accerſivit; qui in aedibus ſuis Lamethanis indies de hac cauſa tractabant & diſſerebant. Rex, cum animadverteret quam graviter & moleſte regina hujus judicii exercitationem ferebat, permiſit ei, ne injuriam ſibi fieri putaret, ut doctiſſimos probatiſſimoſque viros eligeret, quorum conſilio in cauſae ventilatione uteretur: Illa Warhamum Cantuarienſem Archiepiſcopum, Nicolaum Weſt Elienſem Epiſcopum, juriſperitos, tum Johannem Fiſher Roffenſem ac Henricum Standiſhe Aſſavenſem Epiſcopos, theologiae profeſſores, elegit: Qui tantum cauſae patrocinium praeſtiterunt, quantum jure ac ſcientia potuiſſent. His deinde legatis atque cardinalibus pro tribunali ſedentibus, & judicio inchoato, rex & regina praeconis voce ad tribunal vocati ſunt. Ille per procuratores comparuit: Haec illis quatuor Epiſcopis, quos ſupra diximus, aliiſque conſiliariis, tum illuſtrium foeminarum multitudine ſtipata curiam ingreſſa eſt, & appellatione ad papam interpoſita cardinalium illorum judicium recuſavit; atque receſſit. Legati nihilominus in cauſa progreſſi ſunt. Sed cum variis dilationibus rex judicium procraſtinari cerneret, venit ipſe cum regina, & inſtabat legatis; ut hujus tanti negotii ambiguitatem, quae ſola tanta anxietate atque ſolicitudine conſcientiam mentemque ſuam turbat, ut nihil praeterea de publicis ac privatis rebus ſtatuere aut cogitare pene poſſit, judicii definitione diſſolvant: Judicii exitum ac eventum, ſive ab hoc conjugio diſcedendum ſit, quod minime vellet, ſive in eo manendum, quod ſi ſalvo jure divino liceat maxime cupiat, quomodocunque res reciderit, haud fore ſibi gravem; ſi matura ſententia pronunciata animus tam ancipiti cura liberetur: Eos, quibus eſt conſtrictus & impeditus moeroribus animus de ſua cauſa, facilius colligere & exiſtimare poſſe; proinde a legatis ſe petere, ut amputatis conſuetis judiciorum cunctationibus atque tarditatibus, cum tantam accepiſſent a papa poteſtatem, ut exquiſitis atque perpenſis tam theologorum quam juriſperitorum ſententiis ocyus de cauſa pronuncient. Ac hujuſmodi habito ſermone rex diſceſſit; regina ne verbum quidem legatis faciens regem ſequuta eſt. Sed a legatis revocata, cum ab ea quaereretur, utrum appellationem deſerere & cauſam legatorum judicio permittere vellet, per procuratorem reſpondit ſe ſtaturam appellationi. His geſtis diſceptationes indies coram legatis inter theologos & juriſperitos de hac quaeſtione habitae ſunt: AN DUCERE UXOREM COGNITAM A FRATRE DECEDENTE SINE PROLE SIT PROHIBITIO JURIS DIVINI INDISPENSABILIS A PAPA? Nam quod ab Arturo principe cognita fuerit, etſi id jam regina negaret, tamen regis procuratores & advocati tribus rationibus evicerunt: Primo, quod nuptiis inter eam & principem in eccleſia Paulina, ſicut diximus, celebratis, ſequenti nocte concubuerunt: Et princeps ſummo mane potum petiit; eoque profundius exhauſto, cum ab eo quidam ſciſcitaretur, cur jam ſolito vehementius ſitiiſſet, reſpondit; quia ea

An. 1529. (margin, beside "His deinde")

Ex Archivis. (margin, beside "AN DUCERE UXOREM COG-")

nocte ex Anglia in calidam & ferventem Hiſpaniarum regionem, quae ſitim ſuam multum auxit, profectus eſſet. Quo indicavit ſe dominam Catharinam Hiſpanam carnali congreſſu cognoviſſe. Deinde, Arturo paucis poſtea menſibus vita functo, Henricus tum dux Eboracenſis principatu Walliae, quae fratre ſine liberis decedente ad eum pervenit, uno menſe abſtinuit; quia domina Catharina ſe tum ex principe gravidam ſuſpicabatur: quae ſuſpicio niſi ex congreſſu naſci non potuiſſet. Poſtremo, quod cum ante nuptias, quas cum Henrico rege contraxiſſet, pater ejus Ferdinandus a papa Julio diſpenſationem impetraſſet, ut liceret ei ducere fratris ſui viduam; tamen, quia in ea diſpenſatione de carnali copulatione mentio nulla facta fuiſſet, regina alteram ab eodem papa procuravit, in qua haec verba inſerta fuerunt: " Uxorem a fratre ſuo prius ha- " bitam, vel FORSAN cognitam". Ex quo ſuo proprio ad papam ſuggeſtu liquet eam congreſſum confiteri: Nec ad rem pertinet, quod vocem confeſſionis tam clarae vim minuentem FORSAN inſeruit; cum ipſa, quae hoc ſuggeſſit, incerta aut dubia ejus rei eſſe non potuit. His probationibus hujus facti controverſia, cognita ſcilicet a priori viro necne fuerit, ſublata eſt. Cum vero ad juris explicationem ventum eſſet; utriuſque tam regis quam reginae theologi advocati illicitas eſſe nuptias dixerunt; nec poſſe authoritate aut diſpenſatione papali contra jus divinum conciliari. His juris factique definitionibus cum expedita cauſa & ad ſententiae calculum parata atque perducta eſſet, rexque litis finem ac judicium ſine mora expectaret, legati confuſi ac incerti haerebant tanquam in dilemmate. Proſpiciebant enim, ſi pronunciarent Romanam curiam contra jus divinum, quod minime facere poſſit, diſpenſaſſe, omnem ejus authoritatem enervarent; ſin vero Romanam curiam id remittere ac relaxare poſſe dicerent, quod jus divinum poſuit atque ſanxit, jam theologos, quorum ſententiis damnata & exploſa fuit ea opinio, timebant. Itaque in hac ancipiti deliberatione dum utrinque imminere Romanae curiae dedecus & exiſtimationis jacturam cernerent, perplexi & multo quam antea, ut Terentiani advocati, incertiores multis cautelis & argutiis litem differebant. Wolſeio etiam alia hujus dilationis cauſa fuit; quod cum is potentia ſua anteacta fretus exiſtimavit ſe regem ad quaſcunque vellet nuptias flectere & allicere poſſe; videbat his nuptiis diſſolutis regem lectiſſimam foeminam dominam Annam Boleyn eſſe ducturum; quae in Evangelii lectione aſſidua fuit, & a Romana ſuperſtitione & faſtu atque elatione cleri animo toto abhorrebat. Tum multis indiciis indies colligebat, continua procerum interpellatione, quibus inviſa & intolerabilis fuit ejus libido ac potentia, regis a ſe animum eſſe alieniorem. Interea, dum haec in Anglia gererentur, Romae ad papam regis legati fuerunt Stephanus Gardiner legum doctor & Franciſcus Brian miles. Et Caeſar paulo ante in Italiam venerat, ac Clementem papam a captivitate liberaverat; perlatique ſunt in Angliam rumores papam aut jam obiiſſe, aut hujuſmodi morbo periclitari, ut evadere mortem non poſſit; occupavitque mox Wolſeium papatus ambiendi cupiditas. Itaque regi ſuaſit non alia ratione commodius hoc, de quo tractabant, divortium procurari poſſe, quam ſi is eligeretur papa; quo facto promiſit ſe id illico diremturum. Facilem autem eſſe rem ſua & Gallorum regis gratia papatu potiri; quod Caeſar jam ob direptam nuper Romam odio cardinalibus eſſet atque Romanae curiae. Rex, cum ad ſuam etiam magnificentiam illuſtrandam hoc multum valiturum exiſtimavit, annuit Wolſeio,

ſcio, ut ſuis etiam ſumptibus legatis Romae ampliſſima daretur hoc negotium procurandi poteſtas: Ad quos etiam tam a rege quam a cardinali literae dantur; ut omnes cardinales, ſive Caeſarianae ſive Gallicae factionis fuerint, donis, pollicitationibus, blanditiis, minis, omnique verſutiae genere ad Wolſeium papam eligendum ſolicitarent. Summa ſuaſionis fuit; niſi regi in Wolſeio eligendo morem gererent, verendum eſſe ne, cum Romana curia averſum jam & hoſtem ſenſiſſet Caeſarem, ſi is una hac de cauſa deſciſcat, ruituram funditus Romam. Quae tanta ex miſerrima ambitione provenit Wolſeio caecitas, ut regem jam de evertenda Romana potentia doceret: Nec interea de ſua ruina, quae mox adfuit, prudentius proſpicere potuit. Idem tanta tum efferebatur licentia, ut & coenobia atque monaſteria, quae ſanctiſſima illis caecis temporibus loca putabantur, quaeque aliquo modo violari vulgus ſummum nefas exiſtimavit, ejectis monachis diruit atque profanavit; eorumque poſſeſſiones atque praedia ad extruendum magnificentiſſimum Oxonii collegium convertit. Horum tum coenobiorum demolitiones viro ſolertiſſimo domino Cromwell, qui in legatina cardinalis curia cauſiſque ab ea ad papam per appellationem translatis multorum negotia procuravit, Romamque frequenter ire ac redire conſuevit, ac in itinere, dum Germaniam tranſiret, accepit ea quae a Lutherianis praedicata fuerunt, commiſſae ſunt. Vix enim eo tempore fuit quiſquam, qui ſummam eſſe religionem non putavit, coenobiorum bona attingere. At cardinalis audacia etiam profeſſae religionis ripas fregit, ac ad totius papalis agri calamitatem & inundationem erupit. Cromwellus autem cum de fratrum atque monachorum illicitis ſocietatibus collegiiſque, tum de turpi ac deſidioſa vita, a Germanis accepiſſet, ipſeque Romae illam opprimendi poteſtatem pro cardinali tum ſuo hero atque domino procuraſſet; obiit id muneris libens, nullo conſcientiae ſtimulo impeditus; ac demum ejecta, ut dicemus, pontificia poteſtate, de caeteris omnibus demoliendis author ac ſuaſor fuit.

Atque haec de cardinali ad ſupremum apicem culmenque elato: Nunc de eodem turpiter ac ignominioſe dejecto, Romaque cum eo ſimul collapſa, dicendum eſt. Conatus ejus de adipiſcendo papatu plane ſtultus ac inanis fuit: Nam & Clemens adhuc vixit, & Caeſaris in Italia praeſentia omnes cardinales recenti calamitate afflictos tenuit, ac Wolſeii inimici ſui ambitionem fecit irritam. Itaque, cum Wolſeius cardinalis ſenſiſſet interea, dum fruſtra tantis gerendis honoribus ſtuduiſſet, quantas de his nuptiis inter Caeſarem atque regem turbas concitaverat; tum veritus ne ſecuturae cum domina Anna Boleyn nuptiae ob Evangelium ab illa receptum ſibi atque Romae pernicioſiſſimae forent; omnem dedit operam de revocandis his, quae, etſi jure niterentur, is tamen non religione ſed ambitione geſſiſſet. Quidam ferunt eum, dum honoribus inhiaret, ariolos de repellendis his, qui ſuae ambitioni atque cupiditati obſtarent, conſuluiſſe; atque accepiſſe, ſibi a foemina, quae eum apud regem gratia ſuperaret, eſſe cavendum. Is eam dominam Catharinam fore ratus, turbatis nuptiis eam a rege amovere ſtuduit; & jam inter muliebres anguſtias conſtitutus, dum utriſque pariter inviſus eſſet, quo ſe verteret, aut diſcrimen, in quod ſuam Romanamque potentiam conjecerat, effugeret, ignoravit. Nam rex tantam moram & procraſtinationem in cauſa jam exploratа atque cognita a legatis fieri haud facile toleravit. Itaque cum accepiſſet

An. 1530.

ſet Caeſarem atque papam Bononiae in Italia una fuiſſe, dominum Thomam Boleyn Wiltoniae comitem, dominum Stokeſley, & dominum Lee legum doctores ad eos legavit, a papa petituros, ut ſuos in Anglia legatos ad ferendam de illo matrimonio ex jure divino ſententiam ſine mora incitaret: a Caeſare vero, ut is de hac cauſa juxta theologorum ſententias dijudicari pateretur. Caeſar id ſe aequiſſime laturum reſpondit. At papa pertimuit, ne ſeparato conjugio commoveretur Caeſaris animus, & Romanae curiae in tribuendis diſpenſationibus facultas, ſi ratione juris divini extenuaretur, ſorderet. Itaque, cum prolixiores ad impediendum regis conatum dilationes in animo haberet, reſpondit, ſe ſimul atque Romam veniſſet, cauſam ſuſcepturum, &, ex utraque parte auditis juriſperitorum & theologorum ſententiis, ſecundum aequum atque rectum pronunciaturum. Reverſis cum hoc reſponſo legatis animadvertit rex, quibus technis papa ſuique cardinales eum ludificarent: Quorum contumelias & ludibria cum jam amplius ferre noluit, duobus clariſſimis regni ſui proceribus, Norfolciae atque Suffolciae ducibus, conqueſtus eſt, dixitque quid eos facere vellet. Illi legatos adeunt, de his dilationibus expoſtulant, judicium inſtanter requirunt, regi perinde fore in utram partem pronuncient; ita enim eximi & auferri ex animo conſcientiae ſtimulos, quibus affligitur. His Latina & facunda oratione reſpondit Campegius cardinalis: Nihil ſibi fuiſſe prius, quam regem his, quibus de conjugio perplexus eſſet, curis liberare; ſed hoc menſe Julio tranſacto, neque jure canonico, nec Romanae curiae conſuetudine licere duobus proximis menſibus inſtanti meſſis atque vindemiarum tempore, ante idus Octobris de cauſis controverſis judicare; quod ſi aliter facerent, judicium totum irritum ac juris viribus caſſum eſſe cenſendum. At vero duces hoc commento legatos effugere paſſi non ſunt: Reſtabant enim adhuc duo dies Julii ante kalendas Auguſti, in quibus, quoniam ſatis deliberatum fuit, petierunt ut cauſam ſententia definirent: At legati non amplius ſe acturos ante idus Octobris aſſerebant. Id quod duces atque proceres, qui regem tam indignis tractari modis a cardinalibus aegre ferebant, ad obſcura murmura coegit: Inter quos Carolus Suffolciae dux manu menſam fortiter diſcedens percuſſit, & jurejurando exclamavit, verum eſſe quod antiquitus dici conſuevit: "Nunquam boni quicquam a Romanis cardinalibus in Anglos eſſe "profectum". Haec ducum atque procerum non obſcura indignatio & diſceſſio cardinales ſtupore affecit; qui prorogato ad idus Octobris judicio curiam dimiſerunt. Rex, etſi ob hanc injuriam motus & concitatus fuit, tamen pacavit ultro ac prudenter ſpiritus; idusque Octobris, quas Campegius ad definiendum in cauſa ſtatuit, expectare decrevit, ne ullius excuſationis praetextus legatis ſupereſſet. Concluſi itaque his difficultatibus & anguſtiis legati omnem ingenii fraudem atque jus in exploranda evaſione ponebant. Wolſeius a quibuſdam fide dignis perhibetur, cum hanc cauſam in tanto diſcrimine verſari intellexerat, ſecretas dediſſe ad Clementem papam literas; ut quantum poſſit iſtis ſeparandis nuptiis impedimento eſſet, & omen ex alteris nuptiis futurum Romae exitiale quantum poſſit averteret: In quibus etiam ſuam temeritatem faſſus eſt; quod cum contra Caeſaris vim ac potentiam de Roma tuenda proſpicere atque cavere vellet, eam his turbandis nuptiis in graviora pericula conjecit. Hae autem, ut ferunt, literae a generoſo quodam Anglo juvene, qui non tam libidine quam conſilio ſcortum quoddam elegans papae conſuetudine ſua tenuit, explo-

exploratae & ad regem miſſae ſunt. Quibus acceptis & cognita jam Wolſeii cardinalis, dum ſuis tantum commodis & ambitione omnia metiretur, in utramque partem perfidia, rex cardinali inſcio legatos ſuos diſcedere Roma & in Angliam reverti juſſit. Verum, utcunque res ſit, certum eſt, cum rex pro certo haberet Campegium cardinalem uſque ad hujus matrimonialis controverſiae finem & exitum in Anglia manſurum; eum, paulo poſtquam judicium, ut diximus, in idus Octobris rejectum ac dilatum fuerat, Clementis papae literis Romam ſubito fuiſſe revocatum. Quod cum regi manifeſtum dediſſet indicium atque ſignum totius impietatis & impoſturae papalis, quae omnia jura, divina & humana, libidine ſua labefactat; miranda divini fati potentia excitatus, ad tantam improbitatem ulciſcendam ſuperbiamque proſternendam ſe accinxit.

Ac primum, ſimul atque Campegius cardinalis diſceſſiſſet, rex Wolſeium cardinalem, quem ad tantos honores extulerat, poſtquam nihil in eo rectae atque integrae fidei ne erga ſe quidem eſſe perſpexerat; nec hominem, ſed larvam ex dolis, impoſturis, rapinis, libidine & ambitione contextam ac fabricatam cognoverat, toto animo reſpuit, & aula conſpectuque ſuo prohibuit. Tum caeterorum criminationes, poſtquam regis gratia hujuſmodi merito caruit, eum tot annis tantaque authoritate in omni fraudum & injuriarum genere verſatum ita opprimebant; ut ſummum ſibi adeſſe exitium exiſtimavit. Atque ſane mirum eſt, eum, qui tot annis tantam ſibi firmaſſet potentiam, tam parvo momento tanquam oculi ictu concidiſſe. Verum ei, qui ambitione papam, ſuperbia Caeſarem, diſſimulatione regem, faſtu proceres, rapinis tenues, injuriis potentiores, bonoſque omnes impietate a ſe alienaſſet, haud facile fuit tamdiu conſiſtere. Sed hujus quidem repudii rumores non modo Angliam, ſed Chriſtianum pene orbem totum ita compleverunt, ut regi jam neceſſe fuit, qui tot annis cardinalis fraude & perfidia in varia, eaque incerta, diſcrimina venerat, rempublicam ipſam capeſſere, nec alteri amplius, ut cardinali fecit, gubernandam committere. Ac, quoniam maxime ſe conflictari gravarique conſcientia de hoc ancipiti matrimonio ſenſerat; de eo celeriter curandum exiſtimavit. Campegio cardinali tum Romam profecto menſe auguſto, quo legati papales mentiti ſunt non licere de cauſis matrimonialibus agere, rex, ut animum ab his curis aliquamdiu relaxaret, conſiliumque interea cum his, quos fidos habuit, ſecreto caperet; cum Norfolciae Suffolciaeque ducibus, aliiſque ſuis neceſſariis Walthamiam oppidum, Londino duodecim milliaribus disjunctum, venatum advenit. In quo itinere altam mentis aegritudinem & in Wolſeium cardinalem indignationem Stephano Gardinero ſecretario ſuo, qui, ut paulo ante diximus, Romae fuit regis legatus, & domino Foxo eleemoſynario indicavit; eoſque rogavit, ut ſedulo ac diligenter inveſtigarent, quid ad expediendam hanc litem e re maxime ſit. Quorum ſuaſu rex tum novos ad papam deſtinare legatos, commiſſionemque ita conceptam, ut ne quid deinceps retardare cauſam poſſit, procurare pene decrevit. Sed forte, ut aiunt, fortuna, cum hi doctores in aedibus cujuſdam generoſi viri magiſtri Creſſey divertiſſent, tunc aderat doctrina & pietate inſignis quidam theologus collegii Jeſu Cantebrigiae ſocius, Thomas Cranmerus; qui duos magiſtri Creſſey liberos literis inſtituit, &, peſte tum Cantebrigiae fervente, una cum dictis adoleſcentulis eam æſtatem Walthamiae triverat: Quem,

etſi humili jam tenuique vitae conditione contentum, tamen doctrina & veteri Cantebrigiae familiaritate notum, cum Gardinerus atque Foxus conſpexiſſent; renovata, ut ſolet, familiaritate ſuis epulis adhibebant, eumque de regis cauſa conſulebant. Sed, praeter doctrinam ſingularem, erat in Cranmero mirifica quaedam gravitas & modeſtia; ut de rebus magnis non facile niſi meditatam ſententiam proferret; & quo magis cum gravitate diceret ac fucum jactantiamque vitaret, eo probabiliorem orationem ſuam effecit. Itaque gravate ille primo: Sed, cum a regis conſiliariis urgeretur, quibus ſibi parendum putavit; “ Ego, inquit, de re tanta “ ſine meditatione atque ſtudio haud ita multum adducere vobis poſſum: “ Sed mea ſententia, quia rex ita mente & conſcientia turbetur, nihil neque cauſae diuturniorem moram adferre, nec turbatae afflictaeque conſcientiae graviores dolorum aeſtus inurere poſſit, quam Romanarum litium dilationes & anfractus; quibus qui tenentur laqueis, vix unquam “ ſe expediunt. Proinde ſatius eſſe duco, ut omiſſis forenſibus ventilationibus atque moris, in quibus tanta animi aegritudine rex jam nimium “ diu jactatus ſit, tam in noſtris quam in exteris Academiis exquirantur “ de hac cauſa, quae divino non humano jure definiri poteſt, theologorum ſententiae. Et, ſi theologi vel vetitas, vel licitas, eſſe has nuptias jure divino pronuncient ac conſentiant, rex non amplius Romanam curiam petat; ſed in ſua regione ac provincia ſententiam ferri ac “ pronunciari juxta theologos faciat. Ita mente hilaris ac conſcientia “ ſecurus regiam atque hac republica dignam vitam in legitimo matrimonio, quod nobis ſubditis optandum eſt, tranſigere poteſt”.

Haec cum ſumma gravitate prudentiaque paucis dixiſſet: Gardinerus atque Foxus hoc ſaluberrimum conſilium quaſi divinitus datum amplexi, optabant ut ea via regi ita Romam erranti antea monſtrata fuiſſet. Itaque poſtridie, cum Gardinerus atque Foxus regem adiviſſent; quaeſivit ab his rex, quid jam de cauſa ſua ageretur? Cui Foxus illum Cranmeri congreſſum ac ſermonem ſuperiori nocte habitum expoſuit. Gardinerus vero gloriae cupiditate non diſſimilis Wolſeio, ſub quo aulicos & ambitioſos mores primo imbiberat, dum alienam in ſe laudem inepte transferre voluit, hoc, quod Cranmeri proprium fuit, ſibi coepit vendicare. At rex ejus ſermone neglecto quaeſivit a Foxo, an is Cranmerus adhuc Walthamiae maneret. Is eum ibi relictum affirmat. Proinde rex accerſiri ad ſe Cranmerum juſſit: “ Cujus, inquit, conſilium, quod ego rectum eſſe cenſeo, ſi “ biennio antea cognoviſſem; infinitis in Romana curia profuſis ſumptibus “ pepercisſem, & mente laetiori magiſque tuta placidaque conſcientia jam “ vixiſſem”. Venit paulo poſt ad regem Cranmerus; cum quo rex de ſuperiori colloquio ſuaque de ea re ſententia egit. Cranmerus non minus graviter atque docte, quam ingenue ac modeſte, quid ſenſerat ac cognoverat, eloquutus eſt. Rex ingenuitatem, facundiam & doctrinam viri ſingularem admiratus rogavit, ut ſententiam, quam dixerat, in ſcripta referret; mandavitque Wiltoniae comiti, ut Cranmerum de ſua cauſa ſcripturum ſua domo exciperet ac benigne tractaret. Itaque ex ſacris ſcripturis, conciliis & Patrum orthodoxorum ſententiis Cranmerus libellum conſcripſit. In quo regis cum domina Catharina nuptias lege divina interdictas, nec papae nec ulla humana remiſſione conciliandas eſſe docuit.

Rex

Rex perlecto libello rogavit, an ea, quae ibi aſſeveraſſet, in Romani pontificis curia vel praeſentia auderet defendere. Cranmerus conſtanter & intrepide audere ſe reſpondit. Rex confiſus hominis ingenio ac doctrina novam legationem ad papam profecturam paravit. In ea Wiltonienſis comes, Thomas Cranmer, dominus Stokeſley, dominus Cairnus, dominus Benedictus multis doctis ac generoſis viris comitantibus profecti ſunt. Papa tum fuit Bononiae celeberrima Italiae civitate; in qua etiam celebris omnium bonarum artium & ſcientiarum Academia inſtituta eſt. Locus ſane huic ſuſceptae legationi, ſi papa voluiſſet, ad inquirendam illius quaeſtionis veritatem percommodus. Quo cum perveniſſent legati, ad papam perducti, oſculari amplius ejus ex more pedes noluerunt; ſed cum papa pedem oſculandum extendiſſet, puſillus catulus, qui comitis Wiltonienſis fuit, ingreſſus locum, cum pedem vidiſſet gemmis auroque lucentem, rem tam raram laſcivus dentibus apprehendit atque momordit. Id papa indigne tulit, & inducto ad ſe illo ſplendido pede, altero canem abegit. Hoc omine cum Angli in riſus & cachinnos profuſiores eſſent; papa contractis ſuperciliis cauſam legationis quaeſivit. Ea a domino Wiltonienſi comite expoſita eſt: qui cum peroraviſſet, tradidit papae libellum a Cranmero compoſitum; ſimulque adeſſe jam narrat ex Anglia doctos viros, qui, quae in illo libro continerentur, ex ſacris ſcripturis, conciliis ac orthodoxorum Patrum ſententiis contra ſingulos contradicturos eſſent defenſuri. Papa ſaepe promiſit legatis diſputandi & contradicendi diem; verum cum eadem incertitudine ac perplexitate haereret, qua ſui, ut diximus, in Anglia legati Campegius & Wolſeius cardinales antea infixi & confuſi ſunt, legatis perhonorifice atque blande tractatis, tum Cranmero, quem illius dati ad ſe de regis cum Catharina conjunctione opuſculi authorem ſive conjecerat, ſive noverat, poenitentiario ſuo in Anglia, Hibernia & Wallia conſtituto, quod munus omnem ſolvendi atque ligandi tum a papa poteſtatem continebat, cum puſillanimus & Caeſarem & Gallum & regem maxime pertimeret, nihil auſus eſt de re tanta ſtatuere, aut litem moris producere; ſed concilium, re infecta ac ne mota quidem, dimiſit. His nunciis legati reverſi omnes ſunt, praeter Cranmerum: Qui regio tacito praecepto Caeſarem & Germaniae principes, cum reverteretur, in itinere adiit. Eo tempore Caeſar erat in expeditione contra Turcam Viennam Auſtriae civitatem expugnaturum. Ibi cum Cranmerus eum regis nomine conveniſſet, atque quaeſiviſſet, qui ex ſuis domeſticis atque notis eſſent contradicturi; datus eſt ei non vulgaris, ſed ob nonnullos libros editos notus vir, in arcana philoſophia quam in theologia peritior, Cornelius Agrippa. Is cum facile Cranmero in ea cauſa aſſenſus eſſet; eadem facilitate ſuaſit caeteris in Caeſaris familia doctis viris, ne cum Cranmero, a quo veritatem profectam eſſe dicebat, contenderent. Ita nemine contradicente a Caeſare diſceſſit Cranmerus; & peragrata tota Germania doctiſſimorum virorum in Academiis; & aulis principum ſecum conſpirantium opiniones & ſententias ad regem in Angliam ſecum tulit. Interea alii a rege miſſi legati Gallicanas & Italicas Academias perluſtrabant, earumque deciſiones cum Germanicis & Cranmero conſpirantes, ac ſigillis publicis authenticiſque confirmatas in Angliam duxerunt. Quibus peractis, cum rex, quantum in Romana curia vanitatis & impietatis ineſſe perſpexiſſet; ac in Wolſeio cardinali veram imaginem & tanquam ideam illius profanae

nae atque sordidae ecclesiae animadvertisset, tum animi excelsi & invicti magnitudine caeteris regibus ac principibus praestitisset; tam impurae ecclesiae, tanquam prostitutae meretricis, dominationem ac libidinem, quae ipsum in tam diuturnum stuprum adumbrata contra jus divinum dispensatione induxerat, amplius perferre ac tolerare noluit. Sed, cum longe difficile ac periculosum esse cerneret tam ingentem molem prosternere; secreto prius explorabat, quo jure anteactis saeculis tanta papalis potestas primum in hoc regnum irrepsit. Ac in sacris scripturis & jure divino rex ex eo periculo, quod in matrimoniali sua causa de Cranmero fecerat, neminem libentius, quam eum, consuluit. Is non modo ex jure divino, sed ab omni, ab ascenso in coelos Domino Christo, antiquitate docuit; quomodo sensim & pedetentim Romana ecclesia, contra sacrum verbum Domini non modo in greges & alias ecclesias, sed in reges & imperia dominationem acquisivit: Eamque jam dominationem ac potentiam non lege divina, ut pontificii volunt, institutam, sed humano potius more, qui valere contra aeternitatem non potest, temporis longinquitate praescriptam ac usucaptam tenere. Ac Wolseius quidem cardinalis, qui de his nuptiis tanquam incestuosis primus conquestus est, nonnulla regi in papam insusurravit, quotiescunque suae ambitioni expedire videbantur. Quae, etsi vera fuerunt, tamen eo minorem authoritatem habuerunt, quo magis a glorioso & inani ingenio profecta sunt. At hic Cranmerus veritatis theologus, cui verba non ex fuco & fallaciis, sed ex doctrina & simplicitate evangelica profluebant, regis optimi clarissimique conscientiam eodem pene tempore tam incestus quam papalis dominationis jugo liberavit. Restabat jam in his duobus negotiis nihil quam ut rex ab his duobus vinculis, uno thori, altero papalis religionis, se eximeret; aperteque discederet. Quo quidem tempore duo, de quibus antea diximus, insignes ingenio viri a cardinali adducti & inter regios consiliarios ascripti sunt, Thomas Morus & Thomas Cromwell: Ille in jure Angliae municipali, literisque Graecis ac Latinis perdoctus fuit; & quanquam cardinalis superbiam ac tyrannidem exosam haberet, pontificia tamen, quod valde dolendum fuit, superstitione & caligine ita caecabatur, ut eidem ad extremam suam perniciem adhaereret. At Cromwellus, etsi non ita doctrina praestabat, tamen ex usu rerum in legatina cardinalis curia & appellationibus Romam delatis perceptarum, crebrisque per Germaniam, Galliam, ac Italiam itineribus ea collegit, quae vir excellenti ingenio, & summo Evangelii propagandi studio, contra pontificios dolos ac imposturas, ad Romanam authoritatem ex Anglia profligandam regi patefecit atque produxit. Inter hunc & Cranmerum summam necessitudinem Evangelium conciliavit, ut dum ille experientia, hic doctrina cunctos antecelleret, tum utrique regi intimi atque chari essent. Ex horum consilio, & impiis atque odiosis papae & Wolseii cardinalis actis summum supplicium & exitium Romanae curiae divinitus paratum est: Rex enim Parliamentum convocavit, mandavitque Warhamo Cantuariensi Archiepiscopo, ut congregaret in synodo clerum. Ac primum rex Wolseii cardinalis potentiam minuendam & reprimendam putavit. Ei igitur cancellarii munus detraxit, idque Thomae Moro tradidit: deinde, quia multorum capitalium criminum reus fuit, praesertim in eo quod legatinam authoritatem inconsulto rege ac sine ejus permissu a papa accepisset, omnia bona sua cepit ac

in

in fiſcum detulit: Tum, donec de cauſis ejus in parliamento ageretur, eum in Eſheriam, qui locus tum Wintonienſis Epiſcopatus fuit, relegavit. Archiepiſcopatum Eboracenſem & Epiſcopatum Wintonienſem ſibi reliquos fecit: Dunelmenſem Epiſcopatum Cuthberto Tonſtallo, ac abbatiam ſancti Albani Norvicenſi priori, contulit. Cardinalis Wolſeius, cum Londino diſcederet, unam ante ſe geſtari crucem, Archiepiſcopatus videlicet Eboracenſis inſigne, juſſit: Namque illam alteram, quae legatinam & a papa acceptam poteſtatem declarabat, ſuſtulit; optavitque, ut eam crucem nunquam coram ſe geſtari permiſiſſet, ſed archiepiſcopali ſola contentus fuiſſet. Interea in parliamento haec crimina contra cardinalem objecta ſunt:

QUOD ſine regis venia ac licentia legatinam a papa authoritatem accepiſſet, eamque in Anglia contra regni jura exercuiſſet.

QUOD in omnibus literis, quas ad papam & exteros principes dediſſet, ſe regi, his verbis, parem adjunxiſſet, REX ET EGO.

QUOD magnum regni ſigillum regno in Belgium, cum ad Caeſarem legationem obiiſſet, exportaſſet.

QUOD rege inconſulto bellum Caeſari denunciari a feciali juſſiſſet.

QUOD Gregorium de Caſalis militem ad paciſcendum novum inter regem & ducem Ferrariae foedus, rege ſimiliter inſcio, in Italiam miſiſſet.

QUOD morbo Gallico pene putridus, foetidum ac triſtem anhelitum in os regi inflare auſus eſſet.

QUOD dum papatum & Romanos honores impudentiſſime ambiret, immenſum theſaurum regno in Italiam emiſiſſet.

HAEC & alia nonnulla hujus generis crimina confeſſus, actione de PRAEMUNIRE in regio banco conventus, & earum legum, quae contra PROVISORES latae ſunt, reus pronunciatus, condemnatus & proſcriptus eſt. Ita, qui viginti fere annis non modo Angliam, ſed Europam pene rexit, non aliena magis invidia, quam propria ſuperbia concidit; ſuoque, ut mox dicemus, praecipitio totum clerum Anglicanum ipſamque Romam in ſimilem ruinam & occaſum traxit. Sed rex, ut natura magnanimus, ita mitis atque moderatus fuit: Nam Eboracenſem & Wintonienſem eccleſias, ex quibus copioſum & nimium lautum illi vectigal ſingulis annis manabat, reſervavit. Id quod homini ambitione & cupiditate caecato exitio paulo poſt fuit. Nam Wolſeius his merito privatus honoribus ſpiritus arrogantiamque non remiſit. Sed vindictam meditabatur, & ſolennem ac pompoſam in eccleſia ſua cathedrali Eboracenſi inthronizationem, qua populum deliniret, inſtituit; multiſque ſenſim de injuriis, quas a rege pertuliſſet, conqueſtus eſt; ut mobile vulgus ad ſeditiones concitaret: tum in literis ad papam alioſque datis in regem acerbius invectus eſt: Ita ut legati & oratores regii multa convitia & opprobria in regem a cardinali fieri audiverunt: Quae cum aequis auribus ferre non poterant, ea regi denunciabant. His cognitis, cum inthronizationis tempus aderat, Wolſeius omnes proceres, Praeſules, milites & generoſos ſuae provinciae Cawoodi, qui locus adhuc eſt ejus Archiepiſcopatus, convenire, ut eis ſtipatus triumpho magis quam regio ad Eboracum duceretur, mandavit. Rex, qui occultis ſuppoſitis exploratoribus de hoc apparatu accepiſſet, cum animadverteret eum vindictae, ſeditioni & omnibus rebus per-

turbandis ſtudere, Northumbriae comiti, qui regni finibus ad Scotiam poſitis praeſidebat, in mandatis dedit, ut cardinalem ſiſteret; & Salopienſi comiti, ut Londinum duceretur, traderet. Venit itaque comes Cawoodum, & cardinalem, itineri ad Eboracum jam accinctum, regio nomine ſiſtit. Id mirum & praeter expectationem ac exemplum cardinali viſum eſt; utpote qui ſe cardinalem, Romanae curiae membrum, papaeque legatum jactitavit; cuique manus adferre violentas ſummum eſſe nefas judicavit: Tandem vero comitis potentiam veritus, neceſſitate magis quam ſponte paruit. Itaque famulatu ſuo a comite abdicato, boniſque ad fiſcum regium ſequeſtratis, ipſe ad Sheffeldiae caſtrum ductus & Salopienſi comiti traditus eſt. Eo ſic capto, omnis illa nobilis & ſplendida caterva, quae iter ſuum ad Eboracum & inthronizationem illuſtraret, ſubito diſſipata eſt; in qua vix quiſquam fuit, qui tam inflati & impuri hominis caſum deplorabat. Rex, cum accepiſſet eum in cuſtodia Salopienſis comitis jam fuiſſe, miſit Wilhelmum Kingſtonum militem regiis ſtipatoribus praefectum, ut eum armata copia in turrim Londinenſem duceret: Cujus adventus tanto pavore conſcium cardinalis animum perculſit, ut in febrem incideret; ſed nihilominus in itinere lente pergunt, & paulatim Leyceſtriam perveniunt. Ibi in coenobio divertunt. Wolſeius, aeger magis quam aegrotus, tam violenta ſibi medicamenta adhibuit, ut ex vomitibus & alvi profluvio non ſine ſuſpicione veneni, dum altera nocte ibi pernoctarent, animam ſubito efflavit; poſtridieque in eodem coenobio ſine ulla pompa ſepultus eſt. Ac vivus quidem extruxerat ſibi morituro egregii ſumptus atque artificii tumulum; cujus pulchritudine delectatus cum inſpiciendum ſemel veniſſet; a quodam ſuo morione, quem ob fatuitatem "Patch" appellabat, admonitus eſt; ut ſi in eo tumulo condi vellet, vivus eum ingrederetur: nam mortuo humilem ac ſine ſpecie ſepulturam praedicebat. Hic igitur triſtis eſt & infelix ejus hominis exitus; in quo perfectam & omnibus numeris abſolutam totius Romanae impietatis imaginem intueri liceat; quem nullus in honoribus modus, nulla in rebus divinis religio, coercuit; quem gloria & aura popularis inflavit, rapinae locupletarunt, libidines exhauſerunt, fraudes & diſſimulationes ad tantam calamitatem perduxerunt.

AT hoc ſuum ſupplicium non ſibi proprium atque peculiare fuit; ſed attigit totum clerum, quod ſuis criminibus communicabat. Namque illa rigida PROVISIONUM jura non modo eos puniunt, qui Romanas legationes ſine regis licentia ſuſcipiunt; ſed qui hujuſmodi authoritati parent: minui enim majeſtas regia ab utriſque pariter exiſtimatur. Itaque clerus Anglicanus, qui cardinali, ut Romani pontificis legato, obtemperabant, ob admiſſam receptamque papae poteſtatem actione de PRAEMUNIRE teneri putabatur: Cujus vi proſcribi & cum bonis atque membris adjudicari regi debuit, niſi rex miſertus fuiſſet. Itaque in ſuperiori ſynodo, quam ab Warhamo Archiepiſcopo convocatam eſſe diximus, conſilium iniit clerus de tam dira poena redimenda. Rex etiam eo durius mulctari voluit clerum; quod papali juriſdictione, cujus uſurpationem regiae authoritati adverſam plane perſpexerat, eum a ſuo regio jure eximi atque vindicari cerneret. Itaque, etſi in ea ſynodo multa de ſtatu ſaecularium atque regularium & clericali ordine ac veſtitu reformando, de

de unitis & impropriatis ecclesiis, de congruis vicariorum portionibus, de haereticis, quos appellabant, coercendis, multa acta & proposita fuissent; tamen ea deliberatio, quae de avertendo tam atroci supplicio habita est, quia difficillima fuit, caetera negotia impediebat. Deliberatione diu habita, Cantuariensis provinciae clerus centum millia librarum, Eboracensis octodecim millia, ea lege concessere, ut supradictis poenis & sanctionibus solverentur. At rex, qui solus regnare, nec divisum & dispertitum de clero ac populo suo gubernando cum papa officium amplius gerere voluit, non alia conditione hac oblata pecunia redimere clerum voluit; quam si se solum suum totiusque populi, proxime ac secundum Christum, protectorem SUPREMUMQUE CAPUT in ea synodo agnoscerent. Hujus consilii Cranmerus & Cromwellus clam authores fuisse existimabantur. Clerus animo toto jam obstupuit; nondum enim quid sibi hic novus vellet titulus, aut quorsum tenderet, prospexit. Sed nasuti quidam olfecerunt rei exitum; inter quos fuisse Warhamum Archiepiscopum, ex his quae mox dicemus, verisimile est. Magnae res; deliberatum diu; procrastinationes & prorogationes crebrae; disputatum saepius; gravissimis poenis & censuris ecclesiasticis interminatum est omnibus ab Archiepiscopo, ne synodi colloquium enunciaretur. Rex per dominos de Rocheford, Cromwellum rotulorum custodem, & justitiarios saepe clerum de hoc titulo solicitabat; denunciabatque sine eo non remissurum se ulla redemptione violatarum a clero legum poenas. Tandem Archiepiscopus, cum exquisivisset Praesulum de ea re sententias, ac plerique siluissent: "Qui "tacet, inquit, consentire videtur": responsumque illico fuit: "Ergo "tacemus omnes". Verum postea, cum neque tutum, neque e gravitate synodi fore cernerent sic illudere regi, frequentes ierunt in sententiam his verbis conceptam: "Ecclesiae & cleri Anglicani singularem protectorem, "supremum dominum, &, QUANTUM PER CHRISTI LEGES LICET, etiam supremum caput regiam majestatem recognoscimus". Sed regi displicuit hanc ancipitem dubiamque mitigationem & moderationem verborum a cleri sui synodo, quae de Christi lege aut certa fuit, aut certa esse debuit, tam frigide proferri. Itaque Cromwello ad synodum iterum nuncio eam aut tolli voluit, aut clerum incursas sanctionum poenas pati. Omnium igitur mox sententiis rex sine ambiguitate ulla ecclesiae Anglicanae SUPREMUM CAPUT declaratus est: *Illeque titulus in publico cleri instrumento, quo pecunia praedicta concessa fuit, inclusus regique exhibitus est.* Rex & pecuniam & titulum accepit; ut clerus deinceps discat, sibi a Romano pontifice ejusque authoritate cavere. Pontificii jam omnes de duce suo papa in summum discrimen adducto desperabant. Cumque cleri status una cum papae & Wolseii cardinalis vacillare coepit; populus a juris regni peritis incitatus multa in totum clerum descripta crimina regi deferebat; regemque, etsi saepe contradixerit, tandem importunitati suae ea, quae in annis vicesimo primo, vicesimo secundo, vicesimo tertio, regni sui lata jura sunt, concedere adigebat. Nondum enim papae authoritas profligata fuit; sed praeter SUPREMI CAPITIS titulum totus in eadem synodo clerus in verbo sacerdotii fidem regi dedit ne ullas deinceps in synodo ferrent ecclesiasticas leges, nisi & synodus authoritate regia congregata, & constitutiones in synodis publicatae eadem authoritate ratae essent. In eadem synodo multa in eos, quos tum Lutherianos

An. 1531. Ex Archivis.


rianos

rianos appellabant, quorum indies augebatur numerus, decreta ſunt. Libri, qui in pontificiam authoritatem & doctrinam divulgabantur, ipſumque Novum Teſtamentum, quod a quibuſdam piis viris in Anglicanum ſermonem verſum fuit, quia defectionem a papatu praenunciabant, haeretica judicata & condemnata fuerunt. Hugo Latimerus, pius atque doctus theologus, niſi propoſita ſibi ab hac ſynodo pontificia multa dogmata chirographo ſuo agnoviſſet, in cineres flamma verſus fuiſſet. Wilhelmus Tracy defunctus, quod in teſtamento a pontificia fide receſſiſſet, abrogato teſtamento ſententia ſynodi exhumatus & combuſtus eſt. Haec ſynodus in multis de abolendo papatu deliberationibus pendens, ſaepius prorogata eſt. Jamque novam dilationem a decimo quinto Maii ad quintum Novembris accepit.

INTEREA Warhamus Cantuariam profectus eſt: Ibi Wilhelmi Warhami Cantuarienſis Archidiaconi ad fanum ſancti Stephani prope Cantuariam uſus hoſpitio, in quo aedificando atque reparando multos ſumptus effudiſſet, lethali morbo correptus eſt, ac in ſumma ſenectute, cum viginti octo annis ſediſſet, obiit. (An. 1532.) Poſtea cadaver ejus Cantuariam ductum, in exiguo quod vivus extruxerat delubro, ad eum locum ubi Thomas Becket quondam interfectus fuit poſito, inhumatum eſt. (Arch.) In teſtamento ſine pompa ſepeliri voluit, veſtes lugubres ſolis pauperibus legavit, executores ducem Norfolciae & dominum Windſor baronem inſtituit. Horum commiſit omnia fidei; ut etiam interioribus ſuis amicis tacita fidei commiſſa praeſtarent. Liberari ſe dilapidationum actione a ſucceſſore petiit, quia triginta millia librarum in aedificandis & reparandis pluribus Archiepiſcopatus ſui aedificiis ab eo tempore, quo ſedere coepit, ad eum uſque diem quo obiit, effudiſſet. Conſanguineos ſuos vivus multis ad haereditatem acquiſitis praediis locupletavit. Mortuo, ut diximus, Wolſeio cardinali Stephanus Gardinerus in Wintonienſi Epiſcopatu, huic Warhamo Thomas Cranmerus, ſucceſſit: Quibus Praeſulibus proxima hiſtoria abſolvenda eſt.



LXVIII. THO-



Gulielmi Warham

Ab An. Chr. MDXXXII.

LXVIII. Thomas Cranmer.

Ad An. Chr. MDLV.





Henrico octavo regi nihil jam prius aut antiquius fuit, quam, quod de pontificia poteſtate Anglia penitus exterminanda negotium prius inchoaverat, ad finem exitumque perducere: Cui, ut diximus, aggrediendo Wolſeii cardinalis impoſturae cauſam & aditum patefecerunt: Magnum deinde adjumentum ex ejus ruina, & Warhami Archiepiſcopi morte, acceſſit. Ac primum, quibus ſolutionum generibus Anglicana eccleſia a papis expilata ſit, inquiſitum eſt; compertumque fuit centum ſexaginta librarum millia, quadraginta proximis annis, pro ſolis Epiſcoporum inveſtituris Romanae curiae fuiſſe perſoluta. Praeterea indulgentiarum, diſpenſationum, ſimiliumque fraudum immenſa copia, infinitis pecuniis Anglos emunxerunt. Rex etiam de eo juramento, quod Epiſcopis a papa conſecrationem accipientibus praeſtitum papae fuit, certior factus, idem ſuae regiae authoritati nimium praejudicare, Praelatoſque papali magis quam regia poteſtate & juriſdictione teneri animadvertit. Itaque in parliamento nova juramenti formula, qua Praelatorum fides firmius apertiuſque regi deinceps aſtringeretur, concepta atque deſcripta fuit. Synodus autem, de qua ſupra diximus, Warhamo Archiepiſcopo mortuo, ex praecepto regio authoritate prioris & conventus Cantuarienſis prorogata eſt. Praeſidebat huic ſynodo, ſede archiepiſcopali vacante, Londinenſis Epiſcopus Stokeſleyus, authoritate ſibi data a conventu Cantuarienſi: In eaque relatum eſt Hugonem Latimerum contra pontificia dogmata, quibus a ſynodo, ut diximus, aſſentiri antea compulſus eſt, nuper praedicaſſe: In quem multis convitiis exagitatum primus omnium Stephanus Gardinerus Wintonienſis Epiſcopus acerrimam dixit ſententiam. Cui etſi a caeteris aſſenſum ſit; tamen, quia de regis divortio tractandum fuit, poſthabita & dilata eſt atrocitas decreti.

An. 1532.

De hoc juramento vide ſupra in vita H. Dene.

In eo autem matrimoniali negotio, Stephanus Wintonienſis Epiſcopus ſententias tranſmarinarum Univerſitatum in membranis authentice ſcriptas & ſigillis publicis communitas produxit; quas oratione brevi habita laudavit & a Praelatis diligenter evolvi ſuaſit. Sed dubitatum fuit, an de hac lite, quae coram Romano pontifice penderet, ſynodo tractare liceret? Eam vero dubitationem a pontificio aliquo inculcatam ſuſtulit Stokeſleyus Londinenſis Epiſcopus idemque Praeſes ſynodo, prolata papali licentia; qua ſingulis permiſſum eſt ſententias ea de re ſuas libere proferre; rogavitque omnes, ut de tanta re mature deliberarent, ac, quid ſenſerint, in ſynodo declararent. Sed, quia res magna fuit, multae dilationes atque morae conſultationibus impetratae & tributae ſunt. Interea rex, dum

papae meditabatur excidium, ſingulorum de papali authoritate ſenſus indiciis haud obſcuris collegit. Inter quos Thomas Morus, quia regis conatus pontificiis valde ſuſpectus fuit, cancellarii munere, venia regis aegre impetrata, ſeſe abdicabat. Id munus facundiſſimo viro Thomae Audeley militi delatum eſt. Praelatoſque haud fidos rex habebat; quos aut pontificiis tenebris caecutire, aut adulatione conciliare ſibi honores ac potentiam velle cerneret: Quod vitium eo majori habebat odio, quod in Wolſeio, vaferrimo & intolerabilis nequitiae viro, latiſſime patuit. Ex omnibus itaque ſolum Cranmerum tanta provincia & communicatione conſilii dignum judicavit; cui doctrinam, fidem ac integritatem ſingularem ex multis rerum argumentis ineſſe certo cognovit. Data itaque Cantuarienſi conventui a rege eligendi facultate, Thomas Cranmerus Archiepiſcopus electus eſt. At Clemens ſeptimus papa, cui regis animus jam dubius in Romanam ſedem fuit, quid ageret incertus fuit, rejicerene Cranmerum electum an admittere debuit. Victus tandem metu, ne rex cum regno a Romana ſede, ſi amplius irritaretur, deficeret, ad regem primo ſcripſit ſolito blandius; obſecravitque, ut Cantuarienſem eccleſiam Thomamque Cranmerum ad eandem electum regio patrocinio tueretur: ſummum eſſe regi duxit & aeternae gratiae & humani praeconii meritum, ſi eccleſias praeſertim metropolitanas defenderet. At imprudens papa inanem in hac petitione laborem ſuſcepit. Hoc enim regi jam in animo fuit, Cantuarienſem eccleſiam abolita Romana nobilitare, & Anglicanis provinciis jura per papam ablata reſtituere. Itaque Clemens papa non minus de Cranmeri erga Romam, quam de regis fide, ſolicitus indulſit ei quidem facile, ut a duobus vel tribus catholicis Epiſcopis, quibus vellet, ſacraretur: ſed vetus illud juramentum conceſſioni inſeruit, quod niſi in ſacratione praeſtaret, tam Epiſcopis ſacratoribus, quam ipſi ſacrato, omni epiſcopali adminiſtratione interdixit. Verum in ſacratione coram teſtibus fide dignis notariiſque publicis Cranmerus proteſtatus eſt, id juramentum conſuetudinis tantum Romanae, non Chriſtianae neceſſitatis, fuiſſe; nec ſe velle a fide a ſubdito regi debita ejus juramenti vi abduci aut deficere: Eoque juramento perfunctorie lecto, a Lincolnienſi, Exonienſi, & Aſſavenſi Epiſcopis ſacrationem atque pallium ſuſcepit: Tum regi ingenue ac liberaliter juramento de vera atque plena obedientia dato, temporalibus Archiepiſcopatus donatus eſt. Papae pro obſoletis illis putidiſque jam bullis nongentos aureos ducatos ſolvit. Jamque praeter opinionem atque ſenſum permultorum in Archiepiſcopatu Cantuarienſi poſitus, ingreſſus eſt authoritate ſua in ſynodum, quam, ut diximus, ſub conventu Cantuarienſi Suffraganei tenuerunt. Cujus adventu quaeſitum eſt iterum de regis cum domina Catharina conjugio, ac renovata illa tamdiu coram papae legatis, ut in Warhamo diximus, agitata quaeſtio: AN DUCERE UXOREM COGNITAM A FRATRE DECEDENTE SINE PROLE SIT PROHIBITIO JURIS DIVINI INDISPENSABILIS A PAPA? Ea res primo ad inferiorem ſynodi conventum relata eſt. In eo affirmarunt dictam concluſionem quatuordecim, negarunt ſeptem, dubitavit unus, alterque juris eſſe divini dixit, ſed moralis atque diſpenſabilis a papa. In ſuperiori autem patrum conventu, in quo Bononienſis, Patavinenſis, Pariſienſis, aliarumque Univerſitatum de ea quaeſtione, judicia recitata ſunt, controverſia inter Stokeſleyum Londinenſem & Fiſherum Roffenſem Epiſcopos aliquandiu mota, ab omnibus patribus, qui ducenti ſeptuaginta duo perſonaliter vel per

Vide regiſtr. Cranmer. Fol. 1, 2, 3, 4, 5.

An. 1533.

per procuratores intersuerunt, praeterquam a novendecim, Universitatum praedictarum sententiis assensum est. Sed ut hoc negotium omni tum juris tum facti controversia careret; aliud quaesitum est, " An carnalis copula inter serenissimum principem Arturum & serenissimam dominam Catharinam ex propositis, exhibitis, deductis, & allegatis sit sufficienter probata"? Diximus autem in Warhamo ante quid coram papae legatis ad concubitum & congressum probandum tum propositum fuit. Sed illa prior juris quaestio theologorum propria fuit; haec posterior inquisitio facti ad legum atque canonum peritos relata est: Qui, quinque aut sex duntaxat exceptis, omnes carnalem copulam luculenter probatam affirmarunt. Quorum etiam sententia ab omnibus patribus, praeterquam a Bathoniensi & Wellensi Episcopo, approbata est. His gestis tam parliamenti quam synodi concilia mandato regio prorogationibus paulatim intermissa sunt. Rex ad dominam Catharinam nuncios misit; ut quoniam nefarias & incestas fuisse suas nuptias ex theologorum ac jurisperitorum, tam in Anglia quam in transmarinis Universitatibus, constabat; dote ab Arturo regis fratre majore suoque marito contenta divertere ac discedere sponte vellet. Illa vero in proposito pertinax, respondit se ab eo vinculo dissolvi nolle, quod patre suo Ferdinando procurante a papa fuisset colligatum. Hoc nuncium regem, qui Caesarem atque papam jam conjunctos esse cognovit ut hanc separationem impedirent, ad abrogandam papae potestatem citius vehementiusque impulit. Quod ut tutius perageret, novum cum Gallo foedus firmavit; eoque magis, quod accepisset proxima aestate Gallum atque papam Massiliis in Provincia conventuros. Itaque ut certius Galli animum atque sensum exploraret, per utriusque legatos actum est; ut reges ad colloquium in finibus utriusque inter Caletum & Boloniam maritimam interpositis convenirent: Fore enim ut mutuis postulatis & desideriis expositis arctiori amicitia jungerentur. Ac obviis jam & congressis regibus, Henricus Angliae rex, quam indignis modis in causa matrimoniali a papa tractatus sit, commemorat: Dilationes, moras, cautelas, versutias omnes & imposturas narrat: Theologorum ac jurisperitorum non modo in Anglia, sed in Gallia, Germania, ipsaque Italia sententias profert & Gallo ostendit. " Non esse amplius eam papalem in spiritualibus " dominationem ferendam docet, ut christianis provinciis synodisque " imperitaret, & in sanctissimo arctissimoque conjugali foedere non mo- " do populis, sed regibus, contra Christi mentem & scripturas illuderet. " Quid enim ei in humanis rebus sanctum esse potest, qui a Deo datas " conjugii leges quaestuosis dispensationibus audet violare? Aut quid eo " a recto depravatius existimari debet, qui quod improbe permissum est " haud sinit corrigi? A peritissimis sanctissimisque theologis didicisse se, " Romano pontifici in proprio tantum territorio atque provincia, non in " alienis, esse judicandi potestatem: eam autem, quam jam vendicat, non " a Christo aut Petro, prout jactitat, sed principum ignavia & Episcopo- " rum desidia exigui temporis, si ad aeternitatem referatur, praescriptione " accepisse: proinde statuisse se spiritualem ejus non jurisdictionem, ut " appellat, sed libidinem & sacrorum profanationem atque tyrannidem " exterminare Anglia; & se suosque subditos in sui regni provinciis syno- " disque de causis ecclesiasticis velle judicari". Petit ad extremum a Gallo, ut idem in Galliis suis efficiat; aut si temporum ratione impeditus id minus adhuc commode facere possit, initum tamen renovatumque foedus servet;

cum

cum papa atque Caesare adversus se non jungatur. Gallus de foedere servando certo promittit regi: cupere etiam valde se, ut papa ejiciatur tota Gallia, daturumque operam omnem, ut id tempore quamprimo fiat: Nec timendam esse Caesaris atque papae conjunctam potentiam, se praesertim in fide invicem data perseverantibus. Papam autem, facete dixit, inerat enim Francisco Gallorum regi jucundus orationis lepos, Anglia, Gallia Germaniaque ejectum necessario detrudemus, ut "Caesari Capellanus" serviat. Hoc habito colloquio ad Boloniam itum, atque convivatum est: eo Gallus regem Caletum reduxit; ubi cum Gallus suique proceres lautius coenassent atque pernoctassent, postridie mutuis datis dextris & amplexibus foedus iterato confirmatum; Gallusque Parisios, rex in Angliam, reversus est. In hoc reditu periculum, quod diu Romae imminebat, exitum habuit. Dilata enim, ut antea diximus, parliamenti synodique concilia iterum a rege indicta sunt. In parliamento de illis jure divino prohibitis nuptiis ex prioris synodi & Universitatum praedictarum sententiis decretum est, debuisse atque licite potuisse regem ab illis vetitis nuptiis discedere; & cum integerrima lectissimaque foemina domina Anna Boleyna nuptias licitas jurique divino ac humano consentaneas contrahere. Itaque Cranmerus Archiepiscopus, Londinensi, Wintoniensi, Bathoniensi, ac Lincolniensi Episcopis, aliisque permultis Praelatis comitatus Dunestapliam in Bedfordiensi comitatu oppidum venit: eoque dominam Catharinam repudii sui sententiam audituram citavit. Eam vero ad judicium vocatam & non accedentem pronunciavit contumacem; ac a regis toro consuetudineque nuptiali amovit. Deinde a rege edictum est, ne ea deinceps regina, sed Arturi principis fratris sui majoris propter nuptias "Dotaria" vocaretur. Papa contrariam Romae sententiam tulit, easque, quae a plerisque Academiis illicitae decretae nuptiae fuerunt, sua sententia ratas esse voluit. At rex nihilominus dominam Annam Boleynam Thoma Cranmero sacra ministrante uxorem duxit; eamque in festo Pentecostes proximo ab eadem Thoma Cranmero sacrari Westmonasterii mandavit. Ex his piis nuptiis edita est ad diuturnum Anglicani regni imperium atque patrocinium, aeternumque papalis dominationis excidium, Deo sacrata virgo domina ELIZABETHA septimo idus Septembris, qui eo anno dominicus dies fuit, inter horas tertiam atque quartam matutinas: Quam tertio postea die in porticu ecclesiae conventualis fratrum minorum de Greenwiche ab Episcopo Londinensi baptisatam, reverendissimus in Christo pater dominus Thomas Cranmerus Cantuariensis Archiepiscopus, ac illustrissimae viduae domina Agnes Thomae quondam Norfolciae ducis, & domina Margareta Thomae quondam marchionis Dorset, relictae, in frequenti nobilium virorum ac mulierum multitudine in sacro baptismate susceperunt; divinis sane & felicissimis huic Angliae regno auspiciis. Eodem enim anno tam parliamenti quam synodi decretis papalis tota vis sublata & profligata fuit. In synodo autem superiori haec disquisitio proposita est: An Romanus pontifex habeat majorem jurisdictionem collatam sibi a Deo in sacra scriptura in hoc regno Angliae, quam alius quivis extraneus Episcopus? Ac a patribus quidem omnibus in superiori synodo affirmatum est, nullam jurisdictionis potestatem ex verbo Dei papae in Anglia competere: In inferiori autem omnes patribus assensi sunt, praeter unum, qui dubitavit, & quatuor, qui eam universalem ecclesiasticae administrationis potestatem papae tribuebant. Tum ab eadem synodo decretum est, ut Cantuariensis

Ab An. Chr. MDXXXII. Ad An. Chr. MDLV.

tuarienſis Archiepiſcopus, non amplius Apoſtolicae ſedis legatus, ſed ejus inanis tituli vice PRIMAS ET METROPOLITANUS TOTIUS ANGLIAE in poſterum diceretur. De his actis publico a notariis deſcripto inſtrumento Archiepiſcopus regem facit certiorem. Itaque in parliamento de appellationibus lata lex eſt; ne quis deinceps Romam provocaret. Rejectaque jam rurſus in ſequentem annum ſunt parliamenti ſynodique comitia. Ac quia, pontifi- An. 1534. cia poteſtate, authoritate ſynodi ex verbo Dei abdicata, multi libri impreſſi & per vulgus diſperſi ſunt, de his primo cenſuit ſynodus; decrevitque regiam majeſtatem a tota ſynodo interpellandam, ut ſacra Biblia in Anglicanum ſermonem verti atque transferri mandaret: Ita enim diſcerni ab omnibus facilius poſſe, quid juri divino congruum atque conſentaneum fuerit. Huic rei Stephanus Gardinerus Wintonienſis Epiſcopus, qui regi ab intimis fuit conſiliis, occulte quantum in ſe fuit, reſtitit. Sed clariſſimae integerrimaeque dominae reginae gratia & interceſſione a rege tandem impetratum eſt, ut Biblia ſacra Anglicana imprimerentur, & per ſingula templa in loco, quo populo legendi poteſtas fiat, locarentur. Quae tamen regis conceſſio nondum effectum ſortita eſt, quia haec clariſſima regina capite paulo poſt mulctata eſt. Certam autem ejus rei cauſam ne hi quidem deſignant, qui regiam hiſtoriam deſcripſerunt; ſed ea pie conſtanterque mortem paſſa, regem diu fore regno gerendo ſuperſtitem, ac ne quis de ſua morte perperam judicaret, precata eſt. Synodus vero ſuperior, ne lites & altercationes ex diſceptationibus de rebus divinis orirentur, decrevit ne ex indocta plebe quiſquam de catholica fide diſputaret; ſimileſque leges in parliamento latae ſunt: "De rege ſupremo eccleſiae Anglicanae capite declarando: De clero Anglicano regi ſubjiciendo: Ne quid deinceps amplius papae aut Romanae curiae quocunque praetextu ex Anglia pendatur: De Epiſcopis conſecrandis aliiſque, quae Romae antea gerebantur, intra regnum perficiendis: De eccleſiaſticorum beneficiorum primitiis atque decimis principi in perpetuum ſolvendis". His legibus potentia papalis, quae nongentis amplius annis in Anglia duravit, quaeque ſuperba adeo & inſuperabilis viſa eſt, invictiſſimi regis imperio, integerrimique Praeſulis conſilio dejecta facile concidit. Neque enim in humanis rebus quicquam tam ſtabile atque firmum eſt, quod ſi divini juris nervis ac praeſidio careat, quo immenſum magis ingenſque fuerit, ipſa ſua magnitudine atque mole non ruat praeceps ad interitum. Quo magis horribilis Romanae potentiae caſus exiſtimari debuit, quae divina jura foedavit, gentes chriſtianas ſuperſtitione infatuavit; templum Dei tenuit, ac ſe ſupra Deum extulit. Sed, papa ejecto atque deturbato, reſidua adhuc in eccleſia Anglicana fuit Romana colluvies; cujus contagione tam multis eam antea ſaeculis contaminaverat: Haec annis, ut dicemus, ſequentibus paulatim expurgata & abſterſa eſt. Ad quod alterum eccleſiae Anglicanae ſidus a coelo delapſum eſt: Natus enim eſt Hamptonae menſe Octobris ex clariſſima foemina domina Jana Seymera regina, regi tandem filius inclytus Edwardus princeps; qui patris acta ſequutus, cum ad regnum, ut poſtea dicemus, evectus fuiſſet, reliquias pontificias abolevit. Hunc Cranmerus Archiepiſcopus, dux Norfolciae, & domina Maria regis filia in ſacro baptiſmate ſuſceperunt. Interim vero inſignis quaedam & expreſſa inter Chriſti & Antichriſti membra concertatio atque lucta eminebit. Namque profligato papa, & ſuſcepta eccleſiae Anglicanae defenſione, cura & tutela rex, excelſi ingenii & multarum rerum uſu peritum virum

Thomam Cromwellum vicarium suum in spiritualibus generalem designavit. Hic cum Thoma Cranmero Archiepiscopo tanquam in puppi sedit, clavumque ecclesiae Anglicanae tenuit, proramque a papali littore avertit & in christianum portum reduxit. Nam Praelatorum fides eo magis dubia & incerta regi visa est; quod longa mora & difficultate tanquam taedio abducti sunt a papa, sibique Supremi Capitis titulum detulissent. Qua suspicione veritus rex, ne opportunitate data ad papam facilius redirent quam recessissent eorum opera haud ita multum usus est. Etsi in his, qui suam tum tarditatem purgare volebant, fuere Stephanus Wintoniensis Episcopus, qui libellum tum edidit "De vera obedientia": In quo a papa alienissimus fuit, & summam ecclesiae gerendae potestatem proxime ac secundum Deum attribuit principi; item Cuthbertus Tonstallus Dunelmensis, Stokesleyus Londinensis & Longlandus Lincolniensis Episcopi; qui publicis coram rege concionibus eandem sententiam docte fortiterque tuebantur. Edmundus etiam Bonerus, postea, ut dicemus, Londinensis Episcopus, tum archidiaconus Leycestriae, qui praefationem Gardineri libello praefixit, regisque legatus, ut papali potestati renunciaret, Romam missus est: Eaque causa regi atque Cromwello charus fuit; donec episcopalem dignitatem adeptus reliquis adhuc pontificiis ritibus solito propensior & amicior visus fit. Permulti alii tum regis causa in papam jam profligatum se multa velle jactitabant; quorum oratio, quia a simulato magis quam vero officio profecta videbatur, authoritate atque fide caruit. Summa autem ecclesiasticarum rerum his duobus, Thomae Cranmero Archiepiscopo & domino Cromwello regis vicario, commissa est. (An. 1536.) Itaque altera synodo nono die Junii convocata, dominus Cromwellus locum sibi utpote regis in spiritualibus vicario dari petiit; cui Archiepiscopus locum sibi proximum assignavit. In qua etiam synodo libellus a clero compositus est, causas nonnullas designans, quare regia majestas interesse generalibus cleri conciliis non deberet. Hunc libellum ab omnibus subscriptum dominus Cromwellus ex regis etiam sententia approbavit. Et quia abdicata papali potestate, religionis totius reformatio pedetentim sequuta est, operae pretium erit hoc in loco quomodo Cranmerus, antequam ecclesiam & rempublicam ingressus sit, institutus fuerat commemorare.

THOMAS CRANMERUS Aslactoniae oppido, Nottingamensis comitatus, Eboracensis provinciae, generosa sane familia ortus est. Est enim in Lincolniensi comitatu ejus nominis vetustus adhuc pagus dictus **Cranmer Hall**, qui olim suae gentis atque stirpis fuerat; indicantque gentis insignia eam ex Normannis ac una cum Gulielmo Victore caeterisque illustribus Normannorum ducibus in Angliam ductam fuisse; quod Henrico octavo rege regnante nobilis quidam Gallus, nomine Cranmerus, huc in legatione cum aliis legatis missus eadem insignia tulit: quem Thomas Cranmerus Cantuariensis Archiepiscopus, ut gentilitatis & insigniorum suorum originem exploraret, ad lautas epulas invitavit, &, inquisitione a fecialibus habita, comperuit ab eadem nobilitatis origine utrosque stirpem duxisse; nec fuisse quicquam insignibus discriminis aut differentiae. Patris summa cura fuit, ut in literis puer accurate institueretur. Ideoque ad paedagogum ductus est, qui asperitate nimia flexibilem atque facilem juvenilem suum animum ita perterruit; ut tota reliqua vita memoriam & ala-

critatem

critatem ingenii multum in ſe labefactari ſenſerit. Verum pater, ne ſtudia taedio penitus abjiceret atque deſereret, permiſit ei aucupium, venationem, equitatum, arcum, aliaque honeſta ludendi exercitia interponere literis: Quibus quidem, cum jam Archiepiſcopus relaxare animum & abducere ſe a rebus gravioribus vellet, ita uteretur; ut in famulatu ſuo non fuerit quiſquam, qui generoſum equum inſilire ac tractare elegantius, aut aves feraſque aucupio aut venatione inſequi commodius intelligentiuſque potuiſſet: ſaepe etiam etſi oculis infirmis eſſet, arcum tendens ſagitta percuſſit feram. ... Ab informatione iſta puerili Cantebrigiam venit ad collegium Jeſu nuncupatum: Ibi liberalibus perceptis artibus atque philoſophia artium magiſter creatus eſt. Jamque, quia Cranmerus uxorem duxiſſet, nec collegiorum ſociis eſſent ex locorum ſtatutis permiſſa conjugia, collegio cedere coactus eſt. Sed, cum ne conjugatus quidem literarum ſtudia deſereret, ſed ſcholas publicas, diſputationes & lectiones frequentaret, in altero Cantebrigienſis Academiae collegio, quod Buckinghamenſe appellatur, quia doctrinae celebritate & vitae integritate notus fuiſſet, decretum ei eſt praelectoris ſalarium. Ita & mercede publica docuit, & ſuam conjugiſque inopiam ſublevavit. Verum, quia non ſuppetebant abunde facultates, coactus eſt conjugi & menſam & coenaculum in eo diverſorio Cantebrigiae parare, quem " Delphinem " nuncupant: Ejus enim domus materfamilias affinis illi fuit; quo etiam is uxoris gratia convenit ſaepe. Atque haec cauſa fuit, cur a pontificiis, qui dignitati atque famae integerrimi doctiſſimique viri poſtea detrahebant, indoctus & in caupona, non in ſcholis, educatus diceretur: De quo quidem malevolorum hominum convitio plura deinceps dicenda ſunt. Verum altero a nuptiis anno uxor Cranmeri gravida in puerperio deceſſit. Poſt cujus obitum ab eodem Jeſu collegio, a quo procreatus primo Cantebrigiae fuit, iterum in priſtinum locum repetitus eſt. Ac tanta quidem doctrinae laude percrebuit; ut, cum Wolſeius cardinalis auguſtiſſimum quidem collegium Oxonii, ut in Warhamo antea diximus, condere incepiſſet, illudque doctiſſimis viris ex toto regno conquiſitis replere ſtatuiſſet; Cranmerum ad collegii ſui ſocietatem expeteret. Sed Cranmerus, cum jam eſſet in itinere, a quibuſdam ſuis neceſſariis obviis admonitus eſt, ut, quoniam ſe a caeteris artibus ad theologiae ſtudium tranſtuliſſet, in eaque humilitatem magis quam magnificentiam ſectari debuiſſet; a collegio Jeſu tanquam aptiori commodiorique ſuo inſtituto loco non diſcederet. Itaque reverſus paulo poſt theologiam praelector docuit, ac ejuſdem doctor ſeu profeſſor a Cantebrigienſibus theologis aſcriptus eſt. Eaque in theologiae gradu exiſtimatione Cantebrigiae vixit; ut, cum hi, qui gradum aliquem petunt, a tribus maximae authoritatis & doctrinae viris, antequam gradu donentur, examinari debeant; quoties in theologia aliquis promovendus eſſet, doctor Cranmerus Academiae judicio e tribus cenſoribus ſemper unus fuit. Itaque a promovendis diligenter explorabat; utrum, omiſſis Scoti, Lombardi ac hujuſmodi theologomachorum argutiis, rectum & genuinum chriſtianae doctrinae ſenſum ex ſacris Scripturis libaſſent: alioquin repellebat. Qua de cauſa monachis, fratribus ac toti ſcholaſticae & rixoſae theologorum turbae, qui hoc cenſore ſemper in gradus petitione repulſam paſſi ſunt, inviſus fuit. Ac, ut theologiam a barbarie vendicaret, adjecit literas Graecas & Hebraicas; quarum ſane poſt ſuſceptum doctoratus gradum conſtat eum perſtudioſum fuiſſe. Quibus perceptis antiquiſſimos tam Graecos

Graecos quam Latinos patres evolvit; concilia omnia & antiquitatem ad ipſa Apoſtolorum tempora inveſtigavit; theologiam totam, detracta illa quam ſophiſtae obduxerant vitiata cute, ad vivum reſecavit: Quam tamen non doctrina magis quam moribus atque vita expreſſit. Mira enim temperantia, mira animi lenitate atque placabilitate fuit; ut nulla injuria aut contumelia ad iram, aut vindictam provocari poſſit; inimiciſſimoſque, quorum vim ac potentiam etſi deſpexit ac leviter tulit, ab offenſione tamen ad inimicitias deponendas atque gratiam ineundam ſumma ſaepe humanitate duxit. Eam praeterea conſtantiam, gravitatem ac moderationem prae ſe tulit, ut in omni varietate rebuſque, ſive ſecundis, ſive adverſis, nunquam turbari animum ex fronte vultuque colligeres.

His naturae doctrinaeque dotibus ornatus ad regem Henricum octavum ea occaſione, quae illicitis nuptiis, de quibus tam in hoc tractatu quam in ſuperiori diximus, intervenit, tanquam fato atque coelitus ductus eſt. Ejuſque ad papam Clementem, & Carolum Caeſarem legatus, a Papa generalis Angliae poenitentiarius, a rege archidiaconus Tauntonenſis, creabatur. Sed, cum ſibi, ut diximus, a rege magnum de antedictis nuptiis negotium mandaretur; quamdiu Caeſar in expeditione contra Turcam Viennam obſidentem detinebatur, moram Norinbergae fecit; hoſpitioque Andreae Oſiandri uſus eſt: cum quo ſecunda conjuge ducta contraxit affinitatem. Sed Caeſarem in Hiſpanias poſt bellum Viennenſe, in quo Turcae profligati fuerunt, ſequutus, eam in Germania cum conſanguineis dimiſit, donec in Angliam rediret. Poſt ejus, ut diximus, reditum Warhamo mortuo ad archiepiſcopale culmen evectus eſt. Atque ab his quidem piis & ſecundis initiis Cranmerus ad Archiepiſcopatum gerendum progreſſus eſt.

Thomae vero Cromwelli educationem & varios fortunae caſus, quos pertulerit, antequam ad regem duceretur, ſicco pede praetereundos duximus; quoniam ea omnia ſatis fuſe ab aliis tractata ſunt. Sed, cum vices regias in ſpiritualium adminiſtratione gereret, Cranmero Cantuarienſi Archiepiſcopo ſcripſit, ut Epiſcopos convocaret; in quorum coetum ac conventum Cromwellus ingreſſus, declaravit regis eſſe voluntatem, ritus ac ceremonias eccleſiaſticas ad ſcripturarum normam redigere, omniaque ex eccleſiis delere, quae authoritate divini verbi non niterentur: Abſurdum enim eſſe, cum in eo ſalutis aeternae lex contineatur, e gloſſographis, interpretationibus, aut pontificiis decretis pendere chriſtianos. Actumque primo eſt tanquam exempli cauſa de Novi Teſtamenti foederibus ſeu ſacramentis; de quibus Cromwellus rogavit Alexandrum quendam Aleſium Scotum, virum in theologia perdoctum, quem ſecum in concilium adduxerat, ut ſententiam ſuam diceret. Is verbo divino inſtituta tantum duo, Coenam, & Baptiſmum probavit. Contra quem Stokeſleyus Londinenſis Epiſcopus, ex Gratiana decretorum rhapſodia, acriter contendit de illis tum vulgatis & notis ſeptem ſacramentis. Stokeſleyum ſequuti ſunt Eboracenſis Archiepiſcopus, Lincolnienſis, Bathonienſis, Ciceſtrenſis, atque Norvicenſis. Tum Cranmerus, cum ex hoc cautiſſime a Cromwello injecto ſcrupulo pontificiam ſectam perſpexiſſet, graviſſima & doctiſſima oratione de authoritate verbi Dei, de vi uſuque ſacramentorum, de humanis traditionibus, de monachorum & clericorum votis atque coelibatu multiſque aliis, quae verbi authoritate carent, diſſeruit: Non eſſe epiſcopalis

An. 1536.

palis ordinis & integritatis dixit, praeter ſanctas Scripturas aliquid, in concilio praeſertim, affirmare aut ſtatuere; verborum aucupationes & ejuſmodi nugas arcendas a conciliis, & rejiciendas ad ſophiſtas in ſcholis. Quae cum dixiſſet; Foxus Herefordenſis Epiſcopus, qui ex Germanica legatione, in quam a rege miſſus eſſet, paulo ante redierat, ſubjunxit: Non eſſe jam amplius in tam clara & perſpicua propagati Evangelii luce hallucinandi tempus Praelatis; ipſi jam plebi apertum iri oculos radiis atque claritate Evangelii: In Germania paſſim ad veritatem & amuſſim Hebraici Graecique idiomatis ſic in maternam linguam verſa ſacra Biblia; ut commentariis gloſſiſque populus non egeret; eſſeque indoctos in ſacris Scripturis peritiores, quam pleroſque Praelatos. Itaque tempus ipſum ſanos omnes admonere, ne interpretes nimium tanquam rivulos ſectentur, ſed ad uberrimum Scripturarum fontem recurrant. Multa utrinque dicta reſponſa, retorta, ac prolata ſunt. Cranmero Archiepiſcopo, Sarisburienſis, Elienſis, Herefordenſis, Wigornienſis Epiſcopi, aliique nonnulli Praelati adhaeſerant. Atque hac concilii communicatione olfecerunt Cranmerus & Cromwellus, qui in pontificia ſentina adhuc ſordebant, quique ad nitorem & puritatem verbi aſpirabant. Rex vero ex horum conſiliis, An. 1537. cum ea, quae adumbrata & fucata ſpecie chriſtianam religionem prae ſe ferebant, extirpare apud ſe decreviſſet; primo Idololatriam ex his locis, ad quae peregrinantes ſuperſtitioſe confluebant & mortuorum imagines adorabant, ſuſtulit, ipſaque delubra funditus evertit. Deinde manum fratrum nec non monialium impuris coenobiis admovit. Quorum omnium flagitia, fictaque miracula ad captandum a populo quaeſtum divulgavit. Ac quia data ei a ſynodo atque parliamento authoritas fuit, in Anglicana eccleſia viſitandi atque corrigendi; inquiſitores per totam Angliam conſtituti ſunt, qui monaſteriorum ſtatum moreſque ac converſationes monachorum explorarent. Hi authoritate ſuſcepta proximo anno de inquiſitis certiorem faciunt. Interea papa concilium generale indixit Mantuae: Ac rex promulgavit, non eſſe penes papam, ſed Caeſarem atque reges, conciliorum convocandorum poteſtatem: Deinde locum ipſum non eſſe tutum his, qui papae objicere vellent ea crimina, quorum poenis reus teneretur: Ad extremum, regi ipſi maxime inſidioſum, Caeſare praeſertim atque Gallo mutuo ſe Marte infeſtantibus; in quorum alterum incidere ſibi neceſſe ſit ex papae inſidiis, qui ex Anglia ejectus regem excommunicavit, & vindicta atque odio alios in eum reges excitavit. Anno ſequenti An. 1538. Reginaldus Polus, qui paulo ante in cardinalium numerum a Paulo tertio aſcriptus erat, quia cum papa in regem conſpiraſſet, papaeque nuncius & legatus Caeſarem, Gallum, alioſque principes in regem tam ſua ſuaſione quam papalibus mandatis provocaſſet, regiam majeſtatem laeſiſſe judicatus, & proſcriptus, eſt. Quae hoc in loco tantum attingimus, quia de eo narrando proximus locus futurus eſt. At proximo huic anno totius pontifi- An. 1539. ciae improbitatis quaſi radix exciſa eſt: Totus enim monachorum coetus atque grex, qui a Dunſtano, ut diximus, inſtitutus ſexcentis annis alienas Vide ſupra in Dunſtano. poſſeſſiones in Anglia depaſcebat, alienos ſudores atque lucra devorabat, papam & Romanam curiam, ut ex anteacta tota hiſtoria liquet, nutriebat, ab Henrico octavo rege invictiſſimo, Cranmero Archipraeſule ſanctiſſimo, Cromwello conſiliario ſagaciſſimo, ad nihilum redactus eſt: Qui ſane quam diu duravit, nequicquam deſperabat de ſua reſtitutione papa: Eo vero ſecum una dejecto corruiſſe ſe, & Anglia penitus excidiſſe

putabat:

putabat: Suſtentabat ſe tamen atque recreabatur, ut miſeri ſolent, ceremoniarum ſuarum reliquiis & clandeſtinis pontificiis. Quorum jam ab ipſo Satana tanquam e tartaro ſuſcitata ſaevit impietas. Nam in parliamento proximo, etſi Cromwellus ob papiſmum atque monachiſmum tam fortiter feliciterque everſum Eſſexiae comes merito creatus ſit; tamen ad retinendas miſſarum & conſecrationum idololatrias, votorum & impuri coelibatus foeditates, criminum propriorum in aures ſacerdotum proditiones, & hujuſmodi reliquias ſeu quiſquilias pontificias dira proſcriptionis capitiſque lex, quae de SEX ARTICULIS nuncupatur, lata eſt. Cui legi etſi ſumma doctrina totiſque viribus tam Cranmerus Archiepiſcopus, quam Cromwellus, dum res in parliamento ageretur, interceſſere; tamen Gardineri Wintonienſis Epiſcopi, qui recens a duabus magni tum momenti legationibus, Caeſare nimirum atque Gallo, redierat, gratia, verſutia & potentia, rex pontificiorum importunitati eam legum ſaevitiam concedere invito pene animo coactus eſt. Id ex eo perſpici poteſt, quod lata tam cruenta lege, cum ſacerdotum, in ea, conjugia capiteſancita fuiſſent; Cranmerum non minus ob legis, cui interceſſerat, atrocitatem atque impietatem, quam ob ſe, conjugem atque liberos moeſtum ad ſe vocavit; ſummam ejus doctrinam, modeſtiam gravitatemque laudavit; cauſas cur ſibi aſſentiri neceſſe ſit declaravit; juſſit, ut hilaris ac omni ſolicitudine liberatus domum redeat, excipiatque liberaliter eos, quos ad ſe miſſurus eſſet, convivas. Eo dimiſſo rex Norfolciae atque Suffolciae duces, dominum Cromwellum Eſſexiae comitem, alioſque nonnullos conſiliarios accerſivit; dixit perhonorifice de Cranmero, qui etſi ſuccubuit ſententiis, tamen re ipſa ac doctrina omnibus ſuperior eſſe viſus eſt; voluit ut tam reverendum patrem ac Metropolitanum ſuum adirent, & ne animum demitteret, conſolarentur ac erigerent. Interea Cranmerus perterritus immanitate legis conjugem in Germaniam ad neceſſarios ſuos miſit: Horum procerum a rege adventum expectavit; epulis lautiſſime inſtructis excepit. Illi ex regis ſententia, ut eum metu ac ſolicitudine liberarent, regis in eum benevolentiam exponebant; facundiam, gravitatem, modeſtiam, doctrinam, quae in eo ſumma fuerunt omnia, praeterea ejus in parliamento acta atque dicta, laudabant; non eſſe cauſam ullam, quare expoſita ſua de tantis rebus pie, diſerte atque docte ſententia, etſi ea non praevaluit, de diſſentientibus, quos in ipſa diſſenſione ac opinionis diſcrepantia ſibi valde conciliabat, quicquam formidaret ac pertimeſceret: Wolſeium cardinalem ſuos neceſſarios ac conjunctos nimia opinione ſui ac elatione animi abalienaſſe; Cranmerum, etiam in re divina, adverſos ſibi pietate, clementia atque facilitate adjungere: Proinde ne regem, proceres, aut quenquam ex illa lege, aut ſua etſi contraria dicta ſententia, horreat. Sed hic ſermo, qui Cranmero conſolando adhibitus fuit, ad Cromwelli convitium converſus eſt. Nam, cum Cromwellus dixiſſet perbeatum in eo fuiſſe Cranmerum; quod nullius unquam querelam aut criminationem ſive aequam ſive iniquam rex in eum admitteret: De ſe autem aliiſque conſiliariis, ſi querela delata eſſet, diligenter cauſam inquireret: Ex illis duobus ducibus dixit unus, neminem cognoviſſe magis quid inter Cranmeri & Wolſeii conſuetudinem atque mores interfuiſſet, quam Cromwellum; cum & utrumque noverit & Wolſeii ſervus fuiſſet. Hac tanquam contumelia tactus Cromwellus reſpondit ſe Wolſeii mores haud probaſſe, etſi in famulatu ejus aliquandiu fuiſſet: Nam cum papatum Wolſeius ambiret, ſtatuiſſetque

ſetque ſi eligeretur, Cromwellum "Admirallium" ſuum creare, id ſe recuſaſſe; nec papalis ambitus cauſa patriam deſerere voluiſſe. Hoc Cromwelli reſponſum dux juramento affirmavit falſum fuiſſe, aliaque in eum jecit opprobria. Ita conſolandi cauſa inſtitutus & inceptus ſermo deſinit in rixas & inimicitias capitales. Sed altercatione per Cranmerum prudenter ſedata a menſa ſurrectum eſt; ore ſatis blando, verum incenſis & laceſſitis praecordiis. Haec malorum initia grandiora mala ſequuta ſunt. Nam, quae optimo conſilio geſſit Cromwellus, in ſuam perniciem ceciderе. Edmundum Bonerum regis tum in Gallia legatum, quem a pontificiis ritibus abhorruiſſe falſo crediderat, ad Londinenſem Epiſcopatum promoveri procuravit; cum ex toto ſordido & immiti pontificiorum grege, non fuerat quiſquam nequior aut impurior quam Bonerus. Itaque cum lege, ut diximus, SEX illis horrendis ſancitis ARTICULIS, pontificii valde ac ſupra modum ſaevi Chriſtianos aut carceribus opprimerent, aut duris cautionibus fidejuſſionibuſque coercerent, aut flammis delerent; hi, qui a conſiliis regi fuerunt, quaſi in duas ſectas parteſque haud obſcuras, An. 1540. nec regi ipſi incognitas, ſeceſſerunt: Evangelicorum duces fuerunt Thomas Cranmerus Cantuarienſis Archiepiſcopus, Carolus Brandonus dux Suffolciae & Thomas Cromwellus: Hi quantum poterant tam ſaevae legis atrocitatem mitigabant. Ex altera parte dux Norfolciae ac Stephanus Gardinerus Wintonienſis Epiſcopus regem vehementius in Evangelicos incitabant; totiuſque crudelitatis in Anglia pontificiae authores fuerunt. Bonerus, cum & lege lata, & Gardineri gratia, & Norfolciae ducis potentia, & regis inclinatione vacillare cauſam Evangelii ſenſerat, tutiores, ut ipſe putavit, partes ſequutus a Cranmero & Cromwello defecit adhaeſitque pontificiis. Inde ad extremum uſque diem ſuum ac anhelitum nunquam cujuſquam apoſtatae aut tyranni immanitas aut impietas tanta fuit, quae potuiſſet cum ejus feritate impietateque contendere. Jamque multae contra pios viros in ſingulis dioeceſibus ex illis SEX ARTICULIS accuſationes inſtitutae ſunt: Lege enim proſcripti erant, qui in eos hiſcere auderent. Ac ne claris quidem viris hiſque, qui in regis aula atque famulatu degiſſent, a pontificiis parcitum eſt: Totumque hujus turbulentiſſimae tempeſtatis ictum in Cromwellum atque Cranmerum pontificii vibrabant. Quibus ſublatis ipſi monachi, qui ſtipendiis jam alebantur, ad clauſtra ſe reverſuros ſperabant. Cromwellus brevi poſtea pontificiorum odiis capitis accuſatus ſine ſui defenſione primus praeter exemplum condemnatus eſt. Quo non fuit aut religione erga deum, aut fidelitate in regem, aut prudentia in rempublicam, aut in benemeritos gratitudine, aut in omnes pietate, charitate ac benevolentia majore tunc in Anglia quiſquam. Cujus virtus ſingularis eo eſt admirabilior; quod, etſi in illa ſentina pontificia ſub Wolſeio cardinali multis annis verſatus omnes Romanas technas & impoſturas calluiſſet; tamen a naturae bonitate, nunquam corruptus degeneravit: ſed percepto Evangelio ab illis animo toto ſtudioque abhorruit. Verum ab ejus laudibus, quas, ut convenit, non attigimus, perſequi certe non poſſumus, ad Cranmerum redeamus.

CRANMERUS jam in luctu & ſqualore ob Cromwelli necem poſitus, à pontificiis poſtulatus, omnium vocibus jactatus, etſi ne minimum temporis momentum ſibi a pernicie ſecurum exiſtimavit, tamen nec animo ſuccubuit, nec frontis hilaritatem mutavit; quia conſtantia, gravitate ac modeſtia

deſtia ſingulari ipſum regem a pontificiis pene abductum in Evangelii defenſione continuit. Ac rex pontificiorum jam conſuetudine implicatus, etſi undique contra eum querelae variae deferebantur, quarum taedio concedere hominis inſontis ſibique chariſſimi vitam pontificiis pene cogeretur, divino tamen inſtinctu ita conciliatus atque intimo affectu ei devinctus fuit; ut, cum integerrimi patris ſalus maxime oppugnaretur a pontificiis, atque deſperaretur a piis, rex tamen eum incolumem ſalvumque velit. Primum autem Gardinerus Wintonienſis Epiſcopus pontificiorum jam coryphaeus, faſtuoſus legiſta, cujus tum authoritas atque gratia cum rege maxima putabatur, multis eum diſputationibus in theologia coram rege provocavit. In quibus prudenter animadvertit rex Cranmerum nunquam ab inſita innataque gravitate modeſtiaque receſſiſſe; Gardinerumque gloriolam magis quam veritatem affectaſſe. Itaque cum Gardinerus, ut ſacrarum Scripturarum authoritatem imminueret, eos, qui vulgariter "Apoſtolorum canones" perhibentur, ejuſdem cum ſacris literis poteſtatis eſſe, his quibus poterat paralogiſmis contenderet; Cranmerus pacato atque moderato ſermone ita vim omnem eorum quae dixiſſet, rege audiente, labefactavit; ut rex Gardinero multis praeſentibus diceret: "Cranmerum in theologia "veteranum eſſe, neque laceſſendum a tyronibus". Verum Gardinerus faſtu tumens quoſcunque poterat in Cranmerum incitavit: eo enim ſublato nihil obſtare putavit pontificiorum conſiliis ac propoſitis potuiſſe. Cantuariae ac in Cantio toto multi, Gardinero procurante, ſuppoſiti ſunt, qui Cranmerum haereſis clandeſtinis delatis querelis & accuſationibus impeterent. Eodemque tempore in parliamento Goſtwikus quidam, comitatus Bedfordienſis miles, palam affirmavit, totius in Angliam haereticae ſeditionis ſeminarium a Cranmero Cantuarienſi Archiepiſcopo ejuſque familia profluxiſſe. Proceres nonnulli regiſque conſiliarii cum rege egerunt, ut, quia tanta haereticae factionis infamia Cranmerus laboraret, conſilio aliquantiſper excluſus in Turri Londinenſi carceribus abderetur: donec de fide atque veritate eorum, quae percrebuiſſent, inquiſitio fieret: Eo enim in conſilio ſedente ſingulos ea, quae ſcirent ac proferre & indicare vellent, metu celaturos. Rumores per vulgus diſſeminati, Cranmerum tacito regis judicio jam eſſe condemnatum, poenamque capitis, prout paulo ante Cromwellus, palam ſubiturum. Ipſe etſi vultu ſimulaſſet ſpem aliquam aperte; tamen intimis amicis lacrymas copioſe fudit, temporumque magis, quam ſuam propriam, conditionem deploravit. Ab omnibus, tam inimicis quam neceſſariis, deſignatus ad necem ultimumque ſupplicium putabatur. Rex has pontificiorum inſidias explorabat, & quorſum tenderent, diligenter obſervabat.

A coena ſemel cum animi relaxandi gratia cymba huc illuc tranſvehi vellet; nautam, qui proram tenuit, juſſit Lametham appellere; & a quibuſdam Archiepiſcopi ſervulis in ponte Lamethano forte ſtantibus animadverſum eſt regiam cymbam eo appropinquare: Res eſt cito nunciata Archiepiſcopo: is celeriter ſua domo ad pontem exceſſit regem praeternavigantem ſalutaturus, aut in ripam & in ſuam domum excepturus. Rex eum cymbam ingredi ac propter ſe aſſidere juſſit; ſecreto eum longoque ſermone detinuit; nautae interim huc illuc cymbam deducunt. Inter caetera conqueſtus eſt ſermone ſatis ſimulato rex Angliam a Cromwelli morte haereticis factionibus atque partibus eſſe valde perturbatam; timendumque

que valde, ne, ſi diu hujuſmodi litigia atque altercationes religionis praetextu foverentur, inteſtina naſcerentur graviora mala atque bella civilia: proinde protinus pacandas eſſe de rebus divinis diſſenſiones. Id ut fieret, conſilium habere ſe ex Praeſulum procerumque nonnullorum ſententiis explorare, quis eſſet hujus tanti mali author atque haereſiarcha: Et ad totam reliquam turbam compeſcendam atque ſedandam de eo atroces poenas ſumere crudeliterque exurere flammis: Ad extremum, rogavit a Cranmero, quid de hoc conſilio atque haereſiarcha judicaret. Cranmerus, etſi ſibi valde metuit, ingenue tamen ac placido ſatis vultu reſpondit conſilium placere ac eſſe ſalubre; necnon ultimo haereſiarchae ſupplicio coercendum reliquum haereticorum gregem; ſed paterna quadam in regem obſervantia atque modeſtia monuit ne eos haereticos eſſe cenſeret, qui contra leges humanas divino verbo niterentur: " Et recte, inquit rex, " nam & tu denunciatus a multis nobis es, totius noſtri regni haereſiar- " cha; obſtareque in Cantio ac in tota provincia tua, quo minus illo- " rum SEX ARTICULORUM in parliamento ſancitorum fides a plebe recipia- " tur: Proinde, de his & quid ſenſeris & quid egeris, aperte nobis indica". Cranmerus in eadem ſe adhuc eſſe ſententia, qua ſe palam in ea lege condenda in parliamento tum fuiſſe profeſſus eſt; nec tamen contra legem jam latam aliquid perpetraſſe, reſpondit. Tum rex, remiſſa paulatim hujus ſermonis ſeveritate, lepide ab eo quaeſivit; " An interior ſuus priva- " tuſque thalamus ab illis ARTICULIS eſſet immunis". Cranmerus, etſi capitale jam eſſet ex illis ARTICULIS ſacerdotibus conjugari, & rex eum conjugatum certo ſciviſſet; reſpondit ſeſe nuptias ante initum ac ſuſceptum Archiepiſcopatum, cum ſuus ad Caeſarem & ad papam eſſet legatus, in Germania contraxiſſe; verum, ne in legem tam atrocem committeret, ex quo ea lata fuit, conjugem ſuam non attigiſſe, ſed ad conſanguineos neceſſarioſque ſuos ex Anglia in Germaniam tranſtuliſſe. His apertis ac ſine fuco reſponſis Cranmerus tantam ſuae fidei, integritatis & doctrinae opinionem ingeneravit regi; ut, depoſita ſuperioris triſtitia & diſſimulatione ſermonis, rex eum exhilararet, eorumque ARTICULORUM poenas non ſua cauſa ſancitas diceret; ac inſtitutae in eum accuſationis capita authoreſque indicaret. Quae cum Cranmerus falſa & ex pontificiorum invidia fabricata confictaque cognoverat; petiit, ut dato inquiſitore atque judice de illis ageretur: Nam ſe judicii diſcrimen non pertimeſcere. Rex ingenuitati tam ſancti viri confiſus propriam ei cauſam inquirendam & explorandam permiſit. Sed Cranmerus id iniquum adverſariis viſum iri dixit, ſi propriorum actorum cenſor aut explorator ſtatueretur; proinde alium judicem poſtulavit. At rex non ſe alium ſtaturum inquiſitorem propriae vitae affirmavit; quia tantam in ejus unius fide ſinceritateque ſpem poſuiſſet, ut de propriis ſive bene, ſive perperam, geſtis certo ac ſine ullo mendacio veritatem plene referret. Hoc habito ſermone rex Cranmerum ſatis An. 1543.
a diuturna moeſtitia revocatum domum remiſit.

CRANMERUS doctorem Coxum vicarium ſuum in ſpiritualibus generalem, & Antonium Huſſeyum notarium, ſcribam ac tabellarium ſuum praecipuum, ad inveſtigandas has Cantuariae a pontificiis meditatas machinas, cum ampliſſimis mandatis miſit. Qui, quod unius aut alterius menſis moras, re leviter inchoata tardeque progreſſa, traxiſſent, exiſtimabantur pontificiis occulte favere. Interim pontificii flagitabant, ut Cranmerus haereſis cauſas, de quibus poſtulabatur, e publicis carceribus atque cuſtodiis ageret;

rati parata, ut de Cromwello antea diximus, fictarum probationum, quibus reus non reſponderet, copia inſontem a regis conſpectu abductum obruere ſubitoque ſupplicio interimere. Rex aſſiduis pontificiorum importunitatibus oneratus conceſſit; ut, ſi de aliquo ejus in eccleſiam aut rempublicam delicto liquido conſtaret, ad carceres duceretur. Carolus Suffolciae dux paulo ante obierat; Cromwellus, ut diximus, capitis poena interiit; reliqui conſiliarii Gardineri aſſeclae, ab eoque in Cranmerum incitati conſpirabant; ut, donec de actis Cranmeri per totam Cantuarienſem provinciam cognoſcatur, in turri Londinenſi teneretur. Proximum diem ejus incarcerationi ſtatuerunt; ſuſtinuit hoc negotium rex, ut pontificii virus omne ſuum in Cranmerum evomerent: Et tamen eum ſartum tectumque habuit. Namque Antonium Deneum, unum ex intimis ſuis camerariis, virum itidem pontificiis adverſum & Cranmero amiciſſimum, media fere nocte ab aula Lametham miſit accerſitum Cranmerum. Venit mox ad regem e ſomnis experrectus Cranmerus. Narrat his verbis rex, quid eum vellet: “Inſtare pene omnes conſiliarios, ut, quoniam Cantua-“rienſis provincia totaque fere Anglia haereticis ſectis inquinata eſſet, “quarum origo ab eo certiſque viris peregrinis, ſed doctis, quos in ſua “familia teneret, ducta eſſe credatur, inquiſitione pendente ſubeat publi-“cam cuſtodiam; nam, niſi illud fiat, ad fontem & originem penetrari “teſtibus & probationibus haud poſſe. Id quod illorum, inquit, deſide-“riis conceſſimus: Ita rectene an ſecus tuum eſto judicium; craſtinus “enim huic rei ſtatutus eſt dies”. Cranmerus ſummas regi agit gratias, quod eum illius decreti etſi nimium ſeveri ante admoneret; non ſe recuſare dixit carceres, aut ſubterfugere judicia; conſcientiaque recta fretum malle rectorum judiciorum quam iniquarum ſuſpicionum eventus experiri: tantum petiit, ut, quoniam doctrina fideſque ſua in rebus divinis in quaeſtionem ducerentur, darentur ſatis aequi atque periti in theologia judices. At rex hanc integerrimi patris apertam ſimplicitatem, fatuitatem, appellavit; quod ſubeundis tam facili animo carceribus ſe inimiciſſimorum injuriis permitteret: “Si enim, inquit, non modo a dignitate tua, ſed a luce “conſpectuque hominum in carcerum tenebras abducaris, exorientur “falſi multi atque perjuri teſtes, qui in praeſentiam tuam prodire, aut “verbum ullum criminatorium in te efferre non audeant. Proinde, cum “neque dignitati neque ſaluti tuae proſpicis: Ego tibi conſulam, ne ob-“ruaris ab infenſiſſimis tibi hoſtibus. Cras te accerſent, haereſis crimi-“nationes objicient carceribuſque mandabunt: Petas, ut, cum ex conſi-“liariorum meorum numero ſis, eodem tecum jure agant, quo ipſi, ſi in “ſimile diſcrimen inciderent, ſecum agi optarent; id eſt, ut accuſatores “tuos in apertum judicium proferrent; quos ſi arguere atque convincere “non poſſis, aequo animo patiaris carceres. Quod ſi hujus aequiſſimi “poſtulati rationem non habeant, ſed eo rejecto ad exequendum decre-“tum pergant; ad meam praeſentiam & audientiam provoces, &, ut “decreto ſuperſedeant, hoc ſigno tradito efficies”. His dictis rex annulum inſignem atque notum digito ſuo detraxit & Cranmero tradidit, eumque dimiſit. Poſtridie mane nuncii a Gardinero ejuſque aſſeclis conſiliariis miſſi archiepiſcopales januas Lamethae pulſabant; Cranmerum petunt. Conſiliarii in ſynedrio conſilii ſedebant; quo cum Cranmerus veniſſet, intromiſſus non eſt. Id quod pleriſque nobilibus atque aulicis, qui illuc crebro tranſierint, mirum viſum eſt; Cranmerum regni Primatem,

An. 1546.

Conſtans amor regis in Archiepiſcopum.

tem, regiſque fidiſſimum atque intimum conſiliarium, ſynedrio excluſum inter pueros ſervuloſque dominis ſuis famulantes ſedere. Nunciabatur ea res doctori Butſeo clariſſimo regis medico, viro Evangelico atque pio; qui indignitate rei permotus venit ad Cranmerum, ſaltem ut abigeret inſpectantes tabulas, ac tam reverendi patris praeſentiam cohoneſtaret. Sed accerſitus mox ad regem medicus ſe nuper rem inſolitam & inauditam vidiſſe narrat. Quaerit rex, quaenam ea ſit. Cranmerus, inquit, ex Metropolitano & Primate regni devenit alicujus ſervulus; ſtetitque jam unius pene horae ſpacio cum reliquis una ſervulis pro ſynedrii foribus alicui domino famulans. Adeone, inquit rex, contumelioſe Primatem tractant conſiliarii? Cujus rei indignitate commotus rex nuncium mittit, ut dominus Cranmerus in ſynedrium intromittatur. Cui ingreſſo declaratum eſt, regem & conſiliarios accepiſſe totam Angliam contagione haereſis, quae ab eo ejuſque familia manarit, a CATHOLICA doctrina penitus eſſe averſam & depravatam; proinde eo in turri Londinenſi incluſo habendam eſſe ſine mora hujus famae, quae percrebuit, celerem inquiſitionem. Cranmerus accuſatores, teſtes, tabulas eaque judicia probationumque genera, quibus haec, quae objiciebant in ſe, collegiſſent, ut palam oſtendantur, ſibique in praeſentia reſpondere ſeque defendere liceat, popoſcit: Iniquum eſſe Primatem regni atque conſiliarium, cujus fides nunquam dubia fuit aut in controverſiam veniret, ſolis ſuſpicionibus ignominioſe, & cum totius accuſationis cauſaeque praejudicio, detrudi in carceres: Multaque alia commemorat, quare ſecum mitius clementiuſque agere oporterent. Sed, cum neque rationibus flecti, nec precibus exorari poterant; Cranmerus dolere ſe valde dixit, quod ab his, quibuſcum tam diu in communicatione conſilii vixerit, quorumque aequitatem in omni diſcrimine ſperabat, ad regem provocare neceſſe haberet. Itaque annulo regio tradito ſe coram rege ſiſtere, ſuoque decreto ſuperſedere, juſſit. Illico dominus Ruſſel, qui poſtea comes Bedfordienſis creatus eſt: An non praedixi vobis, inquit, regem nunquam permiſſurum, ut Cranmerus carceres pateretur; niſi ſummae proditionis aut ſuae majeſtatis graviſſime laeſae reus fuerit? Ad regem cum Cranmero mox perventum eſt. Is acri objurgatione conſiliarios exagitavit, prudentiam atque gravitatem majorem deſideravit; cur Cranmerus conſilii loco excluderetur, cur in ſervulorum grege pro oſtio ſtaret, & an eorum quiſquam tam indignam pati vellet infamiam, rogavit: Certo ac cum juramento, percuſſoque dextra pectore affirmavit, ſe tantis nominibus Cranmero devinctum & obligatum teneri, quantis praeterea nemini; ejuſque fidem ita cognitam & exploratam habere, ut nunquam major cujuſquam Praelati in ſuum regem eſſe poterit. Proinde omnes, qui ſe diligant, Cranmerum in ſummo pretio & exiſtimatione habeant. His a rege prolatis cum caeteri metu taciturniores eſſent; dux Norfolciae reſpondit: „ Noſtri ſane non fuit in„ ſtituti obeſſe quicquam Cantuarienſi Archiepiſcopo; ſed, ut eo, in„ quiſitione pendente, in cuſtodia publica ſervato, innocentiaque ejus ac „ objectorum falſitate cognita cum majori exiſtimatione atque fama pro„ diret". At Rex: „ Nolo, inquit, Cranmerum, aut eos, qui mihi „ chari ſunt, hoc exiſtimationis genere periculoque tractari: Sed odia „ quaedam inter vos occulta atque inveterata has tragoedias concitare ani„ madverto; quae niſi mature ſopiantur, ego meas partes interponam, „ eaque compeſcam". His dictis rex commotus diſceſſit. Conſiliarii cum

Scilicet pontificia.

cum Cranmero ſinguli dextras jungunt cum eoque in gratiam redire ſtudent. Ille mitiſſimus pater omniumque injuriarum immemor quaſcunque offenſiones facile remiſit, & ex animo penitus delerat: Ex eoque die ab inimicorum inſidiis ſecurus atque tutus in ſumma regis gratia vixit.

Sed cum, ut ante diximus, doctor Coxus Cranmeri in ſpiritualibus vicarius, cum Antonio Huſſeyo ſuo regiſtrario in illa inquiſitione moroſe nec ſine ſuſpicione, reque infecta haereret Cantuariae; rex occulte miſit dominum Leum in legibus doctorem, ut quid pro Cranmero, vel adverſus eum, ageretur, exploraret. Is Cantuariam celeriter profectus exquiſivit a quibuſdam piis & reformatis viris, quos Coxus & Huſſeyus ſibi non adhibebant, a quo fonte tanta in Cranmerum infamia naſceretur. Illi authores pontificios quoſdam preſbyteros deſignabant; quorum exploratis media tunc nocte aedibus, reperiuntur literae ad concitandos in Cranmerum pontificios a quodam Gardinero conſcriptae; qui Stephani Gardineri Wintonienſis Epiſcopi ſecretarius tum fuit, & paulo poſt ob proditionem ad patibulum judicatus & ſuſpenſus eſt. In his literis tota pontificiae in Cranmerum conjurationis machina deſcripta fuit: Quam cum rex vidiſſet, coepit ſuam cum pontificiis neceſſitudinem ſenſim diſſuere; indicavitque Cranmero ſingula, ut cautiſſime caveret a pontificiis: Voluitque, ut illae Gardineri literae ad pontificiorum infamiam in parliamento recitarentur: Sed Cranmerus, ne pontificiorum odium in apertum erumperet, regi ſuaſit ut celarentur. Evenit eodem quoque tempore, ut cum integerrimi patris gratia contra adverſariorum injurias & calumnias valeret, nobilis quidam Cantius eum adiit; rogavitque ut in quadam petitione ad regem pro ſe intercederet. Cranmerus eadem facilitate ductus, qua de ſingulis bene mereri conſueverat, deſiderium ejus regi expoſuit, regiſque beneficentiam pene exoravit. Sed rex, cum animo pauliſper volviſſet, eum ipſum, pro quo Cranmerus interceſſerat, miniſtrum atque ſocium inceptae illius accuſationis fuiſſe; interrogavit an Cranmerus eum, pro quo poſtulaſſet, inter amicos ſuos haberet? Cranmerus id quod credidit faſſus eſt, pro amico eum ſe habere. Rex ſubiratus: " Deliras, inquit; hic enim nebulo has omnes tragoedias contra te effecit in Cantio; proinde, ſimul atque eum convenias, nebulonem appelles". Cranmerus id ſe facere minime decere reſpondit. Juſſit iterato rex, ut id ſuo mandato ac nomine faceret. Sed Cranmerus ſilentio rem tranſiit atque omiſit.

His geſtis emergere jam coeperunt ex inundatione pontificia, cujus fluctibus diu obruebantur, Evangelici. Nam in parliamento nuper convocato Cranmerus docte boniſque lateribus ſuaſit, tollendam eſſe illam diram atque cruentam de prioribus sex Articulis ſancitis poenam; aut aequiori interpretatione moderandam, ne integerrimi cujuſquam ſubditi optimeque de rege ac republica meriti ſalus, iniquis ac fraudulentis laqueis irretita, in diſcrimine relinquatur. In quo quidem negotio etſi a Wigornienſi, Ciceſtrenſi ac Roffenſi Epiſcopis, quibuſcum ante communicabat, quique ſuum conſenſum atque operam in parliamento promittebant, in ſumma periclitatione Gardinero plenis buccis faucibuſque vociferante & reclamante deſertus fuerat, ſoluſque aciem contra pontificios tenuerat; tamen a rege ipſo proceribuſque, qui tantam in divina veritate conſtantiam vehementiamque laudabant, adjutus, etſi non tolli penitus legem, tamen aequabili magis atque temperata ratione moderari impetravit. Verum

Ab An. Chr. MDXXXII. — Ad An. Chr. MDLV.

rum nondum obfuit Cranmeri sinceritati haec clandestina & insidiosa pontificiorum conjunctio. Nam rex Cranmerum arctiori secum, quam unquam antea, necessitudine tenuit, intimaque ei indies communicavit: Pontificios, quorum consuetudinem repente praecidere & amputare non poterat, alieniores tamen habuit, & ad tam intima non admisit. Suasit jam Cranmerus, quod saepe antea, ut sacra biblia in Anglicanum sermonem verterentur, & per singulas ecclesias distribuerentur singula; cui Gardinerum atque pontificios restitisse tam diu antea diximus. Ac, cum rex rem omnem ecclesiasticam Cranmeri moderationi permisisset, in synodo illa, quae, ut diximus, cum parliamento incepta est, Cranmerus de vertendis sacris bibliis, de oratione Dominica, apostolorum symbolo, & decalogo vulgari lingua perdiscendis, de portiforiis usus Romani abolendis, de matrimonio vicariis Episcoporum permittendo, de ecclesiasticis ad statum ecclesiae Anglicanae legibus componendis, ac de regis necessitatibus ecclesiastico subsidio sublevandis, egit. Pontificii, quia jam cognita regis voluntate resistere aperte non audebant; renitebantur quantum occulte poterant: Namque aliquandiu, quibus biblia transferenda committerentur, ambigebant. Quidam id negotii Cantebrigiensi & Oxoniensi Academiis delegari volebant: Alii certos ex synodo doctos viros designabant. Tum de quorundam verborum transferendorum significatione atque vi disputatum est; veluti, an Dominus ex sacris literis Anglice **the Lord**, vel **our Lord** verteretur? Et an ecclesia transferenda sit **the Congregation**, vel **the Church**? Item utrum charitas dicenda sit **Charitie**, vel **Love**? Adhaec in secundo ipsius decalogi praecepto: "Non facies tibi sculptile", &c. Gardinerus atque pontificii, quia de ejiciendo ex ecclesiis simulachrorum cultu formidabant, ad finem praecepti addi voluerunt: "Eo proposito, ut his divinum cultum praestes". Atque hujusmodi nugis, regis & Cranmeri in propagandis per Anglicanas ecclesias sacris literis studium pontificii impediebant & procrastinabant. Etiamsi illis quantumvis repugnantibus res haec tandem felicem effectum sortita est. Nam & Anglicana biblia in singulis ecclesiis collocata sunt; eaque legendi facultas populo facta est: Tum ecclesiasticarum legum ad usum Anglicanae ecclesiae ferendarum potestas triginta duobus parliamenti consultis a rege designandis concedebatur; unaque decretum, ut ecclesiastica jurisdictio a conjugatis, qui juris civilis peritiam habeant, in eoque ab aliqua Universitate doctores creentur, exerceri possit. His paulatim modis ille superstitionis & impietatis tam firmiter a pontificiis colligatus nodus explicari ac dissolvi facile coepit. Ac rege divinitus ad tuendam Evangelii susceptam causam singulari Cranmeri virtute adducto, conciliatae sunt ei cum pia & evangelica matrona, quae domini Latimeri defuncti vidua marchionisque Northamptoniensis soror fuit, aetati jam suae consentaneae nuptiae. Quibus valde corroborari Evangelicorum partes existimabantur. Sed bellis jam in hac pontificiorum rituum profligatione tam in Gallos quam in Scotos, utrinque Anglos infestantes, subito exortis novae turbae concitatae; iterumque in Evangelicos magna crudelitate saevitum est. Namque Gallo fidem atque pacta, ut solet, frangente, rex Caesarem solicitavit, ut mutuis eum conjunctisque adjumentis adorirentur. Quorum quidem bellorum exitus etsi regi regnoque secundi fuerint, nam & quindecim Scotorum millia in proelio ad Askam fluvium commisso fusi sunt, & Bolonia, maritima Galliae civitas, oppugnata atque capta est,

An. 1543.

tamen authoritate Caesaris Gardinerus atque pontificii in regis gratiam irrepserunt; quibus praevalentibus, flammis iterum & incendio aliquandiu crudeliter in Evangelicos actum est. In quo si modum pontificii tenere potuissent, causam fortasse suam apud regem effecissent meliorem. Verum immoderatus eorum furor eo progressus est; ut neque thalamus regis, neque nuptiae ab illa de SEX ARTICULIS inquisitione pontificia tutae salvaeque esse poterant. Postulabat enim Gardinerus elatus jam ferocia non An. 1546. modo regis cubicularios, sed egregiam illam sincerissimamque matronam dominam Catharinam reginam, haereticae factionis. Quae quidem audacia atque impudentia regem a pontificiis in perpetuum alienavit, ut Gardineri conspectum deinceps nunquam ferre potuerit; Norfolciae ducem, ejusque haerilem filium Surreiensem comitem proditionis suspectos turri Londinensi incluserit. Quorum hic capite damnatus interiit: Ille carceribus septennio detentus, regnante postea regina Maria, liberatus est.

HENRICUS octavus victoriosissimus rex, profligato jam papa ejectaque illa monachorum atque fratrum impura turba lueque pontificia, tum promulgato per regnum Evangelio, cum toto regni tempore omnes domi militiaeque sui conatus secundos semper ac felices exitus habuerunt, quinto An. 1546. kalendas Februarii moritur; ac regali pompa Windesoriae sepultus est. In testamento Edwardo principi, minori novem annis nato, haeredi suo sexdecim tutores, ex Episcopis solos Thomam Cranmerum Cantuariensem Archiepiscopum & Cuthbertum Tonstallum Dunelmensem Episcopum, dedit. Gardinerus sibi vivo omni gratia penitus exciderat, & mortui testamento consilioque exclusus est: Quod Evangelio dilatando, & Romanis paulatim abolendis ritibus, quos Gardinerus mordicus adhuc retinebat, maxime profuisse putabatur. Eoque animo ac proposito regem quidam retulerunt exterminasse eum a privato consilio; ne se mortuo ad papismum omnia rursus revocaret, atque rempublicam pontificiis factionibus perturbaret.

AC Edwardus ejus nominis sextus rex, annis quidem puerilibus, decimo kalendas Martias regiis, ex hujus inclyti Angliae regni more, sacris a reverendissimo ac integerrimo patre Cranmero Westmonasterii initiatus est: Sed a piis atque eruditis praeceptoribus doctore Coxo & Johanne Checo Graecis Latinisque literis institutus, tum sana religione ad praescriptam divini verbi normam imbutus, aetatem longe suam doctrina virtuteque superavit. Qui Anglicanam ecclesiam rudem adhuc & informem tam accurate sincera religione perpolivit, omnesque faeces pontificias expurgavit, ut a piis omnibus "alter Josias" merito dictus sit. Verum, pluribus, ut diximus, ei minori a patre constitutis curatoribus, ne numero suo atque multitudine ad dissensiones faciles essent & proclives, unus electus est, qui ex consiliis reliquorum impuberis regis tutelam solus administraret. Is fuit Edwardus Seymerus comes Hertfordensis, totius regni camerarius regisque avunculus. Qui, suscepta tutela regis, totius regni atque dominiorum suorum PROTECTOR & Somerseti dux nuncupatus atque creatus est. Is etiam, quod divinitus Angliae datum est, reformandae ad An. 1547. Arch. VERBI institutum religioni non minus quam reipublicae studuit. Itaque parliamentum a rege, synodusque a clero, una celebrantur. In synodo Cranmerus Archiepiscopus oratione habita, de religione ex verbo Christi instituta populo tradenda, ac reliquiis pontificiis tanquam adulterinis plan-

tis

tis eradicandis conſulendum dixit: Sed legum adhuc de SEX ARTICULIS Henrico rege regnante latarum ſeveritas pleroſque terruit; quo minus ſuas de religione reformanda ſententias libere dicerent. Itaque impetravit a rege Cranmerus, ut interim, dum illae leges parliamento abrogarentur, Praelatis de religione in ſynodo differentibus atroces illae rigidaeque poenae laxarentur: Quod & conceſſum eſt. Ad aliam etiam poſtulationem progreſſi ſunt Praelati: Animadverterunt enim omnem vim authoritatemque ſynodi non modo diminutam, ſed penitus fractam & everſam eſſe; poſtquam, ut in Warhamo antea diximus, clerus in verbo ſacerdotii Henrico regi promiſiſſent ſine authoritate regia in ſynodo ſe nihil decreturos: Qua eccleſiaſticarum legum poteſtate abdicata, populus in parliamento coepit de rebus divinis inconſulto clero ſancire; tum abſentis cleri privilegia & immunitates ſenſim detrahere, juraque duriora, quibus clerus invitus teneretur, conſtituere. Haec diſcrimina pati, cum populus de republica, non de eccleſia, in parliamentis antiquitus tractare conſuevit, clericis multo jam acrius atque vigilantius in divina veritate, quam unquam antea, laborantibus iniquum atque grave viſum eſt. Proinde petierunt, ut quemadmodum Praeſules in ſuperiori parliamenti concilio cum proceribus conjunguntur, ita in concilio inferiori Praelati clerique procuratores cum populo permiſti de republica pariter & de eccleſia una conſulant. Cujus aequiſſimi poſtulati deliberatio, quia de religione mature conſulendum fuit, in aliud tempus rejecta eſt. Ac paulo poſt omnes papales ceremoniae, miſſationes, exequiae, Sanctorum invocationes, mortuorum expiationes, precationumque formulae, quibus pontificii blaterones, ignota lingua Deum, ac infinitam mortuorum turbam, quos inter Sanctos relatos eſſe putabant, colebant, caeteraeque nugae e templis & Chriſtianorum coetu ſublatae atque deletae ſunt: Puruſque Dei cultus in precibus materna lingua publice deſcriptis, & Sacramentis ad divini verbi regulam expreſſis & inſtitutis, per totam Angliam editus eſt. Ad hanc rem a rege viſitatio totius regni An. 1547. generalis decernitur; datique cum ampliſſimis mandatis certi inquiſitores, qui ſingulas dioeceſes luſtrarent, papiſmum e templis tollerent, clerum ad divini verbi praedicationem excitarent, populumque ad ſuſcipiendum Evangelium repudiato papiſmo provocarent: Omniſque papiſmus ſic abjectus & abſterſus eſt, ut neque reſidui, neque ſuſpicionis ſuae quicquam reliquerit. Sed in hac eccleſiae Anglicanae ſpecie, quae tot antea ſaeculis Romanis deliriis inquinabatur, jamque in hoc felici Edwardi regno & Cranmeri Praeſulatu evangelica claritate tandem enituit, pontificii plures pertinacia proterviaque incredibili, quantum poterant, reſtiterunt. Nam & Gardinerus Wintonienſis & Bonerus Londinenſis, Tonſtallus Dunelmenſis atque Hethus Wigornienſis Epiſcopi, omnes ritus pontificios ſine diſcrimine profligari, ut nulla reſtitutionis ſupereſſet ſpes, indigne ferebant. E quibus Gardinerus indignatione repulſae, quam ab Henrico rege, ut An. 1549. diximus, tulit, magis quam pietatis aut religionis ſtudio, pontifici Romano tam firmiter adhaerere putabatur: Non id quidem aperte; nam legum poenas formidabat; ſed pontificias reliquias hoc praetextu retineri voluit, quod rege adhuc minore nihil in religionis aut reipublicae ſtatu innovandum eſſe ſuaſit. Horum auxit contumaciam domina Maria regis ſoror, Henrici ex Catharina Hiſpana filia. Quae matris ab Henrico rege repudium indigne tulit; Romanamque uſurpationem eo magis probavit, quod matris ſuae nuptias jure divino prohibitas diſpenſatione ratas feciſſet. Itaque

que

que miſſas, idolorum cultum, ſacraque pontificia publicis legibus ſublata, domi ſuae celebravit. Hujus exemplum, quia paterno teſtamento, ſi Edwardus rex ſine prole decederet, haeres regni inſtituta eſt, permultos in fide pontificia tenuit atque depravavit. Verum Gardineri, Boneri, Tonſtalli, necnon Hethi indies creſcentes contumaciae Epiſcopatuum amiſſione carceribuſque mulctatae ſunt. Pro domina Maria, quae Caeſaris conſanguinea fuit, interceſſit per legatos ipſe Caeſar, ut conſuetis pontificiis ſacris impune uteretur. Quod Edwardus rex, cum tam perniciosum eſſe atque praejudiciale id exempli cerneret, non permiſit: Ut, cum Cranmerus atque Ridleius, vir etiam doctus atque pius, qui Bonero deprivato in Londinenſi Epiſcopatu ſucceſſit, inſtarent & deprecarentur, exorari nullo pacto voluit; quin lacrymis pro ſororis duritie atque caecitate abunde fuſis, eam, ſi in pertinacia perſeveraret, legibus coercendam edixit. Qua cum ſumma pietate conjuncta in rege adeo juvene conſtantia perſpecta, Cranmerum atque Ridleium ſuae in ejuſmodi cauſa pro domina Maria interceſſionis valde puduit. Cranmerus Johannem Checum regium praeceptorem adiens perbeatos fuiſſe ſuos in tam inclyto inſtituendo rege labores pronunciavit; qui virtute atque religione ipſos Praeſules & concionatores anteiret. Poſtea Cranmerus Archiepiſcopus, ut evangelicam doctrinam in Cantebrigienſi atque Oxonienſi Academiis, e quibus ad totius regni inſtitutionem doctores infiniti prodeunt, firmaret, celeberrimos theologos ab exteris nationibus in Angliam acceſivit, Petrum Martyrem Vermilium Florentinum, & Martinum Bucerum Germanum ex Argentorato profectum: Ille Oxonii docuit, hic Cantebrigiae. Cum hoc etiam Paulus Fagius Hebraicas literas Cantebrigiae profeſſus eſt. Ac praeter hos Immanuelem Tremellium, Bernardinum Ochinum, Petrum Alexandrum, Valerandum Pollanum; quos omnes cum liberis atque conjugibus abunde alebat. Philippus etiam Melancthon atque Muſculus accerſiti ſunt; ſed a patriis retenti ſe per literas excuſabant. In hos alioſque doctos theologos tanta beneficentia Cranmerus uſus eſt; ut collectis quotannis ſuarum expenſarum rationibus nihil ſibi ex redditibus reſidui ſupereſſe poterat. Hi tres Cranmeri ſumptibus abunde alebantur. Verum Fagius cito mortuus eſt. Reliqui duo aſſiduis lectionibus, praedicationibus atque diſputationibus papiſmum refellebant & dilatabant Evangelium. Ac Bucerus tertio, An. 1551. quo in Angliam venerat, anno obiit; ejuſque funus omnium ordinum Cantebrigiae concurſu, atque ſingulorum planctu, carminibus atque concionibus declarato, cohoneſtabatur. Petrus Martyr adhuc vixit, continuoſque labores in evangelica veritate contra pontificios tuenda exantlavit. Cranmerus domi otium omne ſuum ſacris literis impertivit; ſcripſitque contra pontificiorum ſententiam, illam craſſam atque carnalem in ſanctae coenae Sacramento Chriſti praeſentiam affirmantium, tanta doctrina & argumentorum copia refertum librum; ut ea controverſia a nemine unquam contra pontificios accuratius tractata eſſe videatur. Contra hunc librum Stephanus Gardinerus Wintonienſis Epiſcopus turri Londinenſi incluſus furtim & prolixe in eo libro invectus eſt, quem "Marcum Conſtantium" nominavit. Atque hunc rurſus Cranmero poſtea mortuo Petrus Martyr docte refellit & refutavit. Sed hujus Anglicanae eccleſiae ſtatus, qui piis omnibus pergratus pontificiiſque inviſus fuit, uſura perbrevis jam ad calamitatem atque luctum ex laetitia recidit. Namque Ed- An 1553. wardus rex adoleſcens, antequam plenam pubertatem attigiſſet, ex phthiſi ſubito

ſubito interiit. Cujus vita omnium opiniones incredibili virtute doctrinaque ſuperavit, mors praeter expectationem annis juvenilibus accidit; in quibus ſine vi pauci intereunt. Eo vero mortuo cum regnum dominae Mariae Henrici regis primogenitae obveniret, pontificii cuſtodia poeniſque liberati, ac ad priſtinas dignitates reſtituti in Evangelicos ejectos atque deturbatos omne genus vindictae ſuppliciique paraverunt: Quorum plerique fuga & exilio, pontificiorum vi & immanitate vitata, ſe ad meliora reginae ELIZABETHAE tempora reſervarunt. Cranmerus, cum ſimile conſilium a ſuis accepiſſet ut fugeret; " Ego vero, inquit, ſi furti, proditionis, " parricidii aut cujuſvis ſceleris poſtularer, induci ad fugam multo facilius, quam in hac cauſa, potuiſſem. Nunc, cum de mea non in homines, ſed in Deum, fide & ſacrarum ſcripturarum veritate contra pontificios errores agendum eſſe video, conſtantia potius vita cedam, " quam fugitiva evaſione regno".

Hoc enim in Cranmero admirabile viſum eſt; quod etſi mitiſſimus ac facillimus in omnibus rebus agendis judicaretur; tamen, ſi divinam veritatem labefactari aut oppugnari a quocunque ſentiret, nemo unquam in bellis imperator majorem animi magnitudinem conſtantiamque declararet: Ut quondam virum quendam magnanimum ac ferocem & in hac republica principem in cauſa religionis, regnante rege Edwardo, ad duellum laceſſeret; quod eccleſiaſticos ritus abolitis pontificiis ex Cranmeri conſilio reformatos improbaret. Verum Cranmero jam in mentem venit illius vaticinii, quo Henricus octavus rex martyrium in hac cauſa ſuum praenunciaret. Inſignia enim ex gente ſua Cranmerus tribus gruibus quadripartita tulit; quae rex Henricus poſtea, cum integerrimi patris in veritate divina conſtantiam, ſi pontificii praevalerent, in morte ac incendio deſituram proſpexerat, ita mutari voluit; ut gruibus deletis tres pelicani mortis martyriique praenuncii in ſuis deinceps inſignibus ederentur. Nam pelicani in pullos ſuos famelicos pietate ducti, eos lethali, propriis roſtris, pectoribus inflicto vulnere, emiſſoque ad animae defectum cruore ſatiant. Id quod in Cranmero fore praedixit rex; ut pro veritate chriſtiana ad paſcendum & ſtabiliendum Chriſti gregem ſanguinem quondam martyr effunderet. Cujus praedictionis eventum jam inſtare animadvertit, eumque mente toleranti & intrepida perferendum ſibi ſtatuit.

JAMQUE regina Maria miſſationibus ſacriſque pontificiis Weſtmonaſterii kalendis Octobris a Gardinero Wintonienſi Epiſcopo, ſine expreſſo jure aut exemplo, quoniam ea res ad Metropolitanum ſpectabat, uncta regnoque initiata eſt. Omnium autem tam civilium quam eccleſiaſticarum rerum poteſtas pontificiis Praeſulibus, & Stephano praeſertim Gardinero Wintonienſi Epiſcopo, a regina Maria tradita eſt. Cranmerus cum Ridleio Londinenſi, ut diximus, Epiſcopo & Hugone Latimero Oxonium in carceres miſſi ſunt. Congregataque Londini ſynodus, praetextu quidem authoritatis Cantuarienſis Archiepiſcopi & ex reginae ad eum mandato, verum praeſidebant ei ſine mandato Bonerus, & Hugone Weſtono ſacrae theologiae profeſſore inferioris ſynodi moderatore, quem " Proloquutorem " vocant, deſignato, miſſarum omniumque pontificiorum rituum conſtitutionem introduxit. Ac contra diu atque docte diſputabant Walterus Philips decanus Roffenſis, Jacobus Haddonus decanus Exonienſis, Richardus Cheiney archidiaconus Herefordenſis, Johannes

Ab An. Chr. MDXXXII. Ad An. Chr. MDLV.

Philpotus archidiaconus Wintonienſis, & Johannes Elmerus archidiaconus Stowenſis; qui a caeteris multitudine, non argumentis, vincebantur. Ita enumeratis potius, quam perpenſis, ſingulorum in hac ſynodo ſententiis, papiſmus iterum pene reſtitutus eſt. In parliamento quoque, quod eodem tempore celebrabatur, omnes propemodum leges atque ſanctiones, quae ab Henrico octavo & Edwardo ſexto regibus in pontificios ferebantur, reſciſſae & abrogatae fuerunt. Reginaldus Polus cardinalis Romanus, de quo proximo loco dicturi ſumus, a regina Maria, ut Angliam pontificiae poteſtati iterum ſubjiceret, accerſitus eſt. Thomas Cranmerus, ut majori populi odio laboraret, laeſae majeſtatis ab iniquis & pontificiis judicibus in judicii forma ſine veritate evincitur. Qua quidem in re iniquum Cranmerus tulit ſui in Mariam jam reginam olim benemeriti praemium: Nam, cum pater ejus Henricus octavus eam pontificia factione praefractam atque contumacem carceribus coercere ſtatuiſſet, ſolus Cranmerus interceſſit, regemque incenſum mitigavit. Deinde, cum eadem a fratre Edwardo rege teſtamento exhaeredata fuiſſet, longa oratione ne id fieret, etſi fruſtra, diu contendit. Verum materni repudii memoria, atque malevolentia ex inveterato ac repoſito odio, quaecunque Cranmeri beneficia excluſit. Itaque capite jam damnatus Oxonium cum Nicolao Ridleio Londinenſi, ut diximus, Epiſcopo ac Hugone Latimero in carceres miſſus eſt. Eo Petrus Martyr, defuncta prius & ſepulta ſua conjuge, in Germaniam obtento commeatu ſeſe contulit. Atqui aliud rurſus parliamentum aliaque ſynodus inchoantur. (An. 1554.) In parliamento papa ſuam uſucaptam potentiam, quod nunquam ante evenit, legis vigore recepit. Et, ut pontificia factio firmaretur, infauſtae nuptiae inter Philippum Caeſaris filium & reginam Mariam conciliatae ſunt; quae Wintoniae octavo kalendas Auguſti, Stephano Gardinero miſſificante celebrabantur. Tum Polus cardinalis cum legatina poteſtate a Julio tertio papa venit in Angliam; adventuque ſuo excommunicationis & interdicti ſententias a papis viginti fere annis in regnum latas in parliamento relaxavit.

Interea Oxonium venerunt a ſynodo miſſi Weſtonus proloquutor cum permultis aliis theologiae profeſſoribus; ut cum Cranmero, Ridleio atque Latimero de ſacra ſynaxi & carnali in eadem Chriſti praeſentia publice diſputarent: Qui ſancti patres convitiis atque contumeliis exploſi potius, quam Scripturae atque patrum conciliorumve authoritatibus victi, haeretici primo ab Oxonienſi Univerſitate, deinde a ſynodo Londini, judicati ſunt. Quarum omnium rerum prolixas narrationes ab aliis explicatas nos in perſtricto compendio conſulto omittimus: Tum editas a Bonero Chriſtianorum ſtrages martyrumque incendia, Gardineri verſutias, Poli ſimulationem & hypocriſim, ruinam denique cladenque regni a pontificiis paucis annis invectam commemorare, opus eſſet & immenſum, & ab aliis ſuſceptum feliciterque atque copioſe expeditum, nobis inane & ſupervacaneum. Illis itaque praetermiſſis ad Cranmeri mactationem, quae jam inſtat, propius accedamus. Cardinalis Polus, papae legatus, honore & cum regina gratia cunctos anteibat; & quamvis Cantuarienſem Archiepiſcopatum concupivit, ejuſque fructus authoritate, qua fungebatur, legatina Cranmero ademit, & ſequeſtrationis praetextu ad ſuos uſus convertit ac Lamethae habitavit; ſe tamen pro Archiepiſcopo gerere Cranmero adhuc vivente noluit. Verum Stephanus Gardinerus faſtu arrogantiaque tumens, qui ambitionem ex Wolſeii cardinalis, cui, ut diximus,

mus, primo ſervivit, aula familiaque hauſit, nec ſuperiorem ferre potuit, occulte, quantum potuit, reſtitit; honoremque cardinalitium, & legatinam authoritatem, exemplo magiſtri ſui Wolſeii nunciis ad papam clanculum interpoſitis, affectavit: In quo deſiderio ſpem certam conceperat; quia, papa Julio tertio mortuo, Johannes Petrus Carafa, qui cardinalis Theatinus dicebatur, ad papatum evectus eſt. Inter hunc, qui jam Paulus quartus papa vocabatur, atque Polum cardinalem inveteratae & capitales inimicitiae, quae nulla reconciliatione deponi poterant, interceſſere. Itaque gratiſſimum ei fuit Gardineri de poſtulando cardinalatu nuncium; qui Polum omni authoritate exuere, Romam ex Anglia revocare, ibique tam diuturni odii vindictam de eo ſumere cogitavit. Hoc callido conſilio cum Gardinerus occulte putaretur Cranmerum ab incendio reſervaſſe, ne Polus Archiepiſcopatum ingrederetur; tanta morbi articularis vehementia non modo in cruribus, ſed in ipſo coxendice, correptus eſt, ut a ſuis medicis ei mors nunciata ſit. Atque in lecto decumbentis cadaver ita putri- An. 1555. dum foetidumque ante mortem fuit; ut praeſentibus, qui eum curabant, nihil moleſtius ipſo odore eſſe potuit. In ipſo mortis momento haec verba ejaculatus eſt: " Erravi cum Petro; non flevi cum Petro". Eo vero mortuo Polus legatus doctorem Brookum Gloceſtrenſem Epiſcopum papae delegatum ad ſententiam in Cranmerum ferendam deſignavit. Cum eo Oxonium una profecti ſunt Johannes Storeus & Thomas Martinus legum doctores; qui authoritate fulciti regia adjumento atque ſubſidio forent delegato. Ac longo ſermone habito ut Cranmerum ab his, quae de religione chriſtiana tenuiſſet, dogmatibus ad Romanam concordiam revocarent; illeque cum conſtanter perſeveraret, nec abduci a ſententia vellet, monitus eſt a Brooko papali delegato, ut intra octoginta dies continuos ſe Romae coram papa ſiſteret: Id ſe libenter facturum Cranmerus reſpondit, ſi ei a regina fieret poteſtas. Verum papa Cranmeri adventu non expectato ante viceſimum diem, literis ad regem Philippum & reginam Mariam ſcriptis, condemnari & brachio ſaeculari permitti juſſit. Interea Ridleius atque Latimerus una combuſti ſunt: Quod funeſtum lugubreque ſpectaculum ex ſummo carceris ſui loco conſpiciens Cranmerus, idem brevi expectans hujus vitae exitum, genubus flexis palmiſque ad ſidera tentis, ſociis ſuis ſpei fideique conſtantiam in tam horrendo mortis tormento precatus eſt. Solebant enim vivi, poſtquam delegatorum ſententia condemnati eſſent, literis indies ſe ad perſeverantiam mutuo cohortari. Ac paulo poſt nova poteſtas Thomae Thirleby Elienſi & Bonero Londinenſi Epiſcopis a papa data eſt; ut Cranmerum tam clericali quam archiepiſcopali ordine deprivarent, & flammis cremandum ſaeculari poteſtati traderent. Id decimo quarto Februarii peractum eſt. Verum illa literarum conſolatoriarum conſuetudine cum jam Cranmerus caruiſſet; irrepſit ei ſubdoli cujuſdam fratris Hiſpani, qui Johannes dictus eſt, ex pontificiorum blanditiis tentatio diabolica; ut propoſita vitae ſpe mortiſque terrore, ea, quae antea de religione ſenſiſſet atque docuiſſet, ſcriptis & chirographo retractaret. Sed neque pontificiorum immanitas, nec ficta & adumbrata Poli ſanctitas, quae integerrimi cujuſquam ſanguinem expetivit, hac retractatione contenta eſſe poterat. Nam, cum in vitae ſpem pene certam veniſſet Cranmerus, praeſto ei adfuit ex Poli cardinalis decreto exitium; venitque Oxonium Johannes Colus, vir non modo pontificia pravitate, ſed in omni vitae actione, perverſus ac difficilis. Is ſcholarium & oppidanorum

rum

rum Oxoniensium concione in divae Mariae templo habita divinum Numen ob Thomae Mori & doctoris Fisheri Roffensis Episcopi caedes, qui, Henrico octavo regnante, capite ob papismum plectebantur, infensum non alia ratione, quam Cranmeri mactatione atque victima, placari posse asseruit. Eo inter duos fratres eductus est e carceribus toga squalida pannisque obsita Cranmerus: Quem cum in sua concione Colus hortaretur, ut retractationem, quam scripto ratam fecisset, jam cunctis audientibus viva voce ederet: Is fide sua in Deum ejusque scripturas explicata, omniumque suorum delictorum venia exorata, ex omnibus, quae unquam perpetravit, peccatis id gravissimum sibi videri asseruit; quo priori fidei scripto manuque contra mentem & conscientiam renunciasset. Tum papam, ut Antichristum, omnesque pontificios ritus, qui ecclesiam Christi contaminabant, exosus, de dextra sua manu, quae subscripsit, simul atque in flammas venisset, primum comburenda praedixit. In hujusmodi autem sermone cum progredi ultra vellet, pontificiorum clamoribus & convitiis impeditus, & a loco, in quo constiterat, violenter tractus est. Indeque inter duos rursus fratres ad martyrium ductus, posti catena alligatus aridisque fasciculis circumdatus, simul atque flamma lignum accenderat, laeva in coelos erecta dextram primo admovit igni; quam, ne brachio quidem reducto, totam combussit, seque indignam ac Christo inimicam appellavit; erectusque corpore nunquam moto aut declinato, sublatis in coelum oculis, cum flamma jam undique saeviret, exclamavit: "Domine suscipe "spiritum meum"; atque exspiravit. Hoc fuit tam sancti doctique patris gloriosum martyrium; cujus tota vita divinis vigiliis lucubrationibusque transacta ipsis flammis ad coelestem immortalitatem translata est. Postquam flamma cadaver ejus atque ligna ad cineres redegisset, repertum est cor ejus in cineribus integrum ac illaesum. Id si pontificii in suae factionis aliquo combusto comperissent; instar insignis alicujus miraculi habuissent, combustumque inter Sanctos in papali calendario retulissent. Sed Cranmerus fide integra, non pontificia censura, in libro vitae scriptus coelestem haereditatem cum Christo consecutus est. Ut, si in hominibus gloriari fas esset, non ab Augustino, Dunstano, Elphego, Anselmo, Thoma Becket, Edmundo, & reliqua pontificia turba, sed ab hoc uno, qui solus in Christi causa contra Antichristum flammarum incredibili dolore ad coelos sublatus est, Cantuariensis sedes nobilitata esse videatur.

De Martyrio ejus haec carmina conscripta sunt a Radulpho Skinnero.

SUCCUBUIT sanctus Praesul Cranmerus; iniqua
Pontificum rabie, fraude doloque perit:
Quod Verbi invicto dejecerat ense papatum;
Quod docuit pura quaerere mente Deum:
Quodque Antichristi subverterat impia regna,
Regna piis Anglis heu tolerata diu:
Hinc pius & clemens crudeli addicitur igni,
Et dant innocui membra cremanda viri.
Huc ubi jam ventum est; DEXTRAM *projecit in ignem,*
Projectamque tenens talia dicta dedit:
" Primum peccasti: Primum & sentire dolorem
" Debes, Oh Christo dextra inimica meo.

Immo-

Immotamque tenet, dum deflagraverat omnis,
In cineres totam dum cecidiſſe vident.
Caetera cum pereant flamma, mirabile dictu,
Cor manet illaeſum poſt, ubi flamma perit.
Ecce invicta fides cor inviolabile ſervat,
Nec mediis flammis corda perire ſinit.


In effigiem THOMAE CRANMERI Archiepiſcopi Cantuarienſis Gualteri Haddoni carmina.

ET pius & clemens, Thoma Cranmere, fuiſti;
Tempora laeta dedit, tempora dura, Deus.
Tu teſtis Chriſti crudeli addiceris igni;
Nunc duris reddunt tempora laeta vicem.

EO vero mortuo, ſedeque jam vacante, capitulum Cantuarienſe ex mandato regis & reginae ſynodum convocavit; ſuaſque vices Bonero Londinenſi Epiſcopo delegavit, ut is concilio praeſideret. (An. 1556. Arch.) In hac ſynodo decretum eſt, ut dies ille, quo pontifici Romano uſurpata illa authoritas reſtituta fuerit, quotannis feſtus dies celebraretur, atque ANGLICANAE ECCLESIAE RECONCILIATIO diceretur. Tum, quia regina Maria primitias atque decimas Henrico octavo regi, ut antea diximus, in perpetuum conceſſas clero remiſiſſet, decretum ei eſt ampliſſimum ex cleri beneficiis ſubſidium. Multa alia in ea ſynodo a clero poſtulata, ſed nondum impetrata, fuerunt. Verum regina Maria eo animo in clerum affecta fuit; ut, cum decimas & primitias reddidiſſet, & de reſtituendis coenobiorum ab Henrico rege dejectorum ablatis praediis cogitaret, quae ſalva conſcientia ſibi retinenda haud putavit; ideoque domino marchioni Wintonienſi regni theſaurario aliiſque ſuis conſiliariis accerſitis narravit, quantum animo dies noctesque de retentis illis coenobiorum praediis turbetur; quorum reſtitutio etſi damnoſa regali dignitati futura ſit, cenſumque ſuum atque fiſcum maxime extenuabit; tamen nolle ſe dixit non modo aliena, ſed ne regna plurima, conſcientia laeſa atque turbata, poſſidere: Proinde voluit, ut cardinalem Polum papae legatum, cujus arbitrio atque moderationi hoc negotium tam a ſe quam a papa commiſſum ſit, conſulant; ut ſua conſcientia adeo perplexa atque dubia hac cura & ſolicitudine mature liberetur. At Henricus rex, cum coenobia diſſolviſſet, terrarum permutatione aliiſque contractibus ita coenobiorum praedia diviſit; ut ſibi non adeo magna pars reliqua fuerit, quin a proceribus, nobilibus, atque plebeiis pleraque tenerentur: Ut cum papa, regina atque cardinali occulte procurantibus, excommunicationis ſententiam in cunctos hujuſmodi praediorum poſſeſſores fulminaſſet; eaque bulla, ut aiunt, in Anglia promulganda & denuncianda foret, tantus omnium ordinum, ipſorum etiam pontificiorum, ſtrepitus in eam bullam ſubito exortus eſt; ut niſi ea bulla remiſſa Romam ſententiaque revocata eſſet; papae omnis poteſtas totius populi conſenſu atque vi iterum concidiſſet. Ipſi enim pontificiorum rituum ſuperſtitioſiſſimi cultores denunciabant ſe ejus authoritatem non laturos; "ſi libera eorum attingeret tenementa". Hoc modo de reſtitutione coenobiorum deſperatum eſt.

Ab. An. Chr. MDLV. — Ad An. Chr. MDLVIII.

LXIX. Reginaldus Pole.





Ujus viri vita tantis laudibus a diſertiſſimis Italis & Academiae Venetae declamatoribus expreſſa eſt; ut nullius in eo ornando atque illuſtrando orationis elegantia deſiderari amplius poſſit. Verum uſu ſaepe venit, ut, qui toto orationis apparatu concinne atque copioſe conſtructo, coacervandis texendiſque laudibus tantum ſtudent, dum conſulto praeterire quicquam nollent eorum, quae ad eum, de quo ſcribunt, amplificandum faciant, omittant tamen nonnunquam veritatem: Tum nimiae laudis ſtudio provecti falſis criminationibus laceſſant eos, quos adverſos ſenſerint. Id quod in Polo celebrando Italis oratoribus commune ſemper fuit; ut pontificiis partibus obſecuti, neque in ejus encomiis explicandis ſervare modum, neque illuſtriſſimi regis atque regni famae dignitatique parcere, potuiſſent. Cujus generis ſcriptores authoritatem omnem fidemque prudentum a ſuis ſcriptis avertunt; efficiuntque, ut ea juveniles otioſorum hominum declamationes atque rhetorum progymnaſmata, potius quam virtutibus recteque factis dignae atque tributae laudes, eſſe videantur. Neque ſane haec a nobis ideo dicta ſunt, quod viri, ſi pontificius ſaltem fucus abfuiſſet, laudes praeclaras ſatis bene meriti, celebrationi, aut praeconum ſuorum induſtriae facultatique, invideamus. Quid enim nobis glorioſius eſſe poteſt, quam hominem noſtratem, ab Italis praeſertim, qui omnem ingenii doctrinaeque laudem jure quodam haereditario atque peculiariter ſibi vindicant, tanta orationis ubertate facundiaque celebrari? Sed quia ea, quae jam Archiepiſcopus Cantuarienſis geſſit, potiſſimum nobis explicanda ſunt, ejuſque vitae curſus breviter perſtringendus; ignoſci nobis jure poſcimus, ſi multum diſſentiamus; permiſſoque illis laudatorio in quo exultent campo, noſtram orationem anguſtis hiſtoriae veritatiſque cancellis concludamus.

Reginaldus Polus patre quidem Richardo equeſtris ordinis viro, Henrici ſeptimi regis fratre conſobrino, matre vero Margareta Edwardi quarti Anglorum quondam regis nepte, Georgii Clarentini ducis filia atque comitiſſa Sariſburiae, natus eſt. Quorum cura, indole docili ac moribus benignis commodiſque praeditus, literis a pueritia domi inſtitutus, cumque adoleviſſet Oxonium ad Magdalenenſe collegium miſſus, eſt. Hunc Henricus octavus rex maxime adoleſcentem amavit; non modo, quia paterni maternique ſanguinis cognatione atque neceſſitudine conjunctus ei fuit; verum etiam quod literis & doctrina regiam quondam illuſtrare ſtirpem, & in regni adminiſtratione ſummo ſibi adjumento eſſe, poſſe ſperabat.

Ad An. Chr. MDLV. Ad An. Chr. MDLVIII.

rabat. Itaque eum & Exoniensi decanatu & amplissimis stipendiis auxit; ut in transmarinis Academiis & multa scientiarum genera complecti, & exterarum gentium mores atque linguas callere simul possit. Quo regis beneficio adjutus Polus venit Patavium; quae civitas Venetae ditionis est, habetque doctissimis in omni disciplinarum genere viris florentem atque refertam Academiam. Huc Polus concessit, deditque eloquentiae atque philosophiae diu pariter operam; adeoque in utraque tandem profecit, ut non magis domestica nobilitate, quam doctrinae suae fama atque celebritate foris notus clarusque fuerit. Itaque, cum nobilitas generis cum doctrina conjuncta magnum ei amorem & admirationem in Italia peperisset; in patriciorum nobiliumque Venetorum familiaritatem & consuetudinem allectus, a charitate patriae & beneficentissimi regis obsequio ingratus recessit. Nam, cum Henricus octavus rex, ut diximus, usurpatam papae potentiam regno exterminare decrevisset, Polum in his, quibus animum dedit, artibus jam adultum & maturum domum amanter revocavit; ut patriae sibique optime de eo merito regi in illis pontificiis angustiis atque difficultatibus mutuam gratamque operam rependeret: Illumque cunctantem reditumque crebris dilationibus & excusationibus procrastinantem per alios gravissimos doctissimosque viros interpellari, & ne contagione pontificia, dum longius haereret in Italia, inficeretur, admoneri curavit. Inter eos tum erant Stokesleius Londinensis & Cuthbertus Tonstallus Dunelmensis Episcopi; quorum adhuc extant ad eum contra pontificiam potestatem copiosissimae doctissimeque scriptae literae. Verum Polus neque amore patriae, neque gratitudine officioque in regem motus, sed pontificiis tenebris excaecatus, defecit & Italorum consuetudine ab innata bonitate degeneravit. Ac conjunxit se quidem cum viris tum nobilitate, tum eloquentia doctrinaque claris: Inter nobiles fuerunt Aloysius Priulus, Gaspar Contarenus, Petrus Bembus patricii Veneti; nec non Petrus Carafa tum Archiepiscopus Theatinus, patria Neapolitanus; inde vero metu Caesaris ad Venetos profugus in monasterio literisque delituit. His etiam adjuncti sunt studiorum morumque similitudine Jacobus Sadoletus Episcopus Carpentoracti in Galliae Provincia, & Cosmus Gherius Fanensium Episcopus; tum ex plebeiis in Bononiensi & Patavina Academiis Tryphon Gabrielius, Marcus Antonius Passerus cognomento Genua, Lampridius Cremonensis, Lazarus Bonamicus Bassanus atque ejus generis complures; qui omnes eloquentiae facultate & philosophiae scientia, literisque Graecis ac Latinis caeteros non in Italia modo, sed in quacunque alia regione, longe anteire sibi videbantur. Qui tamen omnes in Latinae orationis facundia atque copia primas Polo nostro concedebant; ut ex literis invicem ad se crebro datis, ac nuperrime Pauli Manutii eloquentissimi viri testimonio, comprobatur. Quorum laudes etsi abfuissent, tamen Polus ipse hac in re locupletissimus sui testis esse potest; qui ab ipso Sadoleto, qui librum disertum & perdoctum de laudibus philosophiae tum conscriptum edidit, lacessitus ut judicium de eo suum proferret; Polus longis literis ita respondit: Probari sibi, quae de philosophia scripsisset, magnopere omnia; sed mirari se valde, quod Romanae ecclesiae cardinalis omnium studiorum apicem atque fastigium hominisque propositum finem in philosophia statuisset: Quae, quanquam olim studiorum artiumque omnium principatum teneret, nunc tamen adventu Verbi dejectam esse scribit, & versibus Virgilianis Tenedo comparat:

EST

EST in conſpectu Tenedos, notiſſima fama
Inſula, dives opum, Priami dum regna manebant;
Nunc tantum ſinus & ſtatio maleſida carinis:

Sic Ethnica ſuperſtitione deleta theologiam, non philoſophiam, chriſtiano homini portum, ad quem totis velis conſcendere debet, proponendum eſſe ait. Eam Poli epiſtolam cum Sadoleti reſponſo qui diligenter contulerit; reperiet Polum & in argumento & ornatu facultateque orationis omnique tractatione fuiſſe ſuperiorem. Sed juvenis ingenii foecunditate, cum rerum verborumque frequens copia ei ſive dicenti ſive ſcribenti ſuccederet, Aſiaticam redundantiam ſequi viſus eſt: Quam, ut ex libris ejus jam cernimus, ſive ſtudio, ſive flacceſcente oratione ſic tandem decoxit; ut ſenex in dicendo ſcribendoque redundantiam omnem & affluentiam a ſtylo reſecavit; ſaepe etiam ſine ubertate peneque ſucco jejunus exiſtimetur.

Verum, ut ab hujus doctrinae ac eloquentiae laude ad ea, quae Polus geſſit, redeamus. Cum Henricus rex dominatum papalem ejeciſſet, nec in Angliam redire Polus vellet; primum ſtipendio regio atque Exonienſi decanatu mulctatus eſt: Quam mulctam, a pontificiis multo uberius quam antea ſublevatus, ſprevit atque contempſit; vixitque eo majori amplitudine & cum Italis atque pontificiis arctiori neceſſitudine, quo magis ab Angliae rege atque ſua patria propter ingratitudinem atque pertinaciam, quae in tam liberali ingenio tantaque literarum copia exculto ſumma vitia cenſentur, deſertus atque repudiatus fuit. Papa vero tum Paulus tertius Clementi ſeptimo ſucceſſit; cujus ſecretarius fuit Petrus Bembus Poli familiariſſimus: Is Polum in magna poſuit pontificis gratia. Exiſtimarunt enim pontificii, cum Angli imperium jugumque ſuum depuliſſent, partibus ſuis commodiorem & aptiorem quam Polum habere ſe ad ſuas technas & inſidias poſſe alium neminem: Quem nobilitate doctrinaque celebrem, &, quocunque ab his impelleretur, flexibilem ac proclivem, & Anglorum proceres, & aliarum gentium principes ad bellum pro pontifice Romano contra Henricum regem ſuſcipiendum ſolicitare & commovere facile poſſe ſperabant. His de cauſis deferendum ei a pontifice cardinalitium honorem titulumque ſuadebant; ut altiori gradu & authoritate praeditus res in Anglia novas felicioribus auſpiciis moliretur. Hoc conſilium a pontifice approbatum eſt; qui, ut virtutis doctrinaeque rationem in creandis cardinalibus potiſſimum ſequi videretur, non modo ipſum Polum, cujus & vita exteriori cultu ſincera atque integra, & mores amabiles atque commodi & ſumma literarum ſcientia, in omnium oculis verſabantur; ſed ejus etiam familiares Bembum, Contarenum, Sadoletum & Petrum Carafam Archiepiſcopum Theatinum, in cardinalium ſuorum numerum una cooptavit. Qui cardinalium delectus omnium, qui multis antea ſaeculis contigerunt, optimus & celeberrimus habebatur. Ex his Theatinus odio Caeſaris Gallicarum partium fuit: Polus vero Caeſarianus. Quae res indelebiles inter eos, ut deinceps dicemus, procreavit inimicitias. Haec cardinalium deſignatio undecimo kalendas Januarii anno 1536. facta eſt. Polus vero diaconus cardinalis ſanctorum Nerei & Achillei renunciatus eſt. Verum, cum de ſuffulciendis jam labentibus rebus pontificiis & coercendis in Germania Lutherianis, atque deturbando ex An-

gliae

glia Evangelio ſecretius Romae ageretur, deſignati ſunt Theatinus, Polus, Corteſius divi Georgii abbas, Matthaeus Gibertus Veronenſis Epiſcopus; qui communicato conſilio ea literis mandarent, quae ad rem communem adferre poſſint: Quorum adhuc extat in Italia ſcriptum editumque de ea re conſilium. Quo expoſito ſolus Polus ad interiorem papae familiaritatem ipſumque palatium, quia Anglorum inſidias ſe dixit pertimeſcere, receptus eſt. Ibi tutus cum aliquot menſibus in ipſius papae ſinu gremioque conſediſſet; prodiit infatuatus &, tanquam Circaeo exhauſto poculo, ex Anglo in Italum, ex Chriſtiano in pontificium converſus. Omitto hic quid ab ipſis Italis de noſtratibus ad eos mutatis dici ſoleat; quantam & quam monſtroſam metamorphoſim, & non modo contra humanam ſpeciem ac naturam, ſed contra divinam, eam eſſe fingunt. Et quamvis Poli culpa omnem jam flagitet non modo acerbitatem, ſed atrocitatem ſermonis; tamen, ne gravius aliquid in eum dicamus, quam id quod ab ipſis pontificiis Italiſque objectum ei ſaepe fuit, Latini ſub ſuae ſimplicitatis ſpecie illud a ſapiente alieniſſimum ſane vitium, quod a morum facilitate Graeci recte εὐήθειαν, appellant. Nam, qui Italis pontificiiſque adulationibus, conſiliis atque technis in regis atque patriae diſcrimine ſic ſe abduci paſſus eſt, ut non modo deſertor eſſet, ſed etiam proditor, cujus in eo foederis, virtutis amoriſque conſtantiam fuiſſe judicaremus? At illa, credo, ſimplicitas primo ut in Anglo recta ingenuaque fuit; ſed cum diuturna Romanae gentis conſuetudine verſutias eas calluiſſet; naturalis probitatis externam atque adumbratam retinuit ſpeciem; diſſimulationis vero atque fraudis vitium conſuetudine contractum, imo pectore fotum, occultavit. Jamque ad omnes artes pontificias Polus compoſitus ſuſcepit ad Gallorum regem & ad Belgas duas a papa laboris & diſcriminis plenas legationes. Cujus etſi aliae praetexebantur cauſae; tamen habere a papa in mandatis una voluit, ut utroſque tam Caeſarem quam Gallum ad bellum Henrico regi Angliaeque inferendum papae Romanaeque curiae nomine ſolicitaret. Sed has, ut in Warhamo & Cranmero antea diximus, inſidias pontificias Henricus rex non minus prudenter, quam divinitus, antevertit. Neque enim aut Caeſar aut Gallus, cum de finibus ac imperiis tam hoſtiliter dimicarent, regem audebant irritare; ne ad alteram tum partem inclinato, adverſam partem peſſundaret. Ita, cum hujus tam diu flagrantis belli victoria coelitus in regis poteſtate poſita videretur, ut eam quocunque vellet transferret; nec pontificiorum conſpirationes atque doli, nec Polus ingratus & abortivus patriae partus, nec ipſa infernalis potentia quicquam in regem Evangelium tuentem praevalere potuerunt. Polus, cum ad has legationes obeundas ſeſe praepararet, conſanguineos, affines atque neceſſarios in Anglia ſuos nunciis literiſque confirmavit, ut in pontificia fide conſtarent, & ſuarum legationum exitum expectarent. Rex hanc conjurationem atque legationum nefarias cauſas occultis tam Romae, quam in Italia, Gallia atque Germania diſpoſitis exploratoribus exquiſivit. Et, cum de Poli in Gallias adventu cognoviſſet, egit cum Gallo per legatos; ut Polum perduellionis laeſaeque majeſtatis reum, ad ſubeundas tanti criminis poenas in Angliam mitteret. Gallus id eſſe contra religionem juraque fecialium legatum alicujus, ac praeſertim papae, ſupplicio concedere exiſtimavit. Sed, ne regem offenderet, Poli legationem non admiſit; ſed regno eum quam celeriter diſcedere juſſit. Perplexus Polus feſtinanter in Belgium contendit; ubi nec a Caeſare quidem receptus eſt:

Anglus Italianatus Diabolus incarnatus.

Ab An. Chr. MDLV. — Ad An. Chr. MDLVIII.

Quia rex paulo ante in eum ejusque matrem Sarisburiae comitissam, aliosque in Anglia Poli confoederatos proscriptionis sententiam in parliamento tulisset. Itaque Leodium ab Herardo a Marka cardinali ejus civitatis Episcopo invitatus se recepit. Atque hic non adeo diuturnam moram fecit; cum rex ab exploratoribus de eo Leodii commorante certior factus, a Belgis per legatos perque vetera illa Burgundica foedera postulavit; ne eum, quem jure sui regni quondam subditum, nunc autem hostem & perduellionem, judicasset, in Belgio grassari diutius paterentur, sed suis legatis traderent. Hoc regis postulato in publico Belgarum concilio, cui tum Herardus cardinalis Leodiensis Episcopus interfuit, declarato, Polo nunciatum est; ut per Germaniam confestim atque clam festinaret Romam. Ita Poli discessio cum fugae similis videretur; ad papam, legationibus inutiliter, aut, si ita liceat dicere, nulliter perfunctus turpiter reversus est. At pontificii, cum Polum jam proscriptum & perduellionem a patria judicatum animadverterent, cognoverunt ei a sua confoederatione recedere salvum atque tutum esse non posse; nec, animis infelici superioris legationis eventu jam exacerbatis, re incepta & imperfecta voluerunt desistere: Itaque novam obtrudunt ei legationis eamque periculosissimam provinciam. Caesar rebus in Belgio atque Germania compositis in Hispanias profectus est; eo papae jussu Polo proficiscendum fuit: Deinde ad Gallum, ut ageret cum utroque, ut foedus atque amicitiam cum rege repente praeciderent, impetumque una in eum facerent: Ipse vero aliquo loco, sive in Belgio, sive in Galliae finibus, subsisteret; ubi totius rei exitum commodius expectaret; atque interim de singulis rebus pontificem certiorem redderet. Cum his mandatis Polus mutato vestitu, paucis quibusdam comitibus, per equos dispositos profectionem maturavit; magnaque celeritate recta in Hispanias ad Caesarem, qui tum Toleti erat, venit. Caesar, qui retinere regem in pristino foedere voluit, sic Polum audivit; ut alienum esse id tempus exequendis suis postulatis responderet: Et ut eum a se ablegaret, voluit, ut Gallum consulat. Quo responso intellexit Polus, quam callide atque artificiose illusisset ei Caesar; quod nulla proposita spe aut utilitate suasisset, ut cum causae, propter quam missus esset, detrimento ac ruina se in Galli potestatem certissimisque capitis periculis permitteret. Itaque venia revertendi facile atque cito impetrata venit Avinionem; indeque ad familiarem suum Jacobum Sadoletum, Carpentoracti Episcopum ac etiam cardinalem; ubi tuto paulisper conquievit donec de papae voluntate cognosceret; quoniam illae duae civitates papalis ditionis fuerunt. Ac paulo post a pontifice revocatus, etsi legationes suae inanes utilitatis fuissent & in nihilum successissent, tamen, quia periculosarum profectionum laboribus susceptis, pro amplitudine pontificia tuenda se opposuisset regi atque patriae, Viterbiensem legationem, tanquam laborum inutilium praemium & mercedem, accepit a papa. Est autem Viterbium episcopalis & Romanae ditionis civitas; quae Roma sexaginta mille passibus distat. Huc, tot laboribus exantlatis, jam papae lateralis legatus se contulit Polus; ac militari custodia, quia Anglum aliquem, ut dixit, insidiantem, suam scilicet umbram, timebat, se cinxit ac munivit: Rerumque haud prospere gestarum infelici eventu stupefactus, cum se frustra Romanae amplitudini contra patriam dilatandae tam diu studuisse senserat, relictis caeteris artibus & disciplinis totus theologus esse voluit. Verum id, quod effecit tardius, utinam suscepisset ocyus. Jam enim

pontificiis

pontificiis neceſſitudinibus & honoribus depravatus liquido ac ſincere de ſanctis Scripturis exiſtimare ac ſentire voluit; ſed rei ſaepe majeſtate & veritate perculſus, animo incertus fluctuabat, & huc illuc nunc ad pontificios, nunc ad Evangelicos, impulſus eſt. Id indicabat frequens ad eum Evangelicorum concurſus; & Antonii Flaminii diſertiſſimi oratoris ac poetae, qui Pſalmos Davidicos in Lyrica vertit carmina, conſuetudo; tum Immanuelis Tremellii, doctiſſimi viri, qui a Judaica pertinacia ad Chriſtum in Poli familia converſus, & contra pontificiam doctrinam edoctus, fuit; ac evangelica dogmata ibidem hauſit; nec non a Polo & Flaminio in Baptiſmo intra domeſticos Poli parietes ſuſceptus eſt. Adhaec domus ejus ipſorum monachorum atque fratrum coenobia & clauſtra impura deſerentium, reliquorumque a pontificia faece deficientium & ex Italia in Germaniam migrantium, portus & occultum perfugium fuit. Praeterea in eos, qui Lutherianae haereſis atque ſectae in Viterbienſi provincia poſtulabantur, neque inquiſitione neque poena ſeveriori unquam animadvertit; ſed aliquot ibi annis tanquam in ſtudiis ſepultus, & a mundanis rebus totus abductus atque ſeparatus, viſus eſt. Verum neſcio quomodo Poli caſtitas, in qua una virtute omnes Romae cardinales facile ſuperabat, dum Viterbii contemplaretur, defamata eſt: Nam papae caſtello, ubi Polus habitabat, adjunctum eſt monialium coenobium ſanctae Clarae dedicatum: His monialibus ſuis vicinis, ut in caſtitate retinerentur, ſedulo dicitur proſpexiſſe Polus; earumque abbatiſſam, quae nobilis Peruſina fuit, ad ſe evocaſſe ſaepius. Ex quorum frequenti congreſſu Paſquillus Romanus, qui nullius famae aut dignitati parcit, ſaepiuſque vera quam falſa narrat, Latinis Italiciſque carminibus Romae divulgavit; eam e Polo peperiſſe bis, primo maſculinam, deinde foemininam prolem. Sed de his omnibus, quae Viterbii geſſit, audivit, ut poſtea dicemus, maxime tum, cum ad papatum electus eſt. Interea, cum inter Caeſarem atque Gallum bellum exardeſceret, Evangelium in Anglia firmaretur, ac in Germania fidelium numerus augeretur, Paulus tertius papa, quo non fuit verſutior aut callidior alter, evangelicam doctrinam alia via profligare aggreſſus eſt. Nam concilium generale indixit Tridenti; cui Polum, Pariſium & Moronum cardinales, legatos ſuos An. 1542.
praefecit; quod interventu & aeſtu belli inter Caeſarem atque Gallum geſti, ob militum in Helvetia, Germania, Gallia ac Hiſpania, ipſaque ſaepe Italia delectus atque apparatus, mox interruptum ceſſavit. Intermiſſo autem aliquantiſper eo bello, Tridentinum concilium revocatum, & Polo aliiſque legatis, videlicet de Monte & Sanctae Crucis cardinalibus, a papa gubernandum commiſſum eſt. De quo concilio ſatis ex pontificiorum ſententia & concinne ſcripſit Polus; eumque libellum ad collegas ſuos dedicatum emiſit in lucem. Sed ne hoc quidem concilium ad eum, quem pontificii ſperabant, exitum quicquam perduxit. Nam & auctus Evangelicorum in Germania numerus ipſum Caeſarem, ne concilium ratum haberet, adegit: Et Polus in varias cogitationes diſtractus inter evangelicam & pontificiam fidem anceps dubiuſque pendebat; ac fide ſola ſine operibus juſtificari coram Deo homines in concilio decernendum ſuadebat: Morellumque quendam Hiſpanum, qui eo advenerat, ut contra Evangelicos diſputaret, hoſpitio exceptum ſuo in eandem ſententiam trahebat. Itaque Evangelicis permultis bonam ſui opinionem commovit, & papam ita concilio diffidere fecit; ut & is avocatus, & concilium a Tridento Bo- An. 1547.
noniam traductum, fuerit. Hoc Caeſar indigne tulit; ut concilium in

Italiam

Italiam transferretur: De quo per Diegum Hurtadum, oratorem ſuum, edito libello omnibus publice conqueſtus & conteſtatus eſt: Germaniſque religionis formulam deſcripſit in eo libro, quem INTERIM appellavit: Quorum utrumque Polus jam in papae conſpectu poſitus editis reſponſis coarguit.

HAEC Poli varietas & inconſtantia, ut aliud Romae, aliud alibi, de religione ſentiret, effecit ut neque ſibi, nec alteri cuipiam conſtare videretur; veniretque ipſis Italis in ejus vitii ſuſpicionem, quod illi "Dapocaggine" vocant; quo nomine deſignant eum, qui proprii conſilii inops, totus pendet ab aliis: Cujuſmodi virum imperio aut magiſtratui gerendo prorſus inutilem & ineptum ſtatuunt. Itaque, cum vita decederet Paulus
1549 tertius papa, convenerunt in conclavi ex more omnes cardinales; ut communibus votis & ſuffragiis novum papam deſignarent. In qua electione omnibus ingenii, pollicitationum munerumque nervis inter duas cardinalium factiones, Caeſarianos ſcilicet atque Gallicanos, decertatum eſt: Polus ipſe Caeſarianus ad ſe traxit & Caeſarianos & eos, qui neutrius partis eſſent. Ex his tum erat Alexander Farneſius Pauli papae defuncti nepos; cujus praeter caeteros tum magnopere valebat authoritas; adduxitque maximam cardinalium partem ad Polum eligendum. At, qui Gallorum regis cauſa aliquid volebant, objiciebant eſſe cavendum; ne Polus adepto pontificatu Caeſari nimis addictus, qui convivando haud ita pridem Romam diripuit & adventu protinus ſuo totam Italiam perturbavit, omnia in ejus poteſtatem permitteret. Itaque habendam eſſe Gallicorum cardinalium, qui nondum adeſſent, rationem; eoſque expectandos atque audiendos, quid tam e Galli, quam e Caeſaris re in eligendo papa futurum ſit; ne factioſus aliquis & in alteram partem nimis propenſus ad omnia tumultuoſe innovanda emergat papa. Sed nihilominus, cum poſtridie recenſerentur iterum in ſcrutinio ſuffragia, repertus eſt major eorum, qui Polo adhaeſerunt, numerus, quam ut a Gallicanis poterat obſiſti. Hic Polus timiditatem, ignaviam, ſeu hypocriſim, oſtendit aperte ſuam: Rei enim perfectae & ad exitum perductae novam dilationem & deliberationem ſine cauſa interpoſuit. Quo animadverſo exortus cardinalis Theatinus, qui una cum Polo aliiſque, ut diximus, cardinalis a Paulo tertio renunciatus eſt, hic papatus ſpe atque cupiditate, ſi Polus repulſam pateretur, ductus ambitionem, haereſis & incontinentiae ſuſpicionem, objecit Polo: Ambitionem, quod praemature pontificatum ambiret: Haereſim, quod in Germania atque Tridentina legatione nimis familiariter Lutherianorum conſuetudine uſus eſſet, ac Antonium Flaminium Lutheraniſmi ſuſpectum domi ſecum diu habuiſſet, eumque praebendis & eccleſiaſticis dignitatibus locupletaſſet; tum in Viterbienſi legatione ſontibus plerumque pepercisset & paucos modico ſupplicio, nullos autem morte, affeciſſet: Incontinentiam, quod filiam ſuam apud moniales Romae educandam collocaſſet. Quos etiam convitioſos ſermones in populum diſſeminabat; ut Polus in infamiam ductus pontificatum non perciperet. Quibus ita, ut poterat, reſpondit ſatis graviter atque ſcite Polus, eam enim vultus gravitatem ſemper tulit, nullius ut injuria aut contumelia, aut caſu ſive adverſo ſive ſecundo quocunque unquam mutaretur, onus pontificatus exiſtimari a ſe tanto pondere, ut ſuſcipienti terrorem magis quam deſiderium adferat: Deinde omnem haereſis ſuſpicionem a ſe procul abeſſe debere; qui pontificiae religionis cauſa in regis atque patriae odium offenſionemque incurriſſet:

riſſet: Poſtremo parvulam, quam monialibus Romae enutriendam tradiderat, fuiſſe Anglicanae cujuſdam mulieris, quae Romae obierat, filiam; eam vero exhibuiſſe Polum & monialibus in diſciplinam dediſſe, ne puella atque otioſa ſe malis artibus daret; dotem ei praeterea in publico Romae loco, quem “ Fidei Montem ” appellant, centum aureorum depoſuiſſe; ne egeſtate grandaeva ad incertos caſus extrudatur. Cujus generis munificentias cum in alios permultos conferre Polus conſueverat; charitatis atque pietatis potius officia, quam incontinentiae ſigna, a bonis viris exiſtimari debent. Has criminationes cum ita diluiſſet Polus, iterum nocte papa electus eſt. Itaque Farneſius cardinalis, caeterique qui in eam ſententiam ibant, ad Polum cupide accurrunt; orantque ut ſe de more adorari & papae ſanctiſſimique patris nomine ſalutari pateretur. At is nocturnum tempus cauſabatur; odiſſe deum tenebras, lucem recte factis atque diem deſignari, dicebat: Quare procraſtinari voluit rem. Quam Poli moram fatuitatem appellabant cardinales. Itaque poſtridie omnia mutata, & cardinalium ſtudia jam averſa Polo, alio inclinabant; ut, cum forte Polus valetudinis, ut ipſe dicebat, cauſa conclavi exiret; a cardinali Theatino de Poli pontificatu percunctantibus ejuſque tarditate quaerentibus quibuſdam contumelioſiſſime reſponſum eſt; nihil contingere potuiſſe incommodius, quam ſi ille pontifex renunciaretur: Propterea, quod omnibus jam ſe ſtipitem eſſe oſtendiſſet, qui neque oblatum papatum ſuſciperet, nec apte recuſaret, ſed in ſuſpenſo rem haerere ſineret. In his cunctationibus atque moris venit Guiſianus e Gallia cardinalis, cujus maxima fuit ex altera parte poteſtas; cum quo Farneſius, jam Polum tanquam puſillanimum parvi faciens, ut cum Gallo ſaltem iniret gratiam, ſe conjunxit: Et cum hi duo reliquorum ſuffragiis arbitratu ſuo uterentur, Montius quidam cardinalis, qui in concilio Tridentino Poli, ut diximus, collega fuit, papa declaratus, ac Julius tertius dictus eſt. Polus, etſi puſillanimitatis aut vecordiae a pleriſque accuſaretur, tamen animi tranquillitatem & oris conſtantiam non depoſuit; quin & librum a ſe in illa electionis mora in conclavi de papa praeficiendo compoſitum, & diſertiſſimam epiſtolam, qua Pacenſi cuidam Epiſcopo Hiſpano de non ſuſcepto pontificatu reſpondit, edidit. At Julius novus papa Polum eo humanius tractavit, quod ejus mora, quanquam inepta atque odioſa, papatum adeptus ſit. Itaque Theatinum cardinalem, impoſtorem ambitioſiſſimum, qui Poli famam conviciis, ut diximus, laeſit, in conclavi praeſentem ea, quae contra Polum emiſiſſet, revocare ejuſque veniam exorare coegit: Cujus rei conceptum odium idem Theatinus poſtea, ut dicemus, creatus papa acerbiſſime in Polum evomuit. Verum Polus, qui papatu non alieno, ſed ſuo tantum, vitio carere putabatur, omnem jam authoritatem gratiamque apud Italos amiſit; qui eos maxime admirantur ac ſuſpiciunt, quos in petendis gerendiſque honoribus non labefactari aut concidere, ſed erigi animo ac attolli, ſenſerint.

ITAQUE ex omnium conſpectu impetrata a pontifice poteſtate in agrum Veronenſem ad coenobium monachorum ordinis Benedictini ſeceſſit. Hujus monachorum ordinis ille patronus Romae fuerat: Inter hos itaque ſe abdere & reliquam vitam tranſigere cum ſtatuiſſet; tota Italia percrebuit de Edwardi regis in Anglia morte, & dominae Mariae reginae ſucceſſione nuncium. Id quod Polum, qui ſpiritus animumque demiſerat, magnopere exhilaravit, eumque a ſaeculo pene excluſum, in lucem & humanam ſocie-

tatem ipsamque Romam, provinciarum ecclesiasticarum forum atque mercaturam, claustro iterum eduxit atque revocavit. Sperabat enim jam perhonorificum in patriam reditum; quod certo cognoverat reginam Mariam exploso & ejecto Evangelio ad pontificiam regulam ac doctrinam omnia reducturam. Ex quo duplicem sibi spem proposuit: Namque regina Maria olim se puero sub matre ejus domina Margareta Sarisburiae comitissa educanda a matre sua domina Katharina Hispana tradita est: Id quod eam ea mente fecisse multi referunt; ut, quoniam domina Margareta Georgii quondam Clarentiae ducis filia ac superstes haeres fuisset, optavit saepe domina Katharina, ut Maria sua filia alicui ex ejus liberis matrimonio jungeretur: Quo magis ei jus Angliae regni firmaretur; si Henricus octavus rex sine mascula prole moreretur. Ita, cum tantum diaconatus ordinem suscepisset, quo papae licentia abradi facile potuisset, venit in spem conjugii reginalis atque regni: Aut, si id non possit obtineri, summum honorem ecclesiasticum atque legatinam potestatem expectavit a papa. Ita utrinque regalis, aut sacedotalis, celsitudinis erectus spe, & ab ipsa regina expetitus ac invitatus, accepta a pontifice legatina potestate, se accinxit in Angliam. Sed his Poli διαλογισμοῖς cogitatisque apud se consiliis obstabat maxime Caesar; dum, & quid Polus meditaretur, olfecit & eas nuptias Philippo haeredi suo, ad tuendas suas contra Gallum partes, commodissimas esse ratus est. Itaque Caesar de Poli adventu impediendo cum Dandino cardinali, pontificis ad se de pace cum Gallo transigenda legato, communicavit; eumque rogavit, ut Polum saltem aliquandiu in Italia retardaret. Is Franciscum quendam Commendonum cum literis ad Polum quam celerrime proficisci jussit; quibus, ne in viam sese daret, monebat: Caesari enim eam legationem displicere, quae se inconsulto suscepta sit; tum Anglos plerosque ac Londinenses maxime, ipsum nomen Romani pontificis suasque legationes execrari dicebat: Proinde non esse eos adhuc legatina potestate adeundos; donec suasionibus ad eum aequo animo perferendum adducerentur. Polus, cum has Dandini literas accepit, in eo quod diximus, Maguzano coenobio fuit; nec ultra sibi progrediendum existimavit, antequam de pontificis voluntate cognovisset. Pontifex, quoniam Caesaris potentiam augeri contra Gallum illis Marianis nuptiis noluit, Dandinum, quia Polo impedimento & Caesari auxilio fuit, a legatione Romam revocabat; ac utramque tam in Angliam, quam ad Caesarem atque Gallum de ineunda firmandaque pace, legationem Polo deferebat. Ita duplici legationis munere suscepto Polus in itinere pergit. Cumque Tridentum adventasset, suos tam ad Caesarem quam ad Gallum nuncios praemisit; ut de ista legatione, suoque ex Italia discessu ad eosque adventu, cognoscerent. Quae legatio Caesaris inceptis tam infausta fuit; ut virum illustrem Johannem Mendozam Polo paululum progresso maxima celeritate obvium cum literis miserit: In quibus Caesar declaravit pergratum illi fore, si se sistat nec ultra progrediatur; donec quaedam magni momenti negotia, quibus ea legatio obesse poterit, confecisset; cum maturum fuerit, ab ipso Caesare ultro eum expectandum: Quod si progredi vellet, licere ei ex Caesaris voluntate Leodium usque proficisci; sed illic ei necessario commorandum, donec evocetur a Caesare. His acceptis literis Polus Dillingam, quod oppidum haud procul Tridento abest, revertitur. Ibi pontificem de re tota certiorem facit, & ad Caesarem expostulatorias literas dat: Quam indignum facinus sit ostendit, pontificis legatum

tum, pacis & religionis cauſa miſſum, media Germania in ipſorum haereticorum oculis & praeſentia cum ſummo dedecore & contemptu pontificis, Caeſaris praeſertim juſſu, detineri. Verum nullis expoſtulationibus aut precibus, ut in Belgium propius accederet impetrare poterat; antequam inter Philippum & reginam Mariam nuptiae, quas in Cranmero commemoravi, contractae & parliamenti authoritate ratae eſſent. Sciebat enim Caeſar, quanti Polum Maria ſemper ab ineunte utriuſque aetate feciſſet; cavendumque ſibi putavit, ne ejus adventus perturbaret nuptias. Ac quia Philippus, cujus adventus a regina jam avide expectabatur, ex Hiſpaniis nondum in Angliam appuliſſet, nec nuptiae celebratae atque conſummatae eſſent; vix tandem atque aegre impetravit Polus, ſaltem ut Bruxellas ad Caeſarem perveniret; ubi manendi conditio aſcripta ei fuit tantiſper, dum Philippus in Angliam veniſſet atque celebraſſet nuptias. Interea de pace cum Caeſare atque Gallo ex praeſcripta legatina authoritate a papa Polus egit; ſed fruſtra. Odia enim tam diu inveterata animique infeſti & exulcerati ſedari pacarique non niſi longa interceſſione dieque, aut ipſa victoria, poterant. Itaque Philippi & Mariae congreſſu, omnibus ceremoniis peractis & abſolutis nuptiis, cum Polus jam nihil impedire ſuam in Angliam profectionem amplius poſſe exiſtimaret, cumque ſpe regni fruſtratus, tamen in ſacerdotalis culminis poſſeſſione ſibi eſſe videretur; occultis invidiis apud reginam & Philippum, necnon Caeſarem atque papam pene ſupplantatus & a legatione revocatus eſt. Quibus omnibus Polo adverſis incommodis ſolum reginae jam viſendae deſiderium atque ſtudium reſtitit. Illa enim abfuiſſe tam diu Polum aegre tulit, cumque cunctationis ſuae cauſas cognoviſſet, legatos ad Caeſarem ut eum bona venia dimitteret, & ad Polum ut veniret, miſit. Quibus legatis comitibus, reginae inſtantia Caeſaris venia impetrata, redit in patriam Polus; ex qua An. 1554.
non ulla vi ſed ſua perfidia tamdiu abfuiſſet: Reditque natura peregrina atque fera indutus & eccleſiae Anglicanae carnifex ac flagellum; cujus jam patronus atque tutor eſſe debuit atque potuit. Multi enim pii & Evangelici viri, quibuſcum, ut antea diximus, ſaepe eccleſiaſticis de rebus ſermones conferebat, cum adventus & legationis ſuae cauſas ſcirent, eum in itinere & Belgio admonuerunt; ut eccleſiae Anglicanae, quae ſuae jam eſſet poteſtati tradita, provideret. Quibus deſpectis aut parvipenſis, reſpondit ſe omnium potius in Anglicana eccleſia laturum incommoda, quam ſchiſmata & Romanae unitatis deſertionem. Ipſe Immanuel Tremellius Hebraeus, qui ab eo nomen in baptiſmo, ut diximus, accepit, cum Bruxellis beneficentiam modicam, qua inopiam ſuam ſublevaret, obnixe atque adeo chriſtianitatis per eum ſuſceptae nomine peteret, ſine ope ulla cum probro atque minis repulſus eſt. His moribus immutatus Polus venit ſtipatus & comitatus Italis ac Romanae curiae tabellionibus atque ſcribis; Anglos vero ad ſe perpaucos admiſit, nec niſi eos, quos maxima crudelitate in evangelicos ſaevire cerneret, ſibi fidos eſſe duxit. Jamque accepta prius a rege & regina legationem ſuam gerendi poteſtate, iterum erecta legatina crux, pontificiae poteſtatis indicium, coram Polo geſta cum bonorum omnium gemitu & moerore viſa eſt. Celebratur autem eo tempore, quo Polus legatus regnum ingreſſus eſt, parliamentum Weſtmonaſterii; quo perhonorifice ductus, poſtquam Stephanus Gardinerus Wintonienſis Epiſcopus regni, ut diximus, cancellarius de ejus grato

adventu

adventu quaedam ad proceres & univerſum populum praemiſiſſet; Polus patria lingua ſatis longam orationem habuit: In qua

An. 1554. REGI ac reginae, proceribus atque populo gratias ſummas agebat; quod eorum tanto beneficio omnibus exilii & proſcriptionis legibus abrogatis in patriam reſtitutus eſſet: Sui proinde officii atque gratitudinis fuiſſe dicebat, hoc meritum ita compenſare; ut, cum illi a ſede apoſtolica ſuperiori ſchiſmate defeciſſent, eoque modo ab unitate eccleſiae atque regno Dei exulaſſent, eos authoritate ſibi a papa, Chriſti ſcilicet vicario, data ad ſedem Romanam, tanquam haereditatem coeleſtem, reduceret. Suae legationis eam maximam fuiſſe cauſam, ut ad priſtinam nobilitatem atque gloriam hanc inſulam reſtitueret; de qua Romana ſedes prae omnibus caeteris provinciis curam atque rationem potiſſimum habendam duxit: Quoniam haec ejus fuit peculiaris atque propria laus; quod ex omnibus orbis terrarum provinciis haec una eaque tota chriſtianam fidem primum amplexa eſt. Britannos primum, etſi exterorum & Romanorum Caeſarum imperio ſubeſſent, tamen receptam publice Chriſti fidem per totam inſulam promulgaſſe: Non ut caeterae gentes; quae ſenſim & diuturni temporis accedente paulatim incremento, & per paucos, eam hauſerunt; ſed uno eodemque pene momento ab omnibus ſimul approbatam divulgarunt. Britannis exactis, etſi Saxones Chriſti fidem cum incolis exterminaſſent; tamen Deum ita locum ipſum & inſulam dilexiſſe, ut eorum ethnica ſuperſtitione excaecatas mentes Evangelii luce tandem illuſtraverit. Hanc inſulae nobilitatem atque gloriam Dei providentiae atque beneficentiae ſoli acceptam ferendam; ſed tamen viam ipſam atque rationem, qua haec nobilitas atque gloria parta eſt, a ſede Romana nobis primo ſemperque monſtratam & patefactam fuiſſe. In Romanae exinde fidei unitate nos ſemper perſeveraſſe; fuiſſeque noſtram antiquiſſimam Romanae eccleſiae ſubjectionem, eamque maxima religione & obſervantia ab hujus regni incolis cultam & celebratam ex Offae & Ethelwlfi regum exemplis conſtare; qui maximis ſumptibus Romam ſuis longinquis itineribus inviſendam putarunt, a qua divinae veritatis initia acceperunt. Carolum Magnum, cum Pariſienſem Academiam inſtituiſſet, Alcuinum theologum magnum & copioſum ex Anglia acciviſſe; qui omnis doctrinae & pietatis fundamenta Lutetiae poneret. Adrianum quartum papam fuiſſe Anglum; qui Norvegiam primus chriſtiana fide imbuit, amoreque patriae ductus imperium Hiberniae, quae pontificiae ditionis fuerat, Henrico ſecundo Anglorum regi conceſſit. Infinitam beneficiorum multitudinem, quibus ab eccleſia Romana Angli ſemper prae caeteris gentibus affecti fuerunt, praetermittendam: Necnon calamitates & ignominias, quas ab eo tempore, quo a Romana fide deflexit, incurrit, praetereundas: Tantum Aſiam, Graeciam, ac nuperrime Germaniam, quae tot ſectis atque factionibus divulſa & in varias religiones diſſipata eſt, earumque omnium provinciarum afflictiones & ruinas, poſtquam a fide Romana defeciſſent, nobis ob oculos proponendas. Defectionis cauſam fuiſſe in illis, radicem omnium malorum avaritiam; in Anglia unius hominis libidinem atque luxum: Et quanquam multarum divitiarum ex ea mutatione ſpes propoſita fuerit; omnia tamen non modo ad inopiam, ſed ad grande aes alienum, perducta ſunt.

ſunt. Romanam eccleſiam, cum ſumma vi agere & caeterorum principum ope ac potentia Angliam ſubjugare potuiſſet, maluiſſe tamen ipſam diem opemque divinam expectare: Quae vaſtatis eccleſiis, altaribus everſis, ſacris omnibus prophanatis, rebuſque deſperatis ſubito adfuit: Nam latuiſſe in reginae pectore religionem, velut in igne extincto aut cineribus obducto ſcintillam; quae patefacta flammam accendit & illuminavit. Ei exhaeredatae, ejectae, inermi ac a potentiſſimis hoſtibus oppugnatae de regni ſui jure virgini, praeter expectationem humanam, datam coelitus fuiſſe victoriam atque imperandi poteſtatem; ut unitati Romanae adjungeretur iterum Anglia. Ad eam rem ex nuptiis cum Philippo Caroli Caeſaris filio, catholico principe, contractis robur atque vires acceſſiſſe: Cujus pater ex omnibus chriſtianis principibus maximam navavit conjungendae diſſipatae eccleſiae operam: In qua etſi bellorum interventu exitum nondum ſecundum habeat; ſperandum tamen eſſe, ut, quod ille in unitate eccleſiae inchoaverat, a Philippo ejus filio pacifico principe perficiatur, Davidis atque Salomonis in extruenda Dei domo Hieroſolymis exemplo. Ad hanc unitatem conjungendam & ſtabiliendam duas a Deo poteſtates eſſe datas, quae gladiorum inſtar ſunt: Civilis ſcilicet ſive temporalis, & eccleſiaſtica: Illa in rebelles atque contumaces morte, proſcriptione, exilio, caeteriſque civilibus poenis animadvertit, & penes reges eſt: Haec coeleſtium clavium & ligandi atque abſolvendi ab aeternis cruciatibus authoritatem continet; eaque ſolius eſt papae ac Romanae curiae tanquam Chriſti in terris vicarii. Ad extremum, hanc ſibi a papa commiſſam pro Anglia ad Romanam fidem reducenda poteſtatem: Cujus beneficium his, qui id recipere poſſint, impertiri eſt. Quo minus autem ejus participes eſſe poſſint, impedimento eſſe eas leges, quae praevalente ſchiſmate contra Romanam curiam ſancitae fuerunt. Eas igitur ſi abrogare & tollere velint, adeſſe Romanae eccleſiae tanquam charae matris benedictionem; quae redeuntibus gremium nunquam claudit.

EJUSMODI ſatis diſerte cum, eleganti orationis ſpecie, expoſuiſſet; eorum, qui pontificiis ritibus dediti eſſent, animos ad ſe cum admiratione rapuit: Ut aperte dicerent ſe illo die renatos fuiſſe. Etſi non deerant ex plebeiorum in illo parliamenti conventu, qui pontificiae ſuaeque legatinae authoritati recipiendae palam reclamarent. Sed regis ac reginae authoritate ac multitudine ſuffragiorum papa jam, quod nunquam antea contigit, legis latae ſpecie irrepſit in Angliam: Qua conſcripta & Polo delata legatinam authoritatem geſſit; ejuſque vigore regem, reginam, Praeſules, proceres, cunctumque populum & clerum Anglicanum a ſchiſmatis, ut dixit, ſeu a papa defectionis, crimine abſolvit. Hanc abſolutionem Gardinerus Wintonienſis Epiſcopus, regni cancellarius, proximo die Dominico concione pro cruce Paulina denunciavit. De hoc Angliae ad papiſmum reditu magna Romae gratulatio facta eſt, & ampliſſimus annus Jubilaeus a Julio tertio papa promulgatus. Ad quem miſſi ex Anglia, qui ſubjectionem ei deferrent, Thomas Thirlbeius Elienſis Epiſcopus, Antonius Brown dominus Montague, & Edwardus Cairne miles, cum jam eſſent in itinere, de obitu Julii papae certiores facti ſunt. Ei Marcellus ſucceſſit; qui poſt ſuſceptum papatum vigeſimo die mortem obiit.

Ab An. Chr. MDLV. — Ad An. Chr. MDLVIII.

Itaque legati moram in itinere aliquantisper traxerunt; donec novi papae nomine legatio revocata esset: Is fuit Petrus Theatinus cardinalis, de quo ante dictum est, nunc Paulus quartus nuncupatus, Polo atque Caesari ipsi infensissimus, Gallicaeque factionis adeo studiosus; ut, cum induciae quinquennales inter Caesarem atque Gallum pactae essent, eas adjutore Carolo Lotharingio cardinali frangi atque violari procuraverit. Huic itaque oratores Angliae obedientiam regni nomine detulerunt: Sed Polus, hujus papae in se animum cum ex veteri simultate odioque cognovisset, sibi imminere calamitatem animadvertit. Itaque reversis legatis assiduam cum rege ac regina operam dedit, ut de Cranmero haeresis supplicio sumpto Cantuariensem Archiepiscopatum obtineret; ne, si legatione abdicatus Romam revocaretur, male tractaretur a papa; qui nonnullos jam Caesarianos cardinales, quod sibi adversi saepe essent, vinculis durisque poenis mulctavit. Diximus in Cranmero antea Stephanum Gardinerum Wintoniensem Episcopum, cui haud ignota fuit haec inter papam atque Polum tam diu gesta simultas, occasione opportunitateque data cardinalitium honorem & legatinam potestatem occultis artibus ambivisse; operamque dedisse ne, se vivo, Polus Cranmerum perimeret: Non quod Cranmero bene, sed quod Polo male volebat; illumque non modo Archiepiscopatu, sed e regno Romam repellere: Ut is solus omnia in regno gereret. Sed in hac ambitione & affectatione legationis, ut diximus, mortuus est; ac Cranmerus paulo post combustus. Tum rege ac regina instantibus impetratum est, ut Polus Cantuariensis Archiepiscopus a papa designaretur: Communis enim causae ratio, Anglia ad fidem tam nuper, adventante Polo, ad papismum reversa, ultionis atque vindictae papalis vim paulisper repressit & cohibuit. Itaque papa in cardinalium suorum coetu referente Morono cardinali, qui tum Angliae protector in Romana curia dicebatur, Polum non modo Archiepiscopum Cantuariensem nominavit; sed cumulatissimis laudibus simulans celebravit. Et quia Polus presbyteratus ordinem nondum suscepit, sed diaconus tantum esset; accepit a Paulo papa provisionis illius usurpatae praetextu titulum generalis administratoris Archiepiscopatus & provinciae Cantuariensis, donec presbyteratu initiaretur: Quo suscepto admirabili sua & absoluta potentia decrevit papa, ut administratoris titulus evanesceret & in Archiepiscopi transiret. Interea vero dedit in eadem provisionis bulla facultatem, ut ad Archiepiscopatus, cardinalis, legatique amplitudinem sustinendam quaecunque beneficia, dignitates pensionesque quocunque modo ex ecclesiasticis proventibus acquisitas, illaeso jure pontificio cum Archiepiscopatu retineret. Posthaec, sacerdotii ordine suscepto, in ecclesia conventuali fratrum Franciscanorum Greenwici, vicesimo secundo die mensis Martii, authoritate papae a Nicolao Heatho Eboracensi Archiepiscopo, Londinensi, Eliensi, Wigorniensi, Lincolnensi, Roffensi atque Assavensi Episcopis praesentibus consecratus est. In hac consecratione Polus juramentum illud, quod in Denei vita supra descripsimus, dum missa in choro pontificio ritu cantuque celebraretur, regina cum multis proceribus atque consiliariis inspectantibus, papae praestitit. Triduo post, qui dies Annunciationi beatae Mariae dedicatus est, comitantibus eum Edmundo Bonero Londinensi Episcopo & Willielmo comite Pembrokiae ac Edwardo Hastings ordinis Garterii milite, ad ecclesiam parochialem de Arcubus Londini, ubi pri-

An. 1555. (margin, beside "dicebatur, Polum non modo Archiepiscopum Cantuariensem nominavit")

Arch. (margin, beside "papa provisionis illius usurpatae")

mo

Ad An. Chr. MDLV. — Ad An Chr. MDLVIII.

mo pontificia ſacra fecit, cum cardinalatus & legationis ſuae inſigniis, praecedentibus advocatis & procuratoribus generalibus, nec non caeteris miniſtris Arcuatae curiae, perhonorifice ductus eſt. Ibi in ſolio deaurato, pulvinaribus veſtimentiſque aureis circumſepto, cardinalitio amictu veſtitus ſplendide conſedit. Miſſa inuſitata pene pompa a Wigornienſi Epiſcopo celebrabatur. Aderat etiam Elienſis epiſcopus: Quibus a Davide Polo, Derbienſi archidiacono, ſcriptum quoddam papale cum pallio datum eſt; quo accepto illi mitris redimiti & pontificalibus ornamentis induti Poli humeris pallium, ea ceremonia verborumque formula, quam in Deneo ſupra deſcripſimus, impoſuerunt. Eo indutus Polus ſuggeſtum aſcendit, & de ſignificatione, uſu, origine, materia artificioque Pallii tam exilem & jejunam orationem habuit; ut non modo de theologia nihil ſapuiſſe, ſed in ipſa, cui diu ſtuduerat oratoris facultate atque copia exaruiſſe, viſus eſt. Ac omnibus ritibus pontificiis abſolutis Archiepiſcopatus Cantuarienſis poſſeſſionem, quam "Inſtallationem" vocant, ſine ſolito apparatu & magnificentia, interpoſito procuratore Roberto Collins ſuo Cantuariae commiſſario, quinto kalendas Aprilis ingreſſus eſt. His geſtis, ut datam ſibi a papa ſeſe locupletandi poteſtatem exerceret, Epiſcopatus Wintonienſis jam vacantis in ſuam arcam inferri juſſit redditus: Quem cum ambitioſiſſimus Antiſtes Whitus Lincolnienſis Epiſcopus eo cupidius appeteret; quod in ea dioeceſi natus, & collegio Wickamienſi Wintoniae praefectus, quondam fuiſſet, peropportune in iſtius legati tanta ad ſe rapiendi authoritate a papa praediti manus poteſtatemque devenit. Cum quo de mille libris annuis Anglicanis, non modo reliquo vitae ſuae tempore, ſed uno poſt mortem ejus anno ſolvendis ſimul atque pactus eſſet, Wintonienſem Epiſcopatum obtinuit. Quae conventa quia ſimoniam redolebant; utrique a papa non ſine remuneratione abſolvendi fuerunt. Ac regina Maria cum, ut in Cranmero antea diximus, eccleſiaſticorum beneficiorum ac proventuum primitias atque decimas, quae patri ſuo Henrico octavo regi ejuſque haeredibus regnique ſucceſſoribus conceſſae fuerunt, clero remiſiſſet; rem omnem Polo permiſit: Cui, cum clerici relaxatione regia ſe liberatos primitiarum atque decimarum onere putaſſent, nihilominus eas totas integraſque ſolverunt. Cujus rei praetexebatur cauſa; quod, cum Henricus octavus fratrum conventus & coenobia monachorum dejeciſſet eorumque praedia lege lata cepiſſet, clauſtratae multitudini annua ſtipendia, quoad viverent, diplomate publico concedebat: Quibus Polus ex illis decimis ac primitiis ſatisfaciendum eſſe ſuaſit, ne cum extenuatis regiis facultatibus aerarium publicum tantas largitiones ferre non poſſit, regina liberalitate ſua detrimentum ſentiat. Ita haec reginae conceſſio clero multo magis obfuit, quam profuit. Multi enim, ac plerique illius remiſſionis ſpe, de ſolvendis primitiis fide juſſores non dederunt: Id quod priori conceſſionis lege ab Henrico lata fieri ſub gravi ſanctione oportuit. Illi in jus de ſtipulatione ac fidejuſſione de primitiis danda vocati, dum in jure contenderent, fiſci procuratoribus ac miniſtris, cum conſuetae ſportulae eſſent pendendae, miſere plectebantur; ſolvendique tum dilationibus factis earum reſidua, quae arreragia dicuntur, mortuis paulo poſt tam regina Maria quam Polo cardinali, maximo miniſterii detrimento regina ELIZABETHA regnante iterum repetita ſunt; poſtquam pontificius clerus amotus & abdicatus fuiſſet. Ex quibus

An. 1556. Ex Arch.

bus quidem primitiis atque decimis cum longe maximus uberrimusque proventus quotannis Polo invectus esset; detrahi sane illis modicis monachorum fratrumque stipendiis haud ita multum possit, quin ingens inde ei thesaurus superesset. Hinc ei a patrio more consuetudineque degenerato & abhorrenti, frequentiores cum Italis atque peregrinis mercatoribus, quam cum Anglis, contractus intercesserunt: Quibus corrasas patriae pecunias sub usuris turpique foenore credidisse fertur. Cui rei argumento est, quod Roma venit in Angliam inops, scripsitque papae se egere ad tantam dignitatem sustinendam facultatibus; moriens autem, ut dicemus, omissis in Anglia neglectisque suis necessariis, Italos mirum in modum locupletavit. Eodem autem anno Polus de ecclesia saltem Cantuariensi bene meritus novemdecim ecclesiastica beneficia in Cantio, sua dioecesi, sita a regina suae sedis patronatus juri concedi impetravit. Neque in alia re quacunque sedi suae profuit; praeterquam in illa longa ad orientem extensa, ad Lamethanas aedes adjuncta & ad ortum posita, statione cum inferioribus & connexis coenaculis extruenda: Nam, quos sumptus in reficiendo Cantuariensi palatio facere vivus destinasset, morte sublatus nunquam praestitit.

CELEBRAVIT etiam Londini in ecclesia Paulina cleri synodum; in qua ea, quae ad Angliam in perpetuum Romanae curiae subjugandam pertinere videbantur, in eo libro edidit, quem "de Reformatione Angliae" inscripsit: Qui liber duodecim capitulis, seu decretis, constat. In quibus & illud memorabile sanxit: "Quia exemplum, inquit, vitae magnam "authoritatem verbo affert, estque velut quoddam praedicandi genus; ob "id curandum est iis, qui aliis praesunt, ut caeteris cum morum probi"tate vitaeque sanctitate, tum ea propriam domum recte gubernandi "laude, quam in Episcopis Apostolus requirit, antecellant. —— Nullo igi"tur Praelati fastu, nulla pompa utantur, non vestibus sericis, non pre"tiosa supellectile: Sit eorum mensa frugalis & parca; non plus quam "tria, aut ad summum quatuor, quod etiam magis pro hujus temporis "ratione indulgendo quam probando concedimus, ciborum genera, "praeter fructus & bellaria, qualescunque hospites aut convivas habeant, "apponantur. Reliqua mensae condimenta sint charitas, sanctorum li"brorum lectio & sermones pii. Domesticorum & equorum numero"sa & superflua multitudine abstineant; ac tot ministris contenti sint, "quot ad curae sibi commissae administrationem, ac domus regimen & "quotidianos vitae usus, erunt necessarii". Haec ille. Sed de hac convivali parsimonia Cranmerus anno Domini 1541. aliquanto largius decrevit. Nam piscium aut carnium fercula sibi Archiepiscopo sex, Episcopis quinque, decanis & archidiaconis quatuor, inferioribus vero praelatis tria permisit: Bellariorum autem sibi quatuor, Episcopis tria, caeteris duo concessit. Et si principum legati, aut regni proceres, regis consiliarii, vel ejusmodi illustriores convivae accederent; permissum est, ut secundum personarum dignitatem exciperentur. Sed neque Cranmerus neque Polus suis sanctionibus Anglicanam convivandi lautitiem peneque luxum cohibere poterant; quin paucis mensibus interjectis ad veterem copiam libertatemque nulla lege, vel proscripto coercitam rediit. Proinde optandum

Decret. 5.

optandum eſt, cum ex antiquiſſimo gentis more, rerumque omnium abundantia atque copia vix certi epulis Anglicanis cancelli ſtatui poſſint; ut quia apertis clamoribus hoſpitalitatem a clero populus flagitat, in pretio victualium, quia cenſus redditusſque cleri annuus tantopere diminutus eſt, talis modus adhibeatur; qualem Edwardum regem ſecundum pro Epiſcoporum & baronum hoſpitiis copioſe ac liberaliter tuendis edidiſſe comperimus octavo regni ſui anno 1315. Videlicet, ut Bos, ſi in ſtabulo pinguefiat 24 ſolidis: Si in paſcua 16 s. Item Vacca in ſtabulo pinguefacta 16 s. in paſcua 10 s. Ovis cum vellere 20 d. detonſa 14 d. Porcus biennalis 3 s. 4 d. Anſer pinguis ruri 2 d. ob. in urbe 3 d. Capo ruri 2 d. in urbe 2 d. ob. Gallina ruri 1 d. in urbe 1 d. ob. Duo pulli ruri 1 d. in urbe 1 d. ob. Quatuor columbae ruri, in urbe tres, 1 d. Ova ruri 24. in urbe 20. 1 d. tantum neque pluris vaenirent. Et hoc tam aequo atque moderato victualium pretio ſtatuto, anno tamen ſequenti conviviis epuliſque modum idem rex praeſcripſit: Vetuitque primo, ne inferioris ordinis ſubditi Praeſulum atque procerum in epulando ſumptum & magnificentiam imitarentur: Deinde ut ipſi Praeſules atque proceres duabus ferculorum menſae ſuae appoſitionibus, & in unaquaque appoſitione duobus tantum carnium vel piſcium plenis ferculis contenti ſint, praecepit; tantum eminentioribus Praeſulibus ac proceribus indulſit, ut inter ferculorum appoſitiones interponant, ſi velint, quintum ferculum: Tertio aulaedorum & convivarum, niſi invitarentur, concurſum interdixit. Qui ſi ſervaretur modus in tanta rerum caritate, melioris ad omnes neceſſitates frugi & in pauperes indigentioreſque beneficentiae jam eſſemus. Sed ad hiſtoriam revertamur.

Ex Adam Murimutenſi in anno 1315. Qui refert brevia regia Latine & Gallice.

AETERNA jam & immutabilis pontificiis rebus ſecuritas parta exiſtimabatur: Namque & pii omnes, ſi in ſententia fideque ſtetiſſent, aut in exilium, aut in latebras, aut in carceres flammaſve acti ſunt. Hoc ipſo enim anno octoginta quatuor ob eam, qua Deum colebant, fidem cremati perierunt; quorum maximam partem Boneri carnificina Londini conſumpſit: Et clerus in omnem tyrannidem luxumque profuſus excurrit. Polus, cum ad eum nulla jam regni obtinendi ſpes pervenire poſſit, omnem cum pontificiis dediſſe operam putabatur, ut Philippus jure ſuo potiretur regno; ne, ſi Maria regina ſine ſobole moreretur, domina ELIZABETHA, quae a pontificiis non modo in dogmatibus religioniſque inſtitutis diſſenſit, ſed quia vitae ſuae diu inſidiabantur eamque carceribus ac duriſſima cuſtodia continebant, crudelitate immanitateque ipſa abhorruit, regnum jure capeſſeret. Conſilia quaedam ſceleratiſſima hac de re quam occultiſſime inita, ſive a futili quodam conſiliario enunciata, ſive haud obſcuris indiciis atque ſignis in populi ſuſpicionem adducta, putabantur hujuſmodi: Ut Maria non modo jure municipali regina, ſed jure belli victrix regni promulgaretur; ut eo praetextu omnia publica privataque jura mutare, regnumque quocunque vellet transferre poſſit. Sed hoc conſilium, etſi arridebat primo, tamen quia tam anceps & periculoſum fuit, haud diu probabatur: Eoque rejecto viſum eſt ad ſtabiliendam rem pontificiam maxime facere; ſi domina ELIZABETHA aut e medio tolleretur, quod pontificii quantum poterant ſuadebant, aut nobili alicui pontificiae ſectae Hiſpano nuptum daretur. Sed Deus optimus maximus, qui hujus clariſſimae inte-

Ab An. Chr. MDLV. Ad An. Chr. MDLVIII.

gerrimaeque principis ac regni liberationi ſalutique ſimul proſpexit; ita pontificiorum conſilia irrita inaniaque effecit: Hiſpanos enim pontificios mitiores minuſque cruentos quam noſtrates reddidit; deditque dominae ELIZABETHAE majorem coram Philippo rege, quam coram ſorore Maria, gratiam: Ut is miſericordia divinitus ductus eam & mortis metu & ſevera pontificiorum cuſtodia liberaret. Nuptiae autem, tam ſibi quam ſorori Mariae ſuſpectae, non placebant: Ut una eademque opera divina tam a ſummo diſcrimine quam ab externis nuptiis, tam ad regnum ab externa dominatione quam eccleſiam a pontificiorum caecitate tyrannideque liberandum, vindicaretur. Atque his inventis ope divina ad nihilum profligatis, ipſorum pontificiorum res infirmiori ſtatu ac lubricae eſſe coeperunt.

An. 1557. Nam Paulus quartus papa, ut regnum Neapolitanum, ex quo ad Venetos fuga quondam elapſus Caeſaris vim evaſit, ab ejus potentia ſuae priſtinae libertati reſtitueret; aut ex ejus manu Gallo proderet, cum jam Caeſar in Hiſpanias ſeceſſiſſet & Belgium Philippo tradidiſſet, quinquennales pactus inducias, adjutore, ut diximus, Lotharingio cardinali, a Gallo rumpi bellumque denunciari curavit. In quo quamvis Angliae nulla belli Gallis inferendi cauſa data fuerit; tamen regina Maria inſano Philippi amore ſolicitata bellum indixit ac ſalutarem ſibi regnoque pacem prima violavit: Cujus rei magno regni detrimento ac infamia ſuaque pernicie juſtas poenas poſtea, ut dicemus, perſolvit. Hoc a regina ſuſceptum pro Philippo bellum Paulum quartum papam, qui ſe cum Gallo confoederavit, tanto furore accendit; ut in declarationem diuturni ſui in Polum odii aperte erumperet: Eoque magis, quod Polus, qui ab ipſo papa concitatum hoc bellum cognoverat, de eo ſedando per literas & legatos, etſi cum magna reverentia, acriter tamen & vehementer ageret. Id quod pontificem in Polum vehementius irritavit; quod ſuis contra Caeſarem & Hiſpanos pro regno Neapolitano vindictaeque cupiditate inceptis obſtaret, ſeque officii munerifque ſui in ea cauſa, in qua redargui a quocunque nollet, admoneret. Itaque papa abrogata Poli legatione eum Romam revocavit, ejuſque loco Gulielmum Petoum, Franciſcani ordinis virum, cardinalem atque legatum creavit: Ac ut in Polum citatum, antequam Romam adveniret, criminum probationumque copiam exquireret, Moronum cardinalem, Angliae, ut diximus, in Romana curia protectorem, Poli familiariſſimum in vincula conjecit. Haec omnia Mariae reginae, priuſquam Polo, nunciabantur; quae eo inſcio juſſit, ne hi, qui in Angliam a papa mitterentur, Anglorum ope trajicerent aut ad portus appellerent: Tum, ſi quae literae perferantur, ut interceptae, non Polo, ſed ſibi, traderentur: Legatoque ſuo, qui Romae erat, per literas mandavit; ut papae ſuis verbis nunciaret, ſi Poli legatio ceſſaret & ad Petoum deferretur, omnia, quae pontificia religione incepta in Anglia eſſent, ad ſummum diſcrimen ruitura: Quocirca pro ſua vigilantia caveat; ne, ſi in hoc incepto pergat, eos motus ciet, qui pacari non poſſunt. Adhaec papa, qui de conjunctis Angliae cum Hiſpanorum copiis ſummopere angebatur, nec prius quicquam habebat, quam ut expetitam vindictae cupiditatem ſatiaret, ac utrique genti omnibus modis incommodaret, reſpondit; Polum probabilibus argumentis atque conjecturis in haereſis ſuſpicionem ſibi Romanaeque curiae veniſſe: Ideoque a ſe Romam accerſiri, ut ſua cum Moroni cardinalis ac familiaris ſui confeſſione juncta habeatur de praeſenti inquiſitio; ne cui, tanti momenti negotio, abſenti praejudicaretur. Hoc etſi

regina


regina celare Polum voluit; tamen is ab aliis nunciis accepit; atque prorſus ab argentea cruce geſtanda, omnique legatina adminiſtratione muneréque ceſſavit: Miſitque per diſpoſitos equos ad papam, Nicolaum quendam Ormanetum, qui papae datarius dicebatur, cujus in ea legatina poteſtate Polus opera maxime uſus eſt; ut & legationis à ſe geſtae probabilem ac inſtructam rationem redderet, & de religionis ſtatu exponeret, ac ſe in omnibus tueretur & excuſaret. Papa ad ſe accedentem Ormanetum laeta fronte excepit & pro Polo dicentem exaudivit. Sed mirari ſe dixit, quo inſtigante, regina ſine cauſà bellum indixerit Gallis: Ex quo & magna Gallorum caedes ad ſancti Quintini oppidum, & nobilitatis Gallicae captivitas ſequuta eſt. Ab hoc bello dicebat Polum legatum ſuum debuiſſe atque potuiſſe avertere reginam: Quam ejus negligentiam, ſive tolerantiam, indignam legatino honore ducebat. Nam caeteras haereſis ſuſpiciones iniquas malevolorum ſuſpiciones exiſtimare ſe dixit; a quibus ne ſanctiſſimus quiſque, quemadmodum ne ipſe Chriſtus, immunis eſſe poterat. His dictis permiſit Polo legationem gerere, donec Carafam cardinalem fratris ſui filium pacem inter Philippum & Gallum initurum mitteret, & Ormanetum in Angliam ad Polum reverti juſſit. Eo reverſo recreatus aliquantulum Polus eſt: Sed, quia ex papae cum Ormaneto colloquio Carafam novitium cardinalem, qui ex gregaria Galli militia ad id muneris nuper ab avunculo ſuo papà aſſumptus eſt, geſtorum ſuorum acrem cenſorem ex papae inveterato odio mittendum expectavit; in legatione adminiſtranda, quia jam in vivis vix aliqui Evangelici, quos flammis extinguerent, noti eſſent; in mortuos ſaevire decrevit. Ac primum Cantuarienſem dioeceſim viſitavit; deinde Cantebrigienſem & Oxonienſem Academias Johanni Chriſtopherſono Ciceſtrenſi & Cuthberto Scoto Ceſtrenſi & Thomae Watſono Lincolnienſi Epiſcopis, necnon Colo & maxime Ormaneto, quem omnibus rebus praefecit, judicibus delegatis luſtrandas & ad pontificiam amuſſim atque normam reducendas commiſit. Hi, cum in collegiis omnia perturbaſſent, noviſque duris legibus multorum juvenum praeclaras indoles a ſtudiis prorſus alienaſſent, ne quid crudelitatis omitterent, mortuorum ſepulchra violarunt. Nam Martini Buceri & Pauli Fagij, qui diu ante Cantebrigiae in eccleſiis beatae Mariae & ſancti Michaelis ſepulti ſunt, necnon uxoris Petri Martyris, quae Oxonii obiit, exhumata cadavera, haereſis poſtulata, magno apparatu pontificio inſtructo flammis concremarunt. In quibus furiis vix ſe ab Henrici octavi & Edwardi ſexti cadaverum exhumatione combuſtioneque temperabant. Nam in his cremandis omnem illius ſchiſmatis expiationem poſitam eſſe putabant.

Haec cum acta ſunt laetis &, ut ſibi videbantur, in ſumma tranquillitate ſecuris pontificiis; Caletum maritimum oppidum, quod magna laude virtuteque bellica olim acquiſitum, diutiſſimeque atque vigilantiſſime conſervatum eſt, ſive pontificiorum inertia atque ſocordia, ſive quod hanc cladem ob bellum injuſte ac ſine cauſa ſuſceptum inflixit Deus, a Gallo ſubito recuperatum eſt. Cujus rei periculum etſi antea proviſum, & conſiliariis à piis viris, deſignatis ejus oppidi cuſtodibus, denunciatum fuerit; tamen reſponſum eſt, Caletum ita loci natura munitum eſſe, ut ab opilione cuſtodiri ſine auxilio militari poſſit. Eo vero amiſſo, cum id populus aegre ferret, ſuadebant palam in concionibus pontificii Caletum haereticorum tantummodo portum ac refugium fuiſſe; nec de ejus amiſſione

sione cuiquam catholico viro dolendum. Sed regina repentino horrore perculsa, cum externas illas nuptias & papalem rursus inductam a se potentiam tantas calamitates & infamiam sibi peperisse cerneret, in summam aegritudinem incidit; quae, viro suo Philippo absente, cum nullo in his aerumnis solatio leniri possit, eam luctuosam & squalidam intercus incurabilis occupabat. De quo morbo etsi paucissimis in aula sua viris eam laborasse compertum est; tamen Romae, Venetiisque ac in nonnullis Italiae locis atque civitatibus percrebuit, tantam fuisse morbi sui vim, ut quamvis aestatem, tamen hyemem, tolerare non possit; ideoque altero anno eam superstitem non fore: Quae quomodo exteris nota fuerunt, incertum est. At in Anglia parliamentum atque synodus celebrabantur. In ea synodo Polus clero indicavit, quam graviter regina amissum Caletum ferebat; ideoque ad eam consolandam suasit, ut de suis facultatibus ad diuturni belli contra Gallos administrationem libentius jam largiusque promitterent: Ad id clerus ea conditione adductus est; ut ab armorum, virorum & equorum praestatione caeterisque bellicis sumptibus quibuscunque immunis esse possit. Quod cum, Polo intercedente, impetratum est; inierunt tamen privatum inter se consilium Praelati de comparandis ad sui defensionem, ut in ea synodo dicebant, contra vim, dolorum armis: Quo dicto existimare convenit summam suo imperio seu tyrannidi diem jam adesse cognovisse pontificios. Nam regina ex illa semestri amplius intercute febricula, dum in parliamento atque synodo deliberatum est, correpta, die quodam Jovis, qui eo anno decimus septimus Novembris fuit, in regia
An. 1558. sancto Jacobo dicata inter horas quintam & sextam matutinas obiit. Quod Henrico patri, Edwardo fratri sibique fatale videri possit; ut dies Jovis tribus regibus ordine succedentibus mortalis funestusque fuerit.

EODEM anno febris quartana multorum in Anglia, praesertim vero Praelatorum, valetudines afflixit, necique dedit. Quae, cum aliquot pontificios Episcopos extinxisset, Polum geminata vicissitudine accessit; eoque die acerrime infestavit, quo Maria obiit: De quo cum accepisset, quasi in συμπαθείᾳ eodem die una exspiravit, ad tertiam horam noctis: Cum quinquaginta octo annos & sex menses vixisset; in Archiepiscopatu vero duos annos, septem menses, tres septimanas, quinque dies sedisset, legatinamque potestatem quatuor annos & sex dies exercuisset. Corpus ejus plumbo inclusum curru Cantuariam vectum, ac justis triduo peractis laudationeque Latine atque Anglice habita, in sacello Thomae Becket dicato inhumatum est.

STATURA fuit mediocri, corpore exili, colore candido rubore permisto, vultu latiori, oculis laetis animi placabilitatem indicantibus. Neque sane aliter existimare convenit, quin si pontificiis moribus depravatus ad ambitionem, cupiditatem & saevitiam non deflexisset; naturae suae ac ingenuitatis propriae praeclaris dotibus doctrinaeque virtutisque singularis ornamentis, omnibus praestitisset. Sed illa factione a patriae suorumque necessariorum charitate abductus in testamento pene omnia legavit peregrinis; & Aloysium Priulum patricium Venetum omnium rerum suarum haeredem instituit; ejusque fidei commisit, ut legata praestaret ac distribueret his, qui eum ex Italia & longinquis partibus in Angliam secuti sunt. Hoc gra-



Reginaldi Pole.
Sepulchrum.


titudinis officio fecisse Polum Itali affirmant, quia exul quondam & proscriptus eorum beneficentia sublevatus est: Ipsumque Priulum tanta in alienis bonis temperantia fuisse aiunt; ut fidei commissa abunde praestaret caeteris, nec ex bonis Poli quicquam, praeter precationum libros Breviarium scilicet & Diurnale, caperet.

ILLUD autem ad aeternam immanitatis pontificiae memoriam infamiamque contra Polum valebit; quod eo legato & accelerante integerrimus doctissimusque Archiepiscopus Cranmerus igne crematus est: Quod Archiepiscopo praeterea, quod legimus, accidit nemini: Pluresque in illo suae legationis quadriennio, ferro flammaque crudeliter mactati sunt, quam in cujusquam regis, eorum qui post Lucium huic insulae imperabant, longissimo regno. Ita Cranmerum martyrem, Polum tyrannum, eadem Cantuaria celebrat: Hic plumbo depressus, ille cineribus atque flamma ad coelos elatus, est.

ATQUE in hoc brevi, etsi saevo, temporis curriculo videmus potentiam & misericordiam Domini; qui, quanquam Angliam merito castigavit & afflixit, tamen non ita diu deseruit; quin deturbatis pontificiis reginam ELIZABETHAM, adversa multa sub eis passam, eorum potestate & insidiis ereptam in solio regni collocaverit; viros pios atque doctos ab exilio atque latebris eduxerit; reginaeque authoritate, ac eorum ministerio Evangelium multo uberius, quam unquam antea, propagaverit. Itaque quod ab omnibus anterioribus semper regibus optatum atque desideratum est, ut Episcopos atque clerum contra pontificias & externas factiones sibi morigeros atque obsequentes retinerent, hoc illustrissima nostra REGINA divino atque solo Evangelii tuendi beneficio consecuta est. Nec aliud sane magis in hac tam bene constituta ECCLESIA ANGLICANA timendum atque cavendum est; quam ne clerus nunc, cum maxime in Verbo ac veritate laboret, summaque observantia principi pareat, profusorum atque decoctorum praedae ac direptioni proponatur; & imperitorum convitiis atque contumeliis proscindatur, populoque fiat ludibrio ac contemptui. Quod si contingat, gravius Dei flagellum multaque atrociora tempora expectanda sunt, quam illa Mariana fuerunt. Sin vero longaevam Deus vitam dominae REGINAE produxerit, ut eos praesidio suo tueatur ac in honore habeat; illique in fide ac vigilantia gregis perseveraverint; ECCLESIAM ANGLICANAM sub augustissima principe omnibus divinis donis florentem, & non modo a pontificiarum, sed aliarum, quae nuper insinuante se diabolo furtim irrepserunt, factionum injuriis liberam salvamque retinebimus. Quod faxit Ille, qui quaecunque velit, facit. AMEN.



LXX. Matthaeus.



N vulgus ſine mora enuntiata, per omnium ora celerrime frequentiſſimeque volavit reginae Mariae & Reginaldi Poli eadem pene hora congruens atque concurrens mors: Quae nono poſtea die Romam ipſam ſua celeritate pervenit; pontificioſque de ſe ac Romana ſuperſtitione tam perplexos ac ancipites fecit; ut penitus ignorarent, quibus crederent, quos caverent. Itaque in Anglia ne convenire quidem tute poterant ſine ſuſpicione & obſervatione populi. Hoc, Maria regnante, ante effecit & pontificiorum in veros Chriſtianos immanitas, & Chriſti martyrum per illos accenſa atque flammata ſtrages; quae permultis ipſius Romanae ſuperſtitionis cultoribus, nec pia, nec humana viſa eſt. Eoque magis, quod in exilium actis ac proſcriptis, vel flamma deletis chriſtianam fidem ſequentibus, fide vero infirmis ſimilis poenae metu coercitis, exterorum ſeu Hiſpanorum ſeu Belgarum incurſio & dominatio, nuptiis inter Philippum & Mariam, ut ante diximus, conſtitutis, annuentibus Pontificiis, introducta eſſet. Deinde regina Elizabetha, poſt Mariae ſororis ſuae, non tamen uterinae, mortem omnium deſideriis ad regnum adminiſtrandum expetita, pontificiorum injuriis diu ante vexata, carceribus cuſtodiaque publica quaſi rea ſervata, jam tandem liberata tantum periculum evaſit: Bellumque, quod fractis quinque annorum induciis inter Hiſpanos & Gallos renovatum eſt, ob praedictas nuptias Angliam perturbavit; quae, pontificiis ſuadentibus, ſine cauſa ſe immiſcuit & cum Hiſpanis contra Gallos ſe junxit. Unde & Caletum pontificiorum ſeu ignavia ſeu verſutia amiſſum eſt. Et cum pax ſatis aequis conditionibus eſſet ineunda, ac Philippus ſuas in bello amiſſas urbes pactionibus recuperaſſet, Caletum reſtitutum non fuit. Tum vero grandis ad hoc infauſtum bellum a plebe accepta mutuo pecunia reddita non fuit: Ob quas tam paucis annis illatas regno calamitates pontificii, qui omnia ſub regina Maria gerebant, male adminiſtratae atque adeo expilatae reipublicae tacito populi judicio rei cenſebantur. Adhaec Paulus quartus pontifex Romanus in hoc bello Gallicarum partium fuit; qui contra Hiſpanos & Reginaldum capitales diu inimicitias geſſiſſet; Angliamque, quae fere Hiſpanorum poteſtati ceſſerat, ſub Gallorum juga, titulo Mariae Stuart Scotorum reginae, redigere nitebatur: Itaque ne hunc ducem ſuum pontificii ſibi fidum putabant. In quorum rebus tam dubiis & incertis, regina Elizabeth, ſumma providentia miſericordiaque divina, a crudeli pontificiorum cuſtodia ſoluta, ad Angliae imperium evecta eſt. Huic tanta pietate & perſeverantia reginae nihil fuit prius & antiquius, quam de religione a Romana faece perpurganda & chriſtianae integritati reſtituenda curare. Quam quidem ad

rem

Ab An. Chr. MDLIX. Ad An. Chr. MDLXXV.

rem celeberrimo regni concilio Westmonasterii habito imperium auspicata est. In quo de exigenda authoritate pontificia, regiaque tam in ecclesiasticis quam in civilibus causis potestate, lata lex sanxit eos sacerdotiis mulctandos; qui Romani pontificis omnemque extraneam ecclesiasticam jurisdictionem juramento non detestarentur; eaque recusata non agnoscerent regiam. Quod juramentum pontificii sacerdotes & Episcopi, qui inveterata erroris sui consuetudine praefracti obduruerunt, praestare callido consilio abnuebant. Existimabant enim se amotis, non superesse ex reliquis satis magnum clericorum numerum ad gerendas dioeceses atque parochias: Itaque, se perseverantibus & conspirantibus, fieri nullo modo posse putabant, ut deferatur eis juramentum, aut eo delato atque recusato privarentur. In quo versuto consilio, dum sibi sapere ac placere visi sunt, quasi divino judicio ac vindicta, decepti & infatuati fuerunt. Multi enim perdocti atque pii viri, tota illa pontificiorum tyrannide, quae, ut diximus, sex pene annis duravit, aut in exilium abierunt, aut domi in latebris ita clam fuerunt; ut a pontificiis summa sedulitate exquisiti ne reperiri quidem potuerunt. Hi se tanquam divinitus admoniti, toto illo exitioso & saevo Mariae regno, in theologiae studio contriverunt; & ad secunda feliciaque ELIZABETHAE tempora reservati, in maximis illis de religione a pontificiis motis controversiis argumenta, quae pontificii tam nodosa & inexplicabilia putabant, facillime tanquam divino spiritu difflaverunt. Qui, ex aerumnis & exilio prodeuntes, fuerunt contemptui pontificiis. Sed hominum sine pontificiis ornamentis simplicium & vitae integritate & morum gravitate & animorum magnitudine, & scripturarum, conciliorum, patrum orthodoxorum, totiusque ecclesiasticae antiquitatis tam diligenti per eos habita indagatione, perspecta, pontificii, cum rationum vi scriptaque authoritate pares esse non poterant, calumniis nitebantur superare. Suas enim partes, non jure, sed more & praescriptione, tuebantur: Quod in jure divino, semper eodem & immutabili, fieri non posse, ex omni jure certissimum est. Sempiterna enim ex more, consuetudine, desuetudine, usu, vel praescriptione quacunque mutationem nullam capiunt; quin sibi semper una eademque constant, atque contraria refellunt & abolent, sola veritate sine humani juris adminiculis. Pontificii itaque hoc, quod stabile firmumque sibi putabant, fundamento sublato, in reliqua disceptatione, neque ratione, neque oratione usi sunt; sed muti totam controversiam silentio praetermittebant. Quae disputatio, quoniam typis divulgata est, in hac narratione praetereatur. Amoti itaque ob juramenti praestandi recusationem omnes Episcopi pontificii, in uno foedere cohaerentes, praeter unum Antonium in Wallia Landavensem Episcopum, fuerunt. Inferiores etiam praelati atque clerici in eadem conspiratione conjuncti multi ecclesiasticis dignitatibus & beneficiis abdicabantur. Sed eorum plerique ipsi, sibi valde propitii, cum, praeter expectationem & consilium initum, tam copiosam evangelicorum multitudinem extare, ut optimus ac probatissimus ad gerendas ecclesias delectus haberi possit, animadverterent; malebant a fide pontificiis confoederatis data recedere, & regiae majestati etiam in omnibus causis ecclesiasticis obedientiam juramento polliceri, omnemque aliam potestatem & authoritatem diffiteri; quam de stationibus suis satis incaute decedentes, & amittere suas possessiones & locum dare Evangelicis. Hoc consulto & callide factum fuit, ut multi Evangelici ingressu multarum ecclesiarum prohiberentur;

hiberentur; & pontificii, qui poſſeſſiones retinerent, inopiam illorum, qui jam depoſiti vel profugiſſent, vel domi delituiſſent, vel ob contumaciam ſub cuſtodia eſſent, ſuis facultatibus ſublevarent. Multi enim pontificii Epiſcoporum factum improbabant & eorum prudentiam deſiderabant; quod loca ſua tam temere & inconſiderate deſeruiſſent ob juramentum recuſatum: Quod etiamſi praeſtitiſſent, ab ejus tamen religione & obſervantia, authoritate papae, qui jura divina & humana relaxat, ſolvi potuiſſent. Sed Dominus Deus, qui reginae ELIZABETHAE ſuiſque Anglis omnia tam felicia proſpexit, pontificios in tanto diſcrimine ſuis cogitationibus & technis confuſos infatuavit; ut ne id facerent, quod papali authoritate licitum ſtatuerunt, eidem fidem dare, atque fallere. Pontificiis autem tam ſedibus quam mente jam privatis, ſuoque propoſito ac deliberatione fruſtratis, ac ab Anglicana eccleſia gubernanda ſeparatis, regina ELIZABETH conſilium capit de integerrimis doctiſſimiſque viris Anglicanae Eccleſiae gerendae praeficiendis. Ad quam tam ſanctam a tam pia principe in chriſtiana republica ſationem faciendam, eradicata zizania pontificia, copioſa ſementis diuturna perſecutione coercita Deique benignitate conſervata, tanquam in divinam futuram meſſem, uberrime jam emiſſa & profuſa eſt. Atque pia princeps, vitatis jam calumniis & inſidiis pontificiis, cum de toto regni ſui ſtatu, a pontificiis tam diu turbato & vexato, eſſet anxia; propoſitaque ſibi ante oculos, atque pene nota iſta piorum atque doctorum hominum copia, unde ſumere quos vellet poſſet; inter alios illuſtres & prudentes viros, quorum conſilio tam turbulenta & tumultuoſa reipublicae ſuae negotia componeret & ſedaret, adhibuit ſibi duos: Dominum Baconum, virum & jure & uſu regni peritum, cuique nihil defuit, quod principi dando conſilio deſideraretur; ea praeterea fuit authoritate ac facundia, ut quicquid aut in ſenatu, aut ad populum pro tribunali, erat enim regni cancellarius, diceret; ne contradicentibus quidem inimicis pontificiis, quorum ſumma invidia flagrabat, a reliquis ei ſemper aſſenſum fuit. Cum hoc conjunctus Cecilius equeſtri ordine, ſed aetate multo minor; qui ante regis Edwardi Secretarius fuiſſet, quique in Mariae regno incommoda multa ob Evangelium tuliſſet, multaque jam privatus & a rebus gerendis vacuus animo volviſſet atque percepiſſet; ut ad reginae ELIZABETHAE curiam & conſilium vocatus, alacrior, promptior, ac meditatior divinitus accederet: Hunc quicunque dicentem intuitus ſit de quacunque reipublicae cauſa, & ad conſiderate deliberandum, & ad parate prompteque eloquendum, a Deo formatum dicat. Hos duos claros viros, vita ac religione integros, pontificiis adverſos, & in diſpari tam in deliberandi quam eloquendi genere, ut etiam aetate, ſic ubertate atque gravitate dicendi ſimiles eſſe non poterant, ſemper concordes atque pene pares populus in ſummo habuit pretio ac honore; & quaecunque, illis ſuaſoribus, ſtatui putavit, ſanctius obſervavit. Ex Academia Cantebrigienſi utrique profecti eruditos viros ſummopere colebant. Quicquid autem rectum, moderatum atque pium in republica regina geſſit, id his mandatum videbat populus. Ideoque iiſdem attribuebat omnia, quae reginae atque regno proſpera ſecundaque evenerunt. Sed cum Epiſcoporum habendus eſſet delectus, & in tanta rerum novitate inteſtinis ac externis malis regnum laboraret; proſpiciendum erat, ne ex reformata religione motum ſeu calamitatem aliquam, aut bello civili, aut legum ſeveritate, aut magiſtratuum minis ac decretis, reſpublica pateretur: Quin populus omni humanitate fotus

fotus & allectus, nullaque atrocitate deterritus, amore magis quam formidine chriſtianam religionem ſequeretur. In hac conſultatione, prima occurrit de Cantuarienſi Archiepiſcopo cura & deliberatio; qui ea prudentia atque temperantia provinciam ſuam regeret, ut ſine acerbitate aut acri contentione, & ſuaſione magis quam vi, abolito papiſmo Evangelium propagaret. Ad quod munus, ex illa celebri doctiſſimorum hominum copia, qua nulla unquam aetas in Anglia magis eruditam atque piam produxit, ſummo reginae ejuſque conſiliariorum judicio MATTHAEUS PARKER deſignatur; vir omni gravitate, ſinceritate, doctrina, prudentia, manſuetudine & urbanitate politus & exultus. Cujus ante ſuſceptum Archiepiſcopatum anteacta haec fuit vita.

NATUS eſt Nordovici, celebri & epiſcopali orientalium Anglorum civitate, anno Domini 1504. ſexto Auguſti, parentibus liberis, civibus Norvicenſibus, Gulielmo patre, Aloiſia matre: Ille anno Domini 1516. decimo die Januarii: haec 1553. viceſimo die Septembris, perfuncti vita ſunt. Qui eum primis literis ac Grammatica inſtitui, ingeniumque ad reliquam diſciplinam praeparari domi ſuae, ad aetatis annum decimum ſeptimum vel octavum, diligenter curabant. Deinde mortuo patre, in matris tutela poſitus, ad Cantebrigienſem Academiam miſſus, ejuſque aliquandiu ſumptibus in collegio Corporis Chriſti nutritus, in literarum ſtudio progreſſus eſt: Sed paucis poſtea menſibus, decretum ei fuit e collegii vectigalibus ſtipendium, ut ſacra biblia ſociis legeret: Cujus generis ſcholares Bibliotiſtae dicuntur. E quorum numero cum eſſet, & matris ſumptibus pepercit, & dialecticae atque philoſophiae in divae Mariae hoſpitio, collegio Corporis Chriſti pertinenti, operam ſedulo dedit. In quibus artibus, tribus amplius annis verſatus ante quartum exactum baccalaureatus gradum ſuſcepit; alteroque triennio liberalium artium profeſſor ſeu magiſter, collegiique praefati ſocius conſtituitur. Ita his humanioribus artibus doctriniſque accurate imbutus & eruditus, maturiori jam aetate & ſcientia provectior, animum ultro applicuit theologiae. In qua inveſtiganda tanto ardore & ſtudio ferebatur; ut patrum orthodoxorum & conciliorum volumina quinque annis diligenter evolverit. Quo abſoluto & decurſo ſpatio, ex umbratili otio prodit in lucem & negotium eccleſiae. Nactuſque Henrici octavi diploma publicum, ac Thomae Cantuarienſis Archiepiſcopi licentiam, verbum Dei pro concione & e ſuggeſtu, primum in Academia, deinde in celeberrimis regni urbibus atque locis, maxima audientium laude & commendatione praedicavit. Poſteaque ſaepe conciones diſertas habuit tempore quadrageſimali, quo ex more doctiſſimi ad id muneris deputantur, tam coram rege Henrico octavo quam Edwardo ſexto & ELIZABETHA regina. Hujus fama & celebritas cum ad Henricum regem delata eſſet; accerſitus eſt ad aulam, & ab eodem rege Annae reginae, quam ſibi matrimonio paulo ante junxerat, capellanus conſtitutus. Ex hac Anna nata eſt ad Angliae ſalutem ELIZABETHA regina. Sed Anna mortua, ab Henrico rege, eoque mortuo, ab Edwardo in regiorum capellanorum numerum aſſumptus eſt. Quorum principum beneficentia multis donis & dignitatibus affectus eſt. Namque praefecturam ſeu decanatum collegii de **Stoke**, quod per Clarenſem in Suffolcia villam poſitum fuit, regina Anna impetrante, obtinuit. Deinde theologiae baccalaurea-

Ab An. Chr. MDLIX. — Ad An. Chr. MDLXXV.

tu ſuſcepto in eccleſia cathedrali Elienſi ab Henrico rege praebenda donatus eſt. Cujus etiam interceſſione atque literis, cum theologiae doctor ac profeſſor in Academia Cantebrigienſi ordinaretur; a Corporis Chriſti collegii ſociis illius collegii magiſter ſeu praefectus electus eſt. Hoc collegium poſtea Archiepiſcopus celeberrima veterum hujus regni ſcriptorum ac monumentorum bibliotheca locupletavit; plurimiſque ac largis donationibus auxit: Quarum commemorationem atque laudem ab his proferri & dilatari aequiſſimum eſt, qui tam ſingularis gratique patroni merito & beneficio ſunt adjuti. Ac poſt Henrici regis obitum, cum Edwardi regis capellanus eſſet, a tam benigno beneficoque rege Lincolnienſis eccleſiae decanus, & in eadem eccleſia praebendarius de **Coringham**, praeficitur. Ex collegii etiam ſui ſociorumque conceſſione & patronatu, rectoriam de **Landbeache** in Elienſi Dioeceſi, a Cantebrigia quatuor milliaribus diſtantem, adeptus eſt. In his omnibus muneribus atque dignitatibus adminiſtrandis, praeter frequentem & aſſiduam divinae veritatis enuntiationem, nullum aut requiſitae liberalitatis, aut juſtae frugalitatis atque parſimoniae, & ad ſuam laudem, & ad ſingulorum locorum utilitatem, officium praetermiſit. Collegium autem de **Stoke**, quod a multis laicis expetitum erat, contra crebras ambitioſiſſimas interceſſiones & poſtulationes, conſtantiſſime retinuit. Donec, lege anno primo Edwardi ſexti in parliamento lata, collegium illud regis uſui addictum fuit. Quo facto illac diſcedere coactus annua quadraginta librarum ſumma ex publico aerario perſolvenda compenſatus eſt. Hujus collegii amiſſionem gravius moleſtiuſque ideo tulit; quod ſcholam ibi conſtruxerat, & ludimagiſtro ad juvenes in Grammatica & humanioribus literis erudiendos annuum ſtipendium decerni curaverat: Quae ſchola nobilium ac plebeiorum liberis undique confluentibus mox referta, magnum ſibi tam pulchrum & dulcem juvenum coetum deceſſu ſuo diſſipandum relinquendi dolorem inuſſit. Quamvis jam diſcedens tota ſua effecit opera, ut ſchola, etſi infirmis, tamen his quibus poſſit viribus, permaneret. Reliquorum autem beneficiorum a regibus acceptorum uberrimum fructum, uſque ad dura & ſaeva Mariae tempora, quiete percepit. Cujus regni anno ſecundo omnes clerici conjugati ab eccleſiaſticis beneficiis amoti fuerunt. Etſi enim & aeterno Verbo Dei, ſupra quod mortalem hominem ſapere & ſummae eſt dementiae & intolerabilis ſuperbiae, & legibus in duobus Edwardi ſexti parliamentis latis, conjugia clericorum rata fuerunt; pontificii tamen, apud quos nihil fuit mite atque moderatum, quique ſua decreta ſanctis Scripturis aut paria, aut anteriora judicaverunt, ſine diſcrimine ſuis ſacris prohibebant omnes conjugatos. Hanc tam luctuoſam calamitatem eo tulit moderatius; quod eadem omnibus piis clericis, perinde ac ſibi, accidiſſet. Itaque bonis & poſſeſſionibus ſuis exutus, nulloque ſibi ex tam opimis beneficiis ſtipendio aut lege publice conceſſo, aut a quocunque privatim aut gratis perſoluto, toto illo evangelicis funeſto Mariae regno, humili conditione contentus, infra domeſticos parietes cujuſdam ſui amici abditus, vitam egenam atque inopem produxit. Hujus tam duri otii difficultates & moleſtias ſtudiis & divina contemplatione lenivit: Vitaeque genus, aliis moleſtum atque grave, ſibi literarum conſuetudine & aſſiduitate jucundum placidumque reddidit: Ut ſua privata cauſa non aliud ſibi deligendum aut expetendum putavit; ſi illius pontificiae tyrannidis, quam pauci evaſerunt, metus ac periculum abfuiſſet. Nam pontificii, praeterquam quod clericos conjugatos beneficiis

ciis ſpoliaverunt, eoſdem etiam ab uxoribus ſeparabant, & veriſſimis chriſtianae religionis dogmatibus renuntiare compellebant, aut flammis & incendio committebant. Haec Chriſtianorum funeſta ſtrages ob papae dominatum ab Henrico rege exactum, & a Maria reſtitutum, invecta fuit: Quem dum multi ſancti martyres conſtanter denegabant, & in evangelica profeſſione contra ſanctiones papales perſeverabant: multo atrocius plectebantur, quam ipſi furti, ſtupri, homicidii, aut cujuſcunque flagitii rei. Quorum frequens incendium, etſi Chriſti nomini glorioſum, tamen lugubre MATTHAEO in hoc otio latenti moeſtumque viſum eſt: Eoque magis quod ſine modo duravit, nec ſine omnium Chriſtianorum ſupplicio atque ſanguine, & verae religionis exterminatione, extingui ullo modo poſſe putabatur. Chriſtianis itaque rebus ſic afflictis & penitus deſperatis, non alia ſuperfuit ſpes, quam illa, quae conſolationis pleniſſima a Propheta enuntiata eſt; " Non contendere Dominum perpetuo, nec in ſaeculum " ſervare iram": Illaque philoſophorum oratio, " Nullum violentum " eſſe perpetuum", in hac dominatione pontificia veriſſima reperta eſt. Nam morte Mariae & ſucceſſione ELIZABETHAE illud horrendum Chriſtianorum incendium, quod quinque amplius annis per totam Angliam flagravit, ſubito tanquam in momento & oculi ictu deletum evanuit. Confuſiſque, ut ante diximus, pontificiis evangelici ab exilio reduces & e latebris prodeuntes, una cum ipſo Evangelio, reſtituti ſunt. Inter hos in lucem jam hominumque conſpectum, tanquam e tenebris, erupit MATTHAEUS, reginae ELIZABETHAE ejuſque conſiliariis atque proceribus a juventute notus, omniumque judicio ita probatus, ut ad archiepiſcopalem celſitudinem expeteretur. Quam oblatam dignitatem, quo magis repudiare & a ſe rejicere vellet; eo arctius & vehementius regina ejus prudentiae & moderationi confiſa inſtabat, ut eam gereret. Cujus rei teſtes eſſe poſſunt nonnulli, quibus ab ipſa regina haud vulgares gerendae reipublicae partes datae ſunt. Eandem rurſus ſuſceptam provinciam quam prudenter moderateque rexerit, deinceps fuſius declarabimus.

ANNO itaque Domini 1559. Cantuarienſis Archiepiſcopus electus eſt a decano & capitulo eccleſiae metropoliticae Cantuarienſis. Poſteaque eodem anno decimo ſeptimo die Decembris, adhibitis quatuor Epiſcopis, Wilhelmo Ciceſtrenſi, Johanne Herefordenſi, Milone quondam Exonienſi & Johanne Bedfordenſi, lege quadam de hac re lata requiſitis, conſecratus eſt. In qua conſecratione haec ei obvenit commemorabilis felicitas; quod cum poſt Auguſtinum ſeptuageſimus Archiepiſcopus fuerit, ſolus tamen atque primus fuit, qui tota illa tam prolixa atque putida papali ſuperſtitione detracta, ſine bullata approbatione papae, otioſiſque pluſquam Aaronicis ornamentis, chirothecis, annulis, ſandalis, crepidis, mitra, pallio, ac ejuſmodi nugis, ſacrationem accepit: Multoque rectius & ſimplicius & puritati evangelicae congruentius auſpicatus eſt a precibus & invocatione Sancti Spiritus, manuum impoſitione, piis ab eo interpoſitis ſtipulationibus; in indumentis vero archiepiſcopali authoritati gravitatique conſentaneis; habitaque per doctum & pium theologum pro concione de Paſtoris in gregem officio, cura & fide, gregiſque viciſſim in Paſtorem amore, obſequio atque reverentia, diſerta admonitione: Eaque finita euchariſtiae a frequenti graviſſimorum hominum coetu perceptione; & ad extremum, omnium communi & ardenti oratione, ut munus jam illi impoſitum

poſitum maxime cedat ad Dei gloriam, gregis ſalutem ſuaeque conſcientiae laetum teſtimonium, cum coram Domino geſti muneris rationem ſit redditurus. Hoc tam felici auſpicio conſecratus reliqua pari pietate peregit. In quibus ordine narrandis, ut omnis turpis adulationis ſuſpicio vitetur, nihil cujuſquam auribus dabimus, quod non poſſumus veritati concedere. Lata lex eſt anno primo reginae ELIZABETH, ut ad negotia eccleſiaſtica per totum regnum caute atque ordine temperanda, judices quidam authoritate regia delegarentur; quibus omnium eccleſiaſticarum rerum moderatio, cum civilis & eccleſiaſticae coercitionis poteſtate, mandata fuit. Hi "Commiſſarii regii in eccleſiaſticis cauſis" dicebantur. His proſpiciendum fuit, cum pontificii inſidias aſſidue meditarentur, aliique Evangelium praetendentes novas ſectas & factiones excitarent; quidam etiam Evangelici ſatis integre & ingenue de fide ſentientes paulo eſſent fervidiores; tum litium in eccleſiaſtico foro ambages & infiniti pene circuitus mediocritatem aliquam & ἐπιείκειαν deſiderarent; ne in, tanta varietate atque diſſenſione, ſtabilienda religione ex motu atque diſcordia detrimentum eccleſiae vel reipublicae ſtatus ſentiat. In quo gerendo negotio MATTHAEUS, ut ordine ac dignitate primus, ita vigilantiſſimus ac moderatiſſimus habebatur; ut neque in tam ancipiti rerum ſtatu incommodi aliquid accidere poſſit, quod non praecaveret & anteverteret; neque quenquam de crimine poſtulatum nominatim laederet; aut verborum vel minarum atroci vehementia durius tractaret, aut aeſtu unquam aliquo in judiciis ferveret; quin ſumma temperantia & ſedulitate, judiciario ordine ſervato & crimine per legitimas probationes exquiſito, poenam tam delicto quam juri congruam graviter conſtanterque irrogaret. Quae judicandi conſuetudo non minorem ei gratiam & authoritatem, quam reipublicae pacem concordiamque conciliavit; nec ullis diſplicuit, praeterquam novitiis quibuſdam, opinione ſui inflatis, & temeritate magis quam judicio ad res novandas atque perturbandas concitatis. Quorum iniquiſſimas querelas & contumelias tam moderate tulit, ut neque a naturae ſuae tam placabilis ſtatu, neque ab archiepiſcopali dignitate quicquam diſcederet; neque vindictam de illorum levitate atque petulantia ſumeret. Quanta praeterea tolerantia fuit, ut ipſos reos & a vera religione degeneres lucrifaceret; quanta pietate, ut ob forenſes controverſias disjunctos & abalienatos nobiles, compoſitis ſine altercatione atque ſtrepitu cauſis, conciliaret; quanta patientia atque lenitate quorumcunque offenſas tulit, malitiam & audaciam plurimorum fregit, omnes integri ſanique judicii ſibi aſtrinxit; quicunque ejus conſuetudinem noverunt, aut judiciis ejus intereſſe ſoliti ſunt, ex multis ejus actis & exiſtimare facilius poſſunt & praedicare certius, quam nos ſcribere. Fuit idem in corripiendis & increpandis vitiis ſine immoderata ſaevitia, aut perſonae cujuſquam opprobrio, ſatis acris; ut correptum, in quo aliqua emendationis ſignificatio appareret, facile ad ſanitatem reduceret, magiſque vitii proprii pertaeſum, quam ſuae juſtae increpationis, redderet. Praeſentiam ſui atque copiam omnibus ſua deſideria etiam privatim exponentibus ſine mora & difficultate praebuit; fuitque in intelligendis atque percipiendis poſtulantium ſermonibus & mente ſagax, & oratione in reſpondendo placabili atque modeſta; ut quicquid vel conceſſiſſet vel denegaſſet, id aequitate magna fuiſſe vel ipſi poſtulanti videretur. Nullius unquam ſermonem, quantumvis in ſui juris petitione inconcinnum atque rudem, reprehendebat; quin operam magis dabat, ut ex uniuſcujuſque

juſque verbis proprium loquentis ſenſum colligeret, eique perinde jus congruenter redderet. Perorantem unumquemque attente audivit, niſi eſſet verboſior; neque dicentem de ſua re ullum interrupto ſermone turbavit. Quoties autem partes pertinacius in jure haerere, quam tranſigere malebant, aut quoties controverſia altiorem indaginem requirebat; in totius cauſae cognitione cautiſſimus fuit, ut omnia accurate & ad amuſſim deſcriberentur: In quibus item perpendendis atque repetendis diligentiam ſummam adhibuit, antequam quicquam decerneret atque pronuntiaret. His rationibus provinciam ſuam ſine ullo motu aut tumultu, qui ob profligatum papiſmum, ſaepe ab occultis conſpirationibus expectabatur, pacate & quiete in officio continuit. Et quamvis in tanta cauſarum litiumque varietate, in valetudine infirma ipſaque ſenectute, quae ipſa per ſe morbus eſt, ſumma animi cura & vigilantia jactatus ſit, quod ſtrenuum & valentem hominem labefactare cito poſſit; animo tamen invicto & indefeſſo ſuggeſtus ſacros crebro frequentavit; verbumque divinum, tam in eccleſia ſua cathedrali & metropolitica, quam in parochialibus permultis, diſerte explicavit. His igitur generaliter de eo explicatis, ſigillatim & ordine veniamus ad ea, quae ſuis temporibus acciderunt.

Hae conſecrationes & confirmationes in regiſtris apparent.

PRIMO conſecrationis ſuae anno Lamethae ſacravit undecim, & confirmavit duos, in ſua provincia Epiſcopos: Proximiſque duobus annis integrum numerum provinciae ſuae Epiſcoporum ſacrando complevit; praeterquam in ſede Landavenſi, ubi, ut ante diximus, ab omnibus reliquis eccleſiis amotis pontificiis, remanſit Antonius. Epiſcopi, qui primo anno ab eo conſecrati fuerunt, ſunt hi:

EDMUNDUS GRINDALL Epiſcopus Londinenſis; vir ſpectatae gravitatis atque prudentiae; quique in illa ad cauſas eccleſiaſticas regia delegatione plurimos diurnos nocturnoſque labores non minus diligenter quam feliciter exantlavit: Cujuſque ſeveritas in tanto negotio fuit neceſſaria; ut, qui placabilitate atque clementia adduci ad Dei atque legum ſervitium noluerunt, quique obfirmato animo in pertinaci ſententia ſtetiſſent, acriori caſtigatione compulſi durius tractarentur.

RICHARDUS COX Elienſis Epiſcopus, ſacrae theologiae profeſſor; vir in omni literarum genere verſatus; qui Edwardum regem ſub Henrico rege patre ante ab infantia bonis literis inſtituerat; quique Oxonienſis Univerſitatis antea cancellarius in ea regenda & in civili adminiſtratione peritum, & in omnibus humanitatis artibus ſacriſque literis copioſiſſime inſtructum, ſe oſtenderat.

EDWINUS SANDYS Wigornienſis Epiſcopus; qui ante in Academia Cantebrigienſi pontificias traditiones, multis diſputationibus in publicis ſcholis habitis, ſaepiuſque pro concione apud populum, acute atque diſerte refellit; & theologiam profeſſus magiſtratus academiales, procuratoris nempe & procancellarii, cum ſumma laude ordine geſſit. Hic, jam Epiſcopus Wigornienſis, in pontificiis e ſua parochia profligandis tam acris fuit atque vehemens; ut nullius unquam interceſſionibus aut precibus pro eis tolerandis potuit ſuperari.

JOHANNES JUELL Saliſburienſis Epiſcopus: Hic omnes a pontificiis contra rectum ſcripturarum ſenſum motas controverſias accuratiſſimo ſtudio inveſtigavit: Et ante ſuſceptum Epiſcopatum, pro publica frequentis populi

concione Londini in coemeterio Paulino pontificios de principalibus ſuis dogmatibus in apertum diſcrimen & aciem poſtulavit; eaque aſſeruit neque Scripturarum, neque patrum orthodoxorum, neque conciliorum quingentis poſt Domini aſcenſionem annis celebratorum, authoritate ſtare poſſe. Pontificii hac provocatione laceſſiti, libello Hardingi profugi nomine edito, decreta ſua a Juello convulſa defenderunt. Quae altera ſua reſponſione Juellus, jam Epiſcopus factus, oppugnavit, planeque evertit atque fregit. Extatque ea de re liber mira facundia totiuſque eccleſiaſticae doctrinae amplitudine atque copia refertus, ac vulgari ſermone divulgatus: Qui exquiſitiſſima pluriumque annorum lucubratione meditata pontificiorum argumenta, non conciſe ac jejune, ſed confluentibus atque cumulatis omnis eccleſiaſticae peritiae vetuſtatiſque rationibus, pleniſſime perfectiſſimeque diluit. Idem & eccleſiae Anglicanae apologiam Latina oratione non minus concinna & eleganti conſcripſit. Moribus commodis ac manſuetis fuit, ſuamque dioeceſim ſine contentione tranquille gubernavit. Poſt hos

Gilbertus Berkeley Bathonienſis & Wellenſis Epiſcopus, Thomas Bentham Lichfeldenſis & Coventrenſis, Rowlandus Mericke Banchorenſis, Thomas Young Menevenſis, Richardus Davyes Aſſavenſis. Omnes hi in theologia perdocti vitaque integri atque graves ab exilio, in quod in Mariae regno abierunt, reverſi ſunt. Deinde

Nicolaus Bullingham in jure civili & canonico primo inſtitutus, & regnante Edwardo Lincolnienſis Epiſcopi vicarius; deinde, cum in Mariae regno ab eo munere vacaret, theologia adjuncta, ob gravitatem placabilitatemque naturae, cum jam Matthaeus Cantuarienſis Archiepiſcopus eum ad ſua tribunalia moderanda deſtinaſſet, ad Lincolnienſem Epiſcopatum evectus eſt. Et

Edmundus Ghest, in ſacra theologia multo ſtudio magnaque laude verſatus, ex familia Cantuarienſis Archiepiſcopi & archidiaconatu Cantuarienſi, Roffenſi dioeceſi praefectus eſt. Hi duo in Anglia, regnante Maria & pontificiis dominantibus, latebras quaeſiverunt; eaſque, cum a pontificiorum exploratoribus vix tuto eſſe poterant, crebro mutaverunt. Eodem anno confirmati ſunt:

Gulielmus Barlowe, regnante Edwardo rege, Bathonienſis & Wellenſis Epiſcopus, ad Epiſcopatum Ciceſtrenſem poſtulatus: Et Johannes Scorye, a Ciceſtrenſi Epiſcopatu, quem eodem Edwardo rege geſſerat, ad ſedem Herefordenſem: Hi ambo, regnante Maria, cum aliis exulaverant. Proximo anno Lamethae conſecravit hos:

Robertum Horn Wintonienſem Epiſcopum, ſacrae theologiae profeſſorem. Hic Dunelmenſis decanus, inde in exilium actus, reverſus & reſtitutus, ante fuerat: Vir animo magno & ingenio profundo, & in olfaciendis adverſariorum technis non minus ſagax, quam in antevertendis evitandiſque prudens: In verbi praedicatione aſſiduus, & in diſſerendo promptus atque acris, fuit. Scripſit ſermone Anglico acute & copioſe contra Feckenhamum Weſtmonaſterienſem quondam abbatem de authoritate regia in cauſis eccleſiaſticis. Dioeceſim rexit ſumma ſeveritate, qua pontificios in ea occidui regni parte potentiores & praefractiores compeſcuit: Caeteros tamen ſedula quadam & exquiſita humanitate perbenigne ſemper tractavit. Gulielmum Alley Exonienſem, Johannem Parkurſt Norvi-

Ab An. Chr. MDLIX. — Ad An. Chr. MDLXXV.

Norvicenſem Epiſcopum, Thomam Davyes Aſſavenſem; Edmundum Scamblerum Petriburgenſem; qui domeſticus fuerat ejus capellanus: Richardum Cheyney Glouceſtrenſem; & Briſtolienſem commendatarium. Praeter hos ſex, confirmavit eodem anno, in Eboracenſi metropolitica eccleſia, Thomam Young Archiepiſcopum a ſede Menevenſi tranſlatum & Ricardum Davyes in ſede Menevenſi ab Aſſavenſi deductum.

SEDIBUS itaque Epiſcopalibus in provincia ſua jam completis, moritur Antonius Tavenſis, ſeu Landavenſis, Epiſcopus; qui a pontificiis, ut diximus, deſcivit & adhaeſit evangelicis. In cujus locum Hugo Jones legum baccalaureus ſucceſſit, Lamethae conſecratus. Itaque totus Epiſcoporum in Cantuarienſi provincia numerus, accepta a MATTHAEO Archiepiſcopo impoſitione manuum, perfectus atque completus eſt. Qua quidem in re, non minus felicia & inſignia MATTHAEI tempora fuerunt, quam in ſua, quam diximus, bene coepta & auſpicata inauguratione: Nam in priorum Archiepiſcoporum hiſtoriis memorabile ſcriptores referunt; ſiquis Archiepiſcopus tres vel quatuor confratres ordinaverit: Anſelmus perhibetur quinque, & ante eum Plegmundus ſeptem, uno eodemque die conſecraſſe. Hoc antiquitas mirabatur. At hic primo, ut patet, anno ſacravit undecim & confirmavit duos. Praeterea, tribus primis geſti Archiepiſcopatus annis totum numerum Epiſcoporum contumacia pontificiorum vacuum redintegravit: Quod, ex omnibus Cantuarienſibus Archiepiſcopis, huic ſoli uſu venit. Sed nec minus beatus in conficiendo illo numero, quam in ipſo delectu ac uniuſcujuſque Epiſcopi meritis & excellentia, fuit. E quibus nemo fuit, qui & diſerto ſermone & Scripturarum ſcientia Dei verbum diſerte eloqui, recteque ac prudenter diſtribuere, habita loci, temporis & auditorum ratione, non novit atque conſuevit. Sic itaque diſpoſitis per totius ſuae provinciae dioeceſes piis doctiſque Paſtoribus, ut de inferioribus provinciae ſuae membris certius perfectiuſque cognoſceret, inſtituit viſitationes: Suam autem Cantuarienſem dioeceſim ipſe peragravit. Et ut omnem lucri acquirendi ſuſpicionem averteret, procurationes viſitationis ratione pendi ſolitas & conſuetas parochis ipſis ſponte remiſit; & itinera ſingula ſumptibus ſuis confecit. In reliquis dioeceſibus aut non viſitavit, ne ſumptibus gravaret provinciales; aut viſitationem delegavit moderato alicui ſuo procuratori: Et procurationum emolumentum nunquam vendicavit; ſed, aut in Epiſcopum ſuo nomine viſitantem, cujus epiſcopales fructus tenues & exiles erant, contulit, veluti Epiſcopo Exonienſi; aut inter pauperes diſtribuit, ſicut in Norvicenſi viſitatione; aut non exegit omnino. Hactenus, quae in publicis rebus geſſit, explicuimus: Nunc de familia privatiſque ſuis actis dicamus.

An. 1563.

T. Stob. Hiſt. Ebor Archiep. in vita Gerardi cap. 49.

CONJUGEM privatus duxit Cantebrigiae, nomine Margaretam, lectiſſimam foeminam, omnibus corporis animique dotibus politam, viro morigeram, indulgentem atque obſequentem. Hanc conjugali fide & amore ſeptem annis ante contractas aut celebratas nuptias dilexit. Quod tempus mutuo utriuſque conſenſu datum eſt: Quia rex Henricus, pontificiis ſuadentibus, capite ſanxiſſet; ſi ſacerdotalis ordinis quiſpiam contraheret nuptias. Interea illa, ne importuniſſima quidem procorum turba, etſi ob illam ſanctionem vix ſpes eſſet cum MATTHAEO nubendi, abduci potuit, quin innupta manere voluit potius quam a fide data recedere. Sed poſtea,

Henrico

Henrico mortuo & ab Edwardo ſublata illa ſanctione conjugioque clericis permiſſo, matrimonio juncti ſunt: In quo, ſummo conjugali cultu inter ſe invicem praeſtito & obſervato, 21 annis una vixerunt. Ea, ut materfamilias, & ſatis frugi & ſatis lauta fuit; ita, cum ad archiepiſcopalem celſitudinem MATTHAEUS aſcenderat, ſedula fuit, ut in tanta dignitate, aucta familia, omnia ornate & munifice adminiſtrarentur. Id quod in omni domeſtico ſumptu & apparatu tam intelligenter & ad mariti normam tam exquiſite effecit; ut ejus opera & induſtria ſine honoris ſui, aut rei familiaris, incommodo gravioribus eccleſiae & reipublicae rebus commode vacare poſſit. Ex hac quatuor liberos procreavit: Quorum duo immatura morte ſublati ſunt. Superſtites habet Johannem & Matthaeum; juvenes humanitate, comitate, urbanitate, omnibuſque paternis materniſque moribus ornatos. Hos tam domi apud ſe, quam in Academia Cantebrigienſi, liberalibus artibus inſtitui accurate curavit. Cumque ad virilem aetatem perveniſſent ex Epiſcoporum fratrum filiabus eis matrimonia conciliavit. Major natu Johannam Richardi Cox Elienſis Epiſcopi, alter Franciſcam Wilhelmi Barlowe Epiſcopi Ciceſtrenſis, filiam duxit. Hos conjugatos, etiam poſt Margaretae ſuae mortem, de qua ſuo loco dicendum eſt, domi apud ſe MATTHAEUS tenuit: tum ut ſuo exemplo matrimonialia diſcerent obſequia; tum ut tam charae conjugis abductae deſiderium liberorum conſuetudine jucunda leniret: Quae res & illis ornamento & ſibi ſolatio fuit. In privatis enim ſuis rebus eos exercuit, eorumque opera uſus eſt, ut ad res apte poſtea gerendas aptiores faceret. Erantque non minus domeſticis atque famulis, quam advenis & peregrinis, chari atque grati: Quos frequenter accedentes atque decedentes comiter prudenterque tractabant: Hanc ex patris praeſcripto viventes collegerunt benevolentiam, patri honorificam, ſibique haereditariam. Famulatus hujus Archiepiſcopi copioſus & elegans fuit, decenti ordine diſtinctus atque diſtributus; & a juvenibus tam generoſis, quam plebeiis, tanto judicio ſumptus & completus, ut neminem domi ſuae aleret, qui Deum integre ac ſincere non coleret; quique praeter quotidianum ſervitium, in aliquo doctrinae vel artificii genere ad illa juvenilia otia, quae ad vitia proclives faciunt, tollenda non elaboraret. Itaque precibus communibus invocari Deum a ſuo toto famulatu in domeſticam capellam congregato indies, tam antemeridianis quam pomeridianis horis, voluit; quibus ipſe niſi magna valetudinis aut reipublicae abductus cauſa, ut ex ſe virtutem ſui diſcerent, ſemper interfuit. Abſentes autem ſine magna & neceſſaria cauſa ex ſuo familiae inſtituto increpati & prandio mulctati fuerunt. Quos etiam crebris divinis concionibus vel in capella, vel in eccleſia parochiali vicina, a ſuis capellanis, vel ab aliis praedicandi licentiam poſcentibus, de quibus ipſe periculum facere voluit, ſacro verbo frequenter inſtruxit. Miniſtri, per quos famulorum gregem in officio continuit, erant viri ornati atque graves. Capellanos a domeſticis ſuis muneribus & officiis removebat, eoſque ſacrarum literarum ſtudio, & verbi frequenti praedicationi, incumbere aſſidue volebat. Hic mos, in quotidianis familiae epulis, ſive a ſe inſtitutus ſive a majoribus acceptus, ſervabatur: Ut in aula menſas a dextris poſitas ſeneſchallus primo diſcumbens cum generoſioribus famulis occuparet; & ex altera parte eleemoſynarius cum clericis reliquoque famulatu ſederet. Quibus eſculenta, poculenta, omniſque generis victualia tam ſalubriter apparata tantaque copia refertis ferculis apponebantur; ut neque ad ſanitatem, ne-

que

que ad ſaturitatem, a quocunque deſiderari amplius poſſit. Idque quotidie indicabat, ſublatis epulis, inter mendicos ſumma fame ſitique laborantes fragmentorum ad portam facta diſtributio, quibus ipſi famelici ſaturati diſceſſerunt. Haec in aula quotidie celebrata lautities tanto ſibi laudi & ornamento fuit; ut quicunque, qui ſupra equeſtrem ordinem non fuiſſet, prandii vel coenae tempore acceſſiſſet; cum ſeneſchallo, vel eleemoſynario convivari e ſua dignitate atque animo potuiſſet. Ea praeterea ex Archiepiſcopi praecepto fuit miniſtrorum in excipiendis tractandiſque hoſpitibus comitas & affabilitas; ut convivali tempore praeſentes aut tranſeuntes, ad aliquam pro ordine atque dignitate ſua convenientem menſam, aſſumerentur. Sermo totius familiae convivalis nunquam fuit rixoſus aut contentioſus, ſed tranquillus & modeſtus, & plerumque de moribus ad religionem divinam formandis, aut de rebus honeſtis. Siquis aut altius loqueretur, aut in ſermonem parum honeſtum incideret; ei ſtatim ab aulae animadverſore acclamatum fuit ſilentium. Atque haec de conjugio, liberis atque famulatu ſuo: Nunc & alia pari brevitate perſtringamus.

POSTQUAM quatuor jam annos in Archiepiſcopatu ſediſſet, plurimaque ad religionem divinumque cultum in provincia ſtatuiſſet, primitias regiae majeſtati Archiepiſcopatus ſui perſolviſſet, rem totam familiarem compoſuiſſet, ſupellectili praeclara pro rei dignitate ornaſſet; cum a praeclaris rebus gerendis, natura totaque anteactae vitae conſuetudine, ceſſare non poterat; ſedis archiepiſcopalis Cantuarienſis palatium, celeberrimum illud quidem, antiquiſſimum & ampliſſimum, ſed ipſa vetuſtate ſua non modo caducum & ad ruinam propenſum, verum etiam igne deflagratum & in permultis aedificiis ſolo aequatum, voluit renovare & ad priſtinam magnificentiam reſtaurare. Opus ſane arduum atque ſumptuoſum : His praeſertim temporibus: in quibus, extenuatis & avulſis plurimis Archiepiſcopatus praediis atque facultatibus, omniumque aliarum rerum, tam ad victum quotidianum, quam ad aedificia extruenda neceſſariarum, aucta caritate, & opificum ſtipendiis longe quam unquam ante gravioribus, nihilominus familiae lautities amplificanda potius quam minuenda cenſebatur. Nulla praeterea lapidum, caementorum aut tigni copia, ei aut a praedeceſſoribus relicta fuit, aut aliunde miniſtrari ſine grandi pecunia potuit: Ut permulti his incommodis deterriti ad demoliendas, quam aedificandas, epiſcopales aedes eſſent paratiores. Sed ille abduci a tam praeclaro propoſito nulla difficultate potuit, quin opus tantum aggreſſus ad exitum finemque perduxit. In hoc opere mille quadringentas amplius libras expendit. Quos ſumptus eo fecit libentius, quod acceperat, anno 1519 Carolum quintum imperatorem, cum in Angliam ad Henricum octavum regem, Catharinae reginae amitae ſuae viſendae gratia, veniſſet, regalibus epulis ſediſſe & magnificis triumphis in eadem aula delectatum. In quo convivio Carolus cum ſuis miniſtris & ſatellitibus ſuperiorem, Henricus rex cum regina & proceribus inferiorem, aulae partem tenebant. Maxima vero tuendi atque conſervandi tanti palatii amplitudinem & majeſtatem ei cauſa fuit, frequentes anteactae regum atque reginarum coronationes, atque Archiepiſcoporum Cantuarienſium inthronizationes, ibi exquiſitiſſimis conviviis & celeberrimo nobilium & generoſorum concurſu, & infinita reliquorum turba, ſaepiſſime celebratae. In quibus etiam,

maxima nobilitate illuſtrati quondam proceres, duces atque comites, ſeneſchalli atque pincernae munera gerebant, annuis praemiis atque largitione tanto Archiepiſcopo tantiſque viris digna retributi. Ut pridem anno ſalutis 1504. cum Wilhelmus Warham Archiepiſcopus Cantuarienſis Archiepiſcopatus thronum & poſſeſſionem ingrederetur, inſtruxit ingenti ſumptu & apparatu convivium: In quo ampliſſimus dux Buckinghamiae Edwardus ei, ut ſeneſchallus, miniſtravit & domeſticae ſuae catervae praefuit. Quarum memoriam, ex hac ſuae veteri pulchritudini reſtitutione, in eo palatio retineri voluit. Hoc autem opere perfecto, cum ex terrarum permutationibus, quas Henricus rex cum Thoma, & regina ELIZABETH ex legis, anno regni ſui primo, ea de re latae vigore, archiepiſcopali ſede vacante, fecerant, decimas plurimaſque rectorias accepiſſet; earum omnium eccleſiarum parochialium, in quibus decimas percepiſſet, choros vel lapſos, vel ruinam minantes, magnis ſuis ſumptibus reparavit. Et quamvis illos affluentes & nimios inthronizationis ſuae ſumptus in hac inopia & exilitate conſulto omiſit, ſicut & permulti ante eum Archiepiſcopi & Reginaldus Polus, qui eum proxime anteceſſit, fecerunt; his tamen tam magnis ſic expeditis ſumptibus, ut in aere non eſſet cujuſquam alieno, ſecumque conſideraſſet non aliam fuiſſe tam ingentis extruendi olim palatii cauſam, quam hoſpitalitatis & munificentiae; rationem ſecum inivit, quo pacto ad veteris benignitatis liberalitatiſque exemplum, multitudini Cantiorum parochianorum ſuorum copioſae convivium archiepiſcopale & tanta ſtructura dignum exhiberet. Itaque anno altero poſt inſtaurationem palatii, pro toto Cantii comitatu, cum tam civilium quam criminalium & capitalium judiciorum comitia haberentur Cantuariae; quo neceſſe erat tam generoſos, quam magnam plebeiorum multitudinem convenire, magnaque etiam ignobilis turba, ut in ejuſmodi ſolent conventibus, ultro confluxerat; captavit occaſionem, ut aulam, jam renovata veteri pulchritudine, tam longe lateque patentem hac multitudine dapibuſque refertis & exquiſitis repleret. Haec judicia "Aſſiſas" Angli vocant, quae in ſingulis regni comitatibus bis annuatim a circulatoribus, ſeu itinerantibus judicibus expediuntur. In Cantio autem judices tum erant Johannes Southcote, unus ex his, qui in foro, quod "Regium "Bancum" appellatur, de capitalibus criminibus aliiſque noxis cognoſcunt; & Gilbertus Gerardus Armiger, generalis regiae celſitudinis procurator; eodemque anno Thomas Kempe eques auratus vicecomes fuit; cujus munus eſt ſontes & reos comprehendere, & in vinculis vel ſub cuſtodia ad quaeſtiones atque poenas reſervare. Hos ad ſe cum generoſis vocatos rogavit, ut huic a ſe indicto convivio intereſſent: Quod cum conceſſiſſent, reliquam multitudinem per praecones & nuntios convocavit. Deſtinato convivii die, aula vaſis aureis & argenteis, menſiſque Batavis ornatis tapetibus inſtructa, ſplendida fulget. Aderant judices & vicecomes cum equitibus, advocatis, & aſſeſſoribus, & reliqua procuratorum atque leguleiorum turba ſtipati: Totaque plebs confertim ingreſſa eſt: Conviviſque ex ſua dignitate per menſas ſingulas ordine diſtributis, delicatiſſima cujuſque generis cibi potuſque genera ab Archiepiſcopi famulis, qui ſoli miniſtrabant, adhibebantur. Convivarum autem accubationes ob eorum multitudinem crebro iterabantur; ſed his publicorum judiciorum temporibus, foeminis in interiora palatii loca ad lectiſſimam ſuam conjugem receptis, convivium ex viris conſtabat. Alias enim, ut mox dicemus, viros

viros & uxores conviviis suis adhibebat. Quod quidem convivium ob dapium copiam ac delectum, ejusque ordinem, affluentiam, administrationem, & gratissimum erga suos Cantios omnium ab omnibus ordinibus summa humanitate acceptum, crebrisque sermonibus repetitum est. Hac autem epulari comitate, pari multitudine ac frequentia, etiam alias usus est. Sed, quia jam omnium ordinum per totum Cantium conventus & concursus factus est, haec celeberrima & abundantissima visa est. In festo enim Pentecostes antecedente, Archiepiscopus ad clerum & populum civitatis Cantuariensis de verbo Dei in ecclesia sua metropolitica habuit orationem e suggestu: Qua finita, & sacra synaxi participata, a decano atque clericis, a praetore civibusque illius urbis nonnullisque viris comitatus Cantii generosis, ad prandium & convivium invitatis, domum deductus est. In his epulis, quae triduo duraverunt, Archiepiscopus in medio ad supremam mensam sedebat: A cujus dextris urbanus praetor atque viri ex una parte, eisque e regione foeminae ex altera parte, decumbebant. Reliquas in aulae longitudinem porrectas mensas viri a dextris & mulieres a sinistris occupabant: Ut convivarum accubatio, instar virorum atque foeminarum ex adverso & regione collocatarum linearum, videri possit. Quam accumbendi rationem in honorem regiae majestatis statuit; quod sub ea regni domina, a pontificiorum minis ac saevitia liberatus, ad archiepiscopale culmen pervenisset. Eundem etiam convivii morem in festo sanctae & individuae Trinitatis, in illustrissimi regis Henrici octavi memoriam, ultimi ecclesiae Cantuariensis instauratoris, morumque atque rituum ecclesiasticorum optimi censoris, servavit. Quo die pro populi concione, edito verbo Dei, Archiepiscopus in sacra synaxi mysticum panem populo distribuit; & ad suum palatium a clero atque populo Cantuariensis civitatis ad epulas praefatas ductus est.

Anno Domini 1566. consecravit

Nicolaum Robinson, sacrae theologiae professorem, Episcopum Bangorensem; virum prudentem, & illis humanioribus literis atque theologia non minus excultum, quam Latina patriaque lingua facundum. Hic a Cantebrigiensi Academia profectus, ubi in Mariae regno multas a pontificiis illatas calamitates passus est, hujus Archiepiscopi domesticus capellanus fuit. Anno Domini 1567. confirmavit

Hugonem Curwen, legum doctorem, Oxoniensem Episcopum. Hic Dubliniensis in Hibernia fuit Archiepiscopus, illiusque insulae cancellarius: Vir in jure civili peritus. Cumque eo munere multis annis praeclare functus esset, senectute jam ingravescente, patriam repetiit; & reginae Elizabethae gratia ad Oxoniensem Episcopatum translatus est. Anno Domini 1569. consecravit

Richardum Rogers sacrae theologiae baccalaureum, Episcopum suffraganeum Dovoriensem.

Anno Dom. 1570. rediit Cantuariam, & die Ascensionis in ecclesia metropolitica Cantuariensem populum atque clerum divino sermone pavit: Dieque Pentecostes biduoque sequenti lautum convivium in aula palatii, eo quem supra descripsimus ordine, civibus Cantuariensibus utriusque sexus exhibuit.

Eodemque anno, praedecessorum suorum vetus exemplum longaevo tempore intermissum in sacrandis Episcopis renovavit. Cum enim antiquitus

ad

ad metropoliticam eccleſiam Cantuarienſem, ex jure atque privilegio, Epiſcopi acceſſiſſent conſecratum; hic mos deſuetudine pene amiſſus eſt. Itaque cum Edmundus Grindall Londinenſis Epiſcopus, de quo antea diximus, ad Archiepiſcopatum Eboracenſem poſtulatus, & Richardus Curteys, Epiſcopus Ciceſtrenſis electus, eſſet; hujus conſecrationem & illius confirmationem ex veteri more atque jure voluit Cantuariae celebrari. Itaque in feſto Trinitatis, in quo Richardus Curteys, qui etiam fuerat capellanus ſuus, gratis ſine debita & conſueta remuneratione conſecratus eſt, verbo divino per Cantuarienſem decanum, virum doctum & facundum, e ſuggeſtu praedicato & coena Domini celebrata; in memoriam illuſtriſſimi antedicti regis Henrici octavi, qui illam eccleſiam excluſis monachis reformavit, convivium in aula palatii magnifice atque ſplendide apparatum celebravit. Hoc convivium merito ſuo archiepiſcopale dicendum eſt; quia ab Archiepiſcopo Cantuarienſi Archiepiſcopus Eboracenſis invitatus eſt. Intererant autem huic convivio praeter Eboracenſem, Robertus Horn Wintonienſis Epiſcopus & Edmundus Gheſt tunc Roffenſis, necnon Richardus Curteys Ciceſtrenſis jam conſecratus; Qui, cum illius civitatis convivis honoratioribus, ſuperiores ante menſas occupabant: Reliquae menſae a toto eccleſiae metropoliticae clero, adhibitis etiam cujuſcunque generis illius eccleſiae miniſtris & hominibus ipſiſque adeo pueris, tenebantur; ut illius inclytiſſimi regis Henrici octavi tam ſanctum piumque inſtitutum memoria renovarent atque conſervarent. In remotioribus autem atque ima aula poſitis menſis utriuſque ſexus pauperes, ex hoſpitiis ſancti Johannis & Herbaldowne vocati, ſedebant: Ut eorum inter epulandum intuitu & aſpectu hi Archiepiſcopi & Epiſcopi ad ſummum dignitatis gradum ex magnis calamitatibus perducti tam miſericordis Domini, qui eos liberavit, meminiſſe poterint.

Die vero ſequenti, qui fuit dies Lunae, in eccleſia metropolitica Cantuarienſi Edmundum Grindall Eboracenſem Archiepiſcopum confirmavit & in ſuae ſedis poſſeſſionem induxit, in copioſa ſpectabilium virorum praeſentia, & adhibitis Roberto Horn ac Edmundo Gheſt Wintonienſi atque Roffenſi Epiſcopis. Hic Edmundus Grindall in Academia etiam Cantebrigienſi & aula Pembrochiana, cujus ruſtica praedia collegii Corporis Chriſti, unde Matthaeus profectus eſt, praediis adjuncta ſunt, Edwardi regis ſexti temporibus, tempore, aetate atque gradu minor vixit: Sed percommode & opportunum accidit reipublicae, ut reginae Elizabethae tempore utrique eundem pene gradum archiepiſcopalem ſcanderent.

Eodem anno, tertio die menſis Julii, viſitationem ſuam ordinariam, precibus in metropoliticae eccleſiae choro perlectis, concioneque per capellanum quendam ſuum habita, in domo capitulari praeſentibus tam decano atque clero quam permultis oppidanis inchoavit: Eandemque, multis intermiſſis continuationibus, in viceſimum ſecundum ejuſdem menſis diem diſtulit: Quo die injunctiones ſalubres, multiſque de cauſis populo atque clero Cantuariae ſuae dioeceſis neceſſarias, promulgavit, eiſque ſervandas tradidit. Haec ultima fuit ſuae viſitationis ſeſſio; quamvis eandem in feſtum Purificationis beatae Mariae prorogavit.

Undecimo autem dicti menſis die, cum judices, de quibus ante dictum eſt, & vicecomes, atque cum generoſis plebs ad ea judicia, quas "Aſſiſas" vocant, Cantuariam adveniſſent; edidit rurſus in aula ſua palatina eodem

dem ordine eademque celebritate, quam ſupra retulimus, magnifice inſtructum & apparatum convivium.

DIEQUE Jovis ſequenti, Edwinus Sandys a Wigornienſi ſede ad Londinenſem poſtulatus Cantuariam venit ad Archiepiſcopum viſendum: A quo perbenigne ac liberaliter exceptus eſt. Ibi cum bidui moram feciſſet, die ſabbati diſceſſit mane, procuratoribuſque pro eo intervenientibus, eodem die poſtulatio ſui Londini confirmata eſt. His Cantuariae negotiis finitis ea urbe decedit, & cum toto ſuo famulatu ad **Sittingborne** profectus eſt. Poſtridie ad **Gravesend** meridie venit. Ibi pranſus per Thameſim fluvium ſuas aedes, Lamethae poſitas, cum tota familia ſalvus lintribus perductus eſt.

SED ejus reditus fuit hac cauſa triſtiſſimus; quod brevi poſtea ad dilectiſſimae ſuae conjugis funera venit. Cujus mors ideo fuit illi acerbior, quod ejus erga ſe intimum ac conjugalem amorem tam in ſecundis quam adverſis rebus perſpexerat: Fuit enim eo ſemper muliebri obſequio atque verecundia; ut Ridleius Londinenſis Epiſcopus, de cujus vita & martyrio in Cranmeri narratione dictum eſt, quanquam ex profeſſo coelibatum ſequutus abſtinuit a nuptiis, tamen accedens Cantebrigiam, cum jam Londinenſis eſſet Epiſcopus, cum ſaepius ad collegium Corporis Chriſti a MATTHAEO, qui tum ut diximus ei praefuerat, invitaretur, perſpecta in muliebri venuſtate tanta gravitate atque prudentia, quaſi MATTHAEI gratulans nuptiis ſibique quaerens ſimiles rogavit; "An ſororem haberet "ſibi ſimilem"? Deinde, ſequutis illis conjugato clero Mariae aerumnoſis temporibus, tanto fuit ſolatio marito; ut omnium dignitatum & poſſeſſionum amiſſionem ne moleſtam quidem ejus conſuetudine ſibi putavit. Educavitque tum ea felicitate liberos; ut quanquam inviſum tum eſſet ſacerdotis dici aut haberi filius; hos tamen a tam prudenti matre tam pie & liberaliter educatos ipſi pontificii, infeſti ſacerdotum nuptiis, adamarent. Nec minus in adverſis conſolatrix, quam in ſecundis adjutrix, marito fuit: Quicquid enim magnifice atque excelſe agere voluit, ad quod natura & conſuetudine ſua ſemper propenſus fuit; illa eum conſilio, opera, totiſque ſuis viribus juvit; ut in his ſplendidis egregiiſque conviviis atque ſtructuris: In quibus tranſigendis ei, cum marito ſemper conſentienti conjugi, neque voluntas defuit neque induſtria. Sed hanc decimo ſeptimo die Auguſti ex Dei voluntate, cum unum ſupra quinquaginta annos vixiſſet, "diſſolvi oportuit & eſſe cum Chriſto". Quod & ipſa optavit antea ſaepius; noviſſimeque, cum Cantuariam reliquit, quaſi non reditura, Lametham profecta eſt. Quo cum perveniſſet, correpta communi, quae per populum ferebatur, febri in aegritudine tolerans, de reſurrectione atque vita aeterna certa, animam cum gaudio Deo creatori efflavit decimo ſeptimo Auguſti die, hora meridiana duodecima. Corpus ejus jacet An. 1570.
intra eccleſiae parochialis parietes Lamethae in ſacello, cujus jus ad aedes Norfolcienſium ducum pertinuit; quarum ipſa legitimam permiſſu viri haereditatem viva nacta eſt. Ejus tumulo hanc aureis literis inſculptam ſententiam illi & ſibi, in ſpem reſurrectionis, maritus poſuit:

QUI CREDIT IN ME NON MORIETUR IN AETERNUM.

EODEM etiam anno Nicolaum Bullingham legum doctorem, a ſede Lincolnienſi poſtulatum, in Wigornienſi Epiſcopatu confirmavit viceſimo

ſexto die Januarii. In cujus locum Thomam Cowperum ſacrae theologiae profeſſorem, Lincolnienſem Epiſcopum Lamethae conſecravit viceſimo quarto Februarii. Hic Thomas Magdalenenſis ludimagiſter Oxonii diu tenui fortuna fuit; ſed ob linguae Latinae atque humanarum artium peritiam in ſumma omnium eruditorum benevolentia laudeque vixit. Eaque fama ac celebritate reginae notus collegii Chriſti Oxonii, & eccleſiae cathedralis Gloceſtrenſis, decanus conſtitutus eſt. Tum procancellarius Oxonienſis Academiae ab illuſtriſſimo comite Leiceſtrenſi ejuſdem Academiae cancellario deputatus; & a privata vita ad publicum gerendum magiſtratum perductus proverbium illud exemplo probavit ſuo; "Magiſtratum virum "indicare". Quem tanta prudentia geſſit, ut latentem ibi pontificiam factionem extirparet atque profligaret, & permultos ad theologiae ſtudium incenderet; deſides vero & luxui deditos penitus exterminaret & abigeret. Idemque ſuſcepto miniſterio, diligentiam, facundiam & ſcientiam, ſummam in divino verbo declarando oſtendit. Poſt hunc conſecratum, Wilhelmus Bradbridge ſacrae theologiae profeſſor, decanus Saliſburienſis, Exonienſis Epiſcopus decimo octavo menſis Martii eodem anno Lamethae etiam conſecratus eſt.

His tam doctorum patrum conſecrationibus & confirmationibus cum ſibi feliciſſimus MATTHAEUS viſus eſt; accidit ei ſubita & inexpectata calamitas ex chariſſimi ſui fratris Johannis Juell, Saliſburienſis Epiſcopi, immatura morte. Hic, accepta ab Archiepiſcopo MATTHAEO Briſtolienſis dioeceſis jam vacantis viſitandae poteſtate, cum jam eſſet in itinere, in quadam Wiltonienſis comitatus villa, quae **Moncton-Farley** nuncupatur, tredecim mille paſſibus a Briſtolia diſtante, viceſimo tertio Septembris 1571. obiit. Pridieque in altera domo ſua, cum aeger eſſet, teſtamentum ſuum reſcribi atque confirmari juſſit. In quo vere teſtatur, conſcientia ſibi teſtimonium perhibente, quam vigilantem & perpetuam operam in Chriſti Evangelio propagando poſuerit; ſpemque certam ſe habere, operas & vigilias ſuas populo chriſtiano acceptas & gratas fore. De hujus ſcriptis operibus antea diximus, quibus memoriam atque deſiderium ſui reliquit poſteris. Et quanquam nobis immortalitate dignus viſus ſit; illa tamen ſumma dies atque mors omnibus hominibus ſine ullo diſcrimine, tanquam inevitabile fatum, conſtituta eſt. Nam ut unus eſt ad vitam omnibus ingreſſus, ſic ſimilis omnibus exitus: Doctuſque pariter ac indoctus juxta humanae naturae morem moritur. Sed hic, ut carnem Deo placens ſuſtinuit, ita eandem hilariter fidenterque diſſolvit, divina fretus miſericordia, cui ſe ex imo commiſit pectore; ut in ejus ſinu & amplexibus perenni nec unquam deſitura laetitia frueretur.

MATTHAEUS, cum ab iſtius Juelli moerore aliquandiu recrearetur, animum ad reparandas & ornandas ſuas aedes Lamethae adhibuit. Itaque eodem anno magnam illius domus aulam ſcindulis retexit: Pontem oblongum & in Thameſim fluvium porrectum, quo lintres appellere ſolent, ex integro confecit: Solarium inſigne & elaboratum in horto poſitum, Thomae Cranmeri quondam Cantuarienſis Archiepiſcopi ſumptibus, & Johannis Poyneti ſacrae theologiae profeſſoris Wintonienſis Epiſcopi, qui regno Mariae Argentorati 1556. in exilio obiit, peritia olim fabricatum, & diuturnitate pene deletum ad veterem formam artemque reſtituit. Duos aquae hauſtus, unum in horto, alterum ad communem familiae uſum, in interiori clauſtro ſitum, refecit. Eodemque anno novam pla-

team

team ab occidua Templi beatae Mariae parte, ad publicarum ſcholarum portas, recta ductam & pavimentis ſterni, & muris lateritiis ex utraque parte extructis muniri, Cantebrigiae procuravit. Quo etiam anno, menſe Decembri

Edmundum Ghest Epiſcopum Roffenſem, & Cantuarienſis Archidiaconatus commendatarium, ad Sariſburienſem Epiſcopatum poſtulatum Lamethae confirmavit. Et quia archidiaconus Cantuarienſis, cujus munus eſt Epiſcopos conſecratos in Epiſcopatus ſui poſſeſſionem inducere, eſſe jam deſiit; ab eodem Archiepiſcopo per procuratorem inductus eſt. Poſtea vero eodem loco, nono die Martii, qui fuit dominicus dies quadrageſimae tertius,

Edmundum Freake ſacrae theologiae profeſſorem, Sariſburienſem decanum, virum pium, doctum atque gravem, conſecravit Roffenſem Epiſcopum: Qui in dicti Epiſcopatus poſſeſſionem per procuratorem introductus eſt. Huic conſecrationi Robertus Wintonienſis & Edmundus Sariburienſis Epiſcopi interfuere.

Anno Domini 1572. cum inter caeteras graviſſimas occupationes, in quibus aſſidue continenterque verſatus ſit, ne ab aedibus ſuis tuendis atque reficiendis poterat ceſſare; Lamethae ſubterraneos canales, quibus illius domus ſeceſſus omnes atque infimae ſentinae ab omni faece atque ſorde ſingulis Thameſis fluentis ac refluentis viciſſitudinibus perpurgantur, abſtergi & mundari fecit. Cujus rei ſumptus, etſi magnus fuit, tamen ad influentis aquae ingreſſum atque receſſum, illiuſque domus ſalubritatem amoenitatemque profuit.

Hoc autem loco non eſt ſummo ſilentio pertranſeundum; qua comitate atque munificentia ipſos adverſarios alioſque, qui in ſuam cuſtodiam reginae praecepto traditi eſſent, ſemper excepit atque tractavit. Adverſarios ſine lucta vel acri contentione, lenitate atque benignitate ſua ſolita, prudenti uſus raroque ſermone a quibuſdam hiſque maximis erroribus papiſmi avertit, peneque in evangelicam traduxit ſententiam. Dati a regia majeſtate ſunt in ejus cuſtodiam, ob praedicti juramenti recuſationem atque contumaciam, viri ex pontificiis lectiſſimi hi:

Cuthbertus Tonstallus Dunelmenſis Epiſcopus; quo nemo omni diſciplinarum genere doctior, aut in jure civili pontificioque peritior, aut in civili adminiſtratione prudentior, in Anglia fuit. Idem Cuthbertus, antea juvenis ex Academiae Cantebrigienſis ſpatiis ad Warhamum quondam Cantuarienſem Archiepiſcopum eductus, ejuſque vicarius in ſpiritualibus generalis, fuerat; ab eoque Henrico regi octavo quaſi manu deductus atque traditus. Cujus crebras legationes, ſumma fide & prudentia ad pleroſque chriſtiani orbis principes, tanta laude & celebritate obiit, ut fama ubique notus & pervulgatus fuerit. Rex eum primo archivis ſuae cancellariae cuſtodiendis atque proferendis praepoſuit: Quem qui gerit magiſtratum, "Magiſter ſeu Cuſtos Rotulorum" appellatur. Deinde ad Londinenſem Epiſcopatum evexit; & ab eo demum ad Dunelmenſem tranſtulit. Hic, opera Matthaei, a multis papiſticis nugis, quas Maria regnante ſequutus eſt, prorſus abductus fuit; papalemque tam ambitioſe dilatatam potentiam plane a chriſtianorum cervicibus depellendam, & ſuae, nempe Romanae, urbis atque dioeceſis finibus concludendam, affirmavit. Id quod ante Henrico rege regnante, qui primus eandem potentiam labefactavit

regnoque

regnoque ejecit, vehementiſſime doctiſſimeque pro concione ſuaſit; ſcriptiſque ad Reginaldum Polum, tunc papae cauſa in Italia profugum, poſtea cardinalem & Cantuarienſem Archiepiſcopum, eruditiſſimis ea de re literis, quid divino verbo conſentaneum ſenſerat, declaravit. In articulis tamen quibuſdam eccleſiaſticis adhuc firmiter haeſit; etſi clericorum conjugia lege divina licita ac permiſſa ſtatuerit. Hic in ſumma ſenectute Lamethae in archiepiſcopalibus aedibus mortuus eſt, & in choro parochialis ejuſdem eccleſiae, MATTHAEI ſumptibus, honorifice humatus in pulvere jacet.

THOMAS THYRLBY Elienſis Epiſcopus; qui tam ex jure quam ex uſu rerum diuturno, multis obeundis legationibus, prudentiam & experientiam ſummam collegiſſet; in Academia Cantebrigienſi, ubi & natus eſt, literis & jure in aula Trinitatis inſtitutus, & collegii ſocietate doctoriſque gradu donatus, ad Henrici regis ſervitium evocatus, ab eo Weſtmonaſterienſis Epiſcopus creatus eſt: Ac deinde ad Norvicenſem traductus. Poſtea regnante Maria, quae eum intimis regni conſiliis adhibuit, ad Elienſem Epiſcopatum tranſlatus eſt. Cum hoc una MATTHAEI cuſtodiae datus eſt

JOHANNES BOXALL ſacrae theologiae profeſſor ab Oxonienſi Academia e Novo Collegio profectus: Decanus tam Petriburgenſis quam Norvicenſis eccleſiae, & reginae Mariae pariter ſecretarius atque conſiliarius fuerat: Qui etſi in luctuoſo illo & calamitoſo Mariae regno authoritate ſumma atque gratia valeret, tamen a crudeli Chriſtianorum mactatione & manus & conſenſum cohibuit. Ideoque MATTHAEUS eum in ſua jam poteſtate poſitum ſumma humanitate tractavit. Inerat enim ei tanquam a natura ingenita modeſtia comitaſque ſumma, qua quoſcunque notos ad ſe diligendum aſtrinxit. Obierunt in hac cuſtodia utrique: Ille in choro eccleſiae parochialis Lamethanae ſepultus eſt: Hic jam aeger & febri quaſſatus ad familiarem quendam ſuum Londinum migravit: In cujus aedibus paulo poſt ex eadem febri interiit. Hos tres MATTHAEUS non minus honoris cauſa, quam quod viri tanta dignitate & doctrina eminentes, manſuetudine naturaeque placabilitate tanta eſſent, ut eorum conſuetudine delectaretur, ſuae menſae epulari convivas ſaepiſſime eſſe voluit aſſiduos. Ob ſimilem etiam pontificiam pertinaciam

RICHARDUS SMITH theologiae profeſſor, ejuſdemque regius Oxonii praelector, necnon doctor Treſham Oxonienſis Academiae procancellarius, in ejus cuſtodiam a regina poſiti ſunt. Richardus Smith in ſacerdotum conjugia libro ſcripto typiſque divulgato acerrime debacchatus eſt: Quem librum permultoſque alios errores pontificios, cum MATTHAEI ſuaſionibus reſipuiſſet, deteſtatus eſt. Eamque deteſtationem Oxonii in illa ſchola, in qua theologiam publice prius docuerat, promulgavit; ac librum eum exercendi oſtentandique ſui ingenii cauſa temere conſcriptum affirmavit; petiitque ut, ſi qui de illis dogmatibus, quae ille diffitebatur atque revocabat, dubitarent, ad ſe accederent: Paratum enim atque inſtructum jam eſſe omnibus, qui quacunque dubitatione a vero perſpiciendo retardarentur, optimis rationibus ſatisfacere. Doctor Treſham fidejuſſoribus datis, ne quicquam dicto aut facto in receptum religionis ſtatum committeret, e cuſtodia relaxatus ſuaeque libertati permiſſus eſt. Praeter hos & alii pontificia caecitate depravati MATTHAEO non tam in cuſtodiam, quam in diſciplinam atque curam, a regina traditi ſunt.

EDWARDUS

EDWARDUS RICAEUS armiger, qui Marianis temporibus gratia atque potentia in aula multum floruit: Quem in pontificia ſententia pertinacem peneque praefractum tam comiter leniterque MATTHAEUS ita ab illo errore deflexit & avertit, ut lacrymis eum abunde deploraret, & ad veritatem rediret. Itaque cuſtodia ſolutus & ad ſua reverſus eſt.

HENRICUS HOWARD Thomae Norfolcienſis quondam ducis frater, tum cum dux capite damnatus plectebatur, reginae juſſu MATTHAEO commiſſus eſt. Quem non modo ob familiae gentiſque nobilitatem, ſed ob indolem ac doctrinam, quam in Academia Cantebrigienſi magna ſedulitate & diuturno ſtudio adoleſcens acquiſierat, perhonorifice ſemper cum ea, qua decuit, cautione obſervationeque tractavit. Id quod in omnibus ſuae cuſtodiae commiſſis ſemper proſpexit; ut pro perſonae cujuſque dignitate ſingulis non modo commoda atque neceſſaria, ſed exquiſita lautaque, adminiſtrarentur gratis. Tum duodecimo Aprilis, anno Domini 1573. illuſtris baro, ſed aetate minor,

DOMINUS STOURTON, quem pontificii ad patriam pene deſerendam abduxerant, in cuſtodiam ei datus eſt. Hunc, quia ea aeſtate regina Cantium peragravit & MATTHAEUS Cantuariam profectus eſt, ſecum in eo itinere duxit atque reduxit. De qua Cantiana peragratione ejuſque ordine atque forma, ut poſteritati rerum anteactarum memoria in ſcriptis monumentis reſervetur; ex earumque comparatione quid ſequendum fugiendumque ſit animadvertatur; opportunum eſſe ducimus hoc loco declarare.

DECIMO quarto igitur die Julii, qui dies Mercurii eo anno fuerat, regina ELIZABETHA ab aedibus ſuis Grenovici diſceſſit & Croidonam profecta eſt. An. 1573.
Ibi cum ſua familia in domo Cantuarienſis Archiepiſcopi ſeptem dies permanſit; indeque Orpingtonam migravit ad aedes Percivalli Hart militis; in quibus cum triduo permanſiſſet, ad ſuas aedes Knollae conceſſit. In illis quinque diebus morata venit Birlingam, triduoque baronis Abergavenenſis hoſpitio uſa, calendas Auguſti, ad alteras ejuſdem baronis aedes Eridgae poſitas acceſſit; a quibus poſt ſex dierum moram Bedgeburiam ad domum magiſtri Culpeperi pervenit; indeque poſtridie Hempſtedam ſe contulit a magiſtro Guilford, milite paulo poſt creato, hoſpitio excepta; triduoque ibi peracto venit Riam maritimum in Suſſexia oppidum atque portum; ad quem ante illum diem, nunquam regem aut reginam perveniſſe ridicule aiunt; elapſoque ibi triduo Siſinghurſti in aedibus magiſtri Bakeri, quem equeſtri poſtea dignitate affecit, alterum triduum contrivit: Tum decimo ſeptimo Auguſti, qui dies Lunae fuit, a magiſtro Thoma Wotton, in villa quae Bocton Maleherb dicitur, hoſpitio lauto excepta: Poſt biduum ad aedes magiſtri Tufton Hotheſildae profecta eſt; alteroque illic tranſacto biduo ad domum ſuam Weſtenhanger, quae domini baronis Buckhurſt cuſtodiae committitur, pervenit: In ea quatriduum conſumpſit. Tum cum ad Doveriam feſtinaſſet, in itinere in caſtello Sandownenſi pranſa Folkeſtonam montem conſcendit. In quo monte Archiepiſcopus Cantuarienſis, qui tum Beakeſkbornae morabatur, & dominus baro Cobham maritimis portubus praefectus, cum magno famulitii ſui grege ſuae majeſtati obviam ibant. Militeſque atque generoſi Cantiani amplius trecenti cum famulorum equis inſidentium turmis ac catervis eo convenerunt. Quibus a montis Folkeſtonae faſtigio fere ad Doveriae oppidi fines late di-

ſtinctis & extenſis regina ad Doveriam tranſiit. In cujus finibus ſummus oppidi magiſtratus, quem "Majorem" vocant, & jurati trecentis armatis militibus comitati, reginam excepit & ſub noctem ad Doveriam perduxit. Interea frequentes tormentorum ictus ex caſtro, navium ſtatione & aliis arcibus emiſſi tanquam tonitrua in aere reſonabant. Hic adventus die Martis, qui viceſimus quintus Auguſti fuit, Archiepiſcopi, nobilium, generoſorum ac militum Cantii, tum frequenti multitudine celebrabatur. Doveriae itaque ſex dies permanſit. Tum Sandwicum venit; ibi a Majore ac juratis ſatis laute excepta peregit triduum. Poſtridieque, qui tertius Septembris fuit, Winghamae in itinere pranſa acceſſit Cantuariam paulo poſt horam tertiam pomeridianam: Ejuſque per occidentalem portam in cathedralem eccleſiam ingreſſus ab adoleſcente quodam ſcholae grammaticalis diſcipulo oratione Latina celebrabatur. Qua finita cum ſe ad ſcamnum genibus flexis inclinaſſet; preces conſuetae ab Archiepiſcopo, Lincolnienſi Roffenſique Epiſcopis, & Doveriae Suffraganeo in adventum ejus fundebantur. Tum decanus una cum praebendariis, canonicis, miniſtris, & choro eccleſiae cathedralis, nonnulliſque ſui ſacelli cantoribus eam ſub conopeo a quatuor militibus erecto ſequentem, per chorum uſque ad oratorium ſuum praeibant. Indeque finitis veſpertinis precibus reverſa per urbis plateas ad ſuum palatium, quod antiquitus Auguſtinenſe dicebatur, tranſiit. Ac die dominico ad eandem eccleſiam curriculo per plateas ducta rurſus rediit. Eo die decanus e ſacro ſuggeſtu concionatus eſt. Cumque is peroraviſſet, ad palatium eadem via curriculo regreſſa eſt. Poſtridie vero, qui ſeptimus menſis Septembris fuit, ad convivium ab Archiepiſcopo invitata ad archiepiſcopale palatium cum tota familia venit. Is natalis fuit reginae dies: Namque anno Domini 1533. & viceſimo quinto regni patris ſui Henrici octavi, Grenovici ſeptimo Septembris, qui eo anno dominicus dies fuit, nata eſt; quadraginta ante has archiepiſcopales epulas annis eademque, nempe inter primam & ſecundam pomeridianam, qua convivata eſt, hora. Triduo autem poſtquam nata eſt, in porticu eccleſiae conventualis fratrum Obſervantium Thomas Cranmerus Archiepiſcopus Cantuarienſis, ac illuſtriſſimae viduae domina Agnes Thomae quondam Norfolciae ducis & domina Margareta Thomae Dorceſtrenſis marchionis relictae, eam in baptiſmate ſuſceperunt: Johannes Stokeſleius Londinenſis Epiſcopus, aſſiſtentibus ſibi Weſtmonaſterienſi, ſancti Albani, ſancti Salvatoris atque Stratfordenſi abbatibus, tum Thoma Norfolcienſi & Carolo Suffolcienſi ducibus, Thoma Dorceſtrenſi, Henrico Exonienſi marchionibus, Henrico Eſſexiae, Henrico Wigornienſi, & Thoma Wiltonienſi comitibus, ac nonnullis aliis illuſtribus viris praeſentibus, eam baptizavit. Sed in hoc lautiſſimo archiepiſcopali convivio, quod ipſo ſuo natali die atque hora, cum quadrageſimum aetatis ſuae annum attigiſſet, celebravit, hic ordo obſervabatur. Nobiles ſoli reginae miniſtrabant; quae ſimul atque manus abluiſſet, acceſſit ad menſam in ſummo aulae archiepiſcopalis loco in latitudinem extenſam; ad cujus medium in veteri quadam marmorea cathedra pannis auro infuſis ornata ſub pretioſo auroque fulgenti regio conopeo diſcubuit. Tum comes Retius Galliae mareſchallus, qui paulo ante a rege Galliae ad reginam cum centum generoſis Cantuariam legatus veniſſet, una cum domino Moto ejuſdem regis ad reginam oratore a dextris reginae ad ejuſdem menſae extremitatem, ore ad reginam tergoque ad aulam, ut convenientius familiariuſque

riuſque conferri ſermones poterant, converſo ſedebant: Alteramque a ſiniſtris menſae extremitatem quatuor illuſtres foeminae, marchioniſſa Northamptonenſis, comitiſſa Oxonienſis, comitiſſa Lincolnienſis, & comitiſſa Warvicenſis occupabant. Reginae a ſtipatoribus, quos penſionarios appellant, in menſa miniſtratum eſt: Legato autem & oratori Gallico, necnon marchioniſſae atque comitiſſis a ſatellitibus regiis. Ferculorum carnibus ac piſcibus delicatiſſimis refertorum ordines duo apponebantur; praeter tertium, qui ex ſelectiſſimis placentorum generibus conſtabat. Reliquae omnes aulae menſae convivis repletae ſunt. In proximis reginae menſis a dextris diſcubuerunt cum Archiepiſcopo conſiliarii cum quibuſdam tum viris tum foeminis illuſtribus; & ex his praecipui illorum qui ex Gallia cum Retio venerant: A ſiniſtris nobiles ac illuſtres foeminae: In remotioribus vero menſis Major Cantuarienſis cum illius civitatis ſenioribus, & Cantiani comitatus generoſi viri & mulieres ſederunt. Hiſque omnibus ab Archiepiſcopi famulis toto convivio ſervitum eſt. Interea vero dum multi ſpectatum frequentes introiiſſent & aulam mediam pene compleviſſent; removeri eos & ad aulae latera concedere ſubinde juſſit regina, ut aulae longitudinem & diſcumbentes per omnes menſas convivas intueretur. Epulis autem peractis, & remotis menſis poſtquam aſſurrectum eſt; regina cum Retio legato & domino Moto oratore Gallico ad longam illam menſam ſecretum ſermonem habuit, interea dum inter nobiles ad inſtrumenta muſica tripudia haberentur. Ac paulo poſt per viam ſecretam in Archiepiſcopi deambulatorium aſcendit. Ibi cum eodem legato ad noctem fere colloquium produxit. Tum Archiepiſcopum accerſivit; narravitque quam gratum atque honorificum ſibi viſum eſſet illius diei convivium; actiſque ſummis gratiis ad palatium ſuum in curriculo per plateas reducta eſt. Atque praeter hoc magnificum ac ſumptuoſum convivium, Archiepiſcopus inſignia quaedem dona reginae dedit, ſalſarium, viz. ex auro affabrefactum; in ejus coopertorio Achates Gemma, divum Georgium Draconem trucidantem cum Gallicis verſibus in regis inſigniis conſuetis continens intexitur; in orbe autem ſive concavo ejuſdem alter Achates includebatur, in quo vera reginae imago in albo achate inciſa fuit: In coopertorii autem ſummo aurea navicula adamantem oblongum tenuit. Hoc ſalſarium cum ſex Portugallenſibus aureis ejus concavo incluſis, quorum ſingula tribus libris decem ſolidis Anglicis valent, Archiepiſcopus reginae dono dedit; quod ducentis amplius Anglicis marcis aeſtimabatur. Praeterea equum ei praeſtantem, quem in monte Folkeſtonae, cum famulatum, ut diximus, Archiepiſcopi praetergreſſa eſt, inter caeteros ejus catervae equos conſpexit ac animadvertit, Archiepiſcopus donavit: Cujus etiam generis equos nonnullis proceribus reginam tunc comitantibus largitus eſt. Quibus praeterea ſingulis, atque conſiliariis, viriſque in aula illuſtribus librum Latine nuper editum "de Viſibili Rom'anarchia" contra Nicolai Sanderi "Monarchiam"; matronis autem atque foeminis illuſtribus commentaria in Eccleſiaſten in Anglicum ſermonem verſa, & biblia minora Anglica artificioſe ac ornate ligata, dedit. Ad extremum inter regii hoſpitii miniſtros atque famulos quingentos amplius aureos diſtribuit. Toto etiam tempore, quo regina Cantuariae commorata eſt, Archiepiſcopi domus convivis tam ex aula quam ex comitatu aliiſque advenis confluentibus beneficentiſſime patuit. Et in magna camera tres conviviorum ordines ſingulis diaetis pro proceribus, conſiliariis &

& illuſtrioribus convivis apparabantur: Quorum duo ad menſam Archiepiſcopi, tertius ad aliam adjunctam quadratam menſam, appoſiti ſunt. Aula vero minor in prandiis, coenis, necnon matutinis jentaculis ſatellitibus, caeteriſque inferioribus hoſpitii regii miniſtris cum magna frequentia indies replebatur. Atque horum omnium conviviorum apparatus ciborumque in eis varietas in rotulis ſeorſim deſcribuntur. Sequenti rurſus die Dominico regina ad eccleſiam cathedralem in curriculo per plateas rediit; precibuſque matutinis finitis, concioneque a Lincolnienſi Epiſcopo habita, ad palatium ſuum eo, quo ad eccleſiam acceſſit, ordine regreſſa eſt. Haec reginae mora Cantuariae quatuordecim dierum fuit. Namque die Mercurii, qui decimus quartus poſt adventum ſuum eſſet, eo Feverſhamiam migravit, ibique permanſit biduo: Tum die Veneris ad Sittingbornam perrexit, & in aedibus magiſtri Cromeri Armigeri pernoctavit; poſtridieque Roffam appulit: Quatriduoque in hoſpitio Coronae ſic dicto diverſabatur; ac die dominico in eccleſia cathedrali Roffenſi matutinis precibus & concioni divinae interfuit, ſemelque in aedibus magiſtri Watts pernoctavit. A Roffa ad ſuas aedes Dartfordiae ſitas progreſſa eſt; indeque poſt biduum Grenovicum tandem iterum reducta a peregrinando ceſſavit atque requievit. In tota autem hac Cantiana peragratione, quam ex omnibus quas unquam peregit, provinciarum ſuarum ſeu comitatuum luſtrationibus, ob Cantiorum ſummam humanitatem ac lautitiam regina crebris laudibus extulit, Vicecomes cum militibus atque generoſis Cantii catervatim eam comitabantur. Ac poſtquam regina diſceſſiſſet Cantuaria, Archiepiſcopus ad reſiduum ejus copiae, quam in reginae adventum ut lautus paterfamilias comparaverat, ex urbe & vicinis parochiis & multos convivas invitavit liberaliterque excepit, & pauperes abunde pavit aſſidue. Tum metropoliticam viſitationem in eccleſia cathedrali atque dioeceſi, necnon in provincia ſua, inſtituendam inchoavit: Quam, cum aliquandiu tenuiſſet atque celebraſſet, ad ulteriorem diem prorogavit. Et die Veneris, qui nonus menſis Octobris fuit, Cantuaria profectus eſt Roffam, ibique pernoctavit. Poſtridie ad montem Sagittariorum obvius factus ab his, qui ſui eſſent famulitii atque clientelae, Lametham ſalvus ac incolumis cum omnium pene plauſu gaudioque pervenit. Cum paulum acquieviſſet, ſeque non modo ab itineris, ſed negotiorum Cantuarienſium moleſtiis recollegiſſet; ex fama, quae de reginae ad ejus palatium adventu & lauto illo convivio percrebuit, & recordatione gratiſſimi erga ſe reginae animi, ſane multum recreabatur. Nam cum ante, ut diximus, palatium illud Cantuarienſe vetuſtate & praedeceſſorum ſuorum incuria ad ruinam propenſum & fere devaſtatum magnis ſumptibus reparaſſet; laetabatur tam ſecundum eventum illorum ſumptuum accidiſſe, ut refectum jam & ornatum a ſe palatium, reginae convivae praeſentia nobilitaretur. Tum & illud opportunum maxime fuit; quod ſeptuageſimus Cantuarienſis eccleſiae Archiepiſcopus, in ſeptuageſimo aetatis ſuae anno, natali reginae die convivium ei exhiberet; ut cujus matri adoleſcens ſacellanus deſervierat, ad maturam jam provectus ſenectutem Archiepiſcopus, pro ſua dignitate, ampla & grata officia reginae praeſtaret. Quod ita venerandi ſenis animum exhilaravit tantoque gaudio perfudit; ut cum antea languere ipſa ſenectute coepiſſet, tamen poſt illius Cantianae peragrationis labores atque ſumptus animo corporeque ſic compoſito fuit; ut renovata ei ſenectus annique quaſi juveniles reſtituti eſſe videbantur.

Posthaec, cum aliquandiu Lamethae acquieviſſet, celebrem habuit decimum tertium Decembris anno 1573. Nam Gulielmus Hughes ſacrae theologiae profeſſor a domina regina Aſaphenſis Epiſcopus deſignatus, ab eo in ſacello Lamethae eo die ſacrationem accepit: A quo confirmationis & conſecrationis ex antiquo debita feoda, & advocationem Eccleſiae parochialis de Llanvethen Aſaphenſis dioeceſis & ad collationem dicti Epiſcopi ſpectantis, decani & capituli conſenſu ac ſigillo firmatam, jure ſuae praerogativae Archiepiſcopus viciſſim habuit.

Proximo autem menſe Januario venit in Angliam, illuſtriſſimi comitis Palatini Rheni ad regiam majeſtatem orator, celebris vir Petrus quidam Dathenius. Hunc Matthaeus, cum nonnullis aliorum principum legatis, epulis ſumptuoſis & magnificis excepit. Dathenio autem comitis Palatini oratori cratera magnum argenteum deauratum cum coopertorio ponderis quadraginta trium unciarum dedit: In cujus imo inſculpta fuit imago civitatis ſerpentem ſubtus ſe habentis in lacu latentem, eamque civitatem devorare nitentem; tum circa eam carmina duo Latina hujuſmodi, hieroglyphicon ejuſdem imaginis exprimentia:

Urbs ego ſancta Dei, ſerpentis fraude vetuſti
Quaſſa, Palatini *ſtabo potentis ope.*

Hunc itaque craterem, qui hieroglyphico illo & imagine comitis Palatini in tuenda Dei civitate Chriſtique eccleſia zelum, conjunctumque cum domina noſtra regina ſtudium prae ſe tulit ac indicavit, Dathenius ſumma gratitudine accepit ſecumque in Germaniam tulit.

Sed nec illud omittendum eſt, cum ſecundo die menſis Martii 1573 regina a regia ſua Hamptona Grenovicum ſeſe contuliſſet; in itinere venit ad Archiepiſcopum Lametham, ibique pernoctavit. Dies ille dies Martis fuit, poſtridieque ſcilicet die Mercurii, cum eo die habeatur in quadrageſima coram regina ex more theologica concio; doctor Perſus ſacrae theologiae profeſſor in clauſtro quadrato ad aquae hauſtum, quem locum Cantonem appellant, poſitum ſuggeſtum aſcendit atque praedicavit. Regina ex ſuperiori deambulatorio, quod ad Thameſim ſpectat, illum audivit. Nobiles atque aulici in reliquis tribus conjunctis in quadro deambulatoriis ſteterunt. Populus infra in clauſtro & circa aquae ductum partim reginam, partim concionatorem, intuitus eſt. Concione finita pranſum eſt. Archiepiſcopus, cum caetera domus ſuae loca a regina & aulicis tenerentur, conviviorum ſuorum locum in inferiori magno coenaculo, quod horto proximum eſt, conſtituit. Ibi die Martis ad coenam ex inferioribus aulicis multos invitavit. Die vero Mercurii in eodem coenaculo ad ſuam menſam in prandio aſſiderunt novem comites & ſeptem barones; ad alteram menſam contrarotulator hoſpitii regii & reginae ſecretarius cum pluribus aliis militibus & armigeris: Praeterquam quod conſueta nobilium menſa a dominis theſaurario, admirallio, & camerario aliiſque frequentabatur. Horum dierum in aula ſumptus Archiepiſcopus ſuſtinuit: Quibus actis regina cum proceribus atque aulicis Grenovicum diſceſſit hora quarta pomeridiana dicto die Mercurii. Quod fato quodam eveniſſe videri poſſit; ſe-

meſtri enim antea tempore ab eodem Archiepiſcopo Cantuaria diſceſſit die quodam Mercurii; in quo jejunium etiam quatuor, ut aiunt, temporum perinde atque in hoc obſervabatur.

Jam de interiori hujus Archiepiſcopi vita conſuetudineque pauca dicamus. Cum ab ineunte aetate omniumque ſuarum dignitatum adminiſtratione, tum in hoc Archiepiſcopatu tanta cum laude felicitateque gerendo, ſemper cum liberalitate cautionem ac parſimoniam, tanquam ſuae benignitatis theſauros, conjunxit: Alioquin nec ad mercedes famulorum, nec ad ſui corporis cultum, nec ad eos aedificandi atque reparandi tam profuſos ſumptus, nec ad alendos liberos, nec ad eam munificentiam, qua ſaepiſſime affecit alienos, nec ad tam lautam & exquiſitam adminiſtrandam familiam, Archiepiſcopatus vectigalia valde jam diminuta ſuffeciſſent. His, cum quibus ad obſonia, victualia, vel ad res quaſcunque familiares comparandas interceſſit ei commercium, pecuniam debitam aut ſtatim repraeſentavit, aut diem dixit vel unius ſeptimanae, vel ad ſummum, idque perraro, trimeſtris ſpatii; ſtatutoque die nunquam creditorem fefellit. Ita nunquam a quocunque creditore interpellatus eſt; ſummaque ratione atque ſtudio proſpexit, ne in aere alieno haereret; ut mente libera & quieta ſecuraque conſcientia obiret honeſta Deoque grata munera; neve, ſi morte a vivis abduceretur, diſſolvendi ſui aeris procraſtinatio diuturno incommodo aut jacturae foret creditoribus. Servorum ſtipendia, quae majora quam cujuſquam antegreſſi Archiepiſcopi fuerunt, indigentioribus & his, quorum diligentiam fidemque in mandatis ſuis peragendis perſpexerat, ſaepe auxit. Sermone inter epulandum moderato, ſed hilari ac faceto, uſus eſt: In eoque convivarum rationem habuit: Quos etiam, ſi taciturniores eſſent, captata ex aliqua re praeſenti occaſione, ad colloquendum provocare conſuevit; permiſitque, ut libera eſſet omnibus viciſſitudo colloquendi. Si, quod ei ſemper in uſu fuit, de ſacris Scripturis, aut rebus gravioribus, oriretur communicatio; perpenſis eorum ſententiis, qui aliquid dicere volebant, ſententiam ſuam mira gravitate & facilitate intelligentiſſime proferebat. Veſtitu gravi & decenti, formaque clericali compoſito, ſemper uſus eſt: Sed holoſericis temporum magis neceſſitate uſuque diuturno, qui in Anglicano clero diu ante inveteraviſſet, quam ſua voluntate, ſaepius amictus eſt; ut de cardinali Wolſeio Eboracenſi Archiepiſcopo, qui in ſuam familiam holoſerica indumenta tanquam Aſiaticum luxum primus introduxit, unde tanquam ab origine & exemplo in totum Anglicanum clerum promanarunt, quae jam deponi vix aut ne vix quidem poſſunt, ſaepe conqueſtus ſit. Ludis, mimis atque jocis, iiſque venationis & aucupii ſimiliumque rerum oblectationibus, quibus molliores animi a rebus gerendis abducuntur, ne juvenis quidem ſe recreari permiſit. Parce ſemper, modico ſumpto vino, convivatus eſt: Qua victus temperantia atque modo ad ſtudia, meditationes, deliberationes omneſque pias & praeclaras actiones ſe ſemper integrum promptumque ſervavit. In quibus, opere nunquam intermiſſo, tam aſſiduus fuit; ut ſaepe in febriculas laſſus & defatigatus incideret. Ingraveſcente etiam ſenili aetate, calculo ſaepe & interdum podagra laboravit. Semper ſibi ante animum propoſuit rerum humanarum fragilitatem hujuſque vitae incertam conditionem: Quare res ſuas omnes ita diſpoſuit; ut ſi diutius illi vivendum ſit, nunc auctis, nunc minutis ſumptibus, ſuppetere ſibi

ſibi ad tantam dignitatem ſuſtinendam ſatis poſſit; ſin moriendum, aequiſſimo facillimoque animo vita cederet. Atque hunc animi ſui ſenſum fuiſſe hinc colligi poteſt; quod ex omnibus Scripturarum ſententiis hanc unam ex Johanne Apoſtolo ſumptam & multo ſermone frequentavit, & undique in vitreis feneſtris infigi curavit;

MUNDUS TRANSIT ET CONCUPISCENTIA EJUS.

QUA etiam ſententia inſignia ſua circumſcripſit: Ut tam oculi quam aures ſuae eadem indies complerentur; ipſeque aſſidue & indeſinenter de vaniſſima hujus mundi conditione contemnenda, & de fide in Deo ſolo collocanda ſeque ad ejus ſolius voluntatem componendo, admoneretur. Id quod ut in ſe firmaret certius & meditaretur altius; in archiepiſcopali ſuo ſigillo ultimi judicii figuram impingi & deſcribi fecit: Ubi Chriſtus glorioſe & cum majeſtate vivos atque redivivos judicaturus ſedit; Electiſque hanc vocem conſolationis plenam, "Venite Benedicti"; alteramque funeſtam & exitioſam rejectis & reprobatis, "Ite Maledicti", proferens; cum ſepultorum e monumentis reſuſcitatorum, & ad illud tremendum tribunal accedentium, imaginibus. Et quia homines in dignitatis apice culmineque poſitos plerique adulatione & obſequio magis quam veritate colunt; paucique, qui ad eorum ſecretiora conſilia adhibentur, eos libere & audacter audent arguere atque admonere; opportune evenit, ut cum illi ab Heraldo ſeu feciali, reginae mandato, inſignia deſignanda eſſent; qui antiquiſſimam ſuam gentem & ſtirpem ex illorum more & peritia exquiſivit; inveſtigatum atque repertum eſt Clavium jus ex prima ſui gente ac origine ad inſignia majorum pertinuiſſe: Indeque ad ſe haereditario ac primaevo jure, ex longa antiquitate ducto, pertinere. Claves autem hi terni fuerunt: Quibus addita, ex reginae mandato, triplex Stella fuit; quia illa ad hanc eum celſitudinem erexit. Itaque his Clavium atque Stellarum notis inſignitus, quarum illas a majoribus, has a principis beneficio, accepit; exiſtimavit ſe divinitus & tanquam oraculo admonitum, paſtoralis ſui muneris ac officii perpetuo meminiſſe oportere: Clavium enim ternum numerum illam Chriſti ſtipulationem a Petro, in cujus nomine ac perſona clavium coeleſtium poteſtas eccleſiae data eſt, ter exactam ſignificare: Parem autem Stellarum numerum ordinis atque dignitatis ſuae illuſtrem ſplendorem & excellentiam, qua eum caeteris in vitae ſinceritate praelucere deceat, oſtendere: Ut a Daniele his verbis expreſſum eſt: "Qui "docti fuerunt, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti". Itaque his inſignibus, quae alios gloriola incendunt magis quam re quacunque, venit in cogitationem tanti muneris & amplitudinis adminiſtrandae: Ut enim Claves ligandi & abſolvendi poteſtatem, Stellaeque vitae atque doctrinae integritatem, oſtendunt; ſic ille ſe in hoc ſummo magiſtratu geſſit; ut regnum Dei ingredi volentibus januam clavibus aperiret; & craſſis pontificiorum tenebris atque erroribus fugatis, Evangelii luce, tanquam orientali ſtella praeeunte, caecos ad Verbi divini lumen duceret. Atque haec inſignia quanquam & a majoribus acceptae, & reginae beneficio ſuiſque in rempublicam meritis acquiſitae, nobilitatis ſint indicia; tamen eadem monitoria ſibi magis, quam illuſtria & excelſa, putavit; &, ut famam, amplitudinem, dignitatem ac potentiam, quae caeteri magni aeſtimant, utque caetera quaecunque mundana, fragilia & caduca modicoque tempore peritura, contempſit. Quae omnia illecebras atque blanditias inanes, quibus ſancti a Deo abducuntur & in humanis concupiſcentiis

Ab. An. Chr. MDLIX. — Ad An. Chr. MDLXXV.

piſcentiis acquieſcunt, exiſtimavit: Sed aſſentiens ſancto Paulo non habere ſe hic perennem civitatem, optavit ex ejus ſententia futuram, quae ſine tempore aeterna futura eſt: Carnem eique adhaerentia, ut gramen, ex divini verbi praeſcripto, deſpexit. De his ſuis inſignibus Gualterus Haddon legum doctor, ſupplicum libellorum a regina magiſter, & curiae praerogativae a MATTHAEO judex, conſtitutus, vir eloquentia & auctoritate ſingulari, haec edidit carmina.

Sunt antiquorum CLAVES *monumenta parentum;*
Venit ab auguſta principe STELLA *triplex.*
Sic bene conſpirant virtus, doctrina, poteſtas,
Et placidae pacis ſemina laeta ferunt.
Sed tamen ad finem decurrunt gaudia vitae;
Ac homo pulvis erit, pulvis ut ante fuit.

ATQUE ſane, quia permulti ſolent viris in authoritate praeſentibus, anteactorum aut abſentium laude & comparatione, derogare; eoſque ad invidiam magis quam ad veritatem anteferre; videamus, quid fuit in antecedentium Archiepiſcoporum vita atque moribus tam egregium & excellens, quod in hoc potuit deſiderari. Et, quia infinitior hic videtur campus, quam qui in tam modica hiſtoriola poſſit peragrari, excurrendum enim eſſet ad recitatas omnes Epiſcoporum vitas, rem tantam arctius, ita ut nihil lateat, complectamur. Etenim, ſi haec potiſſimum in hominibus ſpectanda & admiranda ſunt; qua quiſque ſit religione in Deum & benignitate erga proximum; quamque prudenter, juſte, conſtanter & moderate hujus vitae curriculum tranſigat; quid vel ipſi aemuli, quos ſibi virtus paravit, nam oſorem ſui praeter religionis & reipublicae hoſtes neminem habuit, ullo judicio potuerunt reprehendere? AEqui autem omnes atque candidi alienae vitae cenſores, ejuſque vitae exploratores ſeduli, haec tam ſumma in uno viro ſic conjuncta & copulata, eademque ad ſummam ſenectutem perducta, bona, non commemoranda modo ſed ſtupeſcenda putabant.

IMUM enim Dei ſenſum aſſiduus ille cultus indicavit; charitatemque benignitas & de bonis omnibus bene merendi ſtudium: Tum tam varii, graves & ancipites inconſtantium temporum caſus, ſine conſcientiae bonaeque famae diſcrimine, vitati prudentiam; acta publica juſtitiam; in quibus neminem unquam laeſit, aut cujuſquam jus violari permiſit: Cujus quidem virtutis haec in eo nota certiſſima fuit; quod non modo a laeſione, ſed ab offenſione cujuſquam fuit totus alienus, totuſque in conjungendis his, qui abalienati aut disjuncti eſſent, occupatus: Perſeverantiam & conſtantiam, quae ſunt fortitudinis, oſtendit aequabilis illa adverſarum perinde ac ſecundarum rerum tolerantia; ut neque illis debilitatus atque fractus, neque his elatus, a quoquam unquam putaretur: Omnis autem moderatio, victuſque ac veſtitus continentia, in ipſa ſumma affluentia, enituit in eo maxime. At vero cum ſingulorum laus in aliquas malevolorum voculas incurrat; in hoc ſane nihil reprehenſum eſt, quam id quod inconſtans & bilingue vulgus ſolet in univerſo clero taxare; preſbyteros jam conjugatos liberis locupletandis ſtudentes, non tam eſſe munificos in extraneos. Laudat Eraſmus ſuum Warhamum; quod triginta aureorum tantum ſumma, quanquam locuples illi tum fuerit ſedes iſta, parvae

parvae ſane morienti ſupereſſent, ex tanta abundantia, copiae. At idem non commemorat quantas haereditates atque poſſeſſiones conſanguineis ſuis paraverat vivus: E quibus unum, ipſi Eraſmo notum, ad equeſtrem ordinem evexerat. Haec non vident hi, qui imperitia vel invidia ducti feruntur in clerum; quoſque ne propriae quidem levitatis & inconſtantiae pudet; qui dum conjugia permittunt, ab eorum cura, quos procreaverunt, abduci parentes velint: Quibus neceſſaria vitae praeſidia providere, non natura magis, quam ipſa lege tenentur; ſi modo ſine eccleſiarum, quibus praeſunt, detrimento hoc facere commode poſſint. In quo ſane non minorem in ſuos amorem & charitatem, quam in omnibus archiepiſcopalibus gerendis negotiis integritatem, MATTHAEUS edidit: Quod neque familiae dignitate atque magnificentia, neque eleemoſynarum profuſione, neque in exteros benignitate, neque ſervorum famulorumque retributione, nec in viros eruditos munificentia, neque in Academias & potiſſimum Corporis Chriſti collegium, quod magnis ſumptibus remuneravit, gratitudine, nec de nobilibus, generoſis atque aulicis ſua largitione bene merendi voluntate omiſſa, eccleſiaſticis tamen facultatibus aut poſſeſſionibus haud detractis, non ad illam pontificiorum amplitudinem, ſed ad bene ſatiſque e generoſorum conſuetudine vivendum, proſpexit liberis; Archiepiſcopalibus omnibus commodis atque juribus uberioribus ordineque magis diſpoſitis, quam ipſemet ea nactus ſit, poſteritati reſervatis.

SCRIPSIT ſermone Anglico librum pereruditum de clericorum conjugiis tam jure divino quam jure regni licitis ac permiſſis: Qui omnium, qui de eo argumento ſcripti ſunt, Anglicano clero accommodatiſſimus & utiliſſimus liber eſt: Nihil enim praetermiſſum eſt eorum, quae ex antiquiſſimis regni hiſtoriis ad eam rem deſiderari poſſunt. Pſalmos item Davidicos elegantiſſimo metro Anglico, in tres partes diviſos, quarum unaquaeque quinquaginta Pſalmos continet, edidit: Hos libros ad leniendum ſuum in illa Mariana perſecutione moerorem, alioſque nonnullos, quos non divulgavit, conſcripſit. Senectutem, quam hilarem ac jucundam ſenſit, in exquirendis accuratioribus doctorum ſui temporis ſententiis, eaſque cum antiquioribus auctoribus conferendis, & inveſtigandis antiquiſſimis veterum ſcriptorum monumentis nondum editis, & his potiſſimum, quae antiquis Britonum & Saxonum temporibus ſcripta de ANGLICANA ECCLESIA tractant, contrivit: In quibus eruendis, edendis & conſervandis, magnos labores atque ſumptus ſuſtinuit. Obtenta enim a regia majeſtate atque conſiliariis aſſiduis ſuis precibus licentia deſignavit quoſdam, quibus authoritatem dabat, eadem per totam Angliam exquirendi & ad ſe ducendi: Quae cum nactus eſſet diſperſa & inculta; voluminibus collecta ligari & membranis tegi mandavit. Nonnulla etiam typis excuſa evulgavit: Ut Matthaeum Pariſienſem monachum ſancti Albani, & Matthaeum Florilegum, ſeu Weſtmonaſterienſem, monachum ſancti Petri. Edidit etiam quatuor evangelia Saxonico idiomate: Ut liqueret ſcripturas antea fuiſſe vulgari ſermone Anglicano populo notas. Cumque ſacrorum Bibliorum Anglicana editio, quae in ſingulis eccleſiis ex ſtatuto collocanda fuit, jam prope deleta defeciſſet; novis typis magnitudine uſitata, aut paulo grandiori, rurſus cudi curavit. Sed priſtinam illam Anglicam verſionem prius totam pio judicio examinavit; adhibitis ſibi literatis ſuis capellanis, quorum ſemper optimum delectum ex Academiis ad

Ab An. Chr. MDLIX — Ab An. Chr. MDLXXV.

se sumpsit; nec non fratrum suorum Episcoporum aliorumque doctorum hominum adjumento; quibuscum cupide atque studiose egit, ut hunc tam divinum laborem secum communicarent: Itaque ex hac vigili ac a tam doctis Patribus atque viris participata industria prodiit altera Bibliorum emendatior, & elegantioribus typis exposita, editio; his omnibus grata, qui Deum colere, principi obtemperare, & patriam suis viribus juvare cupiunt; aut qui Christi indulgentiae confisi animarum suarum salutem & aeternae vitae gaudium optant. Hanc autem editionem iterum recognovit atque auxit.

Hoc opere perfecto cum satis diu sibi, vel naturae, vel laboribus suis vixisse visus sit; alterius vitae desiderio dissolvi cupiit & esse cum Christo; secumque repetiit illud Simeonis in Evangelista dictum; "Nunc dimittis "servum tuum, Domine; quia viderunt oculi mei salutare tuum". Itaque quasi mortis hora jam instaret, de bonis, quae supererant, pie testatus est: Tum funeris ordinem modumque descripsit; tertio, tumulum sibi ex atro marmore condidit, opera non adeo exquisita, sed plana, recta atque simplici. Satis enim sibi putavit, ex ejus intuitu & aspectu mortis perpetuam cogitationem animo percipere atque volvere; tum posteritati indicare, quem locum, principis beneficio, in christiana republica vivus tenuisset: Quam etiam commentationem ex epitaphio a Gualtero Haddono carmine condito, & in tumulo insculpto, saepe accepit. In quo etsi Haddoni praeconium majus esse fateatur, quam ipse jure vendicare sibi possit; tamen ex tam amica & honorifica commendatione instigari se & impelli putavit; ut, si assequi & attingere tantam praestantiam non possit, ad eandem totis suis viribus in omni reliqua vita, in tam excelso spirituali munere, quam proxime accedere contendat:

Sobrius & prudens, studiis excultus & usu,
Integer, & verae relligionis amans,
MATTHAEUS *vixit* PARKERUS. *Foverat illum*
Aula virum, juvenem; fovit & aula senem.
Ordine res gessit; recti defensor & aequi;
Vixerat ille Deo; mortuus ille Deo est.

HAC sibi penitus meditatione infixa, nihil sibi statuit, nihil optat; sed sive in prorogando, sive in amputando, hujus aerumnosae vitae curriculo divina voluntate contentus se totum ponit & committit in tutelam Dei Patris, Dei Filii, & Dei Spiritus Sancti: Cujus sempiternus & in omnem aeternitatem extensus honos atque gloria. AMEN.

FINIS.

FUSIOR

AUGUSTINI

HISTORIA:

OPUS RARUM:

AC,

Nisi QUATUOR in EXEMPLARIBUS,
frustra quaerendum.

Rex Cantii ETHELBERTUS regnavit annis LVI.

Pontifex Rom. GREGORIUS MAG. ſedit annis XIII. menſ. VI. dieb. X.

Imper. Roman. MAURITIUS regnavit annis XX.

ECCLESIASTICA.

EODEM tempore, quo Angli, etiam Lombardi per Gregorium fiunt Chriſtiani. SUPPLEMEN. CHRON.

CONCILIA.

CONCILIUM Romanum ex viginti ac tribus Epiſcopis. GREGORIUS lib. 4. cap. 88.

SYNODUS etiam alia Laterani ſub eodem Gregorio celebrata eſt; in qua de monachorum ordine, diſciplina, immunitate, libertate, & quiete, multa conſtituta ſunt.

ITEM Barionae indixit aliam ſynodum Gregorius; in qua ſancivit, ne bigami ordinarentur ſacerdotes; ne in eadem provincia duo eſſent Metropolitani, & alia hujuſmodi. SAB. Enn. 8. lib. 5.


DE aliis hujus ſaeculi ſynodis & conciliis, nempe Italia, Gallia, Hiſpaniaque celebratis, in ſuperiori tractatu DE ANTIQUITATE BRITANNICAE ECCLESIAE juxta ſuorum temporum ſeriem ordine dictum eſt.

HAERESES Gregorii tempore hujuſmodi partim exortae, partim renovatae ſunt:

MONOTHELITAE, qui duas in Chriſto fuiſſe voluntates, humanam ſcilicet & divinam, quia contrariae videbantur, negabant.

MONOPHYSITAE, qui duas etiam in Chriſto naturas non ſtatuerunt, ſed unam tantum, ſcilicet divinam.

EUTY-



DE fide & religione Chriſtiana a Britannis accepta & propagata, tum, eis in Cambriam Anglorum Saxonumque vi exactis, etiam ad ipſius Auguſtini huc adventum retenta, etſi non adeo ut res ipſa flagitabat abunde & copioſe, tamen, quia de Archiepiſcopis Cantuarienſibus ſit noſtri potiſſimum inſtituti dicere, ſatis breviter ac luculenter diximus. Ad Auguſtinum a Gregorio illo Magno ad Anglos Saxoneſque Britanniam incolentes miſſum, ejuſque in Cantuarienſi Archiepiſcopatu ſucceſſores accedamus; ut, poſt Anglorum Saxonumque incurſionem, religio-ne magis Chriſtiana, an Romani ritus atque ceremoniae, Anglos primo infecerint diuque occupaverint, perſpiciamus. Atque hoc, quod jam toties diximus, ex [a] ſcriptorum fide ſine ulla eſt controverſia; viguiſſe adhuc Chriſti fidem apud Britannos in Cambria, fuiſſeque religionis diſciplinam non rudem ac confuſam, ſed certis legibus devinctam & aſtrictam: & Epiſcoporum, monachorum caeterorumque clericorum ordinibus ita diſtinctam; ut ſub veteribus quondam Britannis deſcripta ac diſtributa fuerat. Et quia Horſus ac Hengiſtus, Saxonum Anglorumque duces, a Britannis opem contra Scotos Pictoſque laturi acciti fidem in eis adjuvandis non ſervarunt; ſed contra ſacramenti religionem indigenis, quibus opitulari debuiſſent, expulſis alienas oras & regiones tenuerunt; eaſque alienigenis, Anglis ſcilicet Saxonibuſque, ſuae gentis viris repleverunt, multaſque ac late patentes provincias, tanquam partam foederis rupti praedam, inter ſe diviſerunt, & in ſeptem, ut diximus, regna

[a] *Floril. Beda. Sigebert. Gemblac. Galf. Monemut.*

GREGORIUS.

GREGORIUS e genere Quiritum, Gordiani ſenatoris filius, cum, Pelagio mortuo, pontifex electus eſſet, humiliter per literas a Mauritio imperatore petiit, ne ſuae electioni conſentiret. At Mauritius nuntios remiſit cum mandatis

7 E

POLITICA.

DOMESTICA.

ANTE Auguſtini adventum in Anglorum heptarchia hi ſeptem reges regnarunt: Ethelbertus in Cantia, Ciſſa in auſtrali Saxonia, Ceaulinus in Weſtſaxia, Creodda in Mercia, Erkenwinus in Orientali Saxonia, Tytillus in Orientali Anglia, Ella in Deira, AEthelfridus in Bernicia; qui, partito inter ſe regno, communiter decreverunt, ut inſula non amplius Britannia, ſed Anglia, diceretur. An. Domini 586. FLORIL.

PROXIMO an. Erkenwinus orientalis Saxoniae rex moritur; cui Sledda filius ſucceſſit: & biennio poſt Sledda obiit, poſt quem Sigebertus, Sleddae filius, ex Ermenrici regis Cantii filia genitus, Ethelberti nepos, regnavit an. 589. FLOR.

PROXIMO an. Ciſſa Auſtralium Saxonum ultimus rex vita functus eſt; quo mortuo, regnum ad Ceaulinum occidentalium Saxonum regem pervenit, ibique deſiit, anno 590. MATTH. WESTMONAST.

CEAU-

ECCLESIASTICA.

EUTYCHIANI ab Eutychio Constantinopolitano patriarcha exorti; qui corpora electorum post resurrectionem palpabilia non futura asseverabant. Eum Gregorius, antequam esset Pontifex, Constantinopolim a Pelagio missus, coram Mauritio imperatore confutavit: juxta verbum Domini; "Palpate, quia carnem & ossa me videtis habere." GREG. in 19. cap. Job. lib. 14. cap. 29.

POST hanc Eutychianam haeresim exorti sunt alii, qui Sadducaeorum haeresim resuscitantes, resurrectionem mortuorum inficiabantur. GREG. TURONENSIS, hist. lib. 10. cap. 13.

PRISCILLIANISTAE quoque haeretici, qui nasci unumquemque hominem sub stellarum constitutionibus asserebant, Gregorii tempore nati sunt; de quibus meminit HOMILIA 10. Evang.

ITEM Agnoitae; qui Christum, quoad divinam naturam, quaedam ignorasse dicebant. GREG. epist. 42. lib. 8.

ANABAPTISMUS a Petro quodam Apameae Syria episcopo, & Zoora monacho Syro, defendebatur: qui in altera Constantinopolitana synodo explosi atque damnati sunt. NICEPHORUS, lib. 17. cap 9.

FRONTINIANISTAE a Jacobo quodam Syro introducti, qui ferro candenti crucis characterem baptizatorum frontibus inurebant; quia scriptum est, "Ipse baptizabit vos aqua & igni." De his meminit GREG. lib. 8. epist. 36. sed opinionem non recitat; quae declaratur a BERNARDO LUTZENBURGO.

JOHANNES PHILOPONUS, author haeresis Tritheitarum:

regna distinxerunt: nulla, post tantam fidei violationem atrocemque injuriam, his cum Britannis, suis sedibus dolo non virtute[b] deturbatis Cambriamque incolentibus, aut vitae societas, contractus, & commercia, aut divini humanique juris communicatio potuit intercedere. Itaque nec divinum verbum his nunciare Britanni, a quibus tanta perfidia tractati sunt, dignabantur; sed quos contra fidem datam invasisse aliorum jura sentiebant, etiam sine certa in Deum fide, omnibus inter se non modo bellis civilibus, sed sceleribus, permistis vivere permittebant. In quo divinam meditati sunt ultionem, ut a gente non modo infideli, sed foedifraga, ad eos eorumve genus, prout parum hallucinati sunt, tandem iterum rediret imperium: Etsi non is rerum eventus, quem sibi opinionis errore finxerunt, & ex inanibus oraculis statuerunt, aut sequutus sit, aut evenire posse credendum est. Sed ut historiae certae certa fides habeatur; non modo Britanni, sed & aliae vicinae gentes, a nuncianda genti Anglorum fide Christiana destiterunt: adeo ut Palladius[c], qui Scotorum Apostolus dicebatur, cum Saxones atque Angli Constantini Scotorum regis opem bellicam contra Britannos in Cambriam actos implorassent, Constantino suasit, ne gentem illam impiam contra Britannos Christianos juvaret, nec foedere aut jure quocunque cum ea communicaret: Multique dicerent ipsum Gregorium, cum Augustinum huc misisset, admonere Anglos debuisse; ut si Christianam religionem sincere admittere vellent, Britanniae imperium, quod[d] contra sacramentum militiae per tyrannidem occupaverant, justis dominis atque possessoribus redderent. In hoc itaque Anglorum imperio, quod vi atque fraude captum & retentum fuit, cum Britanni ab eorum consortio prorsus abhorrerent, data est haec Augustino a Gregorio provincia, ut Anglos infideles ad Christi fidem converteret. Is fuit annus Domini quingentesimus nonagesimus sextus, annis post exactos in Cambriam Britannos, Anglosque imperium insulae capessentes, centum & quinquaginta. De qua quidem aetate, qualis tum doctrina & ecclesiae disciplina, ritusque & ceremoniae passim, & praesertim Romae, observabantur, operae pretium erit, antequam

[b] *Floril.* [c] *Polyd.* [d] *Leland.*

GREGORIUS.

datis ut illum confirmarent, & pontificatum suscipere cogerent. NAUCLERUS Generat. 20. Moris enim tum fuit, ut pontificiam dignitatem imperatores hiis, qui eligerentur, suo ratam facerent assensu. SABEL. Ennead. 8. cap. 5. Nondum

POLITICA.

CEAULINO in occidentali Saxonia successit Ceolricus anno 593. FLOR.

EODEM etiam anno Ella Deirorum rex obiit; cujus regnum AEthelfridus Berniciorum rex, expulso Eadwino ejus filio, occupavit. Eadwinus vero postea, ut dicemus, ab exilio revocatus atque restitutus est. MATTH. WESTM.

MERCIORUM rex paulo ante annum, quo Augustinus regnum ingressus est, obiit; cui Cearlus consanguineus ejus successit. FLOR.

ORIENTALIS Angliae rege mortuo, Eorpenwaldus regni gubernacula suscepit, anno 599.

PROXIMO anno, qui fuit dominicae incarnationis sexcentesimus decimus, Ceulfo occidentalium Saxonum rege mortuo, Kinegilsus filius Ceolae regnavit. FLOR.

ITAQUE minui jam illa heptarchia coepit, & ad pauciora regna, nempe quinque, redacta est: dum Berniciorum rex AEthelfridus Deirorum regnum, & occiduorum Saxonum rex Australium Saxonum regnum, ut diximus, occupaverunt.

IN hac vero Pentarchia, Merciis sive Mediterraneis Penda, Orientalibus Anglis Redwaldus, Cantiis

ECCLESIASTICA.

theitarum: ut in Trinitate tres sint Dei, non solum personae. NICEPH. lib. 18. cap. 46.

DONATISTARUM in Africa redintegrata fuit sub Gregorio potentia; ita ut catholici ejicerentur ecclesiis. GREG. lib. 3. Indict. 12. ep. 32. & in 4. Psal. poenit.

MANICHAEI quoque repullulabant. GREG. lib. 4. epistol. 6. Scripsit quoque in nonnullos sui temporis Pelagianos. GREGORIUS, lib. 5. Indict. 14. ep. 14.

EXORTI quidam in Armenia, qui, duce Echanio, in sacramento coenae panem non humanitatis, sed divinitatis, Christi corpus esse dicerent. NICEPH. lib. 18. cap. 53. Hanc haeresim pontificii sequuntur, qui corpus Christi ubique esse volunt.

IIDEM Armenii negabant ullum esse originale peccatum, sed peccatum simpliciter a daemone esse aiunt, non ex nobis: cultumque Judaicum in sacrificiis externis imitabantur. Et in paschate non coenae sacramentum, sed agnum igne assum, sumebant. Crucem etiam baptizatam, uno clavi in medio fixam & sanguine tinctam, adorabant: Omnesque in virili, nullum in foemineo sexu resurrecturum asserebant. Et omnes homines ante passionem Christi damnatos fuisse dicebant. GUIDO CARMELITA.

THEODORUS Mopsuestenus author extitit haeresis insignis, aliud esse verbum, aliud Christum. Item Mariam non fuisse Christi genitricem.

ALII haeretici minorem Spiritum Sanctum

antequam de Augustino dicamus, pauca praeponere: ut qualis illa prima Anglicanae ecclesiae institutio sub Gregorio atque Augustino fuerat, intelligatur. Et quidem Mauritio tunc imperatore Johannes Constantinopolitanus Patriarcha, cum Constantinopolim Roma reliquisque orbis civitatibus, quia imperii sedes fuit, celebriorem illustrioremque animadverteret; ad imperii similitudinem monarchiam in ecclesia affectavit, & universalis totius orbis Episcopus dici & haberi voluit: ut suam potestatem per imperii fines in rebus divinis dilataret, aliasque Christiani orbis ecclesias earumque episcopos Constantinopolitanis Patriarchis subjiceret. Sed cum inaudita jam essent, & piis omnibus incognita, illa superborum titulorum ac nominum portenta, "Summus Pontifex, "unicum ecclesiae in terris caput," "solus Christi vicarius," & similia; Gregorius illam Johannis ambitionem multis diris execratus, nullam sibi aut Romanae ecclesiae adimi praerogativam putavit; sed appellationem ipsam universalis Episcopi impiam, sacrilegam, & Antichristi praenunciam fuisse exclamavit. "[e] In hac "ejus, inquit, superbia, quid aliud nisi propin- "qua jam esse Antichristi tempora designatur? "quia illum videlicet imitatur, qui, spreta an- "gelorum societate, ascendere conatus est cul- "men singularitatis." Et alibi, "Ego autem "fidenter dico, quisquis se universalem Episco- "pum vocat vel vocari desiderat, in elatione "sua Antichristum praecurrit, quia superbiendo "se caeteris praeponit." Atque hanc Johannis imperandi cunctis ecclesiis cupiditatem & libidinem ut non minus facto quam dicto scriptoque frangeret, ex omnibus Romanis pontificibus "servum servorum Dei" se primus inscripsit & appellavit. Quae quidem appellatio etsi Gregorii exemplo titulo tenus a reliquis deinceps pontificibus huc usque retenta sit; animi tamen humilitate, qua Gregorius affectus est, abjecta & profligata, Romanorum pontificum dominatio mox ecclesiam occupavit, ac deinceps semper afflixit. Namque Gregorio mortuo & Mauritio Caesare cum conjuge ac liberis interfecto, Phocas, qui imperium invasit, in Mauritii locum suffectus sine tumultu aut intercessione cujusquam

[e] *Lib.* 4. *epistola* 32. *ad Maur. Const. Aug. & epistola* 34, 39, *& l.* 6. 30.

GREGORIUS.

Nondum enim inaugurabantur a pontificibus Caesares, sed pontifices sub eorum potestate fuerunt, ut Anastasius ad Hormisdam papam per legatos suos respondit: Imperatoris proprium esse imperare, non imperata pontificis accipere,

POLITICA.

tiis AEthelbertus, orientalibus Saxonibus Sigebertus, Berniciis & Deiris AEthelfridus imperavit. Hic autem AEthelfridus, qui, ut in historia postea declaratur, inermes Britannos, Augustino & AEthelberto incitantibus, ferro crudeliter trucidavit, superbus vanaeque gloriae cupidus dictus est. FLOR. in an. 610.

BEDA.

QUATUOR autem in hac insula, quae antiquitus Britannia dicta est, gentes celebres, sed lingua atque moribus differentes, tum fuerunt, cum Augustinus advenit, videlicet, Britanni insulae aborigines, quos Angli Wallos, id est, peregrinos, appellabant. 2. Angli, inter quos & Saxones numerabantur; utrique enim cum Horso & Hengisto e Germania huc introducti sunt. 3. Picti. 4. Scoti. E quibus Britanni, Picti, atque Scoti, ante Augustini adventum Christiani fuerunt.

EXTERNA.

MAURITIUS patria Cappadox fuit; genus autem a veteribus Romanis dicitur traxisse. Primum sub Tiberio secundo pio imperatore, amoto Justiniano, cui res parum secundae obtigissent, orientis praefecturam gerebat. In ea receptis militaribus

ECCLESIASTICA.

ctum Patre & Filio pronunciabant; quia ab utroque miſſus ſit. Quos FULGENTIUS ad Thraſymundum refellit, lib. 2.

NONNULLI etiam hoc tempore affirmabant, diabolum cum ſuis angelis ad gratiam poſſe revocari: qui a CASSIODORO in pſalmo nono refelluntur.

ITEM ortae ſunt Romae opiniones iſtae: In baptiſmo omnia peccata non dimitti: religionis cauſa conjugia poſſe diſſolvi: poſt poenitentiam triennio factam, licentiam eſſe denuo peccandi. Quas GREGORIUS damnat, lib. 9. indict. 4. epiſtola 39.

ENTHUSIASTICI quoque ac fanatici nonnulli mirabiles quaſdam viſiones hoc tempore jactitarunt, futuraque & mundum brevi collapſurum praedixerunt. Cum quibus mathematici & aſtrologi conjuncti ex aſtris omnium rerum everſionem inſtare affirmarunt. Quae res permultos ad ſimulatam poenitentiam coegit. AGATHIUS lib. 5.

ALIUS in Burdegalenſi civitate pſeudochriſtus exortus eſt; qui cucullo & tunica ex pilis caprarum confecta indutus, arte magica fefellit multos; ut viſum caecis donare, & claudos violenta tractione ſanare viſus ſit. Deſiderius illi nomen fuit, ſed Chriſtus appellari affectavit. Prae ſe ferebat quoque abſtinentiam, quam tamen ingluvie clanculum compenſabat. GREG. TURON. lib. 9. hiſt. cap. 6. Dolo tandem cognito, urbe exactus eſt.

DE Staurolatris, qui crucem venerabantur, meminit etiam Nicephorus; quem de hujus temporis

quam Romae coronatus eſt. Ideoque Romanis quam Conſtantinopolitanis civibus amicior, Bonifacio tertio, qui ſecundus a Gregorio pontifex Romanus fuit, inter quem & Gregorium Sabinianus medius interceſſit, eum, quem Johannes Conſtantinopolitanus patriarcha vivo Mauritio vendicabat & Gregorius recuſabat, primatus titulum conceſſit; ut is "ſummus Pontifex," Romaque "omnium eccleſiarum caput ac mater," diceretur. Ita jubente imperatore ſuſcepta ab Epiſcopis Romanis haec ſumma in rebus divinis poteſtas, aſcripta quidem deinceps Petro Apoſtolorum primo, ac Domino noſtro Jeſu Chriſto, ſed nunquam depoſita atque abdicata, eſt. Hinc nonnulli Gregorium ejuſque ſucceſſorem Sabinianum Romanorum pontificum ultimos appellant; quia reliqui non Romanae ſolius, ſed totius Chriſtianae, eccleſiae imperium ſibi vendicabant, &, quouſque iis permitteretur a regibus provinciiſque poteſtas, adminiſtrabant; & totius potius orbis quam unius urbis Epiſcopi dici malebant. Graecia vero, totaque orientalis eccleſia, a Romanorum communione penitus diſceſſit: Et Africana Romanae obtemperare noluit; quae Phocae parricidae beneficio dicam, an immani potius ſcelere, tam nefarie ſe ſupra caeteras eccleſias extuliſſet? Tum occidentales omnes eccleſiae, in quas poſtea Roma dominata eſt, non ſe protinus Romano pontifici ſubjecerunt: ſed patefacta haec per Phocam & Bonifacium ad Antichriſti ingreſſum, prout Gregorius vaticinatus eſt, janua ad ſummum impietatis & caecitatis culmen, ducentis pene deinceps annis, paulatim, ut dicetur, pervenit. Ad extremum, eo ipſo tempore, quo Romanorum pontificum faſtus & ſuperbia execrandam illam dominationem in eccleſias invexit, dira illa humani generis peſtis, impia [f] Mahumetana religio, originem habuit: ut adfuiſſe jamjam Antichriſti vim ac potentiam, ſive in pontificibus ex illa imperandi cupiditate, ut Gregorius ipſe praedixit & evangelici omnes credunt ac aperte deſignant, ſive in Mahumetanis, ad quos pontificii id omen Gregorii frivole a ſe avertant, neceſſe eſt: utraeque enim contra Chriſtum impietates eodem tempore exortae ſunt. Jam vero praeter ambitionis malum, quo inſoleſcere magis magiſque poſtea coepit Romanorum ponti-

[f] *Platina. Sabel. Liber Roff.*

ficum

GREGORIUS.

pere. NAUCL. Generat. 18. HENR. ERPHORDIENSIS de Anaſtaſio. Et Theodatus Italiae rex Sylverium elegit & confirmavit, quod Juſtinianum imperatorem ad bellum accendit, quia imperatoris authoritati derogavit. SABEL. Enead.

POLITICA.

litaribus copiis ita ſe geſſit; ut ultra Romani imperii fines progreſſus Perſas diu contra imperium contendentes vicerit; tum de Arabibus triumpharit; inſidias etiam plurimas ſibi invidioſe a ſuis ſtructas magna cautione vitarit. Animo praeterea tam benigno fuit, ut magnitudine majori, an manſuetudine fuerit, incertum eſt. De eo ita ſcribit NICEPHORUS, lib. 18. cap. 8. Solus namque ex prioribus imperatoribus ſibi ipſe imperavit, & verus cum ſumma poteſtate princeps ὀχλοκράτειαν, id eſt, turbulentum perturbationum & animi motuum ſtatum ex animo ipſe ſuo ejecit, atque ἀριστοκράτειαν in cogitationibus conſiliiſque ſuis conſtituit; vivam ſeipſum virtutis ſtatuam, ut cives atque ſubditos ad imitationem ſui erudiret, praebens. Fuit vir prudens & ſolers maxime, in vita quotidiana & victu accuratus admodum. Ventri minime indulſit, neceſſariis tantum & frugalibus cibis uſus eſt; conſtantem ſe & immotum in rebus omnibus praebuit. A multis adiri ſe & conveniri paſſus eſt; neque in hominibus audiendis diſſolutus aut remiſſus fuit: Alterum enim contemptum adfert, alterum

ECCLESIASTICA.

temporis haeresibus lege a cap. 45. ad cap. 55. lib. 18.

IMPIUS Mahometes ab Ismaele dicitur originem duxisse: Abdala patre, matre vero Hennia natus est. Anno Domini 600. primum Arabum atque Saracenorum dux fuit. Saracenos autem eosdem quos & Ismaelitas a Sara matre quidam putant, alii a monte Sara, quem incolebant, dictos. Iste vero Mahometes a Sergio & Johanne haereticis Arianis monachis ex Judaeorum, gentium, & Christianorum religione legem novam permiscuit & composuit: quam partim verbis, partim fictis prodigiis, columbae secum in aurem colloquentis, necnon tauri, morbi comitialis, & lunae, partim vi & armis, infinitae multitudini persuasit. THEOPH. in Chron. ZONAR. CEDRENUS. FL. BLONDUS Dec. I. lib. 6. VINCENT. in spec. lib. 24. cap. 4. & infiniti alii historici.

ORDO patriarcharum superiori saeculo constitutus, adhuc retentus est: ut in synodis Romanus pontifex primum, Constantinopolitanus secundum, Alexandrinus tertium, Antiochenus quartum, & sic deinceps, haberet locum. Sed hac cautione adhibita, ne unus reliquis imperaret, ideoque nominatim vetuerunt Romanum Episcopum, ne primi loci praerogativa abuteretur, universalem patriarcham appellari; ne alii, qui pares sunt, honore suo privarentur. PELAGIUS papa, dist. 99. cap. Nullus. GREG. in epistola ad Eulogium Alexan-

ficum audacia, etiam ipsius Gregorii tempore doctrina atque disciplina ecclesiae collapsa, a veteri puritate ad superstitionum errores multum degeneraverat: Romaeque, Gregorio praesidente, multarum superstitionum caput & origo fuit; indeque non modo in Angliam ab Augustino inductae, sed in varias orbis Christiani regiones disseminatae late dimanarunt. Quae cum ab ipso Gregorio descriptae atque praeceptae sunt, non alienum erit earum quasdam recensere; ut, quam infelix prima Anglorum in Christiana religione institutio fuerit, animadvertatur: eo nimirum tempore, quo ambitio cum superstitione in ecclesiam irrepserat. Atque illud primum admirari omnes jure possunt, cur cum Gregorius illum universalis ac summi pontificis titulum tota mente omnique animi impetu aversatus sit, adeo ut se servum servorum Dei primus appellari voluerit, suisque successoribus eam humilitatis speciem, quam verbo magis quam re ipsa sequebantur, praescripserit; superstitioni tamen usque adeo deditus sit, ut sua aliorumque somnia inter veras divinationes retulerit. Namque per Romanae civitatis forum transiens, quod Trajanus quondam imperator aedificiorum splendore decoraverat, venisse sibi in mentem scribit bonitatis cujusdam justitiaeque insignis, qua in viduam supplicem usus esset: quae cum a Trajano ad proelium accincto instaret, ut filii sui interempti mortem vindicaret, dixissetque Trajanus se id, si a proelio reverteretur, effecturum; & illa, "quid si " in proelio succumbas? a quo justitiam impetra" bo?" "Ab eo, inquit Trajanus, qui mihi suc" cedet in imperio." Tum vidua, "an non, in" quit, tibi satius est ut ipse rogatus jus reddas, " quam ut alteri incerto, te mortuo, reddendum " relinquas, laudeque ac mercede debita careas?" Qua mulieris ratione permotus Trajanus, intermisso paululum, ad quod festinavit, itinere sententiam de homicida tulit, & antequam ad proelium exiret, executioni mandavit. Hanc Trajani mansuetudinem, & propensam in causam viduae voluntatem, cum forum transiens admiraretur Gregorius, flens ad divi Petri templum celeriter accurrit; ibique preces tanto animi ardore vehementiaque profudit, ut infidelitas gentiumque errores Trajano alioquin pio bonoque principi remitterentur, & a poenis infernalibus ad coelestia gaudia eriperetur,

POLITICA.

alterum autem assentationi aditum praebet. Itaque non frequenter, & tantum de rebus gravibus, acturos ad se homines admisit, & aures sermonibus inutilibus atque fatuis obturavit, &c. His moribus praeditus, summaque in rebus agendis auctus magis quam elatus foelicitate, a Tiberio filiam accepit in uxorem, ac una cum ea imperium in dotem. Eo etiam suscepto, adeo fuit mansuetus, ut laesae majestatis reos non morte, sed relegatione aut perpetua custodia afficeret. In re militari ad honestam disciplinam ordinemque omnia revocavit, molles & enervatos milites ab exercitu dimisit atque resecavit, languentes excitavit, lascivos aut juveniliter exultantes tanquam fraenis coercuit. Omniaque diu tam pace quam bello foelicissime administravit. Armenos atque Persas per legatos fudit. Chosroem Persarum regem regno pulsum & ad se profugum recepit regnoque restituit. Ex Mysia item Scythas repulit. In Italia Longobardos repressit. Deinde auspiciis filii sui & Germani soceri victos Hunnos ex Pannonia expulit. Chaganum illorum ducem afflixit,

nead. 8. lib. 3. Pontificatu suscepto, Gregorius ceremonias, quibus nunc utuntur in templis, modumque chori & psalmodiae primus instituit. SABEL. Ennead. 8. lib. 5. Haec vero de summa penes unum Constantinopolitanum patri-

ut proxima nocte reſponſum hoc in ſomnis accepiſſet; ſe ea lege pro Trajano fuiſſe exauditum, ne pro altero quocunque deinceps infideli intercederet. Quod ſuum ſomnium cum enunciaſſet Gregorius, crediderunt veteres ereptum e Pluti tenebris Trajanum & ad coelos evectum, quingentis amplius poſtquam mortuus eſſet annis. Neque in his ſolum ſomniis ſeu deliriis divulgandis, quae pro veris tunc miraculis celebrari coeperunt, populumque a recto & ſincero Dei cultu depravarunt, Gregorius multus fuit; ſed in ceremoniis nugaciſſimis inſtituendis nimius: [g] Eccleſias ſtatis diebus frequentantibus delictorum poenas condonavit: Alleluia novies, Kyrie eleeſon, & Offertorium dicere juſſit: Litanias ſeu ſupplicationes majores in feſto ſancti Marci ordinavit: Initio quadrageſimae quatuor dies adjecit: Adorationem crucis nudis pedibus feria ſexta poſt dominicam paſſionis praecepit. Quid multis opus eſt? Non modo ex iſtis & ejus generis infinitis, & ex illis, quae Auguſtino Anglicanam eccleſiam inſtituenti in mandatis dedit, ſed & ex aliis longe prioribus intelligere poſſumus, quantis inutilium ceremoniarum & ſuperſtitionis tenebris illa tempora caecabantur. Nam & [h] Auguſtinus ille Hipponenſis in Africa Epiſcopus, cum rituum multitudo in eccleſia ſic in immenſum creviſſet, conqueſtus eſt, Chriſtianorum in ceremoniis atque ritibus ob multitudinem duriorem tunc fuiſſe conditionem, quam Judaeorum: qui etiamſi tempus libertatis non agnoverint, legalibus tamen ſarcinis, non humanis praeſumptionibus, ſubjiciebantur: paucioribus enim in divino cultu ceremoniis quam Chriſtiani utebantur. Qui ſi ſenſiſſet, quantus deinde per ſingulas papas coacervatus ceremoniarum cumulus acceſſit, modum fortaſſe Chriſtianis aliquem ſtatuiſſet, qui tantum tunc malum in eccleſia viderat. Cum enim glorioſis illis ceremoniis a pura primitivae eccleſiae ſimplicitate receſſiſſent; non de vitae ſanctitate, de evangelii praedicatione, de aeterno Dei in Chriſto beneficio, de Spiritus Sancti vi & conſolatione, & reconditis humanae ſalutis myſteriis laborabant; ſed novas indies altercationes de novis ritibus per ſingulos papas additis inſtituebant. Qui neminem tam excelſo

[g] *Platina. concil. lib.9. cap.9. & 45. & paſſim in decretis.*
[h] *Aug. Epiſt. ad Jan.119. cap.19. tom.2. pag 577.*

papatus

GREGORIUS.

archam eccleſiaſticarum rerum poteſtate lis & contentio, tempore Pelagii pontificis, qui proximus ante Gregorium fuit, naſcebatur. Johannes enim Conſtantinopolitanus patriarcha, adjutus a Mauritio imperatore, orientales Epiſcopos

ECCLESIASTICA.

Alexandrinum, Diſt. eadem, cap Ecce. JUSTIN. 2. Novell. tit.131. Idem JUSTINIANUS in Novell. conſt. 100. jubet, ut Conſtantinopolitanus patriarcha Romano pontifici adaequaretur: & Conſtit. 123. Clericos cujuſlibet provinciae proprio patriarchae ſine ulteriori provocatione ſubjicit: ſed poſtquam maximae cauſae coepiſſent ratione ſedis imperialis Conſtantinopolim deferri, Romani pontifices in hoc ſaeculo magna aſſiduitate laborabant, ne periret eis primatus ſui gloria: ideo omnis hujus ſaeculi pontificum turba, in ſcriptis & epiſtolis ſuis, de Romanae eccleſiae excellentia, ſupra modum prioribus cognitum, gloriantur. Et tamen nondum juriſdictionem univerſalem captabant; ſed caeteras eccleſias volebant eſſe ſuae imitatrices, non ancillas: ut ſequendo magis ex ea diſcant, quam obſequendo pareant. Sic Gregorius ita ſe diſponere in aliorum eccleſiis dicit, ut jura ſua ſingulis Epiſcopis inviolata ſervet, lib.9. indict.4. epiſtola 67. Et ſcripta ſua monita, non mandata, vult haberi. Sed ſchiſmatibus variis inter Romanam, Conſtantinopolitanam, Alexandrinam, & Antiochenam eccleſiam exortis, de quibus in ſuperiori tractatu diximus, ſicut inter ſe crebro a mutua communicatione divulſae eſſent atque ſeparatae, coeperunt de illa quam vocant majoritate & obedientia contendere. Cumque Roma & Conſtantinopolis ob imperium maximae ſemper eſſent authoritatis, illa primatum & Petri ſedem

POLITICA.

flixit, & Pannoniam recuperavit. POMP. LAETUS de Maur. EGNAT. lib. 2. Roman. principum, in Mauritio.

GREGORIUM Epiſcopum Antiochiae de graviſſimis criminibus, inter quae inceſtus cum ſorore ſua eſſet, coram orientis praefecto poſtulatum, & ad ſe atque ſynodum provocantem judicio liberavit, & ad ſedem ſuam epiſcopalem remiſit; ejus accuſatore nervis bubulis caeſo, & oſtraciſmo mulctato: poſt quam accuſationem magna ex terribili terrae motu calamitas Antiochiae divinitus inflicta eſt. Namque aedificiorum fundamentis quae profundius innitebantur in ſublime excuſſis, tum his quae in altum ſublata erant aedificiis dejectis, interempta ſexaginta amplius hominum millia. Gregorius autem, urbis Epiſcopus, cum tectum huc illuc ex terrae motu ferri animadverteret, eo exceſſit; quod tamen non ante concidit quam is ſalvus exierat. Somnium illud Gregorii de Trajano quidam ita torquent, ut non ab inferno, ſed ab inferni cruciatu & tormentis, Trajanus Gregorii precibus liberatus ſit: quia ab inferno nulla eſt redemptio. AUGUSTINUS

ECCLESIASTICA.

dem, ab eoque ductam Episcoporum successionem passim obtendebat: haec vero imperii ad eam translati praesentia & potentia nitebatur. In hac diuturna lucta & digladiatione Smaragdus a Mauritio imperatore ad Longobardos Italia pellendos exarchus constitutus, cum Romanorum pontificum ambitionem de supremo in ecclesia Dei loco animadverteret, conatus est Johannem Ravennatem Episcopum, quia ipse Ravennam civitatem exarchiae suae locum statuerat, Romano pontifici anteferre, & Ravennatem ecclesiam reliquarum in Italia ecclesiarum ducem constituere. Itaque adjunxit illi Severum Aquileiensem Episcopum & tres alios ex Gradatis Aquis. Quod pessime habebat Pelagium secundum papam atque Romanos: ideoque Johannem ut schismaticum damnant, & socios ejus deponunt. Sed cum novus Smaragdo ex exarchia avocato successor a Mauritio datus esset, vix annus elapsus erat, cum illi animum mutant, & se invitos a Romano pontifice descivisse queruntur. Veniam autem facile impetraverunt, & pontificis jussu, a decem Venetae provinciae Episcopis in synodo ad Maranum restituuntur in integrum. SABELL. Ennead. 8. lib. 5.

ITA in hac dissensione acquisita tandem a Romanis Episcopis haec in occidentales ecclesias authoritas & potentia. Sed Germaniae Galliaeque Episcopi adhuc restitere; ut in epistola inter AVENTINI collectanea reperta, in

papatus gradu dignum judicabant, qui aliquid ceremoniosi, ne dicam monstrosi, inauditi atque inusitati non adjecisset. Atque his figmentis, fabulis, atque rixis, non modo personabant suggestus sacri & ecclesiarum parietes; sed theologorum in Academiis scholae replebantur. Namque prima ecclesiae species simplicior, & integro ac interno Dei cultu ab ipso verbo praescripto magis enituit; nec vestibus splendida, nec magnificis structuris decorata, nec auro, argento gemmisque fulgens fuit: etsi nec his exterioribus uti vetitum est, si modo animum ab interiori & puro Dei cultu, qui in corde ponitur, non abducant. Id quod in summo salutis nostrae & Christianae ecclesiae symbolo, nobis ab ipso Domino tradito, corporis nimirum sanguinisque sui sacramento cernitur: cujus primo ceremonia in calicibus ligneis & vestibus communibus, a sanctioribus, quam qui sequuti sunt, sacerdotibus administrabantur. Tum etsi in Missarum, ut vocant, tanta, precum, collectarum, canonum, lectionumque varietate ac multitudine refertarum solenniis id sacramenti administrari volunt pontificii; scimus tamen eam ipsam sic appellatam Missam, & illius sacramenti traditionem, non alia oratione, quam sola dominica a divo Petro in orientalibus regionibus, vel, ut alii vocant, a Jacobo Hierosolymis fuisse celebratam: eodemque administrandi genere atque modo a primo Christi instituto ducentis amplius annis in ecclesia prima duravit; donec Zephyrinus, decimus sextus pontifex Romanus, eam primitivae ecclesiae institutionem quorundam suasionibus ad elegantiorem materiam formamque mutavit. Urbanus vero, decimus octavus pontifex, lepide alludens postea: "nunc, inquit, verendum "est, ne aureis in calicibus plumbei vel lignei "ministrent sacerdotes." Quo dicto arguit suum illud saeculum, quod multo propius quam Augustini a Christo & Apostolis abfuit, curiosis ac morosis ritibus ab illa primaeva & recta simplicitate evangelica degenerasse. De qua etiam vasorum mutatione extat Triburiensis concilii sub Arnolfo imperatore habiti istiusmodi decretum: "[k] Vasa, in "quibus sacra conficiuntur mysteria, calices sunt "& patinae; de quibus Bonifacius martyr & Episcopus interrogatus, si liceret in vasculis ligneis "sacra-

[k] *De vasculis in Tribur. concilio, cap.* 18.

GREGORIUS.

copos convocavit, ut se oecumenicum Episcopum crearent; ad quos Pelagius scripsit, ne ad synodum a Johanne convocatum accederent; & Gregorium, tum diaconum Constantinopolim ad Johannem misit, ut cum eo de non suscipiendo

POLITICA.

GUSTINUS de ANCHONA de potestate papae. Lib. ROFF. in anno 605.

SIMILEM fabulam refert NICEPHORUS, lib. 7. cap. 15. de Alexandra regina Georgii Cappadocis intercessione ab inferis revocata. Et vide supra in DUNSTANO.

CUM diu recte atque prospere imperium gessisset Mauritius, adductus Johannis Constantinopolitani Praesulis suasu, eum in Graecorum concilio oecumenicum Episcopum creavit; & ad Gregorium Romanum Episcopum scripsit, ut ei pareret. Deinde & legem tulit, ne milites sua sponte castris relictis religioni se astringerent, nisi debiles, aut ab imperatore dimissi essent. Haec duo summum Gregorio negotium facessebant; quibus etiam per literas acerrime restitit, & eum divinae sequuturae vindictae admonuit. Anno itaque imperii sui vicesimo milites lenitate ejus insolentiores facti, & rerum novarum studio solicitati, cum Christi diem natalem ex more publice celebrarent, in eum subita seditione Constantinopoli exorti sunt, & conviciis atque saxis eum petentes, ut periculum vitaret, in Dei genitricis templum

ECCLESIASTICA.

in qua monent papam & Epiſcopos Italiae, ut ſe miſſos faciant, ſuaſque res curent, nec imperium in eos exerceant: nam eorum pravam famam per orbem terrarum ſpargi. Item Catinenſis & Syracuſanus Epiſcopi Gregorium reprehendebant, quod Conſtantinopolitanae eccleſiae conſuetudines in Italiam invexiſſet. Hoc indicat JOHANNES DIACONUS, lib. 2. cap. 21. in vita ejus. Nec adhuc quidem ſynodus a pontificibus convocabantur, ſed a regibus; ut in GREGORII ad Francorum reges literis apparet; in quibus ſupplicat de ſynodo lib. 9. indict. 4. epiſt. 52, 53, 54, 55, 56. Eorum enim tum imperio Epiſcopi & ſacerdotes adminiſtrabant eccleſias.

CEREMONIAE, quae ſingulis aetatibus in eccleſia numero creviſſent, hoc ipſo Gregoriano ſaeculo mirum in modum, ac prope in infinitum, auctae ſunt: potiſſimum vero in cultu monaſtico, veneratione Sanctorum, imaginibus & reliquiis adorandis, multiſque ejus generis aliis, quibus homines obruti & faſcinati putabant aeternae vitae merita fuiſſe illa exercitia.

AC primum templa Sanctorum nominibus conſecrabantur: inde hoc ſaeculo ſcripſit FORTUNATUS, lib. 4:

"TEMPORE quiſque ſui fundans pia templa patroni; Iſte Auguſtini condidit, ille Petri."

IN his, Sanctorum imagines, imperatorum & clarorum virorum ſtatuas, & multa pretioſa collocabant. Mauritius ſtemma quoddam a ſua conjuge artificioſe conſtructum in templum

" ſacramenta conficere, reſpondit: Quondam ſa-
" cerdotes aurei ligneis calicibus utebantur, nunc
" e contra lignei ſacerdotes aureis utuntur cali-
" cibus. Zephyrinus decimus ſextus Romanus
" Epiſcopus patenis vitreis miſſas celebrari con-
" ſtituit. Tum deinde Urbanus decimus octavus
" papa omnia miniſteria ſacrata fecit argentea: in
" hoc enim, ſicut in reliquis cultibus, magis ma-
" giſque per incrementa temporum, decus ſuc-
" crevit eccleſiarum. Noſtris enim diebus, ut
" decreto ſancitur, qui ſervi Patrisfamilias ſumus,
" ne decus matris eccleſiae imminuatur, ſed ma-
" gis cumuletur & amplificetur, ſtatuimus, dein-
" ceps ut nullus ſacerdos ſacrum myſterium cor-
" poris & ſanguinis Jeſu Chriſti Domini noſtri in
" ligneis vaſculis ullo modo conficere praeſumat,
" ne unde placari debeat, inde iraſcatur Deus."

Ita non pontificum modo, ſed conciliorum decretis, ceremoniarum indies cumulatus numerus fuit: neque id ſolum, ſed ſuperſtitione multa eccleſiaſtici ritus ante Gregorii tempora depravati ſunt. [1] Fingunt enim in Hibernia, ante Anglorum adventum, crucem in templo Trinitatis Dubliniae fuiſſe Jeſu crucifixo ſimillimam, quae & loquuta eſt, & inter duos cives de contractu diffidentes teſtimonium veritati perhibuit: Eademque & fures aliena ſurripientes ad ablatorum confeſſionem atque reſtitutionem coegit. Atque infinitum quidem eſſet caetera fabularum portenta atque monſtra, quibus illa etiam aetas abundabat, recenſere: haec autem ideo commemorantur, ne illorum temporum conditionem ignoremus, quibus infans ac tenera Anglorum eccleſia non tam religionem Chriſtianam, quam ſuperſtitionem & inanes ceremonias, a Gregorio ejuſque Auguſtino, tanquam a nutricis ubere lacteque, ſuxit. Nam & doctrinam Chriſtianam ejuſmodi fabulae corruperunt, & morum diſciplina in ritus quoſdam degeneres & obſervationes ſuperſtitioſas tota defluxit. Qui religionis fucus cultuſque ſimulatus uſque ad HENRICI OCTAVI Angliae regis inclytiſſimi tempora, quod poſt Auguſtini huc adventum nongentis amplius fuit annis, pontificum poteſtate ac libidine ſingulis aetatibus creſcente, auctus duravit: ab eoque, una cum pontificia authoritate, ſic abjectus & exterminatus eſt, ut evangelii luci veritatique

[1] *Girald. Cambr.*

locus

GREGORIUS.

piendo tam ſuperbo titulo ageret. Sed ſynodus illa orientalis nihilominus Mauritii juſſu convenit, & Johannem univerſalem Epiſcopum ſtatuit atque declaravit. Poſteaque Pelagio mortuo, cum Gregorius Romanum pontificatum iniiſſet, a Mauritio

POLITICA.

templum, quod magna religione colebant, coegerunt. Seditione autem ea pacata, non ſatis ſevere in facinoroſos animadvertit; ſed de paucis ſumpto ſupplicio, reliquos oratione pacavit, ac moderatiora deinceps conſilia ſequi juſſit.

POSTEA Chaganus, qui magno exercitu Dalmatiam depopulabatur, in Myſiam irruit, urbes varias ſolo aequavit, omnes pene ſine diſcrimine trucidavit: ad Conſtantinopolim propius acceſſit, ſubito divinam ob crudelitatem metuens vindictam, quod ſeptem liberos peſte ſimul conſumptos amiſiſſet, captivis, quos permultos habuit, pepercit, nec occidere voluit: & de his redimendis cum Mauritio egit, & pro ſingulis duos tantum aureos popoſcit. At Mauritius recentis injuriae & ſeditionis memor conditionem rejecit. Quo audito, incenſus Chaganus omnes interfici juſſit. Haec in Mauritio ſive crudelitas, ſive avaritia, & milites incendit & omnium pene odium in eum concitavit; ſuique deinceps interitus cauſa fuit. Deum etiam ſibi offenſum, & vitae calamitoſum exitum, imperiumque a ſua ſtirpe ad Phocam transferendum,

praenun-

ECCLESIASTICA.

plum suspendit. Multa etiam superstitiosa, ut aqua illa exorcisata, fumigationes, & ejusmodi; quae commemorat GREGORIUS TURONENSIS.

IN baptismate cereis & chrismate utebantur. In eodem, cap. 11.

PEREGRINATIONES in usu tum fuisse, testis est GREG. TURONENSIS, lib. de gloria confessorum, cap. 87. ubi fratricidam quendam ab Episcopo jussum, poenitentiae loco, septem annos ad loca Sanctorum peregrinari commemorat.

FESTA non modo a pontificibus, sed ab ipsis Caesaribus indicta prope singulis, quos inter Sanctos retulerunt, fuerunt; in tantum, ut Mauritius imperator sanctae Genitricis dormitionem decimo quinto Augusti celebrari praecepit. NICEPHOR. lib. 17. cap. 28.

RELIQUIIS Sanctorum consecrebantur festa. Apostolorum reliquiae vicesimo nono Junii in aureo curru circumvectae sunt. NICEPH. lib. 17. cap. 16. PAULUS DIACONUS, lib. 16. Historiae Miscellae.

GREGORIUS in ecclesiis consecrandis usque adeo superstitiosus fuit, ut illud semper observari praecipiat, ut reliquiae aliquae in consecratione templorum praesto sint: & diligens fiat exploratio, ne alterius cujusquam Sancti corpus ibi sit sepultum praeter ejus cui templum dedicatum sit, lib. 2. indict. 11. cap. 58.

ITEM consecratio altaris, calicis, & corporalis tunc in usu fuit, ut meminit GREG. lib. 12. epist. 32.

SOLITI

locus esse coeperit: id quod in hac historia copiose declarabimus. Gregoriana vero scripta, quae in maximo tandem pretio a pontificiis habebantur, eo mortuo, sive ob superstitionem, sive aliam ob causam, Sabiniano proximo pontifici permultisque aliis ita displicebant, ut nisi Petrus quidam, qui diaconus Gregorii fuit, populo suasisset, vidisse se Sanctum Spiritum ejus capiti, dum exararet, in columbae specie insidentem, eorum memoria damnata, ea flammae commisissent. Cujusmodi etiam fabulam, annalibus suis non indignam, pontificii, qui primam in Anglia evangelii sationem suis ascribi vellent, tradunt de [m] Augustini huc mittendi occasione atque causa. In usu fuisse tum Romanis, aiunt, formosissima mancipia ex Anglia abducta in foro palam vendere: ex his cum pueros quosdam venales Gregorius, tum Romanus presbyter, antequam pontificatum inierat, forum transiens conspicaretur, eorumque venustatem admiraretur; vicem eorum doluit, quod tam praeclarum hominum genus verum Deum ignoraret. Ac mox de gentis nomine quaesivit; cui responsum est, quod Angli vocarentur. "Et recte, inquit; nam & angelicas ha-" "bent facies, talesque angelorum coelestium decet" "esse cohaeredes." Deinde interrogavit, de qua illius gentis provincia exiissent; cui, quod ex Deira boreali ejus regionis provincia. Tum ille provinciae simul ac gentis nomini alludens: "Bene, inquit, Deiri, i. e. de ira Dei eruti, &" "ad misericordiam Christi vocati." Ultimo de illius provinciae rege percunctatus, accepit, quod Ella diceretur; "cui Alleluya, inquit, in laudem" "Dei Creatoris in illis partibus oportet cantari." Itaque pontificatu suscepto, nihil sibi prius faciendum esse duxit, quam tam pulchram atque candidam gentem in Christianam vocare societatem, eaque de causa Augustinum cum apostolica potestate in Angliam destinavit. Sed pontificiorum historia tantis mendaciis referta & assueta semper fuit, ut ne verum quidem enunciare aliquid nisi permista vanitate possit. Etsi enim verum est Augustinum huc missum a Gregorio, tamen neque hinc ortam esse suae legationis causam, neque gratuitam sponteque a Gregorio aut Augustino profectam, sed ab ipsis Anglis evangelii desiderio expe-

[m] *Ex Gregorii vita operibus ejus praefixa.*

GREGORIUS.

Mauritio imperatore admonitus est, ut Johannem Constantinopolitanum patriarcham, in synodo Graecorum universalem Episcopum creatum, agnosceret illique se subjiceret. SYMONETA, lib. 4. cap. 31. Verum Gregorius primum ad

POLITICA.

praenuntiantem, & interrogantem in hoc, an alio saeculo sibi ultionem rependeret, in somnis accepit. Itaque exercitus primum Petrum ejus praefectum repudiavit, & Phocam sibi praefecit: nonnulli ad Theodosium Mauritii filium, tum venatione sese delectantem, confugiunt, ab eoque petunt, ut vel imperium susciperet, vel Germano, qui sororem ejus duxisset, cederet. In his angustiis commotus Mauritius, Germanum suum socerum affectati imperii suspectum ad supplicium quaerit. Is ad ecclesias confugit, a quibus eum extrahi ne plebs quidem permisit. Omnium odia & convitia in Mauritium aperte conversa sunt. Milites ad murorum custodiam & excubias positi, cum insana plebe in Mauritium se conjungunt. Is exanimatus ex urbe media nocte profugit. Phocas ingreditur, aurum & missilia instar frequentis imbris in vulgus spargens; cui Germanus, qui in ecclesiis Mauritii metu delituit, se permisit: confestimque Phocas ab exercitu imperator renunciatus est; & imperio suscepto, Mauritium insequitur. Eum cum filiis deprehensum neci adjudicat: ac primum

ECCLESIASTICA.

Soliti sunt jurare in templis, tacto sepulchro alicujus Sancti in hanc formam: "Juro per Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum, & hoc corpus beati N. &c." ut declarat idem Greg. lib. 5. epist. 33.

De luminaribus etiam in templis facit Greg. mentionem, lib. 12. ep. 9.

In vita Gregorii operibus ejus praefixa scribitur: "Cum Gregorius ultimam visionem Ezechielis interpretaretur, Petrus diaconus ejus, qui dictante Gregorio scripsit, cum inter eos velum expansum esset, ut videri a suo diacono exscribente Gregorius non posset, & prolixius per intervalla reticeret, diaconus velum stylo perforavit, & inspiciens vidit columbam nive candidiorem super capite ejus sedentem, rostrumque ipsius ori diu tenentem; quae cum se amoveret, incepit rursus loqui Gregorius; cum vero reticeret, iterum introspexit diaconus, & columbam ut prius vidit. Quod cum Gregorius cognovisset, adjuravit diaconum ne illud miraculum se vivo patefaceret. At vero illo mortuo, motus quorundam invidia, qui dicebant Gregorium praesumptionis tumore tanta ac talia de coelestium arcanorum mysteriis fuisse locutum, haec se vidisse revelavit."

De hac etiam fabula ita scribit Johannes Diaconus: "Quod Gregorius cum mercatore aliquando colloquutus, qui Romam ex Anglia venerat, humana mancipia vendituro, cum intellexisset eam regionem adhuc paganismo implicatam teneri, singulari zelo se itineri ad

expetitam fuisse, locupletiorem quam ipsum Gregorium testem proferre debemus neminem: Nam cum Augustinus, sibique ex Romanis adhibiti socii, neque ad divinum verbum declarandum, nec ad ullam aliam vitae consuetudinem vulgari sermone cum Anglis loqui potuissent; scripsit Gregorius duas literas, unas ad Theodoricum atque Theodebertum, Francorum reges, alteras ad Brunigildam reginam; in quibus rogavit, ut Augustinum, quem ad Anglos ad Christianam fidem converti cupientes destinavit, in eo munere exequendo juvarent. Quarum literarum verba, quae de hac re faciunt mentionem, duximus inscribenda:

[n] "Pervenit ad nos Anglorum gentem ad fidem "Christianam, Deo miserante, desideranter velle "converti; sed sacerdotes e vicino negligere, "& desideria eorum cessare sua adhortatione succendere. Ob hoc igitur Augustinum servum "Dei, praesentium portitorem, cujus zelus & studium bene nobis est cognitum, cum aliis servis "Dei praevidimus illuc dirigendum. Quibus etiam injunximus, ut aliquos secum e vicino "debeant presbyteros ducere, cum quibus eorum "possunt mentes agnoscere, & voluntates admonitione sua, quantum Deus donaverit, adjuvare," &c.

Ad Brunigildam.

"Indicamus ad nos pervenisse Anglorum gentem, Deo annuente, velle fieri Christianam; sed "sacerdotes, qui in vicino sunt, pastoralem erga illos solicitudinem non habere. Quorum "ne animae in aeterna damnatione valeant deperire, curae nobis fuit praesentium portitorem Augustinum," &c.

Si itaque quod in his literis aperte Gregorius testatur, Angli Christianam religionem desideraverunt, utrum ex Augustini atque Romanorum praedicatione, quorum vox adhuc inaudita eis fuit, posteaque intelligi non potuit, an ex veteribus Britannorum scintillis atque monumentis, nondum penitus deletis & extinctis, hoc religionis desiderium eis incessisse putabimus? Namque a vicinis sacerdotibus adjuvari eos non potuisse narrat Gregorius: idque non minus, ut ante diximus,

[n] *Lib.* v. *Epist.* 58, & 59. *in Registro epist. Greg.*

GREGORIUS.

ad Episcopos orientales rescripsit, non esse admittendum tam prophanum titulum. Ad Mauritium quoque imperatorem dicit, id esse contra statuta evangelica atque canonum decreta. Et alibi narrat: Quod licet Chalcedonensis synodus

POLITICA.

primum filios in conspectu patris occidit. In quorum cujusque caede verba illa pater protulit: "Justus es, Domine, & justum judicium tuum." Eademque rursus verba refectionem capitis sustinens ferro caesus protulit: singulari animi virtute in summa calamitate ostensa. Post haec Phocas de Constantina Augusta non minus quam de Mauritio solicitus, eam in latebris agentem perquisivit: inventam autem cum tribus filiabus domuncula inclusit ferroque interimi jussit. Hanc divinam poenam in hoc saeculo potius quam in futuro optavisse Mauritium ferunt. Caeterum Gregorius Romanus pontifex Phocae imperium tanta nequitia adepto per literas gratulabatur. At Chosroes Persarum rex, qui regno, ut diximus, a Mauritio restitutus est, ista cum Romanis foedera rupit, seque Mauritii mortem vindicaturum minatus est: belloque exorto, Persae Syriam, Palaestinam Phoeniciamque subegere; Armeniam quoque, Cappadociam, Galatiam atque Paphlagoniam ditioni suae adjecere, & Chalcedonem, quae e regione Byzantii sita est, appropinquavere.

Arabes

diximus, ob Britannos tam perfide crudeliterque exactos, quam ob immania funeſtaque inter ſe bella civilia, quibus, nullis ſervatis pactionibus, ſe invicem infeſtabant, adducique ad foedera conſervanda injuriaſque Britannis reſarciendas ſuaſione Chriſtiana non potuiſſent: ideoque vicini eos, ut Chriſtiana communione indignos, in tanto peccato & injuria patiebantur eſſe deſertos. Si itaque, ut ex illa fabula, a qua digreſſi pauliſper ſumus, apparet, Gregorius Auguſtinum ad Deiros Ellamque illorum regem, mittere ſtatuiſſet; cur Cantuariam potius quam illuc appulſus cum Ethelberto conſedit, nec ultra progreſſus ad eos unquam acceſſit? Homo mollis atque monachus, humanitate regis Ethelberti victus, ab aquilonaribus Deirorum regionibus, pruinoſis ſane atque ſaevis, retentus acquievit. De quo nunc in inſtituta hiſtoria pergamus.

ANNO igitur Mauritii imperatoris decimo quarto & pontificatus Gregorii quinto, qui fuit, ut diximus, ſalutiferae incarnationis annus quingenteſimus nonageſimus ſextus, Auguſtinus, Gregorii mandato ac ſuaſu, adjunctis ſibi quadraginta circiter ſociis, inter quos Juſtum, Mellitum & Laurentium fuiſſe conſtat, iter in Angliam ſuſcepit; ut Chriſtianam religionem una cum Britannis ejectam & exterminatam, Anglis ejus jam, ut diximus, cupidis rurſus inſtauraret. Acceptiſque illis, quarum exemplum ſupra inſeruimus, literis, cum itineris multum confeciſſent, & ad inſulam propius acceſſiſſent, de populi Anglicani moribus, inſtitutione atque indole, diligenter a finitimis perquiſiverunt: & acceperunt gentem fuiſſe immanem, effraenem atque bellicoſam. Quo reſponſo perterriti, conſilio inter ſe habito, ab itinere ſuſcepto deſtiterunt, & Auguſtinum, dum reliqui in finitimis Angliae regionibus morarentur, ad Gregorium remittendum decreverunt. Is, cum ad pontificem rediiſſet, negotii ſuſcepti difficultatem, populi ferociam propriumque in re tanta gerenda periculum exponit; & ſupplex a pontifice petiit, ut a tanti diſcriminis itinere liceret eis bona venia deſiſtere. Sed Gregorius, quo magis pertimeſcere Auguſtinum ſuoſque ſocios ſuum in tam Chriſtiano negotio periculum ſenſit, eo acrius & vehementius eum impellit: narrat

[o] *Floril. Beda, Sigebert. Naucl. Sabel.*

quam

GREGORIUS.

ſynodus Romano pontifici nomen univerſalis Epiſcopi obtulerit, tamen nullus unquam praedeceſſorum ſuorum tam prophano vocabulo uti voluerit, lib. 4. epiſt. 36. In quo nonnulli falſum de Chalcedonenſi concilio Gregorium affirmare aiunt,

ECCLESIASTICA.

ad Anglos convertendos accinxit: ſed revocatus a Pelagio pontifice, cum populus invitus eum dimitteret, in Levitam ſeu Cardinalem Romae conſecratus eſt.

DE Alleluya & Kyrie eleeſon novies in antiphonis & vulgi introitibus cantandis valde curioſus fuit Gregorius. PLATINA in vit. Greg. SAB. Ennead. 8. lib. 5.

DE quo etiam ſuum morem apud Romanos inſtitutum, Graecorum ritui anteferens, quaſi magnum quiddam in eccleſia geſſiſſet, ita gloriatur. "Apud Graecos, inquit, omnes ſimul dicunt, Kyrie eleeſon; apud nos autem a Clericis dicitur, & a populo reſpondetur, lib. 7. indict. 2. epiſt. 63.

AD hanc Brunigildam Gregorius Mennam quendam Epiſcopum de criminibus quibuſdam ſuſpectum, purgandum a ſe dimiſit. Quod ſatis oſtendit principibus, etſi mulieres eſſent, in cauſis eccleſiaſticis perinde ac in civilibus, jus ſuum integrum, ipſo Gregorio permittente, tum fuiſſe. Sed miſerrime multiſque ambagibus & ineptiis in hoc articulo ſe torquent gloſſographi & commentatores canoniſtae, cauſa 2. quaeſt. 5. cap. Mennam. gloſſa in verbo Arbitrio, ibidem ubi affirmant papam nimium papaliter diſpenſaſſe, quod non ſolum laico, ſed mulierculae, Epiſcopum purgandum tradidiſſet.

TUNICA Domini inconſutilis inventa in civitate Zaphat, & adducta Ieroſolymas. SIG. GEMBL. CHR ABB. USPER.

POLITICA.

Arabes praeterea in Europa ubique vaſtarunt: quibus bellis non modo milites Romani, ſed & cives, in pleriſque urbibus conſumpti atque deleti ſunt. Animalia etiam lue conciderunt, & proventus omnis generis frugum nullus fuit. Acceſſere fames atque peſtis, hyemes item ingentes naturam ipſae ſuam ſuperantes; ita ut mare frigore congelatum piſces ubique mortuos ejecerit. Monſtra multa terra marique edita ſunt. Phocas ipſe his externis malis pejus urbem Conſtantinopolim domi afflixit: nam in equeſtri quodam ludicro certamine, quod eum nonnulli ſcommate tanquam ebrium perſtrinxiſſent, ira meroque aeſtuans cepit ex primoribus civitatis permultos, quorum quibuſdam membra amputavit, nonnullos in altum mare projecit, reliquis carceribus incluſis. Judaei etiam in hac rerum perturbatione ſaevire contra Chriſtianos coeperunt; cum exiſtimabant omnia in hac Phocae impietate exitioſa Chriſtianis fore. Itaque Antiochiae interfecto Anaſtaſio Epiſcopo cives plurimos trucidarunt, urbemque ſub ſuam ditionem redigere tentarunt.

Ac

ECCLESIASTICA.

Usper. Naucl. Aimon. lib. 3. cap. 78.

Doctrinae Christianae inclinatio hujus aetatis multum a priorum recta disciplina ad superstitionem & opiniones saepe singulares atque pravas deflexit.

Primum bonis operibus nimium tribuerunt, ut Cassiodorus, Psal. 40. "Eleemosyna, inquit, proprie sit purgatio peccatorum." Nec minus nostris operibus, sed etiam alienis, obtentam gratiam scribunt. Ennodius in Epist. ad Faustum:

"Confido, inquit, de superna benignitate etiam me ad optatae gratiae copiam perventurum, si Abrahae meritis, Loth Sanctorum turbis asciscitur: sic qui caruere propriis, propinquorum ad celsa perduci meruere virtutibus." Ex hoc improbo dogmate papalium indulgentiarum scrinium, ut in sequentibus aetatibus ostendemus, prodiit.

Ipse Gregorius in hac operum opinione hallucinatus est: Quoties, inquit, post culpam eleemosynas facimus, quasi pro pravis actibus pretium damus, in xv. cap. Job. lib. 12. cap. 23. & Olympiodorus inquit: "Cura ut piis operibus, tuaque probitate severum venturum judicem tibi placabilem reddas, atque demulceas, in xii. Ecclesiast. Et Justus Org. Compensat, inquit, Christus regnum coelorum pro sanctis laboribus atque eleemosynis, in Cant. Nec dissimilis eorum fuit de justificatione error, quam omnino operibus nostris ascribebant, ut Cassiodorus de septem Psalmis. Hos non

quam foret opus illud Deo gratum Anglisque salutare, sibi vero ipsis, sive prosperum sive adversum haberet eventum, laetabile atque honorificum, quod pro Christiana religione propaganda se tantis periculis molestiisque exposuissent. Hac Gregorii suasione Augustinus permulsus ad socios revertitur; ad quos a Gregorio datas perfert ejusdem argumenti literas. Et, ne Augustinus suique socii animis rursus deficerent, dedit alias Gregorius ad Etherium, tum Arelatensem in Gallia Archiepiscopum, literas; in quibus eum rogat, ut Augustinum omnibus humanitatis officiis amplecteretur, & in hoc evangelico ad Anglos nuncio ac negotio opera consilioque juvaret. Itaque recollectis confirmatisque Gregorii impulsu omnium animis ad intermissum iter redintegrandum se accingunt. Et quoniam Anglorum oratio incognita Romanis prorsus fuit barbaraque visa est, & interpretum operam negotium desiderabat, Gallisque sive Francis propter vicinitatem cum illis intercessit semper commercium; adsciscit sibi ex his aliquot Augustinus, qui interpretum munere fungerentur: omnibusque ad hoc iter necessariis comparatis, conscensa navi secundis ventis in Angliam recta contendunt; & ad insulam modico freto a Cantio separatam, quae, veteri retento nomine, adhuc Tanatos nuncupatur, navem appellunt. Ibi cum in littus essent egressi, Augustinus, quem Gregorius pontifex huic rei gerendae praefecerat, nonnullos suos comites cum interpretibus Gallis ad Ethelbertum Cantiorum regem misit. Hi cum his, quae ab Augustino in mandatis accepissent, ad regem admissi, narrant; venisse aliquot a Romano pontifice nuncios, qui ad illum & universum populum Anglicanum laetabile attulissent atque salutare nuncium; quod si accipere eique obtemperare velint, aeterna in coelis vita cum Deo vivo veroque potirentur. Rex, benigne accepta & audita ista legatione, suis illico imperat, ut novis his hospitibus ea, quibus indigerent, laute suppeditarentur: statuitque illis diem, quo in Tanatum venturus pontificis legatum de tam grato nuncio perorantem audiret. Eo die venit, Augustinum cum suis ad se evocavit, & ob nuntii novitatem ne praestigiis illuderetur veritus, totum cum suis & Augustini interpretibus colloquium auditurus sub dio palam consedit. Ibi Augu-

GREGORIUS.

aiunt, cum in eo nihil tale pontifici Romano oblatum reperiatur. Ac vivo Johanne, sopita aliquamdiu jacuit ista controversia: eo vero mortuo Cyriacus, ejus in Constantinopolitana ecclesia successor, universalis Episcopi titulum ab

POLITICA.

Ac singulae pene urbes ac provinciae aut vi ereptae sunt, aut sua sponte imperio detrectare & deficere coeperunt. Phocas omnibus jam odio & contemptui, ita gulae, ebrietati, libidini & crudelitati deditus erat, Romanorum saltem captavit gratiam, dum in ea de primatus sede atque dignitate inter Romanum & Constantinopolitanum Episcopos controversia, secundum Romanam ecclesiam pronunciavit. Verum sibi omnium odio flagranti parum tam callida assentatione ambitioneque subvenit. Namque Priscus quidam in militibus praefectus, cum in summa esset cum militibus civibusque gratia, clam in eum singulos commovit: quem Phocas veritus, oblata in matrimonium filia sua Domentia, generum suum, ad stabiliendum imperium, facere voluit: sed a tam barbaro tyranno Priscus abhorruit, eoque magis, quod Narsem optimum ducem paulo ante combussisset. Sed coacta cum esset matrimonii conditio, Priscus nihilominus habito secreto cum senatorii ordinis viris consilio, ad Heraclium Africam cum exercitu administrantem scripsit, ut Romanum imperium tanta tyran-

ECCLESIASTICA.

non credas, inquit, incassum ad septenarium numerum fuisse perductos, quando & majores nostri septem modis peccata nobis dimitti posse dixerunt: primo per baptismum, secundo per passionem martyrii, tertio per eleemosynam, quarto per hoc, quo remittimus peccata fratribus nostris, quinto cum converterit quis peccatorem ab errore viae suae, sexto per abundantiam charitatis, septimo per poenitentiam. Et ANDREAS HIEROSOLYMITANUS, in sermone de Ave Maria, opera, quae soli Deo conveniunt, Mariae tribuit, contra verbum Dei. De lege etiam inaudita atque nova fuit GREGORII sententia, quod, inquit, "Ante Mediatoris adventum nequaquam spiritualiter sed carnaliter lex tenebatur, in vi. Job. lib. 7. cap. 4.

LIBERUM quoque arbitrium ad humanas vires referebant, ut OLYMPIODORUS in iii. cap. Ecclesiast. "Spiritualis, inquit, nativitas & interitus pendet a nobis." Et ENNODIUS in epist. ad Constantium: "Debemus, inquit, gratiae quod vocamur, nostrae tamen electionis est, quod beneficia demonstrata sectemur." Et GREG. xli. cap. Job. lib. 33. cap. 21.

"IDCIRCO, inquit, nequaquam coelestis patriae praemia aeterna percipiunt, quia ea nunc, dum promereri poterant, ex libero arbitrio contempserunt. Quod videlicet liberum arbitrium in bono confirmatur electis, cum eorum mens a terrenis desideriis gratia aspirante suspenditur: bonum

Augustini interpretes non aliud quam Christianam religionem, quae Romae sub pontifice Gregorio floruit, & in Gallia, Scotia, Wallia, finitimisque undique gentibus recepta fuit, Ethelberto regi universoque suo comitatui denuntiant: Qui quanquam primo assensus non sit, tamen a Christi nomine ejusque cultu non penitus abhorruit. Respondit enim, se de Christiana, quam nunciarunt sibi, fide, conjugis suae necessitudine antea cognovisse: namque Bertam Francorum regis filiam, ritu atque fide Christianam, ea lege in matrimonium a parentibus accepit, ut Christum Dominum usitatis ac receptis in Francia ritibus assidue coleret, & Lybhardum Episcopum ad divina officia celebranda penes se retineret: cujus opera in ejus religionis ceremoniis aliquantulum instructus erat. Itaque sive charae conjugis amore, sive Augustini suasione victus Ethelbertus, cum secum reputaret viros istos sui causa tam longinqui itineris & navigationis molestiam suscepisse, officia illa singula hospitalitatis & humanitatis plena praestitit; in civitate Dorovernensi, quae nunc ut diximus Cantuaria nuncupatur, regni sui regia hospitia concessit, alimenta ex suo fisco honorifice lauteque decrevit, locum etiam promulgando evangelio opportunum permisit. Is locus fanum tum quoddam erat extra civitatis moenia ad orientem positum, & in honorem sancti Martini antiquitus extructum, cum adhuc Romani Britanniam ante Saxonum Anglorumque incursionem incolerent. Ibi regina Berta cum Episcopo suo Lybhardo Christianis sacris interesse consuevit. Itaque in eo loco Augustini suorumque sociorum assiduitate & diligentia indies auctus eorum numerus fuit, qui Christo nomen dederunt, crediderunt, atque baptizati sunt. Itaque huc Angli jam Christiani, [p] sacra peragendi, psallendi missas, non eas quidem ut postea privatas, sed in quibus populus perinde atque clerus coenae dominicae integrae particeps fuit, celebrandi causa quotidie confertimque confluxerunt. Numerus fidelium ita indies crevit, ut ipse tandem rex Ethelbertus cum universo suo populo Christo lucrifactus sit. Atque converso jam rege suoque populo, Augustinus operam dat, ut hostili & infido Saxonum in Britanniam incursu

[p] *Bed. lib. 1. cap. 25.*

Christi-

GREGORIUS.

ab orientali synodo concessum rursus vendicavit atque repetiit. Cui etiam Gregorius eadem de re denuo scripsit, & expresse affirmavit, si unus Episcopus vocatur universalis, universa ecclesia corruit, lib. 6. indict. 15. epist. 24. & 28.

Paulo

POLITICA.

tyrannide liberaret. Gregoras hujus nuncii fuit ad Heraclium legatus: qui duo, communicato consilio, filium uterque suum cum fortissimis copiis pedestri navalique apparatu adversus tyrannum misit. Heraclius Heraclii filius classi praefuit; Nicetas, Gregorae filius, pedestres ordines duxit. Atque Heraclius primum Phocae copias fudit: quod cum in urbe nuntiatum esset, Photinus, Phocae quam maxime infestus ob stuprum illatum conjugi, cum magna multitudine in regiam imperialem irruit, ac Phocam tyrannum solio in quo sedebat extraxit: tum ministris ejus domesticis perplexis atque dissipatis, purpuream vestem ademit, pullamque injecit: Ac mox vinctum ad Heraclium adduxit; qui infinitis conviciis exagitato, calcibus ei insultavit. Ad extremum, manus & pedes amputari, & impurae illius libidinis membra pudenda, quibus permultorum uxoribus vim ac stuprum intulisset, vivo exscindi, & caput ferro a corpore secari jussit. Atque hos persimiles vitae calamitosos exitus eorum uterque tulit, qui unum Episcopum caeteris omnibus praefi-

cere

Chriſtianas prius eccleſias proſtratas reſtauraret, novas aedificaret, profanatas ac pollutas conſecraret. Deinde Ethelberti regis jam converſi, omnique ſtudio ad propagandam religionem propenſi, authoritate, venit verbum divinum nunciaturus Roffam, ſive Roffeceſtriam, alteram Cantii civitatem. Ibi cives idololatrae, quibus hoc primum Auguſtini de verbo Dei nuncium ingratum, ſtultum ac inſipidum viſum eſt, multis eum contumeliis conviciiſque inſectati ſunt; & rhaiarum, quod piſcium quoddam genus eſt, caudis in veſtes ejus projectis ac illitis, vulgi ludibrio palam expoſuerunt. Quibus ita ſuccenſuit, ut cum concitatam ejuſmodi injuriis iram cohibere non poterat, divinam in eos vindictam dicitur popoſciſſe; & ita a Deo exauditum fuiſſe, ut Roffenſes, & qui cum illis tum in civitate ſua fuerunt vicini Cantii, caudas protinus ut quadrupedes geſtarent, eorumque etiam liberi caudati naſcerentur: donec extructo ad alteram Roffenſis pontis ripam Ethelberti ſumptibus quodam ſacrario, & Auguſtini, ut aiunt, interceſſione placato Deo, qui illuc adducti atque baptizati fuerunt, humanam ſimilitudinem recuperarunt, & caudati eſſe deſierunt. Ex qua quidem perantiqua ſane & nonnullis monumentis ſerio tanquam re geſta celebrata fabula, non modo apud noſtrates, ſed apud exteros vicinos percrebuit, Cantios monſtri ſimiles eſſe atque caudatos. Nonnulli etiam id toti Anglorum genti aſcribunt, tanquam poenam & ignominiam primae huic Roffenſium contumaciae divinitus illatam, ne poſteritati quidem ob delicti atrocitatem remiſſam. Verum omiſſa iſta, etſi a prioribus caecis ſaeculis credita, fabula; Auguſtinus, cum res jam ſibi ex voto ſucceſſiſſet,[q] ad Etherium Arelatenſem in Gallia Epiſcopum, cujus operam in eo, ut diximus, adjuvando Gregorius per literas poſtulaſſet, revertitur. Ei jam inſtitutam in Anglia Chriſtianam eccleſiam, adductamque ad fidem totam cum rege Ethelberto gentem Cantianam indicat; quam ut regere pontificali authoritate poſſit, ordinari ab eo non ſolum Epiſcopus, ſed, quod excelſius ipſe putabat, Anglorum Apoſtolus deſignari, voluit. Id cum factum eſſet, Cantuariam revertitur, eamque civitatem Chriſtianae religionis in Anglia primariam & metropolim, ſuique Apoſtolatus

[q] *Beda.*

ſive

GREGORIUS.

Paulo poſt Mauritius a Phoca cum uxore atque liberis caeſus eſt. In cujus interfecti locum Phocas homicida, a militibus electus imperator, ſucceſſit, An. 603. Cui imperium per homicidium invadenti per literas gratulatus eſt Gregorius,

ECCLESIASTICA.

bonum quippe, quod agimus, & Dei eſt & noſtrum; Dei, per praevenientem gratiam; noſtrum, per ſubſequentem liberam voluntatem."

ITEM in Ezechielem, lib. 1. homilia 9. "Si bona, inquit, noſtra ſic omnipotentis Dei dona ſint, ut in eis aliquid noſtrum non ſit, cur nos quaſi pro meritis, aeternam retributionem quaerimus? Sin autem ita noſtra ſint, ut Dei non ſint, cur ex eis Deo gratias agimus?"

DE miſſis, earumque ſolenniis Gregorius ſaepe facit mentionem: ut ter miſſas die Domini natali eſſe factas, teſtatur GREG. in homil. 8. die natali Domini.

DE quibuſdam autem a ſe in miſſa immutatis ritibus atque ceremoniis abunde narrat, lib. 7. epiſt. 63. indict. 2. in qua dicit multos ſuis diſpoſitionibus murmuraſſe. Et palam confitetur ſe alioſque, ritus in coena Domini umulantes, ab Apoſtolorum conſuetudine diſceſſiſſe: Inquit enim, "Mos Apoſtolorum fuit, ut ad ipſam ſolummodo orationem oblationis hoſtiam conſecrarent." Et mox de canone, quem "precem" appellat, & rejicit, ſic ait: "Et valde mihi inconveniens viſum eſt, ut precem quam Scholaſticus compoſuerat, ſuper oblationem diceremus, & ipſam traditionem, quam redemptor noſter compoſuit, ſuper ejus corpus & ſanguinem non diceremus."

VIVORUM in miſſarum ſolenniis mentionem facere ſolebant. Ita GREGORIUS Conſtantio Mediolanenſi Epiſcopo ſcribit, ut Johannis Ravennatenſis Epiſ-

POLITICA.

cere ſtuduerunt; Romaque miſere exultat in eo, quod tam tyrannicis auſpiciis in caeteras eccleſias imperium nacta ſit. Haec autem omnia quae perſtrinximus in NICEPHOR. lib. 18. NAUCLERO, Gen. xxi. SABELL. Ennead. 8. lib. 5, & 6, fuſius explicantur

HOC tempore Latina lingua Romae, ac in Italia, ob bellorum tumultum, & Longobardorum ac barbarorum frequentes incurſiones, in uſu eſſe deſiit; novo ex inſolentis barbariei vocibus conflato & permiſto ſermone. SABEL. Ennead. 8. lib. 5.

CIRCA initium pontificatus Gregorii Sclavi patriis ſedibus egrediuntur, & circa Cimmerium Boſphorum primo conſident; mox hinc bipartito digreſſi, pars una ad dextram deflexit ſeptentrionem verſus: ſciſſaque eſt in duos populos, quorum hi Bohemi dicti ſunt, reliqui Poloni. Altera vero pars, tranſmiſſo Iſtro, ſecundum Savum amnem, Dalmatiam uſque, ſedes tenuerunt; & ſeſe in Croatiam & Iſtriam diffuderunt, nihil mutato nomine. Ita Dalmatia in Sclavoniam mutata eſt, & Bohemia ac Polonia, tunc primum appellabantur. Caeterum hae tres gentes

ECCLESIASTICA.

Episcopi faciat in suis missis mentionem, lib. 3. epist. 37. & lib. 6. epist. 17.

DUAS autem coenae dominicae partes, tam sanguinis quam corporis mysterium, etiam laicis traditas, constat ex ipso GREGORIO; qui cum eos, qui cum uxoribus concubuissent abstinere a sacris mysteriis jussit: "tamen si quis, inquit, sua conjuge non cupidine voluptatis raptus, sed solummodo liberorum creandorum gratia utitur, iste profecto de ingressu ecclesiae, seu de sumendo corporis sanguinisque dominici mysterio, suo est relinquendus judicio, lib. 12. cap. 10. in responsis ad Augustini interrogationes.

DE angelis etiam nova quaedam & prioribus saeculis incognita dogmata, promulgavit ista aetas: scilicet, preces nostras non sine angelorum instructione a Deo exaudiri, ex Psal. xxi. "Annunciabitur Domino generatio ventura:" quod CASSIODORUS exponit, ab angelis. Item in lib. Tobiae, "Ego obtuli memoriam orationis vestrae ante Dominum." Quod etsi ministerii illorum fuerit, non tamen esse necessitatis ex eo evincitur: "Scit enim, ait Dominus, quid vobis necessarium sit, antequam ab eo petatis, Matt. cap. vi. Opinio & illa nova GREGORII fuit, quod angeli sanctificati creduntur in Filio, in lib. 1. Reg. cap. ii.

GREGORIUS plurima recenset miracula in libris suis, ac praesertim in Dialogis, quae palam confirmant superstitionem, fiduciam in Sanctos, idololatriam,

sive Archiepiscopatus sedem; tanquam ad aeternitatem sibi posterisque consecravit. Tum rex Ethelbertus, ut inaugurato jam pontifici ecclesiam gerere incipienti gratificaret, domum primum in Dorovernensi civitate, quam "Stablegate" adhuc appellant, concessit: eamque praediis possessionibusque amplis locupletavit. Et Augustinus, Angliae pontificatu suscepto, misit Romam Laurentium presbyterum atque Petrum monachum, qui pontifici Romano Gregorio regem Ethelbertum cum suis subditis Christiana fide religioneque institutum, & se Anglorum Archiepiscopum ab Arelatensi Archiepiscopo ordinatum esse, nunciarent. Insuper & de quibusdam ad illius ecclesiae Anglicanae statum atque conditionem spectantibus consuluit, & quae signa ac miracula edidisset, quibus allectus ad suscipiendam in Christo fidem populus Anglicanus fuit, certiorem eum fecit. Laurentius atque Petrus, cum haec Gregorio nuntiassent, acceptis ab eo tam ad regem Ethelbertum, quam ad Augustinum, litteris atque nuntiis, in Angliam revertuntur: Munera etiam atque dona ad Ethelbertum a Gregorio ferunt. Et in literis quidem Gregorius & regi & sibi gratulatur: regi, quod ad veri Dei suique Christi notitiam perductus sit; sibi, quod sua opera industriaque evenerit. Ad Augustinum autem binas dedit litteras; in unis significat se illi pallium ad missarum solennia, vasa sacra, altarium vestimenta, ecclesiarum ornamenta, sacerdotalia, atque clericalia indumenta, reliquias Sanctorum, codices complures; denique singula, quae ad cultum divinum & ecclesiae ministerium illo superstitioso tempore somniabant necessaria[r], misisse. Simul etiam admonet, quemadmodum ipse per Angliam Episcopos debeat ordinare. In alteris vero hortatur, ut ab animi elatione caveat, nec de virtutibus suis glorietur, neve miracula per se edita ascribat sibi, sed Anglis in salutem a Deo donata existimet. Postremo de Anglicanae recens a se institutae ecclesiae administratione, ad singula Augustini interrogata, singula responsa dedit. Praeterea Mellito in Angliam ad Augustinum proficiscenti utiliter praecipiens, de non diruendis fanis, quae ab Anglis quondam infidelibus daemonibus consecrabantur, ita scribit: ut deletis & ejectis

[r] *Vide supra in Roberto Archiepiscopo.*

GREGORIUS.

rius; Mauritii fortassis odio, qui praerogativam contra Romanum pontificem Constantinopolitano, ut diximus, patriarchae detulit. Deinde anno secundo imperii Phocae Gregorius obiit, cum annis tredecim, mensibus sex, diebus decem

POLITICA.

tes una propemodum hodie utuntur lingua, indubitato suae originis argumento. SABEL. Enead. 8. lib. 2. & ALBERTUS KRANTZIUS, lib. 2. cap. 1.

CONSTAT etiam in Gallis fere passim Christianam religionem viguisse ante Francorum incursiones, perinde ac in Britannia ante Anglorum & Saxonum adventum. Sed gens Francorum ex Franconia Germaniae provincia, duce Clodione Gallias primo ingressi sunt.

HOS primum, cum Rhenum transire vellent, prohibebant Burgundi, Vandali, & Helvetii, a Stilicone Romano Honorii imperatoris socero ad id incitati. Postea vero Honorio mortuo, Franci auctis copiis cum AEtio Galliae sub Valentiniano imperatore proconsule, de transitu saepe contendebant. In quibus proeliis etsi superiores semper fuerunt, tandemque invitis Romanis trajecerunt Franci; Clodio tamen eorum dux mortuus est. Hunc sequutus ejus filius Meroveus, Francos certis sedibus in Gallia distribuit & locavit. Cum quibus indies auctis, cum AEtius congredi non auderet, foedus pepigit: Quod eo fuit firmius, quia Attilas Hunnorum

ECCLESIASTICA.

am, invocationem mortuorum, & alios errores manifeſte pugnantes cum verbo Dei. Ideoque & peculiares libros ſcripſit de miraculis patrum, quorum pleraque aut falſa ſunt atque fabuloſa, aut manifeſte impia; nec obſcure falſam ſpeciem religionis prae ſe ferunt. Atque his imperito vulgo fucum fecit, ut ſuas traditiones & ceremonias, quae repleruat orbem terrarum, facilius reciperent; quorum quaedam ex magno cumulo breviter attingemus.

Pontifex factus in Arianorum Baſilica, quam expiavit, immundum ſpiritum in horrendi porci ſpecie ejecit, lib. 3. cap. 30.

Pontifex ordinandus cum aufugeret & ſolitudinem quaereret, indicio columnae lucis e coelo jugiter ſupra ſe dependentis agnitus, & a quaerentibus deprehenſus, ad pontificatum ſuſcipiendum invitus coactus eſt.

Pestis Romae graviſſima populum indies abſumpſit: ea cum offenſo Numine vehementius graſſari putaretur, Gregorius Litaniam ſeptiformem inſtituit, qua Deum placaret, & in proceſſionibus imaginem beatae Mariae circumferri juſſit, quae a ſancto Luca, medico & evangeliſta depicta quondam fuit. Ita tandem apparuit ei ſuper caſtrum ſancti Angeli, Angelus, qui enſem evaginatum & cruentum extendit, qui mox cruorem abſtergens, in vagina condidit, & evanuit. Quo viſo, Gregorius placatum Deum peſti finem impoſuiſſe nunciavit. Naucl. Chronogr. Generat. 20.

In

ejectis idolis, fana ipſa conſervarentur, & ad Chriſtianae eccleſiae ritus cultumque divinum, a gentilitiis profanationibus per aquae benedictae aſperſionem, altarium conſtructionem, & reliquiarum collocationem venerationemque, expiarentur. Tantis inutilium ceremoniarium myſteriis jacta ab Auguſtino, Gregorii juſſu, Anglicanae eccleſiae fundamenta permiſta fuere.

Verum Auguſtinus, Anglorum jam Apoſtolus conſecratus, apoſtolatus ſui ſedem Dorovermiae in Ethelberti regia in perpetuum poſiturus, [a] aliud fanum, quod a Romanis antiquitus ibi condebatur, rege id concedente, ſancti Salvatoris & Domini noſtri Jeſu Chriſti nomine inſignivit: ejuſque ſuaſu Ethelbertus monaſterium inſigne divo Petro & Paulo dedicatum, in quo tam regum, quam Archiepiſcoporum Dorovernenſium, mortuorum corpora inhumari & ſepulturae Chriſtianae tradi poſſunt, extra civitatem ad orientem extruxit, idque donis poſſeſſionibuſque multis locupletavit. Namque ante Cuthberti, de quo mox dicendum eſt, Archiepiſcopi tempora, mortuorum cadavera extra civitatis Cantuarienſis ſepta humari conſueverunt: ſed non ab Auguſtino, ſed ab ejus ſucceſſore, ut dicemus, Laurentio, conſecrabatur iſtud nobile monaſterium. Ethelberto autem tantus religionis ardor ejuſque amplificandae deſiderium inceſſit, ut praeter haec & alia religioſa loca tam Doroverniae quam Londini, ut dicemus, condita, ipſam ſuam regiam Auguſtino ſuiſque ſucceſſoribus Cantuarienſibus Archiepiſcopis in perpetuum donaverit: Et Cantuaria cedens in oppido maritimo, quod Raculver adhuc appellatur, aliud ſibi ſuiſque ſucceſſoribus palatium extruxerit. Quibus tam praeclare poſitis fundatiſque initiis, regia Dorovernenſis, quam Auguſtinus ab Ethelberto dono acceperat, ſuccedentium deinceps ſemper fuit Archiepiſcoporum palatium. Atque hoc modo converſos ad Chriſtianam religionem Anglos, poſitamque primam Anglorum eccleſiam, & archiepiſcopalem ſedem Cantuariae fixam & firmatam ab Auguſtino fuiſſe conſtat. Cum autem omnia tam ſecunda atque commoda in Cantii regno ſub Ethelberto rege Auguſtino eveniſſent, coepit ultra pergere, & tam Chriſtianam religionem, quam Gregorii Romanorumque

[a] *Lib. Eccl. Cant. Lib. Roff.*

ponti-

POLITICA.

norum rex magnis copiis Galliam ubique depopulabatur. Namque Meroveus & AEtius, ut eum opprimerent, copias conjunxerunt, eumque in proelio fuderunt. Haec, ſuperatis Hunnis, victoria Merovei magis quam AEtii virtuti aſcripta eſt; ideoque libens illi Gallia ceſſit. Ita Meroveus ex hac victoria cum ſuis Francis tota Gallia potitus eſt: a quo, poſt illam tranſmigrationem, Franci Merovingii dici primo voluerunt; ſed eo mortuo, cum Childericus ob varias libidines regno exactus eſſet, Franci iterum dicti ſunt, & crearunt ſibi regem Gillionem quendam ad eam provinciam a Romanis miſſum praeſidem. Hunc rurſus ob tyrannidem expulerunt, & Childericum reſtituerunt. Qui poſtea tanta continentia juſtitiaque vixit, ut regnum ſibi poſteriſque uſque ad Pipinum confirmarit. Natus deinde eſt Childerico filius Clodovicus, ſive Clovicus, quem pater re militari regiiſque artibus inſtituendum curavit. Is, mortuo patre, Francorum regnum, quod Gallis imperitavit, capeſſebat. Sed Galli jam Chriſtiani fuerunt, Franci vero infideles ac pagani.

GREGORIUS.

decem ſediſſet. Sabell. & Naucleerus. Poſt Gregorium Nicephorus nominat Innocentium Romanum pontificem, lib. 18. cap. 56. ſed is in pontificum Romae numerum relatus non eſt, qui Sabinianum oſtendit. Is anno

uno,

ECCLESIASTICA.

In ea peste homines sternutando atque oscitando subito interibant: Indeque ortum habuit, quod adhuc dici solet sternutantibus, "Deus te adjuvet," vel quod signum crucis fiat. NAUCLERUS ibidem.

DE Tharsilla amita sua GREGORIUS narrat: "Felicem atavum suum, Romanum quondam pontificem, per visionem Tharsillae mansionem perpetuae claritatis ostendisse ac dixisse, "Veni, quia in hac te lucis mansione recipiam." Postea & hoc annectit, Jesum Tharsillae morienti praesto fuisse. Dial. lib. 4. cap. 16.

JOHANNES DIACONUS in vita Gregorii multus est in recensendis apparitionibus & superstitiosis miraculis eidem ostensis: ac primum refert angelum in specie naufragi apparuisse illi tribus vicibus, ab eoque eleemosynam petiisse & accepisse: Ideoque affecisse Gregorium tantis miraculis, ut omnibus exemplo ac terrori esset:

LIB. 2. cap. 22. commemorat Christum in forma peregrini venisse ad Gregorium; cui cum aquam fundere vellet ad manus abluendas, subito evanuit; eademque nocte per visionem ei apparuit atque dixit: "Caeteris diebus me in membris meis, hesterno autem die me in meipso suscepisti."

CAP. 40. lib. 2. somnium refert cujusdam eremitae, qui a Domino petierat, ut sibi ostenderet, quam in coelo habiturus esset mansionem propter sua merita: cui responsum datum est, quod cum Gregorio recepturus esset laboris sui praemia. Infinitum esset ejus generis

pontificum instituta, quae in Cantio cum religione permiscuit unaque consevit, in quas alias potuit regiones spargere latiusque diffundere. Ad hoc percommodum maximeque opportunum fuit, quod Ethelberti tum imperium atque ditio inter caeteros Anglorum Saxonumque reges latissime patuit, & ad Humbrum usque fluvium extensum est: tum, sive in bello sive in pace, authoritate inter Anglos maxima florebant Cantii. [t] Namque Cantuariae de rebus litigiosis humanisque commerciis responsa, tanquam oracula, petebantur; & si ob publicum discrimen ac periculum martem communem Angli suscepissent, praeibant eos in acie & procinctu Cantii. Huc accessit quod Sigebertus orientalium Saxonum rex in cujus regno celeberrima Londinensis civitas sita est, Ethelberti ex sorore nepos, & ob minorem aetatem in Ethelberti tutela atque cura, fuit: intereaque regnum ejus administrabat. Quibus de causis Augustinus, cum ad id, quod facere instituerat, commodiorem quam Ethelbertum regem in Anglia habere potuisset neminem, ejus authoritate gratiaque fretus, primum quidem eam, quam a Gregorio de Episcopis instituendis potestatem accepisset, exercuit: ac Londini Mellitum [v], Roffae Justum, Episcopos consecravit. His paulatim incrementis aucta hujus novi Archipraesulis authoritate, celebrataque per insulam fama, firmatisque atque stabilitis omnibus Archipraesulatus sui Cantuariae rebus; consilium inivit quomodo Britannorum veterum hujus insulae incolarum Episcopos, quorum adhuc metropolis Meneviae consistebat, sibi subjiceret; ut & se suum Metropolitanum agnoscerent, eosque ritus & ceremonias susciperent, quas ille Roma traduxit Cantuariam, quibusque nobiliorem ornatioremque existimavit omnibus videri Christianam religionem. Namque retinuisse illos fidem ac doctrinam Christianam, quae Lucii regis & Eleutherii papae tempore a Britannis accepta fuit, certo cognovit: sed quia a Romanae ecclesiae ritibus discrepabant, convocari ex his episcopos atque eruditiores auxilio regis Ethelberti procuravit Augustinus; ut de rebus controversis disceptarent, & in suam sententiam convenirent. Itaque in Wicciorum atque occidentalium Saxonum confinio, qui locus Anglosaxonica

[t] *Gervasius in mappa mundi.* [v] *Bed. Flor.*

lingua

GREGORIUS.

uno, mensibus quinque, & diebus novem in pontificia sedit cathedra, infensus valde memoriae Gregorii, cui semper detrectavit; ita ut non modo scripta ejus, sed & eleemosynas, quibus imperito vulgo placeret, fastum & arrogantiam,

POLITICA.

pagani: Opportuneque accidit ut Clodovicus Clotildam, Burgundiae regis Christiani Christianam filiam, acciperet uxorem. Cujus suasu cum eo difficilius tulisse Gallos suum imperium vidisset, quod Franci ab eorum religione abhorrerent, convertit se mox ad fidem Christianam; Galloque ita suis Francis divisit, ut sine ulla difficultate aut periculo imperaret. Ita imperatoribus vi magis quam voluntate Galliae renunciantibus, & Francorum imperio cedentibus, immo Francorum regibus foedus ineuntibus, regnum Galliae nomen mutavit, & Francis ad hunc usque diem confirmatum est. Clodovico superstites quatuor filii fuerunt; inter quos pater regnum Galliae seu Franciae jam pacatum & tranquillum in quatuor partes divisit. Theodorico natu maximo Metensis regio; Clodomiro alteri Aurelianorum urbs & provincia, Childeberto tertio Parisiorum Lutetia, Clotarioque natu minimo Suessionum provincia, obvenit. Inter quos concitatis, ut solet, ob regnum ita partitum, bellis, totius paucis annis Franciae ditio Clotario soli delata est. Sed ei etiam

ECCLESIASTICA.

neris miracula, vel a Gregorio vel ab aliis recensita persequi: quibus plurimi libri etiam a doctioribus ejus saeculi scripti scatent.

ITEM Gregorius coram incredula muliere, quae negarat corpus Christi substantialiter subesse pani in coena, panem in carnem mutavit, & postea rursus carnem in panis primordia, JOH. DIAC. lib. 2. cap. 41.

PANEM etiam alias cultello transfixit, ac inde sanguis effluxit, JOH. DIAC. lib. 2. cap. 42.

DE pallio sic GREGORIUS scribit, lib. 4. epist. 51. " Singulis siquidem Metropolitis secundum priscam consuetudinem, proprio honore servato, pallium quoque transmisimus:" & epist. 54.

IN poenitentia item statuenda atque definienda hujus aetatis theologi valde lapsi sunt: ac primum in definitione, in quam omnes consentiunt; scilicet, poenitentiam agere, esse perpetrata mala plangere & plangenda non committere. Nam ista definitione salva, potest quis sua scelera deplorare, & alia longe graviora nihilominus committere; quod a vera poenitentia longe abest. Deinde quod parem, quasi pondere librantes, poenitentiam cum delicto poscunt; alioquin remissionem a Deo non concedi.

HIS erroribus paulatim ad poenitentiam adulterinam perventum est.

IN Sanctorum invocatione probanda sedulam dabant operam hujus aetatis scriptores, eisque divinum pene honorem decreverunt. Ita enim GREGORIUS, lib.

lingua Auᵹurᴛıneſ Acˣ, id est, Augustini quercus, appellatur, septem Britannorum Episcopi cum aliis eruditis patribus ac presbyteris convenerunt. Haec synodus decimo anno, postquam Augustinus in Angliam ad Ethelbertum venit, celebrata est[y]. Quem annum ad tollendam quandam perperam a pontificiis collectam & divulgatam opinionem, pernecessarium annotandum esse duximus. Cum igitur convenissent, suadere incipit Augustinus: quoniam unam in Christo fidem & apostolicam doctrinam utrique, tam qui Roma ad Anglos convertendos venerant, quam Britannorum Episcopi, pariter sequerentur; ut unum etiam eundemque in religionis ejusdem cultu morem ritumque observarent; maxime autem imitandam Romanae ecclesiae consuetudinem; quoniam ea & successione Episcoporum a beato Petro certior & origine antiquior, & fama atque authoritate major clariorque caeteris fuit: itaque deponendos esse veteres ac usitatos a Britannis ritus, suscipiendosque eos quos Roma Augustinus deportasset; navandamque etiam in Anglis ab infidelitate & gentium erroribus revocandis verboque divino divulgando communem cum Augustino suisque sociis operam atque curam dicebat. Et cum precibus suasionibusque nihil profecisset, jurgia minasque tentavit. At illi nec Augustino se subjicere, nec ab antiquis receptisque ritibus, quos ab Apostolis eorum majores acceperant, nec Romanae solum, sed quarumcumque ecclesiarum consuetudinibus anteferrent, discedere se velle aiebant. Cumque nec objurgando nec exhortando Britannos flectere potuisset, miraculo quodam tanto certamine defungi volebat: Introductus est in illorum coetum quidam oculis orbatus Anglus; quo in medio collocato, " Utrum mea an vestra, inquit " Augustinus, verior sit sententia, per hujus " caeci curationem dijudicetur: si enim vestris " precibus aspectum denuo receperit, vestro, sin " meis, meo judicio stetur." Itaque primum ad Britannos delatus, cum eorum votis curari nequivisset, Augustini precibus amissum oculorum lumen protinus recuperavit. Hoc qualicunque miraculo adeo attonitos & obstupefactos ferunt Britannos; ut cum contradicere amplius Augustino non potuissent, tamen non licere sibi antiquos ecclesiae

x *Gocelinus. Beda, lib. 2. cap. 2.* y *Hist. Sax. Petriburg.*

GREGORIUS.

tiam, redolere dixit: librosque Gregorii combussisset, ac ejus memoriam delevisset, nisi Petrus Diaconus ejus sua scripta a Spiritu Sancto dictata, ex illa columbae visione Romanis suasisset. Verum fingunt Sabinianum invidiae atque detrec-

POLITICA.

etiam quatuor filii nati sunt, inter quos rursus, patre vita functo, regnum ut antea distributum est. Cherebertus Parisiorum, Gontrannus Aurelianensium, Sigebertus Metensium, & Chilpericus Suessionum reges fuerunt. Quorum Cherebertus illico post regni partitionem mortuus, negotium vivis fratribus sui regni dividendi facessebat. Nam, cum neque jure nec arbitrio definiri lis potuit, arma suscepta sunt. Sigisbertus in hoc bello rerum potitus est; qui Brunechildam Athanagildi Visegothorum in Hispaniis duxit filiam, ex qua Childebertum procreavit. Chilpericus interim fratris metu in Turonensi civitate delituit; sed uxor ejus, nomine Fredegunda, sicarios duos misit, qui Sigisbertum victoriis tam secundis nimium elatum sibique praefidentem, familiamque lautam & copiosam administrantem, interimerent. Illi sine suspicione intromissi scelus perpetrant. Tum Sigisberto trucidato, liberatus metu ac periculo Chilpericus regnum capessit, & Parisiis rex salutatus est. Brunichilda fugit Rothomagum; ad quam persequendam Chilpericus filium

ECCLESIASTICA.

lib. 9. indict. 4. epist. 38. "Cujus corpus, inquit, vos cooperuistis in terra, ejus vos intercessio ab omnibus peccatis proteget in coelo." Et alibi in evangelia, homil. 32. "Adsunt, inquit, defensores nostri sancti martyres, rogari volunt, & quaerunt ut quaerantur. Hos ergo adjutores vestris orationibus quaerite, hos protectores vestri reatus invenite." Item de Petro Apostolo sic affirmat: "Qui sanctus Petrus modo vobis adjutor esse in omnibus, & postmodum vestra valeat dimittere peccata." Lib. 4. indict. 13. epist. 34. & lib. 5. indict. 14. epist. 19. "Et me pro vobis apud sacratissimum beati Petri Apostolorum principis corpus, & vos pro me apud sanctum Cyprianum martyrem, orationibus decet incumbere."

ET lib. eod. epist. 55. "Beatus Petrus Apostolus sua vobis hic & in futura vita intercessione respondebit." Et lib. 7. epist. 126. "Ex cruce illa, in qua lignum dominicae crucis inest, & capilli beati Johannis Baptistae, semper solatium nostri Servatoris per intercessionem praecursoris ejus habemus."

SIC & ENNODIUS ad Faustum: "Spero, inquit, in Trinitate Deo nostro per suffragia Sanctorum." Hac vero intercessionis potestate attributa Sanctis, eos mox invocare orationibus & gratiarum actionibus incoeperunt. Neque id solum, sed fidem eis proinde ac Deo habuerunt.

IN confingendis miraculis valde magis quam superiores fuerunt superstitiosi. GREG. TURO-

ecclesiae suae mores ab Apostolis ad suam usque aetatem deductos, sine reliquorum, qui domi mansissent, authoritate & consensu in alios permutare. Unde postulabant ut alia synodus indiceretur; ad quam frequentior Britannorum multitudo quam antea confluebat: namque praeter septem Britannorum Episcopos, scilicet, Herefortensem, Tavensem, Paternensem, Banchorensem, Elwiensem, Uniacensem, atque Morganensem, aderat ingens clericorum numerus, maxime vero monachorum, profectorum ex illo nobilissimo coenobio quod Saxones Banchoꞃnabuꞃᵹ appellabant; quo mille & ducenti monachi una vixerunt; & ex his maxime indocti atque idiotae caeteris in verbo divino nunciando studiove occupatis victum & vestitum quotidianis operis suppeditabant. Huic coenobio & monachorum multitudini Dunetus, quem alii [z] Dinotum, alii Dionotum seu Dionothum nuncupant, vir pius atque doctus, tum dicitur praefuisse. Hi omnes, cum de commutandis suis ecclesiasticis ceremoniis, re quidem apud eos gravissima, ageretur, antequam ad statutam synodum redirent, anachoritam quendam spectatae apud eos sapientiae atque sanctitatis virum consulunt: ab eo [a] quaerunt; Numquid hujus Romani advenae atque peregrini voluntati ac desiderio obsequentes, patrium religionis cultum deserere, ac novam rituum & ceremoniarum formam suscipere, deberent? Quibus ille, "Si homo, inquit, Dei "est, morem illi gerite." At illi, "Quo mo- "do hoc, inquiunt, cognoscemus ex Deo sit "necne? Dominus, inquit, dixit: Tollite ju- "gum meum super vos, & discite a me, quia "mitis sum & humilis corde. Si ergo Augusti- "nus ille peregrinus Christianam humilitatem "prae se ferat, mitisque ac benignus sit; verisi- "mile est eum Christi onus portare, idemque "vobis portandum offerre velle; sin vero elatus "sit ac superbus; a Deo non est, nec dignus "quem sequamini." "At istuc, inquiunt, qui "cognoscemus?" "Ingrediatur, inquit ille, in "synodum prior; tum si vobis adventantibus as- "surrexerit comiterque vos tractaverit; Christi "famulus est, illique in omnibus obtemperate: "sin secus fecerit vosque spreverit, aut eam, "quam oporteat, vestri rationem non habuerit;

[z] *Gervasius in mappa mundi, fol.* 131. [a] *Beda.*

"negli-

GREGORIUS.

detrectationis suae Gregorio ita dedisse poenas: Sabiniano indies Gregorio detrectanti tandem in somnis Gregorius apparuit ter, eumque ob detrectationem blande corripuit: sed cum hoc visu abduci ac deterreri a detrahendo noluit, quarto

POLITICA.

filium suum Meroveum cum copiis misit. Eum Rothomagum ingressum mitigavit & prohibuit a furore Praetextatus Rothomagensis tunc Archiepiscopus suasitque ut Brunichildam duceret; quo omnes in Francia civiles discordiae facilius pacarentur. Sed istae nuptiae summopere Chilperico displicuerunt; qui Brunichildam bello adhuc persequitur, & Meroveum filium monasterio inclusit: unde cum aufugisset, a patre rursus bello petitus & interemptus est. Brunichilda etiam in Burgundiam fugit, ut a Chilperico tuta esse possit. Chilpericus deinde, cui ex Fredegunda conjuge unicus Clotarius filius superesset, ex ejusdem Fredegundae & Landrii amasii sui insidiis interfectus est. Clotarius, jam infans, rex salutatus est, regnumque a Fredegunda ejus matre & Landrio administrabatur. Tum Brunichilda filium suum Childebertum incitavit, ut Fredegundae ac Clotario, caedem Sigisberti patris sui ulturus, bellum indiceret. At Fredegunda Marte superior fuit, regnumque Clotario filio suo conservavit. Childeberto mortuo, Theodebertus & Theodoricus filii superstites fuerunt;

ECCLESIASTICA.

Turonensis, cap. 9. "De gloria Confeſſorum," de oleo ſepulchri ſancti Martini prodigioſa recenſet miracula: quod mulier quaedam obſeſſa eo inuncta, ſit illico daemonibus liberata: deinde caecus quidam eodem viſum recepit.

Reliquiae tanto cultu obſervabantur, ut ne templa ſine alicujus Sancti reliquiis conſecrari voluit Gregorius: adeo ut non modo clam, ſed & palam in earum veneratione diabolus illuderet Chriſtianis. Impoſtor quidam cruciger hac aetate in Gallias venit, qui crucem circumtulit, ex qua multae ampullae ſuſpenſae fuerunt oleo ſancto, ut dictitabat, plenae; & gloriatus eſt ſe plurimas attuliſſe ex Hiſpaniis reliquias: ac primum Turonem venit; ibi proceſſum reliquiis ſuis fieri flagitavit: verum cum juſſus eſt uſque in poſterum diem differre, mane non expectatis aliis venit in templum, ibique peractis ſuis ceremoniis, & reprehenſis ſuperbe miniſtris, qui reliquiis ſuis honorem non detuliſſent, Pariſios abiit. Ibi quoque ſatis procaciter Epiſcopo & aliis inſultans, qui ob rogationes quaſdam jubebant reliquias iſtas novas paululum quieſcere; ex qua importunitate proditus, recludi juſſus eſt, ne turbas aliquas daret; factaque diligenti inquiſitione invenit Epiſcopus ſacculum magnum plenum radicibus diverſarum arborum, dentes talpinos, oſſa murina, ungulas atque adipes urſinos: quae quidem omnia in flumen projecit, eumque urbe pepulit. Verum ut

"negligatur viciſſim & aſpernetur a vobis."

Statuto ſynodus die[b], cum conveniſſent, intravit prior Auguſtinus cum Romano faſtu atque pompa, cum Apoſtolatus ſui vexillo, cruce argentea, litania, proceſſione, iconibus, reliquiis, canticis, aliiſque Romanarum ceremoniarum ornamentis; quibus inſolentius quam Chriſti Apoſtolo, qualem ſe Anglis praedicavit, par erat, ſupra Britanniae clerum criſtas erexit atque ſeſe extulit. Namque Britannis ingredientibus non modo non aſſurrexit, ſed ne charitatis aut benevolentiae ſignum vultu ullove geſtu declaravit. Et cum de ritibus ſuis admittendis longo ſermone laboraſſet, Britanni, anachoritae prius conſulti oraculum ſequuti, cum tantum faſtum & arrogantiam in homine peregrino animadvertiſſent, exiſtimarunt hoc novorum inſtituendorum rituum conſilium a divino Spiritu non eſſe profectum, ac proinde rejiciendum: & velut in acie repugnantes ſuarum eccleſiarum inſtituta Romanis meliora & antiquiora Eleutherii papae authoritate pronunciabant: Affirmabantque ſuas ceremonias non ſolum a ſancto Eleutherio pontifice primo ſuo inſtitutore, petente id rege Lucio, ordinatas, & ab ipſa pene infantia eccleſiae dicatas; verum etiam a ſanctis patribus ſuis, Dei amicis & Apoſtolorum veſtigiis inſiſtentibus hactenus religioſiſſime obſervatas, quas jam commutare non deberent, propter novos, ſic enim eos appellabant, dogmatiſtas[c]. Hic Auguſtinus ne dignam ſuo faſtu repulſam in ſingulis, de quibus cum eis egiſſet, ferre videretur; vehementer contendit ut ſe ducem & Archiepiſcopum ſequentes, quamvis in reliquis, quae ſe aequo animo laturum dixit, diſſiderent, ſaltem in tribus convenirent: ut Paſcha atque Baptiſmum ritu Romano celebrarent, & Anglis verbum Dei ſecum una praedicarent. Illi vero, quo acrius inſtabat Auguſtinus, eo minus ei obſequuti ſunt. Itaque nihil eorum, quae Auguſtinus tam elatis ſuperciliis imperare eis potius, quam humiliter rogare, videretur ſe facturos, nec illum pro Archiepiſcopo ſuo habituros reſpondebant. "[d]Qui "enim, inquiunt, tanta inſolentia in nos, in "quos nullum imperium neque poteſtatem adhuc "habet, jam intumuit, ut ne aſſurgere quidem

"dignatus

b *In fragmento commentarioli Britannicae deſcriptionis.*
c *Gocel. cap. 31.* d *Beda.*

POLITICA.

runt: quorum ille Auſtraſiae, hic Burgundiae rex fuit; Brunichilda eorum avia in eorum regnis omnia adminiſtrante, ad quam ejuſque nepotes Theodebertum & Theodoricum, illae Gregorii de Auguſtino in Angliam proficiſcenti adjuvando literae datae ſunt. Occultae deinde ſimultates inter Fredegundam & Brunichildam reginas in bellum eruperunt. Nam Fredegunda Brunichildam infamavit, quod Chilpericum maritum ſuum regni cauſa interfici a ſicariis procuraſſet. Brunichilda contra eum a Landrio adultero & amaſio Fredegundae interfectum edixit. Multa hinc inde bella magna varietate geſta ſunt, quae Fredegundae mors ſedavit. Tum Brunichildae technis incenſum inter Theodebertum & Theodoricum bellum, utriuſque exitio: dum illa ſe libidini daret, & Protadii cujuſdam Itali conſuetudine uteretur.

Ad extremum, regibus Theodeberto & Theodorico execranda Brunichildae nequitia interemptis, eorum regna Clotario Francorum regi delata ſunt. Sed illa Sigiſbertum, Theodorici nepotis ſui nothum, praeficere Auſtraſiae regno

GREGORIUS.

quarto comparuit ei Gregorius, eumque terribiliter comminando in capite percuſſit; cujus dolore Sabinianus vexatus paulo poſt defunctus eſt: In vita Gregorii operibus ejus praefixa. Sabinianus inſtituit, ut horae in eccleſiis diſtinguerentur

ECCLESIASTICA.

ut erat impudens, alia cruce parata partiſque novis reliquiis, pergit infatuare populum. Aliquando autem vino obrutus templum ingreditur, ſoporeque correptus totam in eo noctem dormit. Hoc pacto deprehenſus ſiſtitur, & profugus ſervus reperitur eſſe Amelii, Beorretanae urbis Epiſcopi; qui caſtigatum ad ſe recepit. GREG. TURON. lib. 9. hiſt. cap. 6.

STEPHANI Protomartyris reliquiae a muliere quadam inſcienter, cum ea putaret eſſe ſui mariti, Hieroſolyma primum, indeque Conſtantinopoli ablatae, poſtremo Romam tempore Pelagii venerunt. MARTIN. POLON. GREG. TUR.

MONACHI quidam Romae prope templum Pauli mortuorum corpora noctu effodiſſe reperti ſunt; qui comprehenſi fatebantur, in Graeciam ſe ea pro ſanctorum reliquiis fuiſſe portaturos. GREGOR. TURONEN.

DE paſchatis obſervatione incidit ſimilis noſtrae Anglicanae controverſia inter Hiſpanos & Francos: Nam Franci decimo quarto kalendarum Maii, Hiſpani duodecimo kalendarum Aprilis paſcha celebrarunt. Quam controverſiam Sigebertus ait miraculo diremptam: nam Hiſpanis ad baptizandum tempore paſchali aquam defuiſſe; Francis vero minime. SIGEBERTUS in an. 573.

CAMBROBRITANNI, Aſiaticas eccleſias ſequentes, a decima quarta luna ad vigeſimam paſcha celebrabant:

" dignatus ſit: quid hic faciet, ſi ei permittamus noſtri poteſtatem illiuſque imperio ſubjici coeperimus?" Praeterea habere ſe dicebant Legioceſtriae commorantem Archiepiſcopum, cui obtemperare vellent & debebant; neque eum archiepiſcopali jure abdicare, nec in alium quenquam eam authoritatem transferre ſibi fas eſſe judicabant. Quod autem ad laborem ſuum in evangelio inter Anglos promulgando eoque negotio cum Auguſtino communicando ſpectat; fertur Britannos non modo aperte denegaſſe, verum etiam contumelioſius in totam Anglicanam gentem reſpondiſſe; ſe illos, a quibus patriis ſedibus pulſi erant, tantopere odiſſe, ut inſtituere illos in religione nollent, ſed canum loco habere, quibus ſanctum ut dicebant non eſt dandum. Hac itaque repulſa, tanquam inſigni contumelia, commotus Auguſtinus[e], cum ſpreto & repudiato ſuo conſilio ignominioſe ad Ethelbertum re infecta revertendum eſſet, vindictam jam jam meditans, illud ultimum Britannorum contra totam Anglorum gentem reſponſum non illibenter captavit: inde enim ſe occaſionem nactum eſſe ratus eſt, unde neglectum & contemptum ſui ulciſceretur. Proinde eis minatus, cum diſceſſiſſet: "[f]Quod ſi pacem cum fratribus, inquit, accipere nollent, bellum ab hoſtibus eſſent accepturi: & ſi nationi Anglorum noluiſſent viam vitae praedicare, per horum manus ultionem eſſent mortis paſſuri." Cupide igitur illam contumeliam ad Ethelbertum regem defert, eandemque rex non invitus arripuit. Namque cum ditionis ſuae fines ad Humbrum, ut diximus, fluvium late patuiſſent, & Edelfridus Northumbrorum rex paganus & infidelis ei cognatione conjunctus eſſet, literis & nunciis eum inſtigavit; ut conjunctis copiis Britannos adeo contumelioſos ſuamque gentem tanto odio proſequentes & contemnentes adorirentur. Tum alios Saxonum regulos etiam incitavit, ut collecto exercitu in civitatem Banchorenſem irruerent; abbatemque Dunetum cum ſuis monachis, qui eos tam ignominioſe ſpreviſſent, perditum irent. Ita cum omnes pene Angli Saxoneſque ab Ethelberto ob Auguſtini querelam

[e] *Vide Gervaſium Tilburienſem in Otiis Imperialibus, lib. 2. cap. 39.*
[f] *Verba Bedae, lib. 2. cap. 2.*

POLITICA.

regno ſtuduit; eaque de re, quia proceres reſiſtebant, per legatos egit cum Germanis, ut bello ſe juvarent. Inter legatos tunc erat Garnerius quidam, quem quia Brunichilda ſuſpectum habuit, cum eſſent in itinere, ad collegam ſcripſit ut eum interficeret: qui lectas literas laceravit & abjecit; quarum fragmenta unus ex amicis Garnerii cogens, earum ſententiam Garnerio pandit. Ille re diſſimulata in legatione pergit & Germanis clam ſuadet, ne Brunichildae partes ſequantur, reverſuſque Clotario ſe reconciliat & conjungit. Fitque poſtea pugna, in qua Brunichilda, Sigiſbertus ejuſque fratres Corbus & Meroveus in Clotarii poteſtatem pervenerunt. De illa caſtiganda Clotarius mox conſilium capit: omneſque pronunciabant crudelem foeminam atrociſſima morte afficiendam; quippe quae decem regum caedis, praeter ingentem hominum ſtragem, rea fuiſſet. Quare equo impoſita per totum exercitum ducta eſt; deinde equorum indomitorum pedibus alligata, membratim eſt diſcerpta. Sed quia plura ſacerdotum & monachorum collegia

GREGORIUS.

guerentur officii gratia, & lampades continuo accenderentur in templis. PLAT. SABEL. Succeſſit ei mortuo Bonifacius tertius, anno Domini 606. qui ſtatim pontificatum ingreſſus egit cum Phoca Conſtantinopolitanis offenſo; ut publica

ECCLESIASTICA.

bant: Romani vero Nicaenum concilium obtendentes a decima quarta luna ad vigesimam primam pascha suum observabant; unde saepe evenit, quod diversis dominicis hae gentes hoc festum servaverint. Jam vero, quamvis sub Nicaeni concilii anathemate hoc mandatum sit, in desuetudinem tamen abiit; & non modo a pontificibus ipsis, qui hujusmodi paschatis violationem haereticam quondam statuerint, sed ab omnibus ecclesiis contemnitur: dum incertam illam de motu solis & lunae regulam, quem aureum vocant numerum, turpiter hallucinati imitabantur. HUMFREDUS LLUYD Denbigh. in Com. Brit. descript.

DE festis Paschatis, nativitatis Domini, Pentecostes, Ascensionis, & Trinitatis, ante sua tempora celebratis, subinde multis in locis meminit GREGORIUS. Item de quatuor temporibus scribit, homil. 31. in evangelia. De natalibus quoque & memoriis quorundam Sanctorum; utpote natali S. Felicitatis, hom. 3. Marcellini & Petri, homil. 6. Sylvestri, homil. 9. Agnetis, homil. 11. Pancratii, homil. 27. Mammae, hom. 35. Cypriani, lib. 12. epist. 30. & de multis aliis. Denique paganorum festa sensim in Christiana festa commutanda esse scribit; & quaedam ad similitudinem facienda, ramis arborum & conviviis solennitates celebrandas: lib. 9. epist. 71. Quo praecepto tandem gentili magis quam Christiano

lam repulsamque provocati in Britannicum clerum conspirassent; ingens ex diversis eorum provinciis coaluit exercitus, maxime vero ex Ethelberti & Edelfridi, qui bellicosissimus inter Saxonum reges habebatur, copiis: Conveneruntque omnes in utriusque regni conjunctis ad Humbrum finibus; & Britannorum provincias transeuntes venerunt cum ingenti stupendoque exercitu Legiocestriam, a Britannis Cairlegion, quod Romanorum legiones ibi in hybernis quondam collocatae fuerunt, appellatam. Eo tunc abbas Dunetus cum maximo sacerdotum, eremitarum atque monachorum numero, maxime vero e Banchorensi coenobio, praesidii causa, se paulo ante contulerat: Qui omnes, trium dierum peracto jejunio, Deum assiduis precibus invocabant, ut a rabido & insano infidelium furore populum suum tueretur. Sed qui evangelizandi operam, quam Dominus a se gratis acceptam, etiam nostris hostibus gratuitam voluit, ob veteres inimicitias, quas in tanti momenti negotio deponere debuissent, denegarunt: non modo non exauditi a Deo, sed multo gravius castigati sunt: Dux enim sive regulus illius Legionum civitatis tunc Brocmailus nominabatur; qui vim ac potentiam duorum illustrissimorum in Anglia regum metuens, etsi in acie aliquamdiu restiterat stragemque nonnullam hostibus intulerat, animo tamen repente concidit; relictaque urbe ac his, quos inermes tutari debuisset, sine ullo animo redeundi in fugam versus est. Edelfridus rex, cum audisset Britannos monachos, etsi inermes, jejuniis tamen & oratione Numen divinum invocasse: "ergo si adversum nos, inquit, ad Deum suum clamant, quamvis arma non ferant, adversum nos non minus quam armati pugnant." Itaque in hos primum arma verti jubet: & quanquam non modo inermes, sed vestibus exuti peneque nudi, misericordiam expansis ad hostes palmis implorantes prodiissent; crudeliter tamen ab his saevis impiisque hostibus trucidabantur. Extinctos in ea clade ferunt mille ducentos, qui oratum tantum venissent, viros, & solum quinquaginta mortem fuga vitavisse: inter quos Dunetus abbas fuit, & vir perdoctus Nennius; cujus aliqua scripta ad nostram aetatem pervenerunt. Ista tam horribili

GREGORIUS.

publica & per totum orbem dimissa sanctione, omnes ecclesiae Romano pontifici obedirent, Romaque caput omnium ecclesiarum diceretur. Hoc summa contentione tandem obtentum est; reclamantibus Constantinopolitanis, ibi ecclesiae

POLITICA.

gia extruxisset, honorifice in quodam apud AEduos coenobio est sepulta. Jamque Clotarii regnum amplissimum fuit; qui cum quadraginta annis regnasset, obiit, & Dagobertum & Aribertum filios reliquit. Aribertus contentus Tholosa, iisque urbibus atque agris, quae inter Pyrenaeos montes & Ligerim continentur, reliqua Dagoberto reliquit, & regni sui primariam sedem Tholosae posuit, anno 630.

Haec ex NAUCL. "La mere des histoires & de l'estat des affaires de Fraunce," collegimus.

JUDAEORUM IN VARIAS REGIONES DISPERSIO.

GENTEM Judaicam hac etiam aetate, per totum orbem dispersam fuisse & sua in amplis civitatibus habuisse loca multorum testimonia declarant. GREG. super Cantica: "In quatuor, inquit, mundi partes jam Judaei dispersi sunt."

NEQUE vero uspiam αὐτονομίαν habuerunt: sed ubicunque habitaverunt, magistratibus cujusque loci, tam inter gentes quam inter Christianos, fuerunt subjecti, & ex eorum arbitrio pependerunt: ut vere de ipsis dixerit

ECCLESIASTICA.

stiano more annus festis replebatur.

MONASTERIA seu coenobia non modo virorum, sed & mulierum ubique hoc saeculo instituta sunt. Scribit GREG. lib. 6. epist. 23. "Tria millia ancillarum Dei Romae monasticam vitam coluisse.

BENEDICTINORUM ordo a Benedicto eremita hoc tempore instituitur, qui dispersos monachos in unum coenobium contraxit; carnibus abstinebant, & silentio utebantur. SAB. Enn. 8. lib. 2.

GREGORIUS ipse patris sui Gordiani aedes in monasterium Romae commutavit, & de patrimonio sex monasteria in Sicilia aedificavit. Monachis hanc regulam tradidit, ut communiter viverent, nec quisquam propria possideret; eamque adeo superstitiose observavit, ut Justum monachum, cujus ope medica saepe adjutus fuit, cum contra regulam tres aureos occultasset, in mortis agone, quod parum ejus pietatem commendat, sine consolatione relinqueret: vivum diabolo quantumvis poenitentem & peccatum illud anxie deplorantem traderet: mortuum denique in sterquilinio sepeliret, addito fulmine excommunicationis: "Pecunia tua sit tecum in perditionem." Sed postea celebravit ei mortuo triginta sacrificia; quibus eum ex inferis liberatum & ad coelos evectum scribit; ut in somno oculariter vidit.

CONFESSIONIS morem in sacerdotis aures requirit GREGORIUS

ribili ac cruenta strage peracta, Brocmailus, sive quod eum fugae ac ignaviae magnopere puduit, sive quod aliquid exitiosi passus sit, nunquam reversus nec a suis deinceps visus est. Ejus itaque terras, tanquam praedam communem Ethelbertus & Edelfridus reges inter se diviserunt. [g] Nonnulli etiam scribunt ipsum Augustinum hujus, quod praedixi, belli non modo conscium, sed & impulsorem extitisse, regibusque ad idem accinctis obvium eidem Legiocestriae interfuisse; etsi id omnibus modis celare student pontificii: qui fictam & a se fabricatam ejusmodi parenthesim Bedae historiae a suis typographis, contra omnium manuscriptorum Saxonicorum librorum fidem, nuper impressam intexuerunt: "[h] quamvis ipso Augustino jam multo ante tempore ad coelestia regna sublato:" cui errori, immo manifesto ac contra ipsius Bedae, quem sibi in tanta orationis vanitate patrocinari vellent, testimonium mendacio redarguendo locus deinceps erit. Nunc historiam persequamur. [i] Pervulgata hujus Britannicae cladis infamia, Britannorum duces vindictae cupidi etsi sero, habito militum delectu, exercitum conflaverunt. In his erant Bledericus dux Cornubiae, Meredocus rex Demetorum, & Caduanus rex Venedotorum, qui Legancestriam exercitum duxerunt, & Duneti abbatis concione animati, conserto cum Edelfrido Northumbrorum rege proelio, decem millia sexaginta sex in acie prostraverunt, & Edelfridum graviter vulneratum ad fugam coegerunt. In quo etiam proelio Bledericus Cornubiae dux, qui Britannorum exercitui strenue nulloque recusato discrimine praefuit, interemptus est. Ita utrosque divina vindicta pariter afflixit; Northumbros ob crudelitatem & immoderatam in innocentes Britannos saevitiam; hos ob immortales in Anglos gestas inimicitias, ne Dei quidem suique evangelii propagandi causa abjectas. Sed Edelfridus cum invicti esset animi rex, hac accepta clade deterreri non potuit; quin copiis recollectis & redintegrato bello adortus iterum ac sine mora Britannos, eos subjugavit Anglisque fecit tributarios. His cruentis auspiciis exorsus firmansque pontificatum Augustinus

[g] *Epit. Chron.* [h] *Bed. lib. 2. c. 2.* [i] *Galfridus Monumet.*

proximo

GREGORIUS.

clesiae caput esse debere, ubi fuit & imperii caput. Romanisque contra affecentibus imperatorem non Constantinopolitanum dici, sed Romanorum imperatorem: ideoque Romam, non Constantinopolim, esse imperii caput primamque

POLITICA.

rit Propheta; "Peccata nostra sicut venti dissipaverunt nos."

AN. DOM. 600.

TAM principes quam pontifices, ut eos sanarent & ad fidem Christianam adducerent, multam operam navarunt.

ILLI vero, tanquam durae & infractae cervicis populus, semper adversa fronte restiterunt, neque blanditiis, neque minis persuaderi potuerunt, ut Christum agnoscerent: sed in reprobum traditi sensum magis magisque contra veritatem obduruerunt.

ANNO Anastasii vigesimo quinto, qui fuit a Christo nato quingentesimo decimo sexto, omnes Judaei uno ore Talmud Babylonicum receperunt, seque ad illud obstrinxerunt juramento. Hoc fuisse manifestam & apertam defectionem a lege & prophetis narrat BIBLIANDER tabula sua decima.

FUERUNT Judaei valde inquieti hospites, dum saepe maxima temeritate ad pristinam suam libertatem aspirare contenderent; levissimaque occasione data turbulentissimos motus & seditiones concitarent.

TEMPORE Justini Judaeus quidam, Dunaan nomine, Moysen se esse

ECCLESIASTICA.

RIUS, lib. 3. in cap. 7. 1. Reg. "Afflictio, inquit, poenitentiae ad delenda peccata tum demum idonea est, cum sacerdotis fuerit judicio imperata, cum ab eo confitentium actibus discussis, pro modo criminis onus eis decernitur afflictionis." Et alibi justificationis initium in confessione ponit, lib. 4. in ix. cap. 1. Regum.

"DIC tu, inquit, prior iniquitates tuas, ut justificeris; dum ille, qui peccavit, confitendo justificari incipit." Deinde etiam ad satisfactionem pari errore accedit. "Si peccata, inquit, satisfaciendo puniremus; nullum, qui nos in futuro puniat, inveniremus:" in 2. Psalm. poenitent. Et lib. 6. in xv. cap. 1. Regum.

"CORRIGIBILIA equidem peccata portantur; quia postquam a delinquentis voluntate discedunt, purgari satisfactione salubriter possunt." Ita satisfactionem in nostra potestate ponit: quod non modo dictu impium est, sed factu impossibile. Derogat praeterea cruci Christi, eodem lapsu ductus, quo humanis viribus nimium attribuit. Unde lib. 4. in ix. cap. 1. Regum, "Non omnia, inquit, nostra Christus explevit: Per crucem quidem suam omnes redemit; sed remansit, ut qui redimi & regnare cum eo nititur, crucifigatur." Atque hic de humana potestate lapsus generavit illam de igne purgatorio opinionem; ut quos in hac vita scelerum & peccatorum poenituit, nec congru-

proximo anno Ethelberti regis donationem monasterio Petri & Pauli, de qua antea diximus, Cantuariae factam chirographo[k] suo confirmavit. Deinde altero anno, cum multos sua gratia & Ethelberti regis potentia ad religionem adduxisset, decem conversorum millia in fluvio Swala[l] baptizavit. Tum Archipraesulatu suo Cantuariae, ut diximus, stabilito singulisque ad eum administrandum necessariis compositis, ne se mortuo recens haec Cantuariensis metropolis, quam in omne aevum propagare studuit, vel gentili iterum errore ac superstitione labefactaretur, vel alio migraret, vel casu aliquo periclitaretur, cum diuturnam sibi nequaquam superesse vitam perspexisset; delegit sibi vivus successorem Laurentium[m]: Et postquam sexdecim annis sedisset, anno Domini sexcentesimo undecimo, septimo Kalendarum Junii, hac vita functus est. Corpus ejus foras, juxta ecclesiam beati Petri atque Pauli, quia ea nec perfecta nec de more adhuc dedicata fuit, inhumatum est: simul atque vero consecrabatur, in porticum ejus aquilonarem translatum honoreque debito sepultum est. In porticus etiam ejusdem medio altare ad honorificam Gregorii memoriam celebrandam extructum est, & singulis quibusque sabbatis missae solenniores votaque ibidem concipi consueverant. Tumulo Augustini hoc[n] epitaphium inscriptum est:

HIC REQUIESCIT DOMNUS AUGUSTINUS
DORUVERNENSIS ARCHIEPISCOPUS PRIMUS;
QUI OLIM HUC A BEATO GREGORIO ROMANAE URBIS
PONTIFICE DIRECTUS,
ET A DEO OPERATIONE MIRACULORUM SUFFULTUS,
AEDILBERCTUM REGEM AC GENTEM ILLIUS
AB IDOLORUM CULTU AD CHRISTI FIDEM
PERDUXIT:
ET COMPLETIS IN PACE DIEBUS OFFICII SUI,
DEFUNCTUS EST SEPTIMO KALENDAS JUNIAS,
EODEM REGE REGNANTE.

[k] *Haec donatio Archiepiscopi Cant. archivis extat.* [l] *Ranulph. Cestren. an.* 603. [m] *Polyd. Ann. eccl. Cant.* [n] *Beda, lib.* 2. *c.* 3.

Atque

GREGORIUS.

riamque sedem. Quinimo & Constantinopolitani ipsi Ῥωμαῖοι, i. e. Romani appellari ob eam causam noluerunt. Quibus rationibus Romanus Episcopus Constantinopolitanum secum de majoritate, ut aiunt, contendentem vicit, & impe-

POLITICA.

esse praedicans, multos Judaeos non solum libertatis, sed imperii, cupidos ad se traxit armaque capere suasit; cum quibus magnam tyrannidem exercet, multaque oppida devastat & capit: Negram quoque munitissimam urbem adortus, cum vi capere non possit, pacem simulate sanxit; sed intromissus omnes Christianos crudeliter & perfide trucidat ac ipsam urbem incendit. Cujus furore nuntiato, Justinus imperator Elesbaan quendam AEthiopum ducem cum exercitu misit, ut supplicium de seditiosis Judaeis sumeret. Is singulari virtute in primo congressu eos fudit, ac ducem illum fictum Moysen vivum cepit: quem deinde, adhibitis prius exquisitis tormentis & cruciatibus, ferro necari jussit. NICEPH. lib. 17. cap. 6.

HAC nimirum ratione semper Deus ipsos publicis poenis repressit, ne aliquam rempublicam aut regnum constituerent; quamvis factiose & crudeliter illud saepe tentarent: ut extaret testimonium de Messia exhibito & de poenis adversus pertinaces.

CONSTRICTI igitur legibus & autho-

ECCLESIASTICA.

congruenter tamen satisfecerint, post mortem in Purgatorio satisfacere credantur. Unde GREG. lib. 2. in cap. 2. 1. Regum. "Qui perfectionem, inquit, bonae voluntatis habuerunt in confessione peccati, post mortem purgatoria poena peccati ad vitam transeunt; si ad delenda peccata sufficientem vim amoris nequaquam habuerunt." Et rursus, "Post mortem carnis, alii aeternis deputantur suppliciis, alii ad vitam per ignem transeunt purgationis."

CONCILIUM Romanum ex septuaginta & duobus Episcopis, triginta presbyteris, & tribus diaconis.

QUIDAM referunt Dunetum jussisse Britannos ad proelium accinctos, ut unusquisque terram oscularetur in memoriam communionis corporis dominici, aquamque ex Dea fluvio manu haustam biberet in memoriam sanguinis." HUMFREDUS LLUYD, famulus illustrissimi comitis Arundeliae in fragmento Commentarioli Britannicae descriptionis.

NAM coena dominica non modo in templis, sed & extra, sicuti necessitas postulavit, data est; ut Antiochenae ecclesiae pastor militibus in gramine coenam sacram distribuit. EVAGRIUS, lib. 6. cap. 13.

ROMANA etiam ecclesia coepit hac aetate

tate

Atque hic Augustini finis initiumque tam Anglicanae quam metropolitanae Cantuariensis ecclesiae dignitatisque fuit. In quo illud maxime dolendum est, tam aversos Britannos ab instituendis in Christiana fide Anglis extitisse; ut eos in tam ceremoniosum magis quam religiosum magistrum, qualis Augustinus fuit, incidere necesse esset. Namque praeter illam ambitiosam & intolerabilem crudelitatem atque superbiam, ob quam a Britannicis scriptoribus "° elatus & superbus monachus," itemque "non Christi mansueti & mitissimi agni, "sed Luciferi, minister" appellatus sit, eo magis de ceremoniis rebusque minutis tantos motus concitatos mirari convenit; quod a Gregorio ad suas undecim quaestiones responsa accepisset: non esse necesse in omnibus ecclesiis atque provinciis easdem ceremonias observare: ac non modo optimas atque probatissimas, verum etiam eas maxime eligendas, quae singulis ecclesiis majori ad fidem ingenerandam usui esse possint. Tum ipsi Latini hanc Augustini in ceremoniarum imponendarum ac commutandarum necessitate temeritatem, ex qua tanta Christianis calamitas evenisset, aperte damnarunt; ut Mantuanus in Fastis:

Adde, quod & patres ausi taxare Latinos,
Causabantur eos stulte, imprudenter & aequo
Durius, ad ritum Romae voluisse Britannos
Cogere, & antiquum tam praecipitanter amorem
Tam stolido temerasse ausu: Concedere Roma
Debuit, aiebant, potius quam rumpere pacem,
Humani quae juris erant; modo salva maneret
Lex divina, fides, Christi doctrina, senatus
Quam primus tulit ore suo: quia tradita ab ipso
Christo erat humanae doctore & lumine vitae.

ET in illa Wicciana synodo Dunetus, de quo diximus, Banchorensis abbas duobus doctissimis libris a se editis, uno "super conservan-"dis eorum ritibus," altero quem appellavit, "Defensorium sedis Menevensis," Augustinum suosque asseclas aperte refellit; eumque, cum doctrina superior in ea causa esse non potuit, vindictam belli minari coegit. Nam quod eam

° *Humfredus Lluyd in Comment. praedicto.*

de

GREGORIUS.

imperatoris Phocae jussu omnes ecclesias ad subjectionem coegit; unde versus compositi sunt isti:

Suffocat imperium Phocas, stabilitque papatum,
Impia per regni mittendo diplomata fines.

POLITICA.

authoritate principum cogebantur tranquillius vivere: sed tamen quibuscunque poterant modis Christianos afflixerunt. Habuerunt enim mancipia Christiana, ac suis obsequiis & utilitatibus deputarunt, eaque occasione Christianos durissime tractaverunt: ut patet ex epistolis GREGORII, qui ea ipsis violenter auferri, aut pretio redimi jubet; epist. lib. 2. cap. 76. & lib. 3. cap. 21. multisque aliis locis.

Tum JOHANNES DIACONUS, lib. 4. cap. 44. Qui etiam addit usuris semper deditam Judaeorum gentem, & abhorrentem a labore mercimoniis potissimum victum quaeritare, cap. 50.

EXCLUSI sunt deinde Judaei ab omnibus dignitatibus, honoribus, functionibus & congressibus Christianorum: fuitque lege vetitum, ne quis Christianus munera a Judaeo susciperet.

AD colloquium pontificum nunquam sunt admissi, neque concessum ut in scamnis sederent; sed in pavimento merces suas exponere

venales

ECCLESIASTICA.

tate eccleſiaſtici ordinis viros a licitis conjugiis prohibere; quae tamen in Anglia aliiſque regionibus retinebantur. Nam Epiſcopis interdicta jam prorſus fuit cum mulieribus habitatio, niſi cum matre, amita, germana & aliis hujuſmodi; de quibus prava non poſſit eſſe ſuſpicio. GREG. lib. 7. indict. 2. epiſt. 39. Cum tamen hoc ipſo tempore apud Cathanenſes conſuetudo fuit; ut clerici ſuis licite miſceantur uxoribus: quod GREGORIUS improbabat, lib. 3. indict. 12. epiſt. 34. De quo ſaepius deinceps erit dicendum.

REGES & Epiſcopos in monaſteriis ſepelire conſueverunt. Conſtantinopoli Juſtinianus in monaſterio ſanctorum Apoſtolorum templum extruxit; in quo reges & ſacerdotes ſepulturae locum haberent. EVAG. lib. 4. cap. 31. & loca ſepulturae ſacerdotali benedictione conſecrata eſſe refert GREGORIUS TURONEN. de gloria confeſſ. cap. 106. Uſi ſunt & marmoreis ſepulchris, cap. 42. & potentiores atque nobiles cum ornamentis atque lychnis ſepulti ſunt. GREG. TURON. lib. 4. hiſt. cap. 30. Coemeteria tunc in uſu etiam fuiſſe conſtat ex EVAG. & GREG. TURON. & his, qui de republica aut eccleſia benemeriti eſſent, epitaphia ſcribebantur. PAULUS DIACONUS, lib. 3. de geſtis Longobard. cap. 9.

TEMPORE

de futuro bello Auguſtini praedictionem vaticinio atque prophetiae tribuunt pontificii; id quanta non ſolum pertinacia, ſed ſolita caecitate atque imperitia faciant, non modo ex ipſo Beda, quem in typis ſuis depravarunt, ſed ex pleriſque, qui de Auguſtino ſcripſere, manifeſte liquet: Namque Beda [p], quem temporum rationem in ſua hiſtoria ſequutum conſtat, ſubjungit poſt hanc ſynodum Edelfridum exercitum ſuum collegiſſe & expeditionem in Britannos paraviſſe; deinde de Juſti & Melliti in Epiſcopos ordinatione, de Laurentii deſignatione & obitu Auguſtini ſcribit. "Tum Matthaeus Weſtmonaſterienſis. Nec multo poſt, inquit, Edelfridus collecto grandi exercitu, &c." Idemque tertio poſt hoc anno defunctum Auguſtinum teſtatur, Polydorus vero quinto. Auguſtinus ipſe proximo anno, ut diximus, Ethelberti conceſſionem confirmavit, biennioque poſt decem millia uno die baptizavit. Soli vero monachi, qui eum tanquam Deum colebant, & cum his Thomas Spottus, [q] multum contendunt, ut Auguſtinus non adeo longaevus videretur: quo illius Britannicae cladis ſuſpicionem infamiamque ab eo averterent: Sed res ipſa reclamat, & ex his, quae diximus, non modo poſtea vixiſſe aliquot annis, ſed & hoc bellum Ethelberto ſuaſiſſe oſtendit. Praeterea ſi quod faciunt pontificii, ex quibuſcunque ſine authoritate & delectu authoribus nobis ſumere quaecunque velimus liceret: ut illi ex ſuis hiſtoriis Chriſtianam religionem in Anglia inſtitutam aut reſtitutam Auguſtino ſuo totam tribuunt: ſic nos ex noſtris majori authoritate atque fide probare poſſumus, religionem ab illo everſam & pene deletam fuiſſe. Quod quidem, quia vaticiniis & oraculis locum relinquunt, his verbis Merlinus dicitur praedixiſſe: [r] "Delebitur iterum religio, & tranſmutatio primarum ſedium fiet: Dignitas Londoniae adornabit Doroberniam." Quam quidem a Merlino praenunciatam religionis vaſtitatem atque cladem aliqui ad Gormundum: ſed, qui ſatis probatae fuit apud pontificios fidei, Alexander Eſſebienſis [s], quia de religione delenda, primarum ſedium mutatione & Londinenſi dignitate Cantuariam transferenda, uno vaticinio verbiſque cohaerentibus praedixit Merlinus, ad Auguſtinum, ſub quo illa mutatio tranſlatioque evenit, retulit. Et ſane illa prima

[p] *Beda, lib. 2. c. 2, 3.* [q] *Tho. Spottus.* [r] *Merlinus.* [s] *Alex. Eſſeb.*

de

POLITICA.

venales cogebantur. Haec omnia refert idem DIACONUS. Ita neque libertate, quod tolerabant, neque imperio, quod affectabant, Judaei potiti, vagi oberrabant terras.

NON ſolum ſacra biblia veteris Teſtamenti, eaque Haebraice, ſed etiam peculiares habuerunt & compoſuerunt libros; quibus opinionem ſuam perverſam & praefractam ſtabilire conati ſunt: Inter quos eſt Talmud; quod an. Dom. 516. item Merimor & Mar a Rabbi Aſſe perductum, abſolverunt & publicarunt: BIBLIAND. in tab. chron.

ET OLYMPIODORUS inquit; "Recentium Judaeorum volumina infinita ſunt fabuliſque conferta: dum enim ſcripturas novis quibuſdam figuris interpretari ſtudent; in ridiculas fabellas & genealogias converſi ſunt: traditioneſque ediderunt a ſententia ſcriptoris longiſſime aberrantes." In Eccleſiaſt. cap. 12. Hinc Meſſiam neque Deum eſſe crediderunt, neque ita venturum ut moreretur; omneſque divinas per prophetas promiſſiones

ECCLESIASTICA.

TEMPORE Mauritii hi doctores & Episcopi varias ecclesias tenuerunt: In Hierosolymitana ecclesia Neamas Macarii successor; illique successit Isicius: ad quem GREGORIUS scripsit de cura pastorali gerenda, & haeresi Simoniaca tollenda; quia in orientalibus ecclesiis nullus ad sacros ordines admittebatur; nisi qui se muneribus insinuasset Episcopo, lib. 9. cap. 40.

THEODORUS quidem Eulogio, qui Agnoitas expugnavit, in Alexandrina ecclesia successit. Item Ruffinus Ephesinae ecclesiae, Andreas Nicomeditanae, & Domitianus cognatus Mauritii imperatoris Melitinensis, Episcopi ab eodem GREG. commemorantur; necnon ab EVAG. lib. 6. cap. 18.

IN Africa hi doctores & pastores fuerunt: Maurentius primarius Africae Episcopus; post eum Panthaleon, tum Joannes, deinde Victor, postremo Adeodatus. Item Columbus, ad quem Gregorius scripsit contra Donatistas. Valentinus & Amandus in aliquibus Africae ecclesiis Episcopi fuerunt; ut patet ex GREGORIO.

de Romanis ritibus introducendis per Augustinum excitata contentio, quae non nisi clade & sanguine innocentium Britannorum poterat sedari, ad nostra usque tempora cum simili pernicie caedeque Christianorum ducta pervenit. Quae Augustini vehementia non aliunde nata est; quam quod humilitatis Gregorii, qui jam obierat, magistri sui immemor Britannos Anglis, suas ecclesias sibi, subjicere laboraret. In quo ei Dunetus ille abbas aperte restitit, nec esse penes Romanum, aiebat, gentem advenam fidei praetextu in alieno imperio confirmare: nam si id admitterent, non deesset fucus & principes e regnis & populos de patriis sedibus exterminandi. Quam Romanorum in Augustino inceptam dominandi caeteris ecclesiis cupiditatem nemo luculentius disertiusque prodit, quam ex ordine quidam fratrum minorum pontificius: [t] "Cum enim, inquit, Britones fuerunt catholici, Saxones gentiles erant; ad quos convertendos misit beatus Gregorius Augustinum & Mellitum, qui Saxones converterunt. Sed cum Augustinus vellet Episcopos & abbates Britonum adducere authoritate apostolica, ut eum legatum reciperent & cum eo Anglis praedicarent; mota est discordia propter eorum inobedientiam ad sanctum Augustinum: Et sic motum fuit bellum inter Britonum regulos & Saxonum regulos; qui jam conversi volebant Britones Augustino subdere." Itaque cum neque in regno neque in sacerdotio cedere vellent Anglis aut Augustino Britanni; edita est ambitionis & intolerandae dominationis causa insignis; & omni aevo atque posteritate memoranda illa strages, non modo denunciata & praedicta, sed instigata & commota ab Augustino: Cujus in ea re vitium, pontificiorumque una commentum, non solum huic praesagio, sed etiam superiori, de caeco curato, miraculo, apud sanos lectores detrahit omnem fidem.

"[v] ERAT hic Augustinus statura procera & erecta, ita ut a scapulis populo superemineret; facies amabilis & reverenda; frons mediante coma suis columnis resultabat fenestrata. Saepius discalceatus ibat; & nudis pedibus provincias perlustrando memorabatur callos plantis attraxisse." De quo quia satis diximus, ab eo ad Laurentium transeamus.

[t] *Amandus Xierixiensis.* [v] *Annal. ecclesiae Cant.*

POLITICA.

missiones ad hunc mundum & carnem referunt. GREGOR. 1. reg. c. 2.

SYNAGOGAS etiam passim habuerunt; in quibus festivitates suas feriasque liberam obtinuerunt observandi celebrandique licentiam. In quibus tamen ipsis non licuit ultra, quam permissum fuit legibus, quicquam praesumere. GREG. lib. 7. indict. 2. epist. 58.

GENS avara & astuta semper sibi summos patronos pecunia comparavit, maxime vero Romanos Episcopos. Gregorius ipse aliquoties pro ipsis, cum in jure contra Christianos contenderent, dixit sententiam: ut apparet ex lib. 7. indict. 2. cap. 58. ubi Victorem Episcopum Siciliae, qui eos profligaverat, eisque eripuerat synagogam Panormi, jubet pretium solvere & codices ornamentaque restituere. Et ex lib. 12. indict. 7. epist. 18. ubi illis locum ad synagogam concedi jubet; ac cavet ne a quoquam affligantur.

AD

AUGUSTINUM MONACHUM

Petentem ſubjectionem

Ecclesiae Romanae,

ABBATIS BANGOR

Profitentis ſubjectionem

Ecclesiae Dei,

RESPONSIO.

BID yſpys a diogel i chwi, yn bod ni holl un ac arall yn uvydd ac ynn oſtyngedyg i eglwys Duw ac ir paab o Ruvain, ac i boob kyur griſdion dwyuol, i garu pawb yn i radd mewn kariad perffaith, ac i helpio pawb o honaunt a gair a gweithred i vod ynn blant i Dduw: Ac amgenach uvydddod no hwn nid adwen i vod ir neb ir yddych chwi yn henwi yn Baab ne yn Daad o daade, yw gleimio ac yw ovunn: Ar uvydddod hwn ir yddym ni yn barod yw roddi ac yw dalu iddo ef, ac i pob Kriſdion yn dragwyddol. Hevyd ir ydym in dan lywodraeth Eſgob Kaerllion ar Wyſc yr hwn yſydd yn olygwr dan Dduw arnom ni y wneuthud i ni gadwyr ffordd ysbrydol.

SIT notum & certum vobis; quod ſumus nos omnes & ſinguli obedientes & ſubditi eccleſiae Dei & papae Romae & unicuique Chriſtiano pio, ad amandum unumquemque in ſuo gradu cum charitate perfecta, & ad juvandum unumquemque ex iis & verbo & facto fore filios Dei: Et aliam obedientiam, quam hanc, non ſcio debitam ei, quem vos nominatis Papam vel Patrem Patrum, vindicari & poſtulari: Sed obedientiam hanc ſumus nos parati dare & ſolvere ei & cuique Chriſtiano in aeternum. Praeterea ſumus nos ſub gubernatione Epiſcopi Caerlegionis ſuper Uſcam; qui eſt ſuperintendens ſub Deo ſuper nobis, ad faciendum nos ſervare viam ſpiritualem.

INDEX

Rerum in ARCHIEPISCOPORUM VITIS memorabilium.

Prior paginam, alter lineam, numerus indicat.

nodum

INDEX.

C.

bit,

228.

bellum

INDEX.

INDEX.

 negotio

I.

K.

M.

S.

Archi-

T.

V.

I N D E X.



TABULAE

TABULAE CHRONICAE.

PROVINC. CANTUAR.

Anno	Sedentis Romae.	Anno	Sedentis Cantuariae.	A.D.	Num. Episc.	Sedes Londinensis.	Orientalium Saxonum imperium tenentis	Anno
						Augustino nondum Roma transmisso.		
				314	1	Restitutus		
				431	2	Fastidius		
	Sabiniano sedente	1	Laurentii	604	1	Mellitus	Seberti	9
3	Eugenii I.		sede vacante	654	2	Cedda	Sigeberti boni	2
12	Vitaliani		sede vacante	666	3	Wine	Sigheri & Sebbi	2
7	Adeodati	8	Theodori	675	4	Erkenwaldus	Sigheri & Sebbi	10
1	Joh. V.	18	Theodori	685	5	Waldherus	Sebbi solius	20
1	Greg. III.		sede vacante	731	6	Ingwaldus	Seolredi	23
6	Zachariae	8	Cuthberti	747	7	Eckwlfus	Suithredi	2
					8	Wighedus		
					9	Eadbrihtus		
18	Hadriani I.	27	Jeamberti	789	10	Eadgarus	Suithredi	43
					11	Kenewalchus		
					12	Eadbaldus		
					13	Heathobrihtus		
7	Leonis III.	10	Athelardi	802	14	Osmundus	Suithredi	56
	Steph. IV. sedente	14	Wlfredi	816	15	AEthelnothus	† Ecgberti	17
			ante ann.	830	16	Ceolbrytus	Ecgberti	31
2	Leonis IV.	18	Ceolnothi	848	17	Deorwlfus	AEthelwlfi	12
1	Benedicti III.	20	Ceolnothi	851	18	Swithulfus	Athelphi	15
							Universae Angliae imperium tenentis	
					19	Heahlstanus I.		
1	Johannis XI.	12	Athelredi	900	20	Wulffius	Alfredi	29
					21	Ethelwardus		
				926	22	Healhstanus II.	Athelstani	3
4	Leonis VII.	5	Odonis	938	23	Theodredus	Athelstani	15
					24	Wulfstanus I.		
1	Johannis XII.	21	Odonis	956	25	Brihthelmus	Edwii	2
3	Johannis XII.	23	Odonis	958	26	Dunstanus	Edwii	4
4	Johannis XII.	1	Dunstani	959	27	AEalkstanus III.	Eadgari	1
2	Gregorii V.	4	Aluricii	996	28	Wulfstanus II.	Ethelredi	19
1	Benedicti VIII.	7	Elphegi	1012	29	Alfhunus	Ethelredi	35
4	Benedicti VIII.		post ann.	1015	30	Alfwius	Ethelredi	38
4	Benedicti IX.		ante ann.	1035	31	Alfwordus	Canuti	19
13	Benedicti IX.	7	Eadsini	1044	32	Rob. Gemeticensis	Edw. Conf.	3
3	Johannis XX.	2	Roberti	1051	33	Willelmus	Edw. Conf.	10
3	Gregorii VII.	6	Lanfranci	1075	34	Hugo de Orivalle	Gulielmi I.	9
1	*	17	Lanfranci	1086	35	Mauritius	Gulielmi I.	20
10	Paschalis II.	16	Anselmi	1108	36	Ric. de Belmeis I.	Henr. I.	9
5	Honorii II.	7	Gulielmi	1128	37	Gilb. Universalis	Henr. I.	29
2	Innocentii II.	4	Theobaldi	1141	38	Rob. de Sigillo	Steph.	6
7	Eugenii II.	15	Theobaldi	1152	39	Ric. de Belmeis II.	Steph.	17
5	Alexandri III.	2	T. Becket	1163	40	Gilb. Foliot	Henr. II.	9
2	Clementis III.	6	Baldwini	1189	41	Ric. de Ely	Ric. I.	1
2	Innocentii III.	6	Huberti	1199	42	Gul. de S. Maria	Ric. I.	10

* Victore III. elect. verum Romanam novo exemplo tiaram tui.

† Absumpto Orientalium Sax. regno ad Occidentalium reges transit imperium.

7 T

TABULAE CHRONICAE.

Anno	Sedentis ROMAE	Anno	Sedentis CANTUARIAE	A.D.	Num. Episc.	SEDES LONDINENSIS	UNIVERSAE ANGLIAE imperium tenentis	Anno
6	Honorii III.	15	Steph. Langton	1221	43	Eust. de Fauconberg	Henr. III.	6
3	Gregorii IX.	2	Ric. magni	1229	44	Rogerus Niger	Henr. III.	14
	sede vacante	8	Edmundi	1241	45	Fulco Basset sacrat. 1241.	Henr. III.	26
6	Alex. IV.	15	Bonifacii	1259	46	Henricus de Wengham	Henr. III.	45
2	Urbani IV.	18	Bonifacii	1262		Ric. Talbot nond. conf. ob.		
2	Urbani IV.	19	Bonifacii	1262	47	Henricus de Sandwico	Henr. III.	47
3	Gregorii X.	2	R. Kylwarby	1273	48	Johannes Chishul	Edw. I.	1
	sede vacante	3	J. Peckam	1280	49	Richardus de Gravesend	Edw. I.	8
	Bened. IX. sedente	11	Rob. Winchelsey	1304	50	Rad. de Baldock sacr. 1306	Edw. I.	32
9	Clementis V.		sede vacante	1313	51	Gilbertus de Segrave	Edw. II.	6
1	Johan. XXI.	4	Gualt. Raynold	1316	52	Richardus de Newport	Edw. II.	10
3	Joh. XXI.	6	G. Raynold	1318	53	Stephanus de Gravesend	Edw. II.	11 aut 12
5	Benedicti X.	8	J. Stratford	1338	54	Ri. Wenteworth Reg. Cant.	Edw. III.	11
7	Bened. X.	10	J. Stratford	1340	55	Radulphus de Stratford	Edw. III.	13
3	Innoc. VI.	6	Simonis Islippe	1354	56	Michael de Northburg	Edw. III.	28
10	Innoc. VI.	13	Si. Islippe	1361	57	Simon Sudbury	Edw. III.	35
5	Greg. XI.	1	Si. Sudbury	1375	58	Gulielmus Courtney	Edw. III.	49
4	Urbani VI.	1	Guli. Courtney	1381	59	Robertus de Braybroke	Ric. II.	5
1	Innoc. VII.	9	Th. Arundel	1404	60	Rogerus Walden	Henr. IV.	5
2	Greg. XII.	11	Th. Arundel	1406	61	Nicolaus Bubbewith	Henr. IV.	7
3	Greg. XII.	12	Th. Arundel	1407	62	Richardus Clifford	Henr. IV.	9
6	Martini V.	9	Henr. Chicheley	1422	63	Johannes Kempe	Henr. V.	10
10	Martini V.	13	Henr. Chicheley	1426	64	Gulielmus Gray	Henr. VI.	4
1	Eugenii IV.	18	Henr. Chicheley	1431	65	Robertus Fitz-Hugh	Henr. VI.	9
6	Eug. IV.	23	Henr. Chicheley	1436	66	Robertus Gilbert	Henr. VI.	14
4	Nic. V.	8	Joh. Stafford	1450	67	Thomas Kempe	Henr. VI.	28
6	Innoc. VIII.	4	Joh. Morton	1489	68	Richardus Hill	Henr. VII.	5
5	Alex. VI.	11	Joh. Morton	1496	69	Thomas Savage	Henr. VII.	12
11	Alex. VI.	2	Henr. Dene	1502	70	Gulielmus Warham	Henr. VII.	18
2	Julii II.	2	Gul. Warham	1504	71	Gulielmus Barons	Henr. VII.	20
4	Julii II.	4	Gul. Warham	1506	72	Ricardus Fitz-James	Henr. VII.	21
1	Adriani VI.	20	Gul. Warham	1522	73	Cuthbertus Tonstal	Henr. VIII.	14
8	Clem. VII.	28	Gul. Warham	1530	74	Johannes Stokesly	Henr. VIII.	22
	Rom. Pont. Angl. }	7	Tho. Cranmer	1539	75	Edmundus Boner	Henr. VIII.	30
	feliciter exturb. }	8	Tho. Cranmer	1550	76	Nicolaus Ridley	Edw. VI.	4
4	Julii III.	21	Tho. Cranmer	1553		Edmundus Boner	Mar.	1
	Rom. Pont. va- }	1	MATT. PARKER	1559	77	Edmundus Grindall	ELIZ.	1
	ledicto. }	12	M. PARKER	1570	78	Edwynus Sandys	ELIZ.	12

PROVINC. CANTUAR.

Anno	Sedentis ROMAE	Anno	Sedentis CANTUARIAE	A.D.	Num. Episc.	SEDES ROFFENSIS	CANTIORUM imperium tenentis	Anno
1	Sabiniani	9	Augustini	604	1	Justus	Ethelberti	44
7	Bonifacii V.	1	Justi	623	2	Romanus	Eadbaldi	7
8	Honorii	7	Honorii	633	3	Paulinus	Eadbaldi	17
4	Theodori	18	Honorii	644	4	Ithamar	Ercomberсti	4
2	Vitaliani	2	Deusdedit	656	5	Damianus	Ercomberсti	16
						sedes vacat ann. circiter 15		
15	Vitaliani	2	Theodori	669	6	Putta	Ecgberсti	15
		9	Theodori	676	7	Quichelmus	Lotharii	3
3	Agathonis	13	Theodori	680	8	Gebmundus	Lotharii	7
6	Sergii I.	1	Birhtualdi	693	9	Tobias	Withred. & Suaberti	3
14	Gregorii II.	35	Birhtualdi	727	10	Aldulphus	Edberti	2
11	Gregorii III.	2	Cuthberti	741	11	Dunno seu Duina	Egberti II.	16
6	Zachariae	8	Cuthberti	747	12	Eardulphus	Egberti II.	22
7	Adriani I.	16	Jeamberti	778	13	Diora	Alrici	19
17	Adriani I.	26	Jeamberti	788	14	Weremundus	Alrici	29
8	Leonis III.	11	Athelardi	803	15	Beornmodus	Cuthredi	7
			intr. {	841	16	Tadnothus	Cant. rex ab Egberto Sax.	
			& {	852	17	Badenothus	Occ. reg. [illegible]	
9	Nicolai I.	36	Ceolnothi	866	18	Cuthnulfus	Ethelberti	5

1

TABULAE CHRONICAE.

Anno	Sedentis Romae	Anno	Sedentis Cantuariae	A.D.	Num. Episc.	Sedes Roffensis	Universae Angliae imperium tenentis	Anno
9	Johan. VIII.	9	Ethelredi	880	19	Suithulfus	Alfredi	9
			ante	901	20	Burhricus		
			post	941	21	Ceolmundus		
					22	Cyneferthus		
13	Agapeti II.	16	Odonis	955	23	AElfstanus	Edwii	1
	Joh. XIV. sedente	26	Dunstani	984	24	Goduninus I.	Ethelredi	6
			post	1012	25	Goduninus II.		
1	Nicolai II.	9	Stigandi	1058	26	Sywardus	Edw. Conf.	17
5	Gregorii VII.	6	Lanfranci	1076	27	Ernostus	Gul. I.	10
5	Gregorii VII.	7	Lanfranci	1076	28	Gundulphus	Gul. I.	10
10	Sylvestri II.	15	Anselmi	1108	29	Rodulphus	Henr. I.	9
17	Sylvestri II.	2	Rodulphi	1115	30	Ernulfus	Henr. I.	16
2	Honorii II.	3	Gul. Corboil	1125	31	Johannes I.	Henr. I.	26
8	Innocentii II.		sede vacante	1137	32	Johannes II.	Steph.	2
13	Innocentii II.	5	Theobaldi	1142	33	Ascelinus	Steph.	7
3	Eugenii III.	10	Theobaldi	1147	34	Walterus	Steph.	[illegible]
2	Lucii III.	10	Ricardi I.	1182	35	Gualeranus	Henr. II.	
5	Lucii III.	2	Baldwini	1185	36	Gilb. de Glanvil	Henr. II.	
17	Innocentii III.	8	Steph. Langton	1214	37	Benedict. de Sanselun	Joh.	
1	Gregorii IX.	21	Steph. Langton	1227	38	Henr. de Sanford	Henr. III.	
9	Greg. IX.	2	Edmundi	1235	39	Ric. de Wendover		
9	Innocentii IV.	8	Bonifacii	1251	40	Laur. de S. Martino	Henr. III.	3
4	Gregorii X.	3	Rob. Kylwarby	1274	41	Walterus de Merton	Edw. I.	2
1	Nic. III.	7	Rob. Kylwarby	1278	42	Joh. de Bradefeld	Edw. I.	6
3	Martini IV.	6	Joh. Peckham	1283	43	Tho. de Inglethorp	Edw. I.	11
4	Nicolai IV.	14	Joh. Peckham	1291	44	Tho. de Woldeham	Edw. I.	19
1	Joh. XXII.	4	Walt. Raynold	1316	45	Haymo de Hethe sac. 1319		
1	Innocentii VI.	4	Sim. Islippe	1352	46	Joh. de Shepey	Edw. III.	25
10	Innocentii VI.	13	Sim. Islippe	1361	47	Gul. Wittlesey	Edw. III.	34
3	Urbani V.	16	Sim. Islippe	1364	48	Tho. Trilleck	Edw. III.	37
2	Gregorii XI.	5	Gul. Wittlesey	1372	49	Tho. de Brinton	Edw. III.	45
12	Urbani VI.	9	Gul. Courteney	1389	50	Gul. de Bottlesham	Ric. II.	12
12	Bonifacii IX.	5	Tho. Arundel	1400	51	Joh. de Bottlesham	Henr. IV.	1
15	Bonifacii IX.	9	Tho. Arundel	1404	52	Ric. Yong	Henr. IV.	4
3	Martini V.	6	Henr. Chicheley	1419	53	Joh. Kempe	Henr. V.	6
5	Martini V.	8	Henr. Chicheley	1421		Tho. Spofford el. nondum sacratus ad Heref. transl.		
5	Martini V.	8	Henr. Chicheley	1421	54	Joh. Langdon	Henr. V.	8
5	Eugenii IV.	22	Henr. Chicheley	1435	55	Tho. Brown	Henr. VI.	13
6	Eugenii IV.	23	Henr. Chicheley	1436	56	Gul. Wells	Henr. VI.	14
14	Eugenii IV.	1	Joh. Stafford	1444	57	Joh. Lowe	Henr. VI.	22
5	Pauli II.	15	Tho. Bourchier	1468	58	Tho. Scot, alias Rotheram	Edw. IV.	7
1	Sixti IV.	18	Tho. Bourchier	1471	59	Joh. Alcock	Edw. IV.	10
6	Sixti IV.	23	Tho. Bourchier	1476	60	Joh. Russel	Edw. IV.	15
10	Sixti IV.	27	Tho. Bourchier	1480	61	Edm. Audeley	Edw. IV.	19
2	Alexandri VI.	8	Joh. Morton	1493	62	Tho. Savage	Henr. VII.	8
6	Alexandri VI.	12	Joh. Morton	1497	63	Ric. Fitz-James	Henr. VII.	12
2	Julii II.	1	Gul. Warham	1504	64	Joh. Fisher	Henr. VII.	19
2	Pauli III.	3	Tho. Cranmer	1535	65	Joh. Hilsey	Henr. VIII.	27
		8	Tho. Cranmer	1540	66	Nic. Heath	Henr. VIII.	31
	Rom. Pontif.	12	Tho. Cranmer	1544	67	Henr. Holbeche	Henr. VIII.	35
	Anglia felici-	15	Tho. Cranmer	1547	68	Nic. Ridley	Edw. VI.	2
	ter exturbato.	18	Tho. Cranmer.	1550	69	Joh. Poynet	Edw. VI.	4
		19	Tho. Cranmer	1551	70	Joh. Scory	Edw. VI.	5
5	Julii III.		Cranmero amoto	1554	71	Mauritius Griffith	Mar.	1
	Romano pontifice	1	MATT. PARKER	1559	72	Edm. Ghest	ELIZ.	1
	valedicto	13	MATT. PARKER	1571	73	Edm. Freak	ELIZ.	14

TABULAE CHRONICAE.

Anno	Sedentis Romae	Anno	Sedentis Cantuariae	A.D.	Num. Episc.	Sedes Norwicensis	Orientalium Anglorum imperium tenentis	Anno
						Episcopi Dummoc. seu Dunwic.		
5	Honorii	5	Honorii	631	1	Felix	Sigeberđi	1
7	Theodori	21	Honorii	647	2	Thomas	Annae	13
4	Martini	26	Honorii	652	3	Bonifacius	Annae	18
15	Vitaliani	2	Theodori	669	4	Bisus	Aldulphi	[illegible]
						An. 673 dispertita dioeceſi, duo episcopi novi, Biſo valetudine laborante, conſtituuntur, alter in Dunwic. alter in Elmham, ſede poſiti.		
						Episcopi Dunwic.	A.D. Episcopi Elmhamen.	
				673	5	AEcca	673 Badwinus	
					6	AEſcwulphus	Rothbertus	
				731	7	Eadredus	731 Hadulacus	
					8	Cuthwinus	AEthelfrithus	
					9	Albrithus	Eanfrithus	
					10	Ecglaſus	Athelwulfus	
					11	Heardredus	787 Alheardus	
					12	AElfſhunus	816 Sibba	
				787	13	Widfrithus	Hunferthus	
					14	Waermundus	826 Humberhtus	
				870	15	Wildredus		
						An. 870 ſedibus Dunwic. & Elmham. denuo coaleſcentibus	Univerſae Angliae imperium tenentis	
4	Leonis VII.	15	Wlfhelmi	938	16	Adulphus	Ethelſtani	15
2	Joh. XIII.	7	Dunſtani	966	17	Alfricus	Eadgari	8
					18	Theodredus I.		
					19	Theodredus II.		
			ante	975	20	Athelſtanus	Eadgari	17
			poſt	988	21	Algarus	Ethelredi	10
10	Bened. VIII.	2	Agelnothi	1021	22	Elfwinus	Canuti	5
					23	Elfricus		
			ante	1035	24	Elfricus II.	Canuti	19
7	Bened. IX.	18	Agelnothi	1038	25	Stigandus	Haroldi	3
						deturbato Stigando		
9	Bened. IX.	3	Eadfini	1040	26	Grimketellus Seolſienſ. epiſc.	Hardecanuti	1
11	Bened. IX.	5	Eadfini	1042		Stigandus	Edw. Conf.	1
			1047 ſeu	1042	27	Agelmarus		
10	Alex. II.	1	Lanfranci	1070	28	Arfaſtus		
						An. 1075 conjuncta Dun. & Elmham. ſedes ab Arf. ad Thetfordiam traducta.		
						Episcopi Thetfordenses		
				1075		1 Arfaſtus	Gul. I.	9
	Victore III. *	16	Lanfranci	1086	29	2 Gulielmus de Bello-fago	Gul. I.	19
4	Urbani II.		ſede vacante	1091	30	3 Herbertus Lozinga	Gul. II.	5
						Loſinga anno 1094 ſedem tandem Norwicum deducit.		
						Episcopi Norwicenses		
				1094		Herbertus Loſinga	Gul. II.	8
						vacat ſedes annis 2		
4	Urbani II.	8	Radulphi	1121	31	Everardus	Henr. I.	22
2	Eugenii III.	9	Theobaldi	1146	32	Gul. Turbus	Steph.	11
17	Alex. III.	2	Ricardi	1175	33	Joh. de Oxonia	Henr. II.	21
3	Innoc. III.	10	Huberti	1200	34	Joh. de Gray	Joh.	2
						vacat ſedes annis 7		
3	Honorii III.	12	Steph. Langton	1218	35	Pandulphus Maſca, non niſi an. 1222 ſacratus	Henr. III.	3
11	Honorii III.	20	Steph. Langton	1226	36	Tho. de Blundeville	Henr. III.	11
10	Greg. IX.	3	Edmundi	1236		Radulphus elect. de ſacr. dubi. vacat ſedes ann. fere 3		
13	Greg. IX.	6	Edmundi	1239	37	Gul. de Raleigh	Henr. III.	24
2	Innoc. IV.		ſede vacante	1244	38	Walt. de Suthefeld	Henr. III.	28
4	Alex. IV.	13	Bonifacii	1257	39	Simon de Walton	Henr. III.	42
2	Clem. IV.	22	Bonifacii	1266	40	Rog. de Skernyng	Hen. III.	51
2	Nicolai III.	8	Rob. Kylwarby	1278	41	Gul. de Middleton	Edw. I.	6
1	Nicolai IV.	11	Joh. Peckham	1288	42	Rad. de Walpole	Edw. I.	16
6	Bonif. VIII	6	Rob. Winchelſey	1299	43	Johannes Salmon	Edw. I.	27
10	Joh. XXII.	13	Walteri Raynold	1325		Rob. de Baldock elect. confir. ‡		
10	Joh. XXII.	13	Walteri Raynold	1325	44	Gul. Ayremyn	Edw. II.	18
3	Bened. XII.	4	Joh. Stratford	1336		Tho. Hemenhale **		
3	Bened. XII.	4	Joh. Stratford	1336	45	Antonius de Beck	Edw. III.	9
2	Clem. VI.	11	Joh. Stratford	1343	46	Gulielm Bateman	Edw. III.	16
5	Innoc. VI.	8	Simonis Iſlippe	1356	47	Thomas Piercy	Edw. III.	29
9	Urbani V.	3	Gul. Wittleſey	1370	48	Henricus Spenſer	Edw. III.	43
2	Greg. XII.	12	Tho. Arundel	1407	49	Alex. Totington	Henr. IV.	9
4	Joh. XXIII.	18	Tho. Arundel	1413	50	Ricardus Courteney	Henr. V.	1
	abd. a Jo. XXIII. papatu	4	Henr. Chicheley	1416	51	Joh. Wakering	Henr. V.	4
10	Matini V.	14	Henr. Chicheley	1426	52	Gul. Alnewick	Henr. VI.	4
6	Eugenii IV.	24	Henr. Chicheley	1436	53	Thomas Brown	Henr. VI.	14
15	Eugenii IV.	3	Joh. Stafford	1445	54	Walter Lyhert	Henr. VI.	23
2	Sixti IV.	19	Tho. Bourchier	1472	55	Jac Goldwell	Edw. IV.	11
8	Alex VI.	14	Joh. Morton	1499	56	Thomas Jane	Henr. VII.	14
10	Alex. VI.		ſede vacante	1501	57	Ricardus Nyx	Henr. VII.	16
3	Pauli III.	4	Tho. Cranmer	1536	58	Gul. Reppe, alias Rugge	Henr. VIII.	28
		18	Tho. Cranmer	1550	59	Thomas Thirlby	Edw. VI.	4
5	Julii III.		amoto Cranmero	1554	60	Joh. Hopton	Phil & Mar.	1 & 2
	Rom. pontifice Angl.		ſede vacante	1559	61	Ricardus Cox	Eliz.	1
	feliciter exturbato	1	Matth. Parker	1560	62	Joh. Parkhurſt	Eliz.	2

Anno 792 abſumpto Anglorum Orientalium regno ad Offam Merciorum regem tranſit imperium.

* elect. ſed tiaram Romanam adhuc recuſante.

‡ Romanae curiae metu perculſus juri ſuo abnunciat.

** nondum ſacratus Wigorniam migrat.

TABULAE CHRONICAE.

Anno	Sedentis Romae	Anno	Sedentis Cantuariae	A.D.	Num. Episc.	Sedes Wintoniensis.	Australium Saxonum imperium tenentis	Anno	
				169		Primae fundationis episc. nomina ipsa perierunt. Sub Secunda constructione per ducentos & supra annos unicus occurrit			
				293		Constans Ventanae civ. ep.			
				†516		Eccl. Wynton. a †Cerdico rege gentili manu violatam ‡tertio exstruendam Kynegilsus statuit: verum morte præreptus inchoatam reliquit.			
				‡610					
				635		Birinus episc. sedem a Wentana civ. Dorc. traducit.			
						Episc. Dorcacestrenses			
10	Honorii I.	9	Honorii	635	1	Birinus	Kynegilsi & Quic.	24	
2	Martini I.	23	Honorii	650	2	Agilbertus	Kenewalchi	8	
						Episc. Wintonienses.			
9	Vitaliani	9	Deusdedit	663	3	Wina	Kenewalchi	21	
2	Adeodati	3	Theodori	670	4	Eleutherius	Kenewalchi	28	
6	Adeodati	6	Theodori	673	5	Headda	Kenewalchi	31	
2	Joh. VI.	11	Birhtualdi	703	6	Daniel	Inae	16	
3	Zachariae	5	Cuthberti	744	7	Humfredus	Cuthredi	4	
3	Steph. II.	15	Cuthberti	754	8	Kinebardus	Sigeberto regnante	11	
3	Steph. II.	15	Cuthberti	754	9	Athelardus	Sigeberto regnante	11	
2	Adriani I.	1	Athelardi	793	10	Egbaldus	Brictrici	10	
					11	Dudda			
4	Leonis III.	7	Athelardi	799	12	Kineberhtus	Brictrici	16	
8	Leonis III.	11	Athelardi	803	13	Almundus	Ecgberti	4	
	Steph. IV sedente	14	Wlfredi	816	14	Wigthegnus	Ecgberti	17	
			ante	829	15	Hereferthus			
					16	Edmundus			
6	Greg. IV.	3	Ceolnothi	833	17	Helinstanus	Ecgberti	34	
6	Leonis IV.	20	Ceolnothi	852	18	Suithunus	Aethelwlphi	16	
5	Nicolai I.	30	Ceolnothi	862	19	Alfrithus	Ethelbyrti	3	
					20	Dunbertus	Universae Angliae imperium tenentis		
8	Joh. VIII.	9	Athelredi	879	21	Denewlphus	Alfredi	8	
8	Sergii III.	21	Plegmundi	910	22	Fritherstanus	Edw. sen.	10	
3	Joh. XI.	9	Wlfhelmi	932	23	Brinstanus	Ethelstani	6	
6	Joh. XI.	12	Wlfhelmi	935	24	Elphegus Calvus	Ethelstani	9	
6	Agapeti II.	11	Odonis	951	25	Alffinus	Edredi	6	
3	Joh. XII.	18	Odonis	958	26	Brithelmus I.	Edwii	4	
8	Joh. XII.	5	Dunstani	963	27	Ethelwoldus	Eadgari	5	
	Joh. XIV. sedente	26	Dunstani	984	28	Elphegus II.	Ethelredi	7	
4	Joh. XVIII.	1	Elphegi	1006	29	Kenulphus	Ethelredi	29	
4	Joh. XVIII.	1	Elphegi	1006	30	Ethelwoldus II.	Ethelredi	29	
	Bened. VIII.	3	Livingi	1015	31	Alsinus	Ethelredi	38	
9	Joh. XIX.	13	Agelnothi	1032	32	Alwynus	Canuti	16	
1	Clem. II.	10	Eadsini	1047	33	Stigandus	Edw. Conf.	6	
10	Alex. II.		sede vacante	1070	34	Walkelinus vacat sedes ann. 3	Gul. I.	4	
2	Paschalis II.	8	Anselmi	1100	35	Gul. Giffard non ante 1107 sacratus	Henric. I.	1	
6	Honorii II.	8	Gul. Corboyle	1129	36	Henricus Blesensis	Henric. I.	30	
15	Alex. III.	1	Ricardi	1174	37	Ric. Toclivius sacr. 1174.	Henric. II.	19	
2	Clementis III.	6	Baldwini	1189	38	Godefridus de Lucy	Ric. I.	1	
8	Innoc. III.		sede vacante	1205	39	Petrus de Rupibus vacat sedes ann. 5	Johan.	7	
1	Innoc. IV.		sede vacante	1243	40	Gul. de Raleigh	Henr. III.	28	
8	Innoc. IV.	6	Bonifacii	1250		Adomarus de Lezignon**	Henr. III.	35	**an. 1258 Anglia pellitur non dum sacratus.
1	Urbani IV.	17	Bonifacii	1261	41	Johan. de Exonia	Henr. III.	46	
4	Clem. IV.	24	Bonifacii	1268	42	Nicolaus de Ely	Henr. III.	52	
				1280		{ Rob. Burnel episc. B. & W. Ric. de la More *$_*$ } vacat sedes annis 3			*$_*$ uterque ab Archiep. Cant. ob pluralitatis, ut ita dicam, crimen exclusi.
[illegible]	Martini IV.	5	Joh. Peckham	1282	43	Joh. de Pontissara	Edw. I.	10	
	sede vacante	10	Rob. Winchelsey	1305	44	Henricus Woodlock	Edw. I.	33	
	sede vacante	4	Walt. Raynold	1316	45	Joh. de Sandale	Edw. II.	10	
5	Joh. XXII.	8	Walt. Raynold	1320	46	Rigandus de Asserio	Edw. II.	13	
8	Joh. XXII.	11	Walt. Raynold	1323	47	Johannes Stratford	Edw. II.	17	
18	Joh. XXII.	1	Joh. Stratford	1333	48	Adam de Orleton	Edw. III.	8	
[illegible]	Clem. VI.	13	Joh. Stratford	1345	49	Gul. Edyndon	Edw. III.	19	
6	Urbani V.	1	Simonis Langham	1367	50	Gul. Wickham	Edw. III.	40	
2	Innoc. VII.	10	Tho. Arundel	1405	51	Henr. Beaufort	Henr. IV.	6	
1	Nicolai V.	5	Joh. Stafford	1447	52	Gul. Waynfleet	Henr. VI.	25	
4	Innoc. VIII.	31	Tho. Bourchier	1487	53	Petrus Courteney	Henr. VII.	2	
2	Alex. VI.	8	Joh. Morton	1493	54	Thomas Langton	Henr. VII.	8	
9	Alex. VI.		sede vacante	1500	55	Ricardus Fox	Henr. VII.	16	
7	Clem. VII.	25	Gul. Warham	1529	56	Thomas Wolsey	Henr. VIII.	20	
9	Clem. VII.	27	Gul. Warham	1531	57	Stephanus Gardiner	Henr. VIII.	23	
	*	19	Tho. Cranmer	1551	58	Johannes Poynet	Edw. VI.	5	
4	Julii III.	21	Tho. Cranmer	1553		Steph. Gardiner	Mariae	1	*Romano Pontifice Anglia feliciter exturb.
3	Pauli IV.	2	Reg. Pole	1557	59	Johannes White	Phil. & Mar.	3 & 4	
	Rom. Pont. valed.	2	Mat. Parker	1560	60	Robertus Horne	Eliz.	3	

Anno	Sedentis ROMAE	Anno	Sedentis CANTUARIAE	A.D.	Num. Epiſc.	SEDES LINCOLNIENSIS.	SAXONUM OCCIDENTALIUM imperium tenentis	Anno
						Epiſcopi SAXONUM OCCIDENTALIUM ſive DORCACESTRENSES.		
10	Honorii I.	9	Honorii	635	1	Birinus	Kynegylſi } Quicelmi }	25
2	Martini I.	23	Honorii	650	2	Agilbertus	Kenewalchi	8
	Epiſcopi SIDNACESTRENSES ſive LINDISIENSES			737		Epiſcopi LEGECESTRENSES; qui, ſede mox Dorcaceſtriam migrante, iterum DORCACESTRENSES		
678	Eadhcadus							
679	Ethelwinus				3	Tota		
	Edgarus	2	Jeamberti	764	4	Edbertus	Kenulfi	10
733	Cymberctus	6	Jeamberti	768	5	Werenbertus	Kenulfi	14
733	Alwigus	6	Jeamberti	768	6	Unwona	Kenulfi	14
751	Eadulfus	11	Wlfredi	813	7	Rethunus	Ecgberti	14
764	Ceolulfus	21	Ceolnothi	851	8	Aldredus	AEthewlfi	15
787	Ealdulfus						Univerſae Angliae imperium tenentis	
2	Joh. VIII.	3	Athelredi	873	9	Ceolredus	Alfredi	3
				886	10	Halardus	Alfredi	15
		16	Plegmundi	905	11	Ceolulfus	Edw. Sen.	5
4	Agapeti II.	9	Odonis	949	12	Leofwinus	Eadredi	4
5	Joh. XII.	2	Dunſtani	960	13	Ailnothus	Eadgari	2
3	Joh. XIII.	9	Dunſtani	967	14	AEſcwynus	Eadgari	9
10	Joh. XV.	4	Siricii	994	15	Alfhelmus	Ethelredi	17
2	Joh. XVIII.	10	Aluricii	1004	16	Eadnothus I.	Ethelredi	27
6	Bened. VIII.	5	Livingi	1017	17	Eadhericus	Canuti	1
3	Bened. IX.	15	Agelnothi	1034	18	Eadnothus II.	Canuti	17
2	Leonis IX.	1	Rob. Gemiticen.	1050	19	Ulfus	Edw. Conf.	9
5	Leonis IX.	2	Stigandi	1053	20	Wulffinus	Edw. Conf.	12
						vacat ſedes ann. 3.		
10	Alex. II.	1	Lanfranci	1070	21	Remigius de Feſchamp	Gul. I.	5
						Epiſcopi LINCOLNIENSES.		
12	Alex. II.	3	Lanfranci	1072		Remigius Dorcaceſtria ſedem Lincolniam traducit		
6	Urbani II.	1	Anſelmi	1093	22	Robertus Bloet	Gul. II.	7
5	Calixti II.	2	Gul. Corboyle	1123	23	Alexander	Henr. I.	25
3	Eugenii III.	10	Theobaldi	1147	24	Rob. de Cheſney	Steph.	13
15	Alex. III.		ſede vacante	1173		Galfr. Plantagenet **	Henr. II.	19
3	Lucii III.	10	Ricardi	1183	25	Walt. de Conſtantiis	Henr. II.	29
	*	3	Baldwini	1186	26	Hugo	Henr. II.	32
6	Innoc. III.	11	Huberti	1203	27	Gul. Bleſenſis	Joh.	5
12	Innoc. III.	3	Steph. Langton	1209	28	Hugo Wallis	Joh.	11
9	Greg. IX.	2	Edmundi	1235	29	Rob. Groſthead	Henr. III.	20
12	Innoc. IV.	10	Bonifacii	1254	30	Henr. Lexington	Henr. III.	39
5	Alex. IV.	14	Bonifacii	1258	31	Ric. de Graveſend	Henr. III.	43
4	Nic. III.	3	Joh. Peckham	1280	32	Oliverus Sutton	Edw. I.	8
7	Bonif. VIII.	7	Rob. Winchelſey	1300	33	Joh. d'Aldreby	Edw. I.	28
4	Joh. XXII.	7	Walt. Raynold	1319	34	Tho. Beke vel Beck I.	Edw. II.	12
5	Joh. XXII.	8	Walt. Raynold	1320	35	Henr. Burgherſh	Edw. II.	13
1	Clem. V.	10	Joh. Stratford	1342	36	Tho. Beke vel Beck II.	Edw. III.	15
6	Clem. VI.	13	J. Stratford	1347	37	Joh. Gynwell	Edw. III.	20
2	Urbani V.	15	Simonis Iſlippe	1363	38	Joh. Bokingham	Edw. III.	37
10	Bonif. IX.	3	Tho. Arundel	1398	39	Henr. Beaufort	Ric. II.	22
1	Innoc. IV.	10	Tho. Arundel	1405	40	Phil. Repindon	Henr. IV.	6
4	Martini V.	8	Henr. Chicheley	1420	41	Ric. Flemyng	Henr. V.	8
1	Eugenii IV.	19	Henr. Chicheley	1431	42	Gul. Gray	Henr. VI.	9
6	Eugenii IV.	24	Henr. Chicheley	1436	43	Gul. Alnewick	Henr. VI.	14
4	Nic. V.	8	J. Stafford	1450	44	Marmad. Lumley	Henr. VI.	28
5	Nic. V.	9	J. Stafford	1451	45	Joh. Chedworth	Henr. VI.	29
1	Sixti IV.	18	Tho. Bourchier	1471	46	Thomas Rotheram	Edw. IV.	12
10	Sixti IV.	27	Tho. Bourchier	1480	47	Joh. Ruſſel	Edw. IV.	20
4	Alex. VI.	12	Joh. Morton	1495	48	Gulielm. Smith	Henr. VII.	11
1	Leonis X.	11	Gul. Warham	1513	49	Thomas Wolſey	Henr. VIII.	5
2	Leonis X.	12	Gul. Warham	1514	50	Gul. Atwater	Henr. VIII.	6
9	Leonis X.	19	Gul. Warham	1521	51	Joh. Longland	Henr. VIII.	13
	Rom. Pont. Angl. }	14	Tho. Cranmer	1547	52	Henr. Holbeach	Edw. VI.	1
	feliciter exturb. }	20	Tho. Cranmer	1552	53	Joh. Taylour	Edw. VI.	6
5	Julii III.		Cranmero amoto	1554	54	Johan. White	Mar. I.	
2	Pauli IV.	2	Regin. Pole	1556	55	Thomas Watſon	Ph. & Mar.	3 & 4
	Romano pontifice }	1	MATT. PARKER	1560	56	Nic. Bullingham	ELIZ.	2
	valedicto }	12	MATT. PARKER	1570	57	Thomas Cowper	ELIZ.	13

* Victore VI. elect. ſed tiaram Romanam adhuc recuſante

** 9 annos ſedem, nulla adhibita ſacratione, occupavit.

r

TABULAE CHRONICAE.

Anno	Sedentis Romae	Anno	Sedentis Cantuariae	A.D.	Num. Episc.	Sedes Lichefeldensis.	Merciorum imperium tenentis	Anno
2	Vitaliani	3	Deusdedit	656	1	Dwima	occu. OswioNorth.	1.
4	Vitaliani	5	Deusdedit	658	2	Cellach	occup. OswioN. regn.	
5	Vitaliani	6	Deusdedit	659	3	Trumhere	Wulferi	1
10	Vitaliani	11	Deusdedit	664	4	Jarumannus	Wulferi	6
15	Vitaliani	2	Theodori	669	4	Cedda	Wulferi	11
18	Vitaliani	5	Theodori	672	6	Winfridus	Wulferi	14
4	Adeodati	9	Theodori	676	7	Sexwlfus	Aethelredi	2
4	Sergii I.		sede vacante	691	8	Hedda	Aethelredi	18
8	Gregorii II.	30	Birhtualdi	721	9	Aldwinus	Aethelbaldi	6
7	Gregorii III.	3	Nothelmi	737	10	Wicta	Aethelbaldi	22
1	Steph. II.	13	Cuthberti	752	11	Hemele	Aethelbaldi	37
9	Pauli I.	3	Jeamberti	765	12	Cuthfrithus	Offae	9
1	Steph. III.	6	Jeamberti	768	13	Berthunus	Offae	12
4	Steph. III.	8	Jeamberti	771	14	Higberthus	Offae	15
5	Adriani I.	13	Jeamberti	776	15	Aldulphus anno 785 PALLIO donatus, an. 799 PALLIO exut.	Offae	20
17	Leonis III.	10	Wlfredi	812	16	Herewinus	Kenulphi	17
2	Paschalis I.	16	Wlfredi	818	17	Athelwaldus	Kenulphi	23
1	Leonis IV.	16	Ceolnothi	847	18	Hunberthus	Bertwulfi	9
1	Adriani II.	36	Ceolnothi	867	19	Kyneberthus	Burrhedi	16
							Imperium Anglic. tenentis.	
6	Steph. V.	2	Plegmundi	890	20	Tunfrithus	Alfredi	19
8	Joh. X.	6	Athelmi	920	21	Aelle	Edwar. sen.	20
3	Marini II.	4	Odonis	944	22	Elgarus	Eadmundi	5
5	Joh. XII.	2	Dunstani	960	23	Kynsius	Eadgari	2
1	Bonifacii VII.	16	Dunstani	974	24	Wynsius	Eadgari	16
8	Joh. XV.	4	Siricii	992	25	AElfegus	Ethelredi	14
5	Joh. XVIII.	2	Elphegi	1007	26	Godwinus	Ethelredi	29
9	Benedicti VIII.	1	Egelnothi	1020	27	Leofgarus	Canuti	4
4	Joh. XIX.	8	Egelnothi	1027	28	Brithmarus	Canuti	11
8	Bened. IX.	1	Edsini	1038	29	Wlsius	Haroldi	3
	sede vacante	3	Stigandi	1054	30	Leofwinus	Edw. Conf.	13
7	Alexandri II.	16	Stigandi	1067	31	Petrus	Gul. I.	2
						Cath. ad Cest. a Petro trad. an. 1075 Ep. CESTRENSES.		
3	Greg. VII.	5	Lanfranci	1075		1 Petrus idem.	Gul. I.	10
1	*	17	Lanfranci	1086	32	2 Robertus de Lymesey	Gul. I.	21
						Cathed. mox a Cest. ad Cov. migr. an. 1095, sedes dicitur COVENTR.		
8	Urbani II.	3	Anselmi.	1095	†	1 Rob. de Lymesey idem.	Gul. II.	9
3	Calixti II.	8	Rodulphi	1121	33	2 Robertus Peche	Henr. I.	21
6	Honorii II.	8	Gul. Corboyle	1129	34	3 Rogerus de Clynton	Henr. I.	29
5	Eugenii II.	12	Theobaldi	1149	35	4 Gualterus Durdent	Steph.	15
4	Alexandri III.	1	Tho. Becket	1162	36	5 Ricardus Peche	Henr. II.	8
3	Lucii III.	11	Ricardi	1183	37	6 Gerardus de Puella	Henr. II.	30
						Episc. LICH. & COVENTR.		
5	Lucii III.	2	Baldwini	1185	38	Hugo de Nonant. sacr. 1187	Henr. II.	32
1	Innoc. III.	6	Huberti	1198	39	Galfridus de Muschamp	Ric. I.	10
13	Innocent. III.	5	Steph. Langton	1210		Walter. de Grey. elect. in sed. Wigorn. sacr. an. 1213		
18	Innocent. III.	10	Steph. Langton	1215	40	Wilhelmus de Cornhull	Joh.	15
9	Honorii III.	19	Steph. Langton	1224	41	Alexander de Stavenby	Henr. III.	8
14	Greg. IX.	8	Edmundi	1240	42	Hugo de Patishull	Henr. III.	25
	sede vacante		sede vacante	1242		Ric. Crassus ob. nond. sac.		
3	Innocent. IV.	2	Bonifacii	1245	43	Rogerus de Weseham	Henr. III.	30
5	Alexandri IV.	14	Bonifacii	1258	44	Rogerus de Meyland	Henr. III.	40
3	Bonifacii VIII.	3	Rob. Winchelsey	1296	45	Gualterus de Langton	Edw. I.	23
7	Joh. XXI.	10	Walt. Raynold	1322	46	Rogerus de Northburgh	Edw. II.	16
9	Innocent. VI.	12	Si. Islippe	1360	47	Robertus Stretton	Edw. III.	34
6	Urbani VI.	5	Guli. Courtney	1385	48	Walterus Skirlaw	Ric. II.	9
7	Urbani VI.	6	Gul. Courteney	1386	49	Ricardus Scrope	Ric. II.	10
10	Bonifacii IX.		Arundelio exul.	1398	50	Johannes Burghill	Ric. II.	22
5	Joh. XXII.		sede vacante	1414	51	Johannes Catrycke	Henr. V.	3
4	Martini V.	6	Henr. Chicheley	1420	52	Wilhelmus Heyworth	Henr. V.	8
1	Nicolai V.	6	Joh. Stafford	1447	53	Wilhelmus Bothe	Henr. VI.	25
6	Nicolai V.	1	Joh. Kempe	1452	54	Nicolaus Close	Henr. VI.	31
7	Nicolai V.	2	Joh. Kempe	1453	55	Reginaldus Bolars	Henr. VI.	31
2	Pii II.	6	Tho. Bourchier	1459	56	Johannes Halse	Henr. VI.	38
1	Alexandri VI.	7	Joh. Morton	1492	57	Willelmus Smith	Henr. VII.	8
5	Alex. VI.	11	Joh. Morton	1496	58	Johannes Arundel	Henr. VII.	12
	sede vacante		sede vacante	1503	59	Galfridus Blythe	Henr. VII.	19
11	Clem. VII.	2	Tho. Cranmer	1534	60	Rolandus Lee	Henr. VIII.	25
	Rom. Pont. Angl. felic. exturbato	10	Tho. Cranmer	1542	61	Ricardus Sampson	Henr. VIII.	34
5	Julii III.		Cranmero amoto	1554	62	Radulphus Bayne	Mar.	2
	Rom. Pont. valed.	1	MATT. PARKER	1559	63	Thomas Bentham	ELIZ.	1

* Victore III. elect. sed Romanam novo exemplo tiaram adhuc recusante.

† Sedes fere quadriennio vacat.

TABULAE CHRONICAE.

Anno	Sedentis Romae	Anno	Sedentis Cantuariae	A.D.	Num. Episc.	Sedes Wigorniensis	Merciorum imperium tenentis	Anno	
3	Agathonis	13	Theodori	680		Tadfrithus nond. ſacr. ob.			
4	Agathonis	14	Theodori	681	1	Boſelus	Aethelredi	7	
4	Sergii I.		ſede vacante	691	2	Oſtforus	Aethelredi	18	
5	Sergii I.		ſede vacante	692	3	Egwinus	Aethelredi	19	
4	Greg. II.	25	Birhtualdi	717	4	Wilfridus	Aethelbaldi	2	
2	Zachariae	4	Cuthberti	743	5	Milredus	Aethelbaldi	28	
4	Adriani I.	13	Jeamberti	775	6	Weremundus	Offae	19	
7	Adriani I.	16	Jeamberti	778	7	Tilherus	Offae	22	
10	Adriani I.	19	Jeamberti	781	8	Heathoredus	Offae	25	
3	Leonis III.	6	Athelardi	798	9	Denebertus	Kenulphi	3	
6	Paſchalis I.	20	Wlfredi	822	10	Heaberhtus	Beornulphi	1	
2	Leonis IV.	18	Ceolnothi	848	11	Alhunus	Bertwlfi	10	
							Angl. Imperium tenentis.		
2	Johan. VIII.	3	Athelredi	873	12	Werefrithus	Alfredi	2	
3	Johan. X.	2	Athelmi	915	13	Aethelhunus	Edw. ſen.	15	
10	Johan. X.	9	Athelmi	922	14	Wilferthus	Edw. ſen.	22	
2	Steph. VII.	6	Wlfelmi	929	15	Kynewoldus	Aethelſtani	6	
3	Johan. XII.	18	Odonis	958	16	Dunſtanus	Eadgari	1	
5	Johan. XII.	2	Dunſtani	960	17	Oſwaldus	Eadgari	3	
8	Johan. XV.	4	Siricii	992	18	Aldulphus	Ethelredi	14	
					19	Wlſtanus			
					20	Leoffius			
3	Benedict. VIII.	14	Agelnothi	1033	21	Brihteagus	Canuti	17	
					22	Livingus			
2	Victoris II.	5	Stigandi	1056	23	Aldredus	Edw. Conf.	15	
2	Alexand. II.	11	Stigandi	1062	24	Wlſtanus II.	Edw. Conf.	21	
9	Urbani II.	4	Anſelmi	1096	25	Sampſon	Gul. II.	10	
15	Sylveſtri II.		ſede vacante	1113	26	Theobaldus ſacrat. 1115.	Henr. I.	14	
2	Honorii II.	4	Gul. Corboyle	1125	27	Simon	Henr. I.	26	
6	Eugenii IV.	13	Theobaldi	1150	28	Johan. de Pageham	Steph.	15	
5	Adriani IV.	21	Theobaldi	1158	29	Aluredus	Henr. II.	4	
6	Alex. III.	3	Thomae Becket	1164	30	Rogerus	Henr. II.	10	
22	Alex. III.	7	Ricardi	1180	31	Baldwinus	Henr. II.	26	
2	Urbani III.	3	Baldwini	1186	32	Gul. de Norhall	Henr. II.	32	
4	Clem. III.	7	Baldwini	1190	33	Robertus ſacrat. 1192	Ric. I.	3	
3	Coeleſtini III.	1	Huberti	1193	34	Henr. de Soilli	Ric. I.	5	
6	Coeleſtini III.	4	Huberti	1196	35	Joh. de Conſtantiis	Ric. I.	8	
3	Innoc. III.	8	Huberti	1200	36	Malgerius	Johan.	2	
17	Innoc. III.	8	Steph. Langton	1214	37	Walterus de Grey	Johan.	16	
19	Innoc. III.	10	Steph. Langton	1116	38	Sylveſter de Eveſham	Johan.	17	
3	Honorii III.	12	Steph. Langton	1218	39	Gul. Bleſenſis	Henr. III.	2	
10	Greg. IX.	3	Edmundi	1236	40	Walterus de Cantilupo	Henr. III.	20	
2	Clem. IV.	22	Bonifacii	1266	41	Nicolaus de Ely	Henr. III.	50	
4	Clem. IV.	24	Bonifacii	1268	42	Godefridus Giffard	Henr. III.	52	
9	Bonifacii VIII.	9	Rob. Winchelſey	1302		Jo. de S. Germ. el. juri cedit	Edw. I.	31	
9	Bonifacii VIII.	9	Rob. Winchelſey	1302	43	Gul. de Geyneſburgh	Edw. I.	31	
4	Clem. V.	15	Rob. Winchelſey	1308	44	Walterus Raynold	Edw. II.	2	
9	Clem. V.	1	Walteri Raynold	1313	45	Walterus Maydeneſton	Edw. II.	7	
2	Johan. XXII.	5	Walteri Raynold	1317	46	Thomas Cobham	Edw. II.	10	
12	Johan. XXII.	15	Walteri Raynold	1327		Wlſtanus de Bransford *	Edw. III.	1	* a papa facta-
12	Johan. XXII.	15	Walteri Raynold	1327	47	Adam de Orleton	Edw. III.	2	tione interdict.
19	Johan. XXII.	2	Joh. Stratford	1334	48	Simon Montacute	Edw. III.	9	
4	Bened. XII.	5	Joh. Stratford	1337	49	Tho. de Hemenhale	Edw. III.	10	
5	Bened. XII.	6	Joh. Stratford	1338	50	Wlſtanus de Bransford	Edw. III.	11	
8	Clem. VI.		ſede vacante	1349		Johan. de Eveſham **	Edw. III.	22	** elect. ſed Ro-
8	Clem. VI.		ſede vacante	1349	51	Johan. de Thoreſby	Edw. III.	22	mano oraculo
2	Innoc. VI.	5	Simonis Iſlippe	1353	52	Reginaldus Brian	Edw. III.	26	excluſus.
10	Innoc. VI.	13	Simonis Iſlippe	1361	53	Johan. Barnet	Edw. III.	34	
2	Urbani V.	15	Simonis Iſlippe	1363	54	Gul. Wittleſey	Edw. III.	36	
7	Urbani V.	3	Simonis Langham	1368	55	Gul. de Lenne	Edw. III.	41	
4	Greg. XI.		ſede vacante	1374		Walterus de Legh. **	Edw. III.	47	** papali, uti
5	Greg. XI.	1	Simonis Sudbury	1375	56	Henr. de Wakefield	Edw. III.	48	ſupra, oraculo excluſus.
7	Bonifacii IX.	16	Gul. Courteney	1395		Johan. Green †	Ric. II.	18	† regio aſſenſu
7	Bonifacii IX.	16	Gul. Courteney	1395	57	Tid. de Winchecombe	Ric. II.	18	munitus papali
13	Bonifacii IX.	6	Tho. Arundel	1401	58	Ricardus Clifford	Henr. IV.	2	proviſione in-
2	Greg. XII.	12	Tho. Arundel	1407	59	Tho. Peverell	Henr. IV.	9	tercluditur.
4	Martini V.	7	Henr. Chicheley	1419	60	Philippus Morgan	Henr. V.	7	
9	Martini V.	13	Henr. Chicheley	1425	61	Thomas Polton	Henr. VI.	3	
5	Eugenii IV.	23	Henr. Chicheley	1435	62	Tho. Bourchier	Henr. VI.	13	
13	Eugenii IV.	1	Johan. Stafford	1443	63	Johan. Carpenter	Henr. VI.	21	
6	Sixti IV.	23	Tho. Bourchier	1476	64	Johan. Alcock	Edw. IV.	16	
3	Innoc. VIII.	1	Johan. Morton	1486	65	Robertus Morton	Henr. VII.	1	
6	Alex. VI.	12	Johan. Morton	1497	66	Joh. de Giliis	Henr. VII.	13	
7	Alex. VI.	14	Johan. Morton	1498	67	Sylveſter de Giliis	Henr. VII.	14	
9	Leonis X.	19	Gul. Warham	1521		Julius de Medicis †*	Henr. VIII.	13	
1	Adriani VI.	20	Gul. Warham	1522	68	Hieronymus de Ghinucciis	Henr. VIII.	14	†* eccl. Wigorn. administrator.
2	Pauli III.	3	Tho. Cranmer	1535	69	Hugo Latimer	Henr. VIII.	27	
	Rom. Pontif.	7	Tho. Cranmer	1539	70	Johan. Bell	Henr. VIII.	31	
	Anglia felici-	11	Tho. Cranmer	1543	71	Nicolaus Heath	Henr. VIII.	35	
	ter exturbato.	20	Tho. Cranmer	1552	72	Johan. Hooper	Edw. VI.	6	
1	Pauli IV.		Cranmero amoto	1555	73	Ricardus Pate	Ph. & Mar.	1 & 2	
		1	MAT. PARKER	1559	74	Edwynus Sandys	ELIZ.	2	
	Rom. Pont. valed.	12	MAT. PARKER	1570		Jacobus Calfhill †	ELIZ.	12	† obiit nondum
	1	12	MAT. PARKER	1570	75	Nicolaus Bullingham	ELIZ.	12	ſacratus.

TABULAE CHRONICAE.

Anno	Sedentis Romae	Anno	Sedentis Cantuariae	A.D.	Num. Episc.	Sedes Herefordensis.	Merciorum imperium tenentis	Anno
3	Agathonis	13	Theodori	680	1	Putta	Aethelredi	6
4	Sergii I.		ſede vacante	691	2	Tirketellus	Aethelredi	17
					3	Torterus		
5	Gregorii II.	26	Birhtualdi	718	4	Walſtodus	Aethelbaldi	3
6	Greg. III.	2	Nothelmi	736	5	Cuthbertus	Aethelbaldi	21
11	Greg. III.	2	Cuthberti	741	6	Podda	Aethelbaldi	26
5	Zachariae	7	Cuthberti	746	7	Ecca	Aethelbaldi	31
1	Steph. II.	13	Cuthberti	752	8	Cedda	Aethelbaldi	37
2	Pauli I.	19	Cuthberti	758	9	Albertus	Offae	2
2	Steph. III.	7	Jeamberti	769	10	Efna	Offae	13
4	Adriani I.	13	Jeamberti	775	11	Celmundus	Offae	19
12	Adriani I.	21	Jeamberti	783	12	Utellus	Offae	27
17	Adriani I.	27	Jeamberti	788	13	Wlfhardus	Offae	32
14	Leonis III.	7	Wlfredi	809	14	Benna	Kenulphi	14
2	Greg. IV.	27	Wlfredi	829	15	Eadulfus	Witlafi	5
3	Leonis IV.	19	Ceolnothi	849	16	Cuthwulfus	Bertwulfi	11
2	Adriani II.	38	Ceolnothi	868	17	Mucellus	Burhredi	17
							Univerſae Angliae imperium tenentis	
4	Steph. V.	18	Ethelredi	888	18	Deorlafus	Alfredi	18
6	Sergii III.	9	Plegmundi	908	19	Cunemundus	Edw. Sen.	8
		5	Wlfhelmi	928	20	Edgarus	Aethelſtani	5
4	Agapeti II.	9	Odonis	949	21	Tidhelmus	Eadredi	4
5	Joh. XIII.	11	Dunſtani	969	22	Wlfhelmus	Eadgari	11
					23	Alfricus		
2	Greg. V.	3	Aluricii	997	24	Athulphus	Ethelredi	19
1	Bened. VIII.	7	Elphegi	1012	25	Ethelſtanus	Ethelredi	34
2	Victoris II.	5	Stigandi	1056	26	Leovegarus		
3	Nicolai II.	9	Stigandi	1060	27	Walterus		
7	Greg. VII.	10	Lanfranci	1079	28	Robertus Lozinga	Gul. I.	14
					29	Gerardus		
						Rog. elect. nond. ſacr. ob.		
9	Paſchalis II.	15	Anſelmi	1107	30	Raynelmus	Henr. I.	8
17	Paſchalis II.	2	Rodulphi	1115	31	Galf. de Clyve	Henr. I.	16
2	Calixti II.	7	Rodulphi	1120	32	Ricardus	Henr. I.	21
2	Innoc. II.	12	Gul. Corboyle	1131	33	Rob. de Betune	Henr. I.	32
4	Eugenii III.	11	Theobaldi	1148	34	Gilbertus Foliot.	Steph.	14
6	Alex. III.	3	Tho. Becket	1164	35	Rob. de Melun.	Henr. II.	10
						vacat ſedes ann. fere 7.		
16	Calixti III.	2	Ricardi	1174	36	Rob. Foliot	Henr. II.	20
2	Urbani II.	3	Baldwini	1186	37	Gul. de Vere	Henr. II.	32
3	Innoc. III.	8	Huberti	1200	38	AEgidius Bruce	Joh.	2
1	Honorii III.	10	Steph. Langton	1216	39	Hugo de Mapenore	Henr. III.	1
4	Honorii III.	13	Steph. Langton	1219	40	Hugo Foliot	Henr. III.	3
8	Greg. IX.	1	Edmundi	1234	41	Rad. de Maydenſtan	Henr. III.	18
14	Greg. IX.	7	Edmundi	1240	42	Petr. de Egueblanc	Henr. III.	24
	ſede vacante	25	Bonifacii	1269	43	Johannes Breton	Henr. III.	53
5	Greg. X.	4	Rob. Kylwarby	1275	44	Tho. Cantilupe	Edw. I.	3
2	Martini IV.	5	Joh. Peckham	1282	45	Ric. Swinefeld	Edw. I.	11
2	Joh. XXII.	5	Walt. Raynold	1317	46	Adam de Orleton	Edw. II.	10
12	Joh. XXII.	15	Walt. Raynold	1327	47	Thom. Charlton	Edw. III.	1
3	Clem. VI.	12	Joh. Stratford	1344	48	Johannes Trilleck	Edw. III.	18
10	Innoc. VI.	13	Simonis Iſlippe	1361	49	Ludov. Charlton	Edw. III.	35
8	Urbani V.	1	Gul. Wittleſey	1369	50	Gul. Courtney	Edw. III.	43
5	Greg. XI.	1	Simonis Sudbury	1375	51	Johannes Gilbert	Edw. III.	49
12	Urbani VI.	9	Gul. Courteney	1389	52	Joh. Trefnant	Ric. II.	13
15	Bonifacii IX.	9	Tho. Arundel	1404	53	Robertus Maſcal	Henr. IV.	5
	Pap. à Joh. XXIII. abd.	4	Henr. Chicheley	1417	54	Edmundus Lacy	Henr. V.	5
4	Martini V.	7	Henr. Chicheley	1420	55	Thomas Polton	Henr. V.	8
6	Martini V.	9	Henr. Chicheley	1422	56	Thomas Spofford	Henr. V.	10
2	Nicolai V.	6	Joh. Stafford	1448	57	Ric. Beauchamp	Henr. VI.	27
4	Nicolai V.	8	Joh. Stafford	1450	58	Reginald. Butler	Henr. VI.	29
6	Nicolai V.	1	Joh. Kempe	1452	59	Joh. Stanbery	Henr. VI.	32
4	Sixti IV.	21	Tho. Bourchier	1474	60	Thomas Milling	Edw. IV.	14
9	Innoc. VIII.	7	Joh. Morton	1492	61	Edmundus Audley	Henr. VII.	8
11	Alex. VI.	2	Henr. Dene	1502	62	Adrianus de Caſtello	Henr. VII.	18
2	Julii II.	1	Gul. Warham	1504	63	Ricardus Mayo	Henr. VII.	20
4	Leonis X.	13	Gul. Warham	1516	64	Carolus Booth	Henr. VIII.	8
2	Pauli III.	3	Tho. Cranmer	1535	65	Edwardus Fox	Henr. VIII.	27
	Romano Pontifice Anglia feliciter exturbato.	6	Tho. Cranmer	1538		Edmundus Bonner	Henr. VIII.	30
						Lond. nond. adh. ſacr. trad.		
		7	Tho. Cranmer	1539	66	Johannes Skyp	Henr. VIII.	31
		21	Tho. Cranmer	1553	67	Johannes Harley	Edw. VI.	7
5	Julii III.		Amoto Cranmero	1554	68	Robertus Warton	Mariae	1
						Thomas Reynolds		
			ſede vacante	1559	69	Johannes Scory	Eliz.	2

Anno	Sedentis Romae	Anno	Sedentis Cantuariae	A.D.	Num. Episc.	Sedes Cicestrensis.	Australium Saxonum imperium tenentis	Anno
						Episcopi Seolseyenses.		
3	Agathonis	13	Theodori	680	1	Wilfridus Arch. Eb. pulſ.	Edelwalchi	33
1	Joh. V.			685		Reverſo Ebor. Wilfr. Seolſ. ſed. Wynt. ſubj. ad an. 711		
4	Conſtantini	19	Birhtualdi	711	2	Eadberhtus	Andhuni ſolius	
5	Greg. II.	26	Birhtualdi	718	3	Eolla	Andhuni ſolius	
							Abſumpto Auſtralium Sax. regno 722 Suſſexia Inae Occid. Sax. regi ſubj.	
						vacat ſedes annos 5.		
3	Greg. III.	3	Tatwini	733	4	Sigga	Adelardi	8
5	Pauli I.	3	Bregwini	761	5	Alubrithus	Kynewulfi	7
19	Adriani		ſede vacante	790	6	Oſa, ſeu, Boſa	Brichtrici	7
1	Paſchalis I.	15	Wlfredi	817	7	Giſelherus	Ecgberti	18
1	Sergii II.	15	Ceolnothi	844	8	Tota	Ethelwlphi	8
							Imperium univerſae Angliae tenentis.	
2	Joh. VIII.	3	Athelredi	873	9	Wigthunus	Alfredi	2
1	Formoſi	2	Plegmundi	891	10	Ethelulphus	Alfredi	20
3	Sergii III.	16	Plegmundi	905	11	Beornegus	Edw. ſen.	5
11	Joh. X.	10	Athelmi	923	12	Coenredus	Edw. ſen.	23
4	Steph. VIII.	2	Odonis	942	13	Guthardus	Eadmundi I.	3
5	Joh. XII.	2	Dunſtani	960	14	Alfredus	Eadgari	3
6	Joh. XIII.	12	Dunſtani	970	15	Eadhelmus	Eadgari	13
6	Bened. VII.	22	Dunſtani	980	16	AEthelgarus	Ethelredi	2
				988	17	Ordbrightus	Ethelredi	10
	ſedente Joh. XVII.	9	Aluricii	1003	18	Elmarus	Ethelredi	25
8	Bened. VIII.	8	Livingi	1019	19	Ethelricus	Canuti	3
8	Bened. IX.	2	Eadſini	1039	20	Grimketellus	Hardecanuti	1
	ſedente Clem. II.	10	Eadſini	1047	21	Heca	Edw. Conf.	6
3	Vict. II.	7	Stigandi	1058	22	AEgetricus	Edw. Conf.	17
10	Alex. II.		ſede vacante	1070	23	Stigandus	Gul. I.	4
						an. 1070, ex decr. conc Londin. ſedes Seolſ. à Stig. Ciceſt. trad.		
						Stigandus		
2	Victoris III.	17	Lanfranci	1087	24	Godefridus	Gul. II.	1
4	Urbani II.		ſede vacante	1091	25	Radulphus	Gul. II.	4
2	Honorii II.	4	Gul. Corboyle	1125	26	Seffridus I.	Henr. I.	25
					27	Hilarius		
						vacat ſedes annos 4.		
16	Alex. III.	1	Ricardi	1174	28	Joh. de Greneford	Henr. II.	20
22	Alex. III.	7	Ricardi	1180	29	Seffridus II.	Henr. II.	26
7	Innoc. III.	12	Huberti	1204	30	Sim. de Welles	Joh.	6
12	Innoc. III.	3	Steph. Langton	1209	31	Nic. de Aquila	Joh.	11
18	Innoc. III.	9	Steph. Langton	1215	32	Ric. Poore	Joh.	17
3	Honoris III.	12	Steph. Langton	1218	33	Rad. Warham	Henr. III.	3
7	Honoris III.	16	Steph. Langton	1222	34	Rad. Nevyl	Henr. III.	7
					35	Rob. Paſſelew		
2	Innoc. IV.	1	Bonifacii	1245	36	Ric. de la Wich	Henr. III.	49
11	Innoc. IV.	9	Bonifacii	1253	37	Joh. Clipping	Henr. III.	37
	ſede vacante	17	Bonifacii	1261	38	Steph. de Birkſtead	Henr. III.	45
1	Nicolai IV.	11	Joh. Peckham	1288	39	Gilb. de S. Leofardo	Edw. I.	16
1	Clem. V.	12	Rob. Winchelſey	1305	40	Joh. Langton	Edw. I.	33
4	Bened. XII.	5	Joh. Stratford	1337	41	Rob. Stratford	Edw. III.	11
11	Innoc. VI.	14	Sim. Iſlippe	1362	42	Gul. de Lenne	Edw. III.	35
8	Urbani V.	2	Gul. Wittleſey	1369	43	Gul. Reade	Edw. III.	42
8	Urbani VI.	5	Gul. Courteney	1385	44	Tho. Ruſhooke	Ric. II.	8
1	Bonif. IX.	9	Gul. Courteney	1389	45	Ric. Metford	Ric. II.	13
7	Bonif. IX.	15	Gul. Courteney	1395	46	Rob. Waldby	Ric. II.	18
8	Bonif. IX.	1	Thom. Arundel	1396	47	Rob. Reade	Ric. II.	19
1	Martini V.	5	Henr. Chicheley	1417		Stephanus Patrington inchoata obit tranſlat.	Henr. V.	5
2	Martini V.	6	Henr. Chicheley	1418	48	Henr. Ware	Henr. V.	6
5	Martini V.	9	Henr. Chicheley	1421	49	Joh. Kempe	Henr. V.	9
5	Martini V.	9	Henr. Chicheley	1421	50	Tho. Polden	Henr. V.	9
10	Martini V.	14	Henr. Chicheley	1426	51	Joh. Rickingale	Henr. VI.	4
13	Martini V.	17	Henr. Chicheley	1429	52	Si. Sydenham	Henr. VI.	7
8	Eugenii IV.	26	Henr. Chicheley	1438	53	Ric. Praty	Henr. VI.	16
15	Eugenii IV.	3	Joh. Stafford	1445	54	Adam Molens	Henr. VI.	23
4	Nicolai V.	8	Joh. Stafford	1450	55	Reg. Peacock	Henr. VI.	28
2	Pii II.	6	Tho. Bourchier	1459	56	Joh. Arundel	Henr. VI.	38
8	Sixti IV.	25	Tho. Bourchier	1478	57	Edw. Story	Edw. IV.	18
1	Julii II.	1	Gul. Warham	1503	58	Ric. Fitz-James	Henr. VII.	19
6	Julii II.	6	Gul. Warham	1508	59	Rob. Sherborne	Henr. VII.	24
3	Pauli III.	4	Tho. Cranmer	1536	60	Ric. Sampſon	Henr. VIII.	28
	Rom. Pont. Angl. feliciter exturb.	11	Tho. Cranmer	1543	61	Geo. Day	Henr. VIII.	35
		20	Tho. Cranmer	1552	62	Joh. Scory	Edw. VI.	6
3	Pauli IV.	3	Reginaldi Poli	1557	63	Joh. Chriſtopherſon	Phil. & Mar.	4 & 5
	Romano pontifice valedicto	1	MAT. PARKER	1559	64	Gul. Barlowe	ELIZ.	2
		11	MAT. PARKER	1570	65	Ric. Curteys	ELIZ.	12

TABULAE CHRONICAE.

Anno	Sedentis ROMAE	Anno	Sedentis CANTUARIAE	A.D.	Num. Episc.	SEDES SARUM.	OCCIDENTALIUM SAXONUM imperium tenentis	Anno
						Episcopi SCIREBURNENS.		
1	Joh. VII.	13	Birhtualdi	705	1	Aldhelmus	Inae	18
2	Constantini	17	Birhtualdi	709	2	Fordherus	Inae	22
9	Greg. III.	5	Nothelmi	739	3	Herewaldus	AEthelardi	14
4	Steph. II.	15	Cuthberti	755	4	Ethelwoldus	Kynewlfi	1
8	Hadriani I.	17	Jeamberti	779	5	Denefrithus	Kynewlfi	25
3	Leonis III.	6	Athelardi	798	6	Wilbertus	Brictrici	15
					7	Wigfredus, à Danis interfectus 833.		
					8	Ealhstanus, moritur 867.		
					9	Hamundus, à Danis interfectus 871.		
							Universae Angliae imperium tenentis	
6	Hadriani II.	2	Athelredi	872	10	Eathelegius	Alfredi	1
4	Joh. VIII.	5	Athelredi	875	11	Alfius	Alfredi	4
8	Joh. VIII.	9	Athelredi	879	12	Asserius	Alfredi	8
1	Hadriani III.	14	Athelredi	884	13	Suithelmus	Alfredi	13
5	Hadriani III.	19	Athelredi	889	14	Ethelwardus vacat sedes annos 7.	Alfredi	18
						Anno 905, rectius 909, episcopatu Sciréburnensi in dioeceses quinque distracto, emergit sedes WILTONIENSIS, post 90 elapsos annos, eo, quo primum orta est, reditura.		
						Episcopi SCIREBURN.	Episcopi WILTON.	
					15	Werstanus	Ethelstanus	
					16	Ethelbaldus	Odo Severus	
					17	Sigelmus	Osulfus	
					18	Alfredus	Alfstanus	
					19	Wlfinus	Alfgarus	
					20	Alfwoldus	Siricius	
					21	Ethelricus	Alfricus	
					22	Ethelsius	Brithwoldus VIII.	
					23	Brithwinus		
					24	Elmarus		
					25	Brinwinus		
					26	Elfwoldus		
2	Greg. VI.	9	Eadsini	1046	27	Hermannus	Edw. Conf.	5
6	Greg. VII.	9	Lanfranci	1078	28	Osmundus	Gul. I.	12
4	Paschalis II.	10	Anselmi	1102	29	Rogerus sacr. 1107.	Henr. I.	3
13	Innoc. II.	5	Theobaldi	1142	30	Jocelinus	Steph.	7
1	Clem. III.	5	Baldwini	1188	31	Hub. Walter	Henr. II.	35
4	Coelestini III.	2	Huberti	1194	32	Herb. Poore	Ric. I.	6
2	Honorii III.	11	Steph. Langton	1217	33	Ric. Poore	Henr. III.	2
3	Greg. IX.		sede vacante	1229	34	Rob. de Bingham	Henr. III.	14
5	Innoc. IV.	3	Bonifacii	1247	35	Gul. Eboracensis	Henr. III.	31
3	Alex. IV.	12	Bonifacii	1256	36	AEgidius de Bridport	Henr. III.	41
3	Urbani IV.	19	Bonifacii	1263	37	Walt. de la Wyle	Henr. III.	47
	sede vacante.		sede vacante	1270	38	Rob. de Wykehampton sacr. 1274.	Henr. III.	54
4	Martini IV.	7	Joh. Peckham	1284	39	Walterus Scammel	Edw. I.	12
	sede vacante.	10	Joh. Peckham	1287	40	Henr. de Brandeston	Edw. I.	15
1	Nicolai IV.	11	Joh. Peckham	1288		Laur. de Hakebourn nond. adhib. sacr. ob.	Edw. I.	16
2	Nicolai IV.	12	Joh. Peckham	1289	41	Gul. de la Corner	Edw. I.	17
4	Nicolai IV.	14	Joh. Peckham	1291	42	Nic. de Long-Espé	Edw. I.	20
4	Bonifacii VIII.	4	Rob. Winchelsey	1297	43	Sim. de Gandavo	Edw. I.	25
	sede vacante	3	Walt. Raynold	1315	44	Rog. de Martival	Edw. II.	8
15	Nicolai V.	3	Sim. Mepham	1330	45	Rob. Wyvyl	Edw. III.	3
5	Greg. XI.	1	Sim. Sudbury	1375	46	Rad. Erghum	Edw. III.	48
11	Urbani VI.	8	Gul. Courteney	1388	47	Joh. Waltham	Ric. II.	12
7	Bonifacii IX.	15	Gul. Courteney	1395	48	Ric. Metford	Ric. II.	18
2	Greg. XII.	12	Tho. Arundel	1407	49	Nic. Bubbewith	Henr. IV.	8
3	Greg. XII.	13	Tho. Arundel	1408	50	Rob. Hallum	Henr. IV.	9
1	Martini V.	5	Henr. Chicheley	1417	51	Joh. Chaundeler	Henr. V.	5
11	Martini V.	15	Henr. Chicheley	1427	52	Rob. Nevyl	Henr. VI.	6
8	Eugenii IV.	26	Henr. Chicheley	1438	53	Gul. Aiscough	Henr. VI.	16
4	Nicolai V.	8	Joh. Stafford	1450	54	Ric. Beauchamp	Henr. VI.	29
12	Sixti IV.	29	Tho. Bourchier	1482	55	Leonellus Wydeville	Edw. IV.	22
2	Innoc. VIII.	31	Tho. Bourchier	1485	56	Thomas Langton	Ric. III.	2
2	Alex. VI.	8	Joh. Morton	1493	57	Johannes Blythe	Henr. VII.	9
9	Alex. VI.	15	Joh. Morton	1500	58	Henricus Dene	Henr. VII.	15
11	Alex. VI.	1	Henr. Dene	1502	59	Edm. Audley	Henr. VII.	17
3	Clem. VIII.	23	Gul. Warham	1525	60	Laur. Campegius	Henr. VIII.	16
2	Pauli III.	3	Tho. Cranmer	1535	61	Nicolaus Shaxton	Henr. VIII.	26
	R. P. Ang. fel. ext.	7	Tho. Cranmer	1539	62	Joh. Salcot, alias Capon	Henr. VIII.	31
3	Pauli IV.	2	Reg. Pole	1557	63	Gul. Peytoe		
4	Pauli IV.	3	Reg. Pole	1558	64	Francisc. Mallet	Phil. & Mar.	5 & 6
	Rom. Pontifice valedicto.	1	MAT. PARKER	1559	65	Joh. Jewell	ELIZ.	1
		13	MAT. PARKER	1571	66	Edm. Gheast	ELIZ.	14

* Cathedra in ecclesia S. PETROCI Bodminæ posita: deinde ad S GERMANI aedes deducta.

Anno	Sedentis ROMAE	Anno	Sedentis CANTUARIAE	A.D.	Num. Episc.	SEDES	imperium tenentis	Anno
			CORNUB. Episcopi.			DEVONIAE Episcopi.		
			Athelstanus					
			*Conanus	905	1	Adulphus, seu Werstanus cathed. Taunton. posita.	Edw. Sen.	5
			Ruydocus		2	Putta		
			Aldredus	969	3	Eadulphus, cathedra Greditoniae posita.	Edw. Sen.	9
			Britwinus	932	4	Ethelgarus	AEthelstani	9
			Athelstanus II.	942	5	Algarus	Eadmundi I.	3
			Wolfi	952	6	Alfwoldus	Eadredi	7
			Woronus	972	7	Alfwolfus	Eadgari	15
			Wolocus	977	8	Sidemannus	Edw. Jun.	3
			Stidio	988	9	Alfredus	Ethelredi	10
			Adelredus		10	Alfwoldus		
			Byrtwoldus XII.		11	Eadnothus		
				1032	12	Livingus	Canuti	16
						Defuncto Byrtwoldo, Cornubiae Devoniaeque sedibus in unam, an. 1040, coalescentibus utrique praeest Livingus		
2	Leonis IX.	15	Eadsini	1050	13	Leofricus mobilem hic cathed. EXONIAM demum traducit statuitque.		
						Episcopi EXONIENSES.		
				1050	1	Leofricus	Edw. Conf.	9
2	Greg. VIII.	5	Lanfranci	1074	2	Osbernus vacat sedes ann. 9.	Gul. I.	9
14	Paschalis II.		sede vacante	1112	3	Gul. Warelwast	Henr. I.	13
5	Honorii II.	7	Gul. Corboyle	1128	4	Rob. Chichester	Henr. I.	29
6	Eugenii III.	13	Theobaldi	1150	5	Rob. Warelwast	Steph.	15
3	Alexandri III.		sede vacante	1161	6	Barth. Iscanus	Henr. II.	7
2	Urbani III.	3	Baldwini	1186	7	Johannes vacat sedes annos 2.	Henr. II.	33
4	Coelestini III.	2	Huberti	1194	8	Henricus Marshal vacat sedes annos 7.	Ric. I.	5
17	Innoc. III.	8	Steph. Langton	1214	9	Simon de Apulia	Joh.	15
9	Honorii III.	18	Steph. Langton	1224	10	Gul. Brewer	Henr. III.	8
5	Innoc. IV.	1	Bonifacii	1245	11	Ric. Blondy	Henr. III.	30
4	Alexandri IV.	14	Bonifacii	1257	12	Walt. Bronescombe	Henr. III.	42
3	Nicolai IV.	3	Joh. Peckham	1280	13	Petrus Quivil	Edw. I.	7
	sede vacante		sede vacante	1292	14	Thomas Button	Edw. I.	20
4	Clem. V.	15	Rob. Winchelsey	1308	15	Walt. Stapledon	Edw. II.	1
11	Joh. XXII.	14	Walt. Raynold	1326	16	Jac. Berkeley	Edw. II.	20
12	Joh. XXII.	15	Walt. Raynold	1327	17	Joh. Godelegh	Edw. III.	1
12	Joh. XXII.	15	Walt. Raynold	1327	18	Joh. Grandison	Edw. III.	1
9	Urbani V.	3	Gul. Wittlesey	1370	19	Tho. Brentingham	Edw. III.	44
7	Bonifacii IX.	15	Gul. Courteney	1395	20	Edm. Stafford	Ric. II.	19
3	Martini V.	7	Henr. Chicheley	1419	21	Joh. Ketterich	Henr. V.	8
4	Martini V.	8	Henr. Chicheley	1420	22	Edm. Lacy	Henr. V.	8
						Joh. Halls, papali diplomate provisus juri cedit.		
2	Calixti III.	3	Tho. Bourchier	1456	23	Georgius Nevyl	Henr. VI.	34
2	Pauli II.	12	Tho. Bourchier	1465	24	Joh. Boothe	Edw. IV.	5
8	Sixti IV.	25	Tho. Bourchier	1478	25	Peter Courteney	Edw. IV.	18
4	Innoc. VIII.	2	Joh. Morton	1487	26	Ricardus Fox	Henr. VII.	2
1	Alex. VI.	7	Joh. Morton	1492	27	Olivarius King	Henr. VII.	7
4	Alex. VI.	10	Joh. Morton	1495	28	Ric. Redman	Henr. VII.	11
11	Alex. VI.	2	Henr. Dene	1502	29	Joh. Arundel	Henr. VII.	17
2	Julii II.	2	Gul. Warham	1504	30	Hugo Oldham	Henr. VII.	20
7	Leonis X.	17	Gul. Warham	1519	31	Joh. Veysey	Henr. VIII.	11
	Rom. Pont. Angl. felic. exturbato	19	Tho. Cranmer	1551	32	Milo Coverdale	Edw. VI.	5
4	Julii III.	21	Tho. Cranmer	1553		Joh. Veysey	Mariae	1
1	Pauli IV.		amoto Cranmero	1555	33	Jac. Turberville	Phil. & Mar.	2 & 3
	Rom. Pontifice valedicto	1	MAT. PARKER	1560	34	Gul. Alley	ELIZ.	2
		12	MAT. PARKER	1570	35	Gul. Bradbridge	ELIZ.	13

Anno	Sedentis Romae	Anno	Sedentis Cantuariae	A.D.	Num. Episc.	Sedes Bath. & Wellen.	imperium tenentis	Anno
						Episcopi Wellenses.		
7	Sergii III.	16	Plegmundi	909	1	Athelmus	Edw. Sen.	9
11	Joh. X.	10	Athelmi	923	2	Wlfelmus I.	Edw. Sen.	23
					3	Elphegus		
4	Leonis VII.	15	Wlfelmi	938	4	Wlfhelmus II.	AEthelstani	15
3	Joh. XII.	1	Eadsini	958	5	Brithelmus	Edwii	4
2	Benedicti VI.	15	Dunstani	973	6	Kynewardus	Eadgari	16
1	Benedicti VII.	17	Dunstani	975	7	Sigarus	Edw. Jun.	1
2	Greg. V.	3	Aluricii	997	8	Adelwynus	Ethelredi	19
3	Sylvestri II.	6	Aluricii	1000	9	Burwoldus	Ethelredi	22
4	Sylvestri II.	7	Aluricii	1001	10	Livingus	Ethelredi	23
2	Benedicti VIII.	8	Elphegi	1013	11	Eathelwynus	Ethelredi	35
3	Joh. XIX.	6	Agelnothi	1026	12	Brithwinus	Canuti	10
4	Joh. XIX.	7	Agelnothi	1027	13	Merewithus	Canuti	11
2	Benedicti IX.	14	Agelnothi	1033	14	Dudoco	Canuti	17
1	Alex. II.	10	Stigandi	1061	15	Giso	Edw. Conf.	20
1	Urbani II.	19	Lanfranci	1088	1	Joh. de Villula. Impetrato à Gul. II. hac de re diplomate cathedram WELLIA BATHONIAM deducit.		
						Episcopi junctis nominibus BATH. & WELL.		
5	Calixti II.	2	Gul. Corboyle	1123	2	Godefridus	Henr. I.	24
6	Innoc. II.	14	Gul. Corboyle	1135	3	Robertus	Steph.	1
16	Alex. III.	1	Ricardi I.	1174	4	Reginaldus	Henr. II.	20
2	Coelestini III.		sede vacante	1192	5	Savaricus	Ric. I.	4
9	Innoc. III.		sede vacante.	1206	6	Jocelinus de Welles	Joh.	8
2	Innoc. IV.		Bonifacio elect. nondum sacrato	1244	7	Rogerus	Henr. II.	29
6	Innoc. IV.	5	Bonifacii	1248	8	Gul. Button I.	Henr. III.	33
4	Urbani IV.	21	Bonifacii	1264	9	Walt. Gyfford	Henr. III.	48
2	Clem. IV.	23	Bonifacii	1266	10	Gul. Button II.	Henr. III.	50
5	Greg. X.	4	Rob. Kylwarby	1275	11	Rob. Burnel	Edw. I.	3
	sede vacante		sede vacante	1293	12	Gul. de Marchia	Edw. I.	22
10	Bonifacii VIII.	9	Rob. Winchelsey	1302	13	Walt. Haselshaw	Edw. I.	30
5	Clem. V.	16	Rob. Winchelsey	1309	14	Joh. Drokensford	Edw. II.	2
14	Joh. XXII.	2	Sim. Mepham	1329	15	Rad. de Salopia	Edw. III.	2
2	Urbani V.	14	Sim. Islippe	1363	16	Johannes Barnet	Edw. III.	36
5	Urbani V.	1	Sim. Langham	1366	17	Joh. Harewell	Edw. III.	40
9	Urbani VI.	6	Gul. Courteney	1386	18	Walt. Skirlawe	Ric. II.	9
11	Urbani VI.	8	Gul. Courteney	1388	19	Rad. Erghum	Ric. II.	11
13	Bonifacii IX.	6	Tho. Arundel	1401		Ric. Clifford, nondum sacratus Wigorn. migrat.	Henr. IV.	2
13	Bonifacii IX.	6	Tho. Arundel	1401	20	Henr. Bowet	Henr. IV.	2
3	Greg. XII.	13	Tho. Arundel	1408	21	Nic. Bubbewith	Henr. IV.	9
9	Martini V.	13	Henr. Chicheley	1425	22	Joh. Stafford	Henr. VI.	3
13	Eugenii IV.	1	Joh. Stafford	1443	23	Tho. Beckington	Henr. VI.	22
						Joh. Phreas *		
2	Pauli II.	12	Tho. Bourchier	1465	24	Rob. Stillington	Edw. IV.	5
8	Innoc. VIII.	6	Joh. Morton	1491	25	Ricardus Fox	Henr. VII.	6
4	Alex. VI.	10	Joh. Morton	1495	24	Olivarius King	Henr. VII.	10
2	Julii II.	2	Gul. Warham	1504	25	Adrian. de Castello Card.	Henr. VII.	19
6	Leonis X.	16	Gul. Warham	1518		Tho. Wolsey, Card. perpetuus commendatarius	Henr. VIII.	10
2	Hadriani VI.	21	Gul. Warham	1523	26	Joh. Clerke	Henr. VIII.	15
	Rom. Pont. Angl. feliciter exturb.	9	Tho. Cranmer	1541	27	Gul. Knight	Henr. VIII.	33
		15	Tho. Cranmer	1547	28	Gul. Barlow	Edw. VI.	2
4	Julii III.		amoto Cranmero	1554	29	Gilb. Bourne	Mariae	1
	Romano pontifice valedicto	1	MAT. PARKER	1559	30	Gilb. Berkeley	ELIZ.	2

* Obiit nondum sacratus.

Anno	Sedentis ROMAE	Anno	Sedentis CANTUARIAE	A.D.	NUM. Episc.	SEDES ELYENSIS.	imp[illegible] ten[illegible]	Anno
11	Paſchalis II.		ſede vacante	1109	1	Hervaeus vacat ſedes ann. 2.	Henr. I.	10
4	Innoc. II.	12	Gul. Corboyle	1133	2	Nigellus vacat ſedes ann. 5.	Henr. I.	34
16	Alex. III.	1	Ricardi I.	1174	3	Galfridus Ridel	Henr. II.	21
2	Clem. III.	6	Baldwini	1189	4	Gul. Longchamp.	Ric. I.	1
1	Innoc. III.	5	Huberti	1197	5	Euſtachius vacat ſedes ann. 5.	Ric. I.	9
4	Honorii III.	13	Steph. Langton	1219	6	Joh. de Fontibus	Henr. III.	4
10	Honorii III.	19	Steph. Langton	1225	7	Galfr. de Burgo	Henr. III.	10
3	Greg. IX.	1	Ricardi II.	1229	8	Hugo Northwolde	Henr. III.	14
2	Alex. IV.	12	Bonifacii	1255	9	Gul. de Kilkenny	Henr. III.	40
4	Alex. IV.	14	Bonifacii	1257	10	Hugo de Balſham	Henr. III.	42
2	Honorii IV.	9	Joh. Peckham	1286	11	Joh. de Kirkeby	Edw. I.	15
3	Nicolai IV.	13	Joh. Peckham	1290	12	Gul. de Luda, ſeu Louth	Edw. I.	19
6	Bonifacii VIII.	6	Rob. Winchelſey	1299	13	Rad. Walpole	Edw. I.	28
9	Bonifacii VIII.	9	Rob. Winchelſey	1302	14	Rob. Orford	Edw. I.	31
6	Clem. V.	17	Rob. Winchelſey	1310	15	Joh. de Keeton	Edw. II.	4
1	Joh. XXII.	3	Walt. Raynold	1316	16	Joh. Hotham	Edw. II.	10
3	Bened. XII.	3	Joh. Stratford	1336	17	Sim. Montacute	Edw. III.	11
3	Clem. VI.	12	Joh. Stratford	1344	18	Tho. de l'Iſle	Edw. III.	19
10	Innoc. VI.	13	Sim. Iſlippe	1361	19	Simon Langham	Edw. III.	36
5	Urbani V.	1	Sim. Langham	1366	20	Joh. Barnet	Edw. III.	41
5	Greg. XI.		ſede vacante	1375	21	Tho. Arundel	Edw. III.	49
11	Urbani VI.	8	Gul. Courteney	1388	22	Joh. Fordham	Ric. II.	12
9	Martini V.	13	Henr. Chicheley	1425	23	Phil. Morgan	Henr. VI.	3
8	Eugenii IV.	26	Henr. Chicheley	1438	24	Lud. Luſchburg Archiep. ROTHOMAGENSIS, ſedis ELYENSIS adminiſtrator.	Henr. VI.	16
13	Eugenii IV.	1	Joh. Stafford	1443	25	Tho. Bourchier	Henr. VI.	22
8	Nicolai V.	1	Tho. Bourchier	1454	26	Gul. Grey	Henr. VI.	33
8	Sixti IV.	25	Tho. Bourchier	1478	27	Joh. Morton	Edw. IV.	18
3	Innoc. VIII.	1	Joh. Morton	1486	28	Joh: Alcock	Henr. VII.	2
10	Alexandri VI.	1	Henr. Dene	1501	29	Ric. Redman	Henr. VII.	17
4	Julii II.	4	Gul. Warham	1506	30	Jac. Stanley	Henr. VII.	22
3	Leonis X.	13	Gul. Warham	1515	31	Nicolaus Weſt	Henr. VIII.	7
12	Pauli III.	2	Tho. Cranmer	1534	32	Tho. Goodrich	Henr. VIII.	25
5	Julii III.		amoto Cranmero	1554	33	Tho. Thirleby	Mariae	2
	Romano Pontifice Anglia feliciter exturbato.	1	MAT. PARKER	1559	34	Ric. Cox	ELIZ.	2

TABULAE CHRONICAE.

Anno	Sedentis Romae	Anno	Sedentis Cantuariae	A.D.	Num. Epiſc.	Sedes WESTMONASTERIENSIS.	imperium tenentis	Anno
				1540		Thomas Thirleby ſedit annos decem, celeberrimae hujus eccleſiae primus idem & extremu epiſcopus.		

Anno	Sedentis Romae	Anno	Sedentis Cantuariae	A.D.	Num. Epiſc.	Sedes GLOCESTRENSIS.	imperium tenentis	Anno
	Rom. Pont. Angl. felic. exturbato	9	Tho. Cranmer	1541	1	Joh. Wakeman	Henr. VIII.	33
		18	Tho. Cranmer	1550	2	Joh. Hooper	Edw. VI.	5
5	Julii III.		amoto Cranmero	1554	3	Jac. Brookes	Mariae	2
	Rom. Pontifice valedicto	3	Mat. Parker	1562	4	Rich. Cheyney.	Eliz.	4

Anno	Sedentis Romae	Anno	Sedentis Cantuariae	A.D.	Num. Epiſc.	Sedes PETRIBURGENSIS.	imperium tenentis	Anno
	Rom. Pont. Angl. felic. exturbato	9	Tho. Cranmer	1541	1	Joh. Chambers	Henr. VIII.	33
3	Pauli IV.	2	Reg. Pole	1557	2	David Pole	Phil. & Mar.	3 & 4
	Rom. Pontifice valedicto	2	Mat. Parker	1560	3	Edm. Scambler.	Eliz.	3

Anno	Sedentis Romae	Anno	Sedentis Cantuariae	A.D.	Num. Epiſc.	Sedes BRISTOLIENSIS.	imperium tenentis	Anno
	Rom. Pont. Angl. felic. exturbato	10	Tho. Cranmer	1542	1	Paulus Buſhe	Henr. VIII.	34
5	Julii III.		amoto Cranmero	1554	2	Joh. Holyman	Phil. & Mar.	1 & 2
	Rom. Pontifice valedicto	3	Mat. Parker	1562	3	Ric. Cheyney	Eliz.	4
						Epiſc. Gloceſtr. ſedem hanc ſub Commendae titulo ingreditur.		

Anno	Sedentis Romae	Anno	Sedentis Cantuariae	A.D.	Num. Ep.	Sedes OXONIENSIS.	imperium tenentis	Anno
	Romano Pontifice Anglia feliciter exturbato.			1542		Osneyensis Epiſcopus. Robertus King	Henr. VIII.	34
				1545		Sedes Osneyae poſita mox regio diplomate Oxoniam deducitur.	Henr. VIII.	37
4	Pauli IV.	4	Reg. Pole	1558	1	Robertus King Thomas Goldwell Epiſc. Aſaph. Nondum peracta tranſl. regina Poloque Cant. miro rerum concurſu, morte ſublatis, in exilium profugit. ſedes vacat annis 10.	Phil. & Mar.	5 & 6
	Rom. Pont. valed.	9	Mat. Parker	1567	2	Hugo Curwen. Dimiſſo Pallio, Dubl. infulam induit Oxon. relicta ſublimi ſede, novo exemplo, tenuem quaerit. Vacat ſedes annum ſupra viginti unum.		

SEDES CAMBRO-BRITANNICAE.

SEDES CAERLEGIONENSIS.

1 Dubritius
2 David *

*, Cathedram hic Meneviam, postea Fanum Davidis, deduxit annos natus, teste Historia Cambro-Britannica. 146. sedem Cenauco, sedi nomen, moriens transmisit.

Num.	Archiep. MENEVENSES, seu S. DAVIDIS.	Num.	Archiep. MENEVENSES, seu S. DAVIDIS.	Num.	Archiep. MENEVENSES, seu S. DAVIDIS.
1	David	22	Etwall.	33	Morgeneu
2	Cenauc	23	Affer. 909. fit Episc. Britann.	34	Nathan
3	Eliud	24	Arthuael	35	Jevan unius diei Episc.
4	Ceneu	25	Sampson, qui in Britanniam Armoricam assumpto secum Pallio navigavit: quod ibi Dolae constitutus Episc. induit, a suis ista in sede successoribus, non nisi aegre, & post longam contentionem exuendum.	36	Arguftel
5	Morwall			37	Morgeney interf. ann. 1000.
6	Haernunen			38	Herbin mor. 1039.
7	Elwaed			39	Tramerin Episc. Hereford.
8	Gurnven			40	Joseph mor. 1061.
9	Lendivord			41	Bleithud, Bledud, mor. 1071.
10	Gorwisc			42	Sulgein, ann. 1071. Blethyn & Rhywallon ann. 11.
11	Gogan				
12	Cledauc		Exulante pallio, manente autem potestate Archiepiscopali.	43	Abraham, ann. 1076. Trahaern & Caradoc, ann. 4. Danis occis. 1078.
13	Anian				
14	Elvoed	26	Ruclinus		
15	Ethelmen	27	Rodericus		Sulgein, ann. 1078. Cathedram denuo Episcopalem conscendit: qua iterum dimissa, ann. 1088. est extinctus.
16	Elanc	28	Elguni		
17	Mascoed	29	Luverd, mor. 944.		
18	Sadurnven, mor. 832. an. Men.		Morcleis ep. mor. 945. an. Men.		
19	Catellus	30	Nergu		
20	Sulhaithnay	31	Sulhider, seu Hubert	44	Ricemarchus, mor. 1099
21	Novis 841. mor. 873.	32	Eneuris, mort. 946	45	Wilfrid, seu Giffri, mor. 1116

Ann.	Sedentis ROMAE.	Ann.	Sedentis CANTUARIAE	A.D.	Num. Epis.	SEDES MENEVENSIS, seu S. DAVIDIS,	imperium tenentis	Ann.
18	Paschalis II.	3	Radulphi	1116	46	Bernardus Sedes Menev. tam pallio, quam jure Metrop. exuta, primatem agnoscit Archiep. Cantuar.	Griffith ap Conan	38
3	Eugenii III.	10	Theobaldi	1147	47	David Fitz-Gerald	Owen Guineth	11
18	Alex. III.	6	Ricardi I.	1176	48	Petrus de Leia	David ap Owen	8
2	Innoc. III.	6	Huberti	1199	49	Girald. Cambrensis, Barry, Episcop. cessit an. 1203.	Lhewelyn ap Jorwerth	6
6	Innoc. III.	10	Huberti	1203	50	Galfr. de Henelawe	Lhewelyn ap Jor.	10
17	Innoc. III.	8	Steph. Langton	1214	51	Gervasius *	Lhewelyn ap Jor.	21
4	Greg. IX.	1	Ric. Magn	1230	52	Anselmus Crassus	Lhewl. ap Jor.	3/7
7	Innoc. IV.	6	Bonifacii	1249	53	Tho. Wallensis	Lhewl. ap Gruffyth	3
3	Alex. IV.	14	Bonifacii	1256	54	Ric. Carew	Lhewl. ap Gruff.	11
	sede vacante	3	Joh. Peckham	1280	55	Tho. Beck †	Lhewl. ap Gruff.	35
	sede vacante	16	Joh. Peckham	1293	56	David Martin	Edw. I.	21
13	Joh. XXII.	2	Sim. Mepham	1328	57	Henr. Gower	Edw. III.	2
6	Clem. VI.	15	Joh. Stratford	1347	58	Joh. Thoresby	Edw. III.	21
8	Clem. VI.	1	Sim. Islippe	1349	59	Reginaldus Brian	Edw. III.	23
2	Innoc. VI.	5	Sim. Islippe	1353	60	Tho. Falstoffe	Edw. III.	27
10	Innoc. VI.	13	Sim. Islippe	1361	61	Adam Houghton R. Metford Pap. voce excl.	Edw. III.	35
12	Urbani VI.	9	Gul. Courteney	1389	62	Joh. Gilbert vacat sedes ann. 4.	Ric. II.	13
13	Bonifacii IX.	6	Tho. Arundel	1401	63	Guido de Mona (a)	Henr. IV.	3
4	Greg. XII.	14	Tho. Arundel	1409	64	Henr. Chicheley	Henr. IV.	10
5	Joh. XXIII. *	1	Henr. Chicheley	1414	65	Joh. Ketterich	Henr. V.	2
		2	Henr. Chicheley	1415	66	Steph. Patrington	Henr. V.	3
1	Martini V.	4	Henr. Chicheley	1417	67	Benedict. Nichols	Henr. V.	5
3	Eugenii IV.	20	Henr. Chicheley	1433	68	Tho. Rudbourn	Henr. VI.	12
12	Eugenii IV.	30	Henr. Chicheley	1442	69	Gul. Lynwood	Henr. VI.	20
16	Eugenii IV.	4	Joh. Stafford	1446	70	Joh. Langton ‡	Henr. VI.	24
1	Nicolai V.	5	Joh. Stafford	1447	71	Jo. Delabere	Henr. VI.	25
3	Pii II.	8	Tho. Bourchier	1460	72	Rob. Tully	Henr. VI.	39
12	Sixti IV.	29	Tho. Bourchier	1482	73	Ric. Martin	Edw. IV.	22
13	Sixti IV.	30	Tho. Bourchier	1483	74	Tho. Langton (b)	Ric. III.	1
2	Innoc. VIII.	32	Tho. Bourchier	1485	75	Hugo Pavy	Henr. VII.	1
5	Alex. VI.	11	Joh. Morton	1496	76	Joh. Morgan, alias Yong	Henr. VII.	12
3	Julii III.	2	Gul. Warham	1505	77	Rob. Sherbourn	Henr. VII.	20
7	Julii III.	6	Gul. Warham	1509	78	Edw. Vaughan	Henr. VIII.	1
1	Hadriani VI.	20	Gul. Warham	1523	79	Ric. Rawlins	Henr. VIII.	15
3	Pauli III.	4	Tho. Cranmer	1536	80	Gul. Barlow	Henr. VIII.	27
	R. P. Ang. fel. ext.	16	Tho. Cranmer	1548	81	Rob. Ferrar	Edw. VI.	2
5	Julii III.		amoto Cranmero	1554	82	Henr. Morgan	Mariae	1
	Rom. P. valed. {	1	MAT. PARKER	1559	83	Tho. Yong	ELIZ.	2
		2	MAT. PARKER	1561	84	Ric. Davies	ELIZ.	3

* De promotione Hug. Foliot. Archid. Salop. in Episc. Menev. Rot. Claus. 16 Joh. m. 10. dorf. MS. Wren.

† Ann. 1282. extincto Lhewelyn ap Gruffith Cambria Regis Anglorum imperio subjicitur.

* Sede a Joanne aegre dimissa.

‡ Die a consecratione 15to morte absumtus.

(a) Guidonem ad ann. 1397. rejiciunt aliqui; fide notulae MS. quae haec habet —— G. de Mona—— *Professionem fecit Oct. 9. 1401 Reg. Arundel* —— *spiritualia accepit in festo S. Andreae. 1397. Ibid.* Inverso sane ac suspecto ordine. Quod de *professione* memoratur, extat Regr. Arundel. p. 12. De *concessis* Guidoni *spiritualibus* plane nihil. Immo vero, professionem R. Rede Cicestr. 12 Mart. 1396 excipit sacratio Joh. Roffen. 4 Jul. 1400 silente de annis 1397, 8. usque ad Oct. 1. 1399. registro. Acto scilicet in exilium Arundel o ingens hic annorum hiatus. Notulam hanc ego numeralem, 1397, ad Joh. Gilbert superioris episcopi obitum omnino reponendam censeo.

(b) Extat apud Rymerum Tom. XII. ann. 1484 Jun. 25 conventio —— *praesentibus tunc ibidem Ricardo A[illegible] [illegible] Menevensi* [illegible] Ingenti descriptoris lapsu. Menevensi sedi praefuit tunc THO. LANGTON, paulo post, exeunte eodem anno, Sarum traductus. Unde profluxit error plane nec[illegible]: Episcopum, cui praenomen ANDREAS, frustra, volvente [illegible]

TABULAE CHRONICAE.

Ann.	Sedentis ROMAE.	Ann.	Sedentis CANTUARIAE	A.D.	Num. Ep.	SEDES LANDAVENSIS.	imperium tenentis	Ann.
					1	Dubritius, nunc Caerlegioni, nunc Landav. consedit, ob. 612.		
					2	Eliud. Archiv. Eccl. Landav. Dubritium & Eliud, seu Teliavum, *Archiepiscopos* appellant.		
					3	Oudoceus (a)		
					4	Ubylwynus, Welvuf. Reg. Landav.		
					5	Aidanus		
					6	Elgistil		
					7	Lunapeius		
					8	Comergwinus		
					9	Argwistil		
					10	Gurvan		
					11	Guodloiu.		
					12	Edilbinus		
					13	Grecielus		
					14	Berthgwin		
					15	Trychan		
					16	Elvogus		
					17	Catgwaret		
					18	Cerenhir		
					19	Nobis		
					20	Gulfridus		
					21	Nudd		
					22	Cimeliauc *		
2	Johan. X.	3	Wlfhelmi	926	23	Libiau, ob. 929.	Edwal Voel	14
					24	Marchluith		
					25	Pater		
8	Benedicti VII.	24	Dunstani	982	26	Gucan †	Howel ap Jevaf	12
9	Benedicti VII.	25	Dunstani	983	27	Bledri, ob. 1022.	Howel ap Jevaf	13
11	Benedicti VIII.	3	Agelnothi	1022	28	Joseph †‖	Jago ap Edwal	2
2	Nicolai II.	9	Stigandi	1059	29	Herewaldus ††	Gruff. ap Lhewel.	23
9	Paschalis II.	15	Anselmi	1108	30	Urbanus *+	Gruff. ap Conan	31
						vacat sedes ann. 6.		
10	Innoc. II.	2	Theobaldi	1139	31	Uhtrid †+	Owen Gwyneth	3
					32	Nic. ap Gwrgant (b)		
						vacat sedes ann. circa 2.		
5	Lucii III.	2	Baldwini	1185	33	Gul. de Salso Marisco	David ap Owen	17
6	Caelestini III.		sede vacante	1192	34	Henr. de Abergavenny	Lhewel. ap Jor.	3
4	Honorii III.	13	Steph. Langton	1219	35	Gul. de Goldclive	Lhewelyn ap Jor.	26
4	Greg. IX.	2	Ric. Magni	1230	36	Elias de Radnor	Lhewelyn ap Jor.	37
						vacat sedes annos 4.		
					37	Gul. de Christi Ecclesia Ep. Land. resignavit ann. 1244. Pat. 28 H. III. m. 3.		
2	Innoc. IV.	1	Bonifacii	1244	38	Gul. de Burgo	Dav. ap Lhewelyn	5
11	Innoc. IV.	10	Bonifacii	1253	39	Joh. Delaware	Lhewl. ap Gruffyth	8
3	Alex. IV.	13	Bonifacii	1256	40	Gul. de Radnor	Lhewl. ap Gruff.	11
1	Clem. IV.	21	Bonifacii	1265	41	Gul. de Brews	Lhewl. ap Gruff.	20
						Phil. de Staunton electionis juri cessit.		
						vacat sedes per septennium.		
3	Bonifacii VIII.	5	Rob. Winchelsey	1296	42	Joh. Monumetensis	Edw. I.	23
8	Joh. XXII.	11	Walt. Raynold	1323	43	Joh. de Eglescliffe *+*	Edw. II.	17
						Joh. Coventry †‖†		
6	Clem. VI.	14	Joh. Strafford	1347	44	Joh. Pascal †††	Edw. III.	21
1	Urbani V.	14	Sim. Islippe	1362	45	Rog. Cradoc, Ep. Waterf.	Edw. III.	36
6	Urbani VI.	3	Gul. Courteney	1383	46	Tho. Rushhook	Ric. II.	6
9	Urbani VI.	6	Gul. Courteney	1386	47	Gul. de Bottlesham *	Ric. II.	9
12	Urbani VI.	9	Gul. Courteney	1389	48	Edm. de Bromfield	Ric. II.	13
5	Bonifacii IX.	13	Gul. Courteney	1393	49	Tidem. de Winchcombe	Ric. II.	17
7	Bonifacii IX.	15	Gul. Courteney	1395	50	Andr. Barret	Ric. II.	19
8	Bonifacii IX.	16	Gul. Courteney	1396	51	Joh. Burghil	Ric. II.	19
10	Bonifacii IX.	3	Tho. Arundel	1398	52	Tho. Peverel, Ep. Ossor.	Ric. II.	22
3	Greg. XII.	13	Tho. Arundel	1408	53	Joh. de la Zouche	Henr. IV.	9
						Joh. Fulford †		
9	Martini V.	12	Henr. Chicheley	1425	54	Joh. Welles	Henr. VI.	3
4	Eugenii IV.	28	Henr. Chicheley	1441	55	Nic. Ashby	Henr. VI.	19
4	Calixti III.	5	Tho. Bourchier	1458	56	Joh. Hunden, Episcopat. dimisit 1476. vix. 1482.	Henr. VI.+	36
4	Sixti IV.	23	Tho. Bourchier	1476	57	Johan. Smith	Edw. IV.	16
8	Sixti IV.	25	Tho. Bourchier	1478	58	Joh. Marshal	Edw. IV.	18
5	Alex. VI.	11	Joh. Morton	1496	59	Joh. Ingleby	Henr. VII.	12
9	Alex. VI.	15	Joh. Morton	1500	60	Milo Salley	Henr. VII.	15
4	Leonis X.	14	Gul. Warham	1516	61	Georg. de Athequa	Henr. VIII.	8
	Rom. P. Ang. feliciter exturbato	5	Tho. Cranmer	1537	62	Robertus Holgate	Henr. VIII.	28
		13	Tho. Cranmer	1545	63	Ant. Kitchin, Dunstan	Henr. VIII.	37
		9	MAT. PARKER	1567	64	Hugo Jones	ELIZ.	9
		15	MAT. PARKER	1575	65	Gul. Blethyn: postremus, cui manum MATTHAEUS apostolicam imposuit.	ELIZ.	17

(a) Synodo Landaviae praefuit, ann. 560, *Spelm.*

(b) Incuria descriptoris cujusdam, qui pro Galfrido LANELVENSI, hoc est, Asaphensi, LANDAVENSEM posuit, irrepsit hic in Landavensium praesulum seriem Galfridus.

* Cheveliauc, sacrat. inter 872 & 881.
† Gogwan, sacrat. a Dunstano Arch. Cant.
†‖ Ob. 1046. sacr ab Agelnotho Cant.
†† Ob. 1104. sacrat. a Stigando Cant.
*+ Sacr ab Anselmo Cant.
†+ Sacrat. a Theob. Cant.

+ Episc. Connoren. Alex. de Monemuth Regio assensu donatur. 1 Pat. 17 Ed. II.
†‖† Vaticano oraculo prohibitus.
††† Episc. titulo Suffraganeo, Scutarien.
* Episc. tit. Suff. Bethleemitan.
† Rex adhibuit assensum electioni fact. de Joh. Fulford.
+ Pat. 1 H. VI. m. 32.

TABULAE CHRONICAE.

Ann.	Sedentis Romae	Ann.	Sedentis Cantuariae	A.D.	Num. Episc.	Sedes Bangor.	imperium tenentis	Anno
9	Paſchalis II.	15	Anſelmi	1107	1	Hervaeus *	Gruffith ap Conan	29
						vacat ſedes ann. 11.		
2	Calixti II.	7	Radulphi	1120	2	David	Gruffith ap Conan	42
10	Innoc. II.	2	Theobaldi	1139	3	Mauritius, ob. 1161.	Owen Guineth	3
4	Alex. III.	2	Tho. Becket	1162	4	Gulielmus	Owen Guineth	26
19	Alex. III.	7	Ricardi I.	1177	5	Guido Ruffus	David ap Owen	9
						vacat ſedes ann. 4.		
5	Coeleſtini III.	6	Huberti	1195	6	Albanus	Lhewelyn ap Jor.	2
7	Coeleſtini III.	8	Huberti	1197	7	Robertus Salopienſis	Lhewelyn ap Jor.	4
18	Innoc. III.	10	Steph. Langton	1215	8	Martin, Teſt.annal.Wig.	Lhewelyn ap Jor.	22
18	Innoc. III.	10	Steph. Langton	1215	9	Caducanus †	Lhewelyn ap Jor.	22
10	Greg. IX.	3	Edmundi	1236	10	Howellus	Lhewelyn ap Jor.	43
15	Greg. IX.	8	Edmund	1241	11	Ricardus	Dav. ap Lhewelyn	2
3	Clem. IV.	23	Bonifacii	1267	12	Anianus	Lhewel. ap Gruff.	22
2	Clem. V.	13	Rob. Winchelſey	1306	13	Caducanus II.	Edw. I.	34
3	Clem. V.	14	Rob. Winchelſey	1307	14	Gruffinus ap Yerward	Edw. I.	35
5	Clem. V.	16	Rob. Winchelſey	1309	15	Anianus Seys	Edw. II.	2
13	Joh. XXII.	1	Sim. Mepham	1328	16	Matthaeus de Eynglefield	Edw. III.	1
7	Innoc. VI.	10	Sim. Iſlippe	1358	17	Thomas de Ringſtede	Edw. III.	32
6	Urbani V.	1	Sim. Langham	1367	18	Gervaſius de Caſtro	Edw. III.	41
1	Greg. XI.	2	Gul. Wittleſey	1370	19	Howellus	Edw. III.	43
3	Greg. XI.	4	Gul. Wittleſey	1372	20	Joh. Gilbert	Edw. III.	45
7	Greg. XI.	2	Sim. Sudbury	1376	21	Joh. Swaffham, Epiſcop. Clonen.	Edw. III.	50
12	Bonifacii IX.	5	Tho. Arundel	1400	22	Ricardus Yong ‡	Henr. IV.	1
3	Greg. XII.	13	Tho. Arundel	1408	23	Benedictus Nichols	Henr. IV.	9
2	Martini V.	5	Henr. Chicheley	1418	24	Gulielmus Barrow	Henr. V.	6
9	Martini V.	12	Henr. Chicheley	1425	25	Johan. Clederow	Henr. VI.	3
4	Eugenii IV.	23	Henr. Chicheley	1436	26	Thomas Cheryngton	Henr. VI.	14
2	Nicolai V.	5	Joh. Stafford	1448	27	Johan. Stanbery	Henr. VI.	26
6	Nicolai V.	9	Joh. Stafford	1452	28	Jacobus Blakeden, Ep. Achaden. 1 Pat. 31 H. VI. m. 4.	Henr. VI.	30
1	Pauli II.	11	Tho. Bourchier	1464	29	Ric. Evyndon	Edw. IV.	4
5	Alex. VI.	11	Joh. Morton	1496	30	Henr. Dene	Henr. VII.	12
9	Alex. VI.	15	Joh. Morton	1500	31	Thomas Pigot	Henr. VII.	15
2	Julii II.		ſede vacante	1504	32	Johannes Penny	Henr. VII.	19
7	Julii II.	6	Gul. Warham	1509	33	Thomas Skevington	Henr. VII.	24
12	Clem. VII.	2	Tho. Cranmer	1534	34	Joh. Capon, Salcot.	Henr. VIII.	25
	Rom. Pont. Angl. feliciter exturb.	7	Tho. Cranmer	1539	35	Johannes Bird	Henr. VIII.	31
		9	Tho. Cranmer	1541	36	Arthurus Bulkeley	Henr. VIII.	33
						vacat ſedes ann. 2.		
1	Pauli IV.	23	Tho. Cranmer	1555	37	Gulielmus Glynn	Phil. & Mar.	2 & 3
	Romano pontifice valedicto	1	Mat. Parker	1559	38	Rolandus Merick **	Eliz.	2
		8	Mat. Parker	1566	39	Nicolaus Robinſon	Eliz.	9

* Hervaeo praeponunt quidam primo Danielem, ann. 550. Secundo, Elbodum. Tertio, Ellodu. Quarto, Mordaffs, ann. 940. incerta omnino ac lubrica fide. Hervaeus aliquando ad ann. 1093. rejicitur.

† Martinum aliqui & Caducanum unum eundemque exiſtimant.

‡ Ludovicus, ſeu Lhewellyn, Byfort ſedis Bangor. conſtitutus adminiſtrator, ann. 1403. ob negligentiam epiſcopi in remotis agentis. Regr. Arundel.

** Mauritius Clenock deſignatur a Maria regina Epiſc. Bangor. Ea vero mox decedente, ante peractam ſacrationem, in exilium profugit.

Anno	Sedentis Romae	Anno	Sedentis Cantuariae	A.D.	Num. Episc.	Sedes ASAPHEN.	imperium tenentis	Anno
						Elwienses Episcopi.		
					1	Kentigernus		
					2	Asaph *		
						Asaphenses.		
14	Innoc. II.	6	Theobaldi	1143	1	Gilbertus	Owen Gwyneth	7
7	Eugenii III.	15	Theobaldi	1152	2	Galfridus Monumeten.	Owen Gwyneth	16
1	Hadriani IV.	17	Theobaldi	1154	3	Richardus	Owen Gwyneth	18
					4	Godefridus		
17	Calixti III.	3	Ricardi	1175	5	Adamus	David ap Owen	7
3	Lucii III.	11	Ricardi	1183	6	Johannes I.	David ap Owen	15
1	Urbani III.	3	Baldwini	1186	7	Reynerus	David ap Owen	16
10	Honorii III.	19	Steph. Langton	1225	8	Abraham	Lhewelyn ap Jor.	32
9	Greg. IX.	2	Edmundi	1235	9	Hugo	Lhewelyn ap Jor.	42
14	Greg. IX.	6	Edmundi	1240	10	Howel ap Ednevet	Dav.apLhewelyn	1
7	Innoc. IV.	6	Bonifacii	1249	11	Anianus I.	Lhewel. ap Gruff.	4
3	Clem. IV.	24	Bonifacii	1267	12	Johannes II.	Lhewel. ap Gruff.	22
4	Clem. IV.	25	Bonifacii	1268	13	Anianus II.	Lhewel. ap Gruff.	23
	ſede vacante	13	Joh. Peckham	1293	14	Leolinus de Bromfeld	Edw. I.	21
	ſede vacante.	2	Gualt. Raynold	1314	15	David ap Blethin	Edw. II.	7
11	Clem. VI.	4	Sim. Iſlippe	1352	16	Johannes Trevaur I.	Edw. III.	26
6	Innoc. VI.	9	Sim. Iſlippe	1357	17	Leolinus ap Madoc	Edw. III.	31
6	Greg. XI.	2	Sim. Sudbury	1376	18	Will. de Spridelyngton	Edw. III.	50
4	Urbani VI.	2	Gul. Courteney	1382	19	Laurentius Child	Ric. II.	5
2	Bonifacii IX.	10	Gul. Courteney	1390	20	Alexander Bache	Ric. II.	13
7	Bonifacii IX.	15	Gul. Courteney	1395	21	Johannes Trevaur II.	Ric. II.	18
14	Bonifacii IX.	7	Tho. Arundel	1402	22	David II.	Henr. IV.	3
2	Joh. XXII.	15	Tho. Arundel	1411	23	Robertus	Henr. IV.	12
3	Eugenii IV.	20	Henr. Chicheley	1433	24	Johannes Lowe	Henr. VI.	11
14	Eugenii IV.	2	Joh. Stafford	1444	25	Reginaldus Peacock	Henr. VI.	22
8	Innoc. IV.	8	Joh. Stafford	1450	26	Thomas †	Henr. VI.	28
2	Sixti IV.	19	Tho. Bourchier	1472	27	Ricardus Redman	Edw. IV.	12
5	Alexandri VI.	11	Joh. Morton	1496	28	Michael Dyacon	Henr. VII.	10
9	Alex. VI.	15	Joh. Morton	1500	29	David III.	Henr. VII.	15
1	Julii II.	1	Gul. Warham	1503	30	David ap Owen	Henr. VII.	18
1	Leonis X.	11	Gul. Warham	1513	31	Edmundus Birkhead	Henr. VIII.	4
6	Leonis X.	16	Gul. Warham	1518	32	Henricus Standiſh	Henr. VIII.	10
3	Pauli III.	4	Tho. Cranmer	1536	33	Willelmus Barlow	Henr. VIII.	27
3	Pauli III.	4	Tho. Cranmer	1536	34	Robertus Warton ‡	Henr. VIII.	28
	ſede vacante		amoto Cranmero	1555	35	Thomas Goldwell	Phil. & Mar.	1 & 2
	R. P. Angl. feliciter exturbato	1	Mat. Parker	1559	36	Ricardus Davies	Eliz.	2
		3	Mat. Parker	1562	37	Thomas Davies.	Eliz.	4
		15	Mat. Parker	1573	38	Gul. Hughes	Eliz.	16

‡ Alias Parfew.

* Quae de Chebur ſcribit *Wynne*, dubia ſane nituntur fide.

† Vacat ſedes Aſſaven. Mart. 11. 1465. ratione *rebellionis* Thomae nuper Ep. ibid. Reſtituitur Thomas 1469. regiae clementiae diplomate donatur, 1472.

PROVINCIA EBORACENSIS.

Anno	Sedentis Romae	Anno	Sedentis Cantuariae	A.D.	Num. Episc.	Sedes Eboracensis.	imperium tenentis Northanhumb.	Anno
1	Honorii I.	2	Jufti	625	1	Paulinus*, provinciam fuam perturbatione ac periculo miftam fugiens, Roffenfem fedem ann. 631. regendam fufcipit, mor. 644. Wilfridus: Cui in Gallia moras trahenti Cedda ab Egfrido Rege Northumbr. fupponitur.	Edwini	9
					2	Cedda, redeunti Wilfrido locum dat.		
					3	Wilfridus; provinciam fugiens apud Auftrales Saxones confedit ann. 680. ibique eccl. Seolfeyenfis, nunc Ciceftr. fundamenta pofuit; agenti extra provinc. Wilfrido furrogatur Bofa.		
3	Agathonis	12	Theodori	679	4	Bofa; provinc. denuo repetenti Wilfrido cedit: quem iterum praefulatu pulfum excipit Bofa.	Egfridi	[illegible]
					5	Johannes Beverlacenfis, vivo Wilfrido. Moritur Wilfr. 711.		
5	Greg. II.	26	Birhtualdi	718	6	Wilfridus II.	Ofrici II.	1
1	Greg. III.	38	Birhtualdi	731	7	Egbertus	Ofrici II.	14
	fede vacante	4	Jeamberti	767	8	Coena, Adelbertus	Aluredi	3
2	Adriani I.	14	Jeamberti	780	9	Eanbaldus I. Coena fuperftite.	Alphualdi	2
2	Leonis II.	5	Athelardi	797	10	Eanbaldus II.	Ardulphi	2
17	Leonis II.	10	Wlfredi	812	11	Wulfius, 810. Andredus Northanhymbr. rex fe ac regnum fuum Ecberto Occid. Sax. regi fubjicit.	Ecberti	13
4	Greg. IV.		fede vacante	831	12	Wimundus	Ecberti	32
8	Leonis IV.	22	Ceolnothi	854	13	Wilferus, mor. 900. annorum 46. Epifc.	Aethelulfi	18
2	Bened. IV.	12	Athelredi	900	14	Ethelbaldus	Edw. fen.	1
9	Joh. XI.	7	Athelmi	921	15	Redewardus †	Edw. fen.	21
3	Steph. VIII.	8	Odonis	941	16	Wulftanus I.	Eadmundi	2
10	Agapeti II.	20	Odonis	955	17	Ofkitellus	Edwii	1
7	Johan. XIII.	13	Dunftani	971	18	Athelwoldus, facratione peracta, mox Epifcopatui ceffit.	Eadgari	13
7	Joh. XIII.	13	Dunftani	971	19	Ofwaldus, Wigorn. Epif. utrique fedi, peffimo exemplo, praeeft.	Eadgari	13
8	Johan. XV.	4	Siricii	992	20	Adulphus, Ofwaldum in utraque cathedra excepit.	Ethelredi	15
6	Sylveftri II.	10	Aluricii	1002	21	Wulftanus II. in utraque Adulpho fucceffor datus.	Ethelredi	25
12	Benedicti VIII.	4	Agelnothi	1023	22	Alfricus, Putta	Canuti	7
2	Leonis IX.	13	Eadfini	1050	23	Kinfius	Edw. Conf.	9
3	Nicolai II.	10	Stigandi	1061	24	Aldredus	Edw. Conf.	20
10	Alex. II.	1	Lanfranci	1070	25	Thomas I.	Gul. I.	5
2	Pafchalis II.	8	Anfelmi	1100	26	Girardus	Henr. I.	1
11	Pafchalis II.		fede vacante.	1109	27	Thomas II.	Henr. I.	10
17	Pafchalis II.	1	Rodulphi	1114	28	Thurftanus, non ante 1119. facratus Epifcop. apud Pontem Fractum, ann. 1139. exeunte, ceffit.	Henr. I.	15
						Henr. de Coilli elect. ‡		
12	Innoc. II.	4	Theobaldi	1141	29	Gulielmus Hilarius, cui major capituli pars acceffit.	Steph.	6

† Alii Leodewardum vocant.

‡ De Sodle alii.

* Simpfonis ann, 180, Taurini, Piranni, & Thadiaci anno tandem 586. extant quaedam, fed obfcura omnino ac caeca, veftigia,

Anno	Sedentis Romae	Anno	Sedentis Cantuariae	A.D.	Num. Episc.	Sedes Eboracensis.	imperium tenentis Northanhumb.	Anno
3	Eugenii III.	10	Theobaldi	1147	30	Henr. Murdac: reliqui Henr. eligebant.	Steph.	12
	Sed. Anastasio IV.	16	Theobaldi	1153		Gulielmus sedi restitutus.	Steph.	18
	Sed. Anastasio IV.	17	Theobaldi	1154	31	Rogerus de Ponte Episc. vacat sedes ann. octo.	Steph.	19
1	Coelestini III.		sede vacante	1191	32	Galfr. Plantagenet: Episcopat. Linc. nulla adhibita sacratione occupavit: regno profugit 1208. ob. 1212.	Ric. I.	3
						vacat sedes ann. 4.		
						Simon Langton, Steph. Cant. frater: Vaticano oraculo exclusus.		
19	Innoc. III.	11	Steph. Langton	1216	33	Walterus Gray	Joh.	18
3	Alex. IV.	13	Bonifacii	1256	34	Sewallus de *Bovil*: Rot. min. Walt. Gray, Num. 77, 79.	Henr. III.	41
5	Alex. IV.	15	Bonifacii	1258	35	Godofr. de Ludeham	Henr. III.	42
4	Urbani IV.	21	Bonifacii	1264		Gul. de Langton, seu Ruderfield, elect. sed Vaticano oraculo interclusus.	Henr. III.	49
1	Clem. IV.	22	Bonifacii	1265		Bonaventura Archiepiscopatum Papae, a quo acceperat, mox detulit.	Henr. III.	51
1	Clem. IV.	22	Bonifacii	1265	36	Walterus Giffard	Henr. III.	51
	sede vacante	2	Joh. Peckham	1279	37	Gulielm. Wickwane	Edw. I.	7
1	Honorii IV.	8	Joh. Peckham	1285	38	Johannes Romanus	Edw. I.	13
5	Bonifacii VIII.	7	Rob. Winchelsey	1298	39	Henr. Newerk	Edw. I.	26
6	Bonifacii VIII.	8	Rob. Winchelsey	1299	40	Tho. Corbridge	Edw. I.	27
1	Clem. V.	13	Rob. Winchelsey	1305	41	Gul. de Grenefeld, 1303. elect.	Edw. I.	34
2	Joh. XXII.	5	Gualt. Raynold,	1317	42	Gul. de Melton, 1315. elect.	Edw. II.	11
1	Clem. VI.	10	Joh. Stratford	1342	43	Gul. le Zouche, 1340. elect.	Edw. III.	16
3	Innoc. VI.	6	Sim. Islippe	1354	44	Johan. Thoresby	Edw. III.	28
4	Greg. XI.		Proxima post sedem vacantem die.	1374	45	Alex. Nevyl, ab Urbano VI. ad S. Andr. apud Scotos, qui Urbanum non agnoscebant pontificem, sedem inani titulo exul transfertur 1388. Lovaniae mor. 1392.	Edw. III.	48
11	Urbani VI.	8	Gul. Courteney	1388	46	Thomas Arundel	Ric. II.	12
9	Bonifacii IX.	2	Tho. Arundel	1397	47	Robertus Waldby	Ric. II.	20
10	Bonifacii IX.	3	Tho. Arundel	1398	48	Ricardus Scroope	Ric. II.	22
2	Innoc. VIII.	10	Tho. Arundel	1405		Tho. Langley, jubente papa exclusus.	Henr. IV.	6
						Rob. Hallum, regio mandato Sarum migrat.		
2	Greg. XII.	12	Tho. Arundel	1407	49	Henr. Bowet	Henr. IV.	9
8	Martini V.	11	Henr. Chicheley	1424		Ric. Fleming, Lincolnia huc papali diplomate traductus. Pontificium hunc Archiepiscopum Decanus & Cap. Ebor. ecclesia sua, animose novo & illustri exemplo, arcebant, ac intra Linc. dioec. terminos frendente R. Pontifice concluserunt.	Henr. VI.	2
10	Martini V.	13	Henr. Chicheley	1426	50	Joh. Kempe	Henr. VI.	4
6	Nicolai V.	1	Joh. Kempe	1452	51	Gul. Boothe	Henr. VI.	31
2	Pauli II.	12	Tho. Bourchier	1465	52	Georg. Nevyl	Edw. IV.	5
6	Sixti IV.	23	Tho. Bourchier	1476	53	Laur. Boothe	Edw. IV.	16
10	Sixti IV.	27	Tho. Bourchier	1480	54	Tho. Rotheram, Scot	Edw. IV.	20
10	Alex. VI.		sede vacante	1501	55	Tho. Savage	Henr. VII.	16
6	Julii II.	5	Gul. Warham	1508	56	Christ. Bainbrigge	Henr. VII.	24
2	Leonis X.	11	Gul. Warham	1514	57	Tho. Wolsey	Henr. VIII.	6
9	Clem. VIII.	29	Gul. Warham	1531	58	Edw. Lee	Henr. VIII.	23
	Rom. Pont. Angl. feliciter exturb.	12	Tho. Cranmer	1544	59	Rob. Holgate *	Henr. VIII.	36
1	Pauli IV.	1	Reg. Pole	1555	60	Nicol. Heath	Ph. & Mar.	1 & 2
				1560		Gul. May, dec. Paulin. elect. nondum sacratus obiit.	Eliz.	2
	Romano Pontifice valedicto.	2	Mat. Parker	1560	61	Tho. Yong	Eliz.	3
		11	Mat. Parker	1570	62	Edm. Grindall	Eliz.	12

* Mor. praesulatu exutus circa ann. 1556.

Sedes DUNELMENSIS.

	Episcopi Hagustaldenses.
678	1 Eata
681	2 Trumbertus (*a*)
684	Eata denuo
686	3 J. Beverlacensis
687	4 Wilfridus (*b*)
709	5 Acca (*c*)
735	6 Friothubertus
767	7 Alhmundus
781	8 Tilbertus
789	9 Aethelbertus
797	10 Heardredus
800	11 Eanbertus *
806	12 Tidferthus †

* Ob. 806.
† Ob. 821.

Extincto Tidfertho desiit sedes Hagustaldensis. Regione vero Hagustaldensi cathedrae Lindisfarn. adjecta, utriusque dioec. curam gerebat ann. 854. Eardulfus: ejusque in dicta sede successores ad ann. 1113. quo rex Henr. I. villam & Eccl. Hagustaldensem Dunelmensi abreptam Archiepiscopo Eboracensi adjudicavit.

	Episcopi Lindisfarnenses.
635	1 Aidanus
651	2 Finanus
661	3 Colmannus (*d*)
664	4 Tuda (*e*)
678	5 Eatta (*f*)
684	6 Cuthbertus (*g*)
688	7 Eadbertus (*h*)
698	8 Eadfridus (*i*)
	vacat sedes ann. 3.
724	9 Ethelwoldus
740	10 Cynewlfus (*k*)
780	11 Higbaldus, mor. 803.
803	12 Ecbertus
821	13 Heathuredus
830	14 Egfridus, Egredus
846	15 Eanbertus
854	16 Eardulfus (*l*)

An. 883. cathedra Lindisfarnensis Cunecacestriam, confidente tandem ibi Eardulfo, migrat.

		Episcopi Cunecac[illegible]enses.
		1 Eardulfus
900	17	2 Cutheardus
915	18	3 Tilredus
928	19	4 Wigredus
944	20	5 Whtredus
947	21	6 Sexhelmus (*m*)
957	22	7 Aldredus
968	23	8 Elfsig.
990	24	9 Aldhunus, sedem Cunecacestria Dunelmum traducit, anno 995.

Anno	Sedentis Romae	Anno	Sedentis Cantuariae	A.D.	Num. Episc.	Sedes DUNELMENSIS.	imperium tenentis	Anno
1	Greg. V.	3	Aluricii	995	24	Aldhunus vacat sedes annos fere 3.	Ethelredi	18
2	Benedicti VIII.	2	Agelnothi	1021	25	Eadmundus	Canuti	5
10	Benedicti IX.	4	Eadsini	1041	26	Eadredus (*n*)	Hardecanuti	2
11	Benedicti IX.	5	Eadsini	1042	27	AEgelricus (*o*)	Edw. Conf.	1
2	Victoris II.	7	Stigandi	1056	28	AEgelwinus (*p*)	Edw. Conf.	15
12	Alex. II.	3	Lanfranci	1072	29	Walcherus (*q*)	Gul. I.	6
8	Greg. VII.	11	Lanfranci	1080	33	Gul. de S. Karilefo (*r*) vacat sedes ann 3.	Gul. I.	14
12	Urbani II.	6	Anselmi	1099	31	Ranulf. Flambard, ob. 1128 vacat sedes ann. 5.	Gul. II.	13
4	Innoc. II.	12	Gul. Corboyl	1133	32	Galf. Rufus, mor. 1140.	Henr. I.	34
14	Innoc. II.	6	Theobaldi	1143	33	Gul. de S. Barbara	Steph.	8
1	Anastas. IV.	16	Theobaldi	1153	34	Hugo Pudsey (*s*)	Steph.	18
7	Coelestini III.	5	Huberti	1197	35	Philippus Pictaviensis (*t*)	Ric. I.	9
12	Innoc. III.	3	Steph. Langton	1209		Ric. Sarisb. dec. elect. legatina auctoritate prohibetur. Ad sedem Dunelmensem postea evectus, an. 1228.	Joh.	11

(*a*) Synodo Twyfordensi 684. episcopatu exutus. (*b*) Ad ann. 692. Deinde ann. 705. exeunte in Synodo Niddensi Wilfridus restitutus Hagustaldensem sedem repetit: eique 5. ann. praefuit, ob. 709. (*c*) Sede pellitur 732. ob. 740. (*d*) Dimisso episcopatu ann 664. Scotiam redit. moritur 676. (*e*) Peste eodem anno absumptus. Superiores hi quatuor e Scotia prodierunt sacrati. (*f*) Post Tudae obitum eccl. Lindisfarnensem annis 14. abbatiae titulo rexit: Episcopali auctoritate donatus sacratur 678. anno 685 ineunte, praesulatui cessit. (*g*) Ad Hagustaldensem sedem electus Lindisfarnensem maluit: Episcopatui abnunciat 686. ob. 687. (*h*) Vacantem 687. Dioec. Lindisfarnensem Wilfridus Ep. Hagustaldensis anno integro administravit. (*i*) Manu propria pulcherrimum Evangeliorum Codicem Cottonianum descripsit. (*k*) Senio confectus vices suas Higbaldo tradit 780. mor. 783. (*l*) Lindisfarna profugit 875. (*m*) Paucos infra menses Cunecacestria fugit: postea ab Edgaro rege exutus, 957. (*n*) Mensium X. praesul. (*o*) Eodem anno ad Sedem Eborac. deturbato Alfrico, evectus: eo mox cathedram denuo ascendente, Dunelmum redit. Episcopatui cedit 1056. anno 1069 carceri addicitur: moribundus expediri vinculis recusavit: ac, quod maluit, sepulturae traditur catenatus Episcopus 1072. (*p*) Aegelrici frater: in Scotiam fugit 1070. Abendoniae carcere inclusus moritur 1071. (*q*) Orto tumultu interficitur 14 Maii 1080. (*r*) Mor. 1095. anno exeunte. (*s*) In comitem Northumbriae, rege pecunia tentato, evehitur. (*t*) Apostolici, ut aiunt, anathematis vinculo, ob celeberrima Joh. regi data consilia, nondum solutus moritur: ac sepulturae extra ecclesiam, more laico ac saeculari, traditur 1208.

Anno	Sedentis Romae	Anno	Sedentis Cantuariae	A.D.	Num. Epiſc.	Sedes DUNELMENSIS.	imperium tenentis	Anno
17	Innoc. III.	8	Steph. Langton	1214		Joh. Gray, Norwic. Ep. poſtulat. Prope Pictaviam in Gallia moritur nondum ſacratus.	Joh.	16
				1214		Morganus Johan. regis frater elect. reſciſſa mox Romae electio.		
3	Honorii III.	11	Steph. Langton	1217	36	Ric. de Mariſco	Henr. I.	1
						Gul. Stichel, Scot, fruſtra H. III. renuente eligitur 1226.		
2	Greg. IX.		ſede vacante	1228	37	Ricardus Poore	Henr. III.	12
11	Greg. IX.	4	Edmundi	1237		Tho. de Melſonby, electionis juri cedit 1240.	Henr. III.	21
15	Greg. IX.	8	Edmundi	1241	38	Nic. de Farnham, dimiſſo 1249. epiſcop. mor. 1257.	Henr. III.	26
7	Innoc. IV.	6	Bonifacii	1249	39	Walt. de Kirkham	Henr. III.	34
7	Alexandri IV.	17	Bonifacii	1260	40	Robertus Stichel	Henr. III.	45
4	Greg. X.	3	R. Kylwardeby	1274	41	Rob. de Inſula	Edw. I.	2
3	Martini IV.	6	Joh. Peckham	1283	42	Anton. Beck, Patriarchae Hieroſolymitani titulo a papa, Manniae Inſulae principatu, a rege, donatur.	Edw. I.	11
7	Clem. V.	12	Rob. Winchelſey	1311	43	Ricardus Kellawe vacat ſedes ſex fere ſupra annum menſes.	Edw. II.	4
3	Joh. XXII.	5	Walt. Raynold	1318	44	Ludov. de Bellomonte	Edw. II.	10
18	Joh. XXII.		Joh. Stratford el.	1333		Rob. de Grayſtanes. Poſt ſacrationem ei ab Arch. Ebor. impenſam excluſus: Hiſtoriam Dunelm. ab anno 1214. ad 1336. contexuit, durioris ſortis ſuae non oblitus.	Edw. III.	7
18	Joh. XXII.		Joh. Stratford el.	1333	45	Ric. Bury, Angervill	Edw. III.	7
4	Clem. VI.	13	Joh. Stratford	1345	46	Tho. de Hatfield	Edw. III.	18
4	Urbani VI.	1	Gul. Courteney	1381	47	Joh. de Fordham, ad ſeſem Elyenſ. malis inimicorum artibus traductus 1388.	Ric. II.	5
11	Urbani VI.	8	Gul. Courteney	1388	48	Walt. Skirlaw	Ric. II.	11
3	Innoc. VII.	6	Tho. Arundel	1406	49	Tho. Langley	Henr. IV.	7
8	Eugenii IV.	25	Henr. Chicheley	1438	50	Rob. Nevyl	Henr. VI.	16
4	Calixti III.	4	Tho. Bourchier	1457	51	Laur. Boothe	Henr. VI.	36
7	Sixti IV.	24	Tho. Bourchier	1477	52	Gul. Dudley vacat ſedes ann. fere 2.	Edw. IV.	17
2	Innoc. VIII.	32	Tho. Bourchier	1485	53	Joh. Sherwood: mor. 12 Jan. an. 1492 exeunte. vacat ſedes integro prope biennio.	Ric. III.	3
3	Alex. VI.	9	Joh. Morton	1494	54	Ricardus Fox, Winton. 1502. traducitur.	Henr. VII.	10
11	Alex. VI.	2	Henr. Dene	1502	55	Gul. Sever	Henr. VII.	18
5	Julii II.	4	Gul. Warham	1507	56	Ch. Bainbrigge *(u)*	Henr. VII.	23
7	Julii II.	6	Gul. Warham	1509	57	Tho. Rowthale	Henr. VIII.	1
2	Hadriani VI.	21	Gul. Warham	1523	58	Tho. Wolſey	Henr. VIII.	15
8	Clem. VII.	28	Gul. Warham	1530	59	Cuth. Tonſtall *(w)*	Henr. VIII.	21
	R.P. Angl. felic. ext.	2	MAT. PARKER	1560	60	Jacobus Pilkington	ELIZ.	3

(u) Ad Sedem Eborac. evectus an. 1508. purpura donatus 1511. veneno Romae extinctus 1514.

(w) Turri Londinenſi 1551. ipſo epiſcopatu ſacrilega manu extincto, incluſus: ſedi reſtitutus 1553. Ineunte regnum Elizabetha denuo epiſcopatu exutus MATTHAEO Cantuarienſi, non tam cuſtodia obſervandus, quam ſumma excipiendus humanitate, alenduſque traditur. Moritur Lamethae 1559. ingenio miti vixque pontificio grandaevus praeſul.

TABULAE CHRONICAE.

Anno	Sedentis Romae	Ann.	Sedentis Cantuariae	A.D.	Num. Episc.	Sedes Carleolensis.	Imperium tenentis	Anno	
4	Innoc. II.	12	Gul. Corboyle	1133	1	Athelwoldus	Henr. I.	34	
4	Adriani IV.	20	Theobaldi	1157	2	Bernardus (β) mor. 1186.*	Edw. II.	3	
3	Honorii III.	12	Steph. Langton	1218	3	Hugo Abbas de Bello † Episcopat. Carleol. custodiam rex concedit Theobaldo de Valen. Archid. Essex. 23 Junii Pat. 7. H. III.	Henr. III.	3	
8	Honorii III.	17	Steph. Langton	1223	4	Walterus Malclerk, praesulatui cedit 1246.	Henr. III.	8	
5	Innoc. IV.	4	Bonifacii	1247	5	Sylvester de Everdon	Henr. III.	32	
2	Alex. IV.	12	Bonifacii	1255	6	Tho. Vipont ‡	Henr. III.	39	
5	Alex. IV.	15	Bonifacii	1258	7	Robertus Chause (a)	Henr. III.	42	(a) Rectius fortasse *Chanse*, seu *Chansey*.
2	Nicolai III.		dimissa a Kylwardebeio sede.	1278		Gul. de Rotherfield, elect. juri cedit.	Edw. I.	6	
4	Nicolai III.	2	Joh. Peckham	1280	8	Radulphus de Ireton	Edw. I.	8	
	sede vacante.		nond. [illegible] Winchel.	1293	9	Joh. de Halghton Gul. Ayremin, elect. 1324. regioque assensu impetrato confirmatus: papali de alio provisione intercluditur.	Edw. I.	20	
9	Joh. XXII.	12	Walt. Raynold	1324	10	Johan. de Rosse (b)	Edw. II.	17	(b) Rectius *Roos*. Fil. Rob. Domini *Roos* de Hemlake.
17	Jon. XXII.	6	Sim. Mepham	1332	11	Joh. de Kirkeby Joh. de Horncastle, mortuo Kirkeby anno 1352. exeunte elect. temporalibus donatus, papali oraculo cathedra prohibetur.	Edw. III.	6	
2	Innoc. VI.	5	Sim. Islippe	1353	12	Gilbertus de Welton	Edw. III.	26	
2	Urbani V.	15	Sim. Islippe	1363	13	Thomas de Appleby Gul. Styrkeland electus jure dejicitur 1396.	Edw. III.	36	
8	Bonifacii IX.	16	Gul. Courteney	1396	14	Rob. Read, Lism. Episc.	Ric. II.	19	
9	Bonifacii IX.	2	Tho. Arundel	1397	15	Thomas Merkes	Ric. II.	20	
12	Bonifacii IX.	5	Tho. Arundel	1400	16	Gulielmus Styrkeland**	Henr. IV.	1	
4	Martini V.	7	Henr. Chicheley	1420	17	Rogerus Whelpdale	Henr. V.	7	
7	Martini V.	10	Henr. Chicheley	1423	18	Gulielmus Barrow	Henr. VI.	1	
14	Martini V.	17	Henr. Chicheley	1430	19	Marmad. Lumley	Henr. VI.	8	
4	Nicolai V.	8	Joh. Stafford	1450	20	Nicolaus Close	Henr. VI.	28	
6	Nicolai V.	1	Joh. Kempe	1452	21	Gulielm. Piercy	Henr. VI.	31	
5	Pii II.	9	Tho. Bourchier	1462	22	Joh. Kingscotte	Edw. IV.	2	
7	Pii II.	11	Tho. Bourchier	1464	23	Rich. Scroope	Edw. IV.	4	
5	Pauli II.	15	Tho. Bourchier	1468	24	Edwardus Storey	Edw. IV.	8	
8	Sixti IV.	25	Tho. Bourchier	1478	25	Ricardus Bell †‡	Edw. IV.	18	
5	Alex. VI.	11	Joh. Morton	1496	26	Gul. Sever	Henr. VII.	12	
	sede vacante		sede vacante	1503	27	Rogerus Leybourne	Henr. VII.	19	
7	Julii II.	8	Gul. Warham	1509	28	Johannes Penny	Henr. VIII.	1	
8	Leonis X.	18	Gul. Warham	1520	29	Joh. Kyte, Archiep. Armachanus ac Thebanensis sedem hanc titulo commendatorio ingreditur.	Henr. VIII.	12	
	R. P. Angl. sel. ext.	5	Tho. Cranmer	1537	30	Rob. Aldrich	Henr. VIII.	29	
3	Pauli IV.	3	Reg. Pole	1557	31	Owenus Oglethorpe	Phil. & Mar.	3 & 4	
	Romano pontifice valedicto	2	MAT. PARKER	1560	32	Johannes Best	ELIZ.	3	
		12	MAT. PARKER	1570	33	Ricardus Barnes	ELIZ.	13	

(β) Rym. T. I. ann. 1174. H. II. 20. —— *His testibus* —— *Venerabili patre W. Carleol. Episc.* &c. Male: *Bernardus* enim sedi Carleol. ab ann. 1157. ad ann. 1186. praefuit. Hoc quidem proclivi errore fieri potuit: Literis *B* & *W*, antiquioris scripturae formam figuramque si spectes, parum distantibus. Verum me magis adhuc haeret appositum regiae huic chartae *Radulphi Cicestrensis Cancellarii* nomen. Anno enim 1174 nec *Radulphus* occurrit *Cicestrensis*, neque vero *Cicestrensis* regius erat *Cancellarius*. Est sane res haec mirum in modum turbata: verum me judice sic expedienda: Chartam hanc non anno H. II. 20. sed anno H. III. 26 si ascribamus, omnia optime convenient. Erat enim tunc temporis *Radulphus* (Nevyl) *Cicestren.* regius *Cancellarius*, *Walterus* Malclerk Episc. *Carleol.* Intra ipsa etiam monumenta *Rymeriana* ter legimus sub ann. 1226. —— *His testibus* —— *R. Cycestren. & Cancellario nostro: W. Carleol. Episc.* ac demum anno 21 H. III. 1237. eadem extant regiae chartae apposita nomina: —— *Testibus R. Cycestren. Domini Regis Angliae Cancellario: W. Carleolensi Episc.* His ductus ego argumentis chartam hanc a Rymero in annum 1174. H. II. 20. rejectam ad ann. H. III. 20. 1236. traducendam censeo, statuo. Sicque omne hoc de *Radulpho Cicestr.* & *W. Carleol.* anno 1174. minus accurate ascriptum, sibi, tempori rerumque ordini satis constat.

* Paulinus de Leedes elect. 1186. juri cedit. — Episcopat. Carleolen. concedit Rex Leonardo Archiep. Sclavoniae ad sustentand. donec in ampliori beneficio ei providerit. 5 Januar. chart. 2 Johan. dors.. Alexander de Lucy Episcopat. Carleolen. donatur. 8 Junii Pat. 5. Joh. Episcopat. Carleolen. concess. Archiepisc. Ragusinensi. 10 Januar. 1204. Pat. 5. Joh. No. 11.

† Alii Hugonem abbatem non de *Bello*, sed de *Bello Loco*, appellant. Ita Ann. Wigorn. Bibl. Cotton. A. 7. Legimus etiam *Hugones* duos ante 1280. abbatiae de *Bello Loco* praepositos: Verum incerta illa & nullo tempore definita. Constat hoc, *Hugonem* quendam Abbatiae de *Bello* intra annos 1213 & 1218. fuisse admotum. De *Bello* igitur Hugo, non de *Bello Loco*, designandus. Foecunda est errorum mater vocum similitudo.

‡ De Veteri Ponte.

** *Gulielmus* OLIM *Epi c. Carl.* interfuit concilio Pisano 1409. *Harduin* Concil. T. VIII. p. 101. Male congruit istud OLIM Gulielmo Styrkeland, qui Sedi Carleolensi annos ab hinc novem praefuit: In *Tho. Merk.* potius convenit vivum jam & Carleolensi praesulatu *olim* dejectum: Illum autem concilio Pisano interfuisse nusquam lego.

†‡ Praesulatui cedit 1495.

Ann.	Sedentis ROMAE.	Ann.	Sedentis CANTUARIAE	A.D.	Num. Episc.	SEDES CESTRIENSIS.	imperium tenentis	Ann.
	Rom.P.Ang. feliciter exturbato	10	Tho. Cranmer	1542	1	Joh.Bird, an.1553.Mar.I. praesulatu exutus.	Henr. VIII.	34
5	Julii III.		amoto Cranmero	1554	2	Georg. Cotes	Mar.	2
2	Pauli IV.	2	Reg. Pole	1556	3	Cuthb. Scot	Phil. & Mar.	2 & 3
	R. Pont. valed.	2	MAT. PARKER	1561	4	Gul. Downham	ELIZ.	3

Ann.	Sedentis ROMAE.	Ann.	Sedentis CANTUARIAE	A.D.	Num. Episc.	SEDES SODORENSIS. MANNIAE Episcopi.	imperium tenentis	Ann.
				360	1	Amphibalus		
				447	2	Germanus		
					3	Conindrius		
					4	Romulus		
				498	5	Machilla : Machutus		
				600	6	Conanus *(a)*		
					7	S. Contentus		
					8	S. Bladus		
					9	S. Malchus		
					10	Torkinus, vixit 889.		
					11	Roolwer		
					12	Gulielmus		
					13	Brendinus		
16	Paschalis II.	1	Rodulphi	1114	14	Wymundus: *(b)* Reymund.	Olavi I.	13
6	Eugenii III.	14	Theobaldi int. 1154 &	1151 1181	15 16	Johannes Gamaliel	Godredi III.	8
					17	Reginaldus I.		
					18	Christianus		
					19	Michael		
6	Innoc. III.	11	Huberti	1203	20	Nic. de Meaux	Reginaldi I.	17
2	Honorii III.	11	Steph. Langton	1217	21	Reginaldus II *(c)*.	Reginaldi I.	31
11	Honorii III.	20	Steph. Langton	1226	22	J . . . . *(d)*	Olavi II.	1
4	Greg. IX.	2	Ricardi M.	1230	23	Simon	Olavi II.	5
7	Innoc. IV.	5	Bonifacii	1249	24	Laurentius *(e)*	Reginaldi II.	1
10	Innoc. IV.	9	Bonifacii	1252	25	Ricardus *(f)*	Magni II.	1
5	Greg. X.	4	R. Kylwardeby	1275	26	Marcus: Mauritius	Alex. III. Scot. R.	27
1	Clem. V.	12	Rob. Winchelsey	1305	27	Alanus: *(g)* Onachus	Rob. Bruce	1
6	Joh. XXII.	9	Walt. Raynold	1321	28	Gilbertus	Rob. Bruce	17
9	Joh. XXII.	12	Walt. Raynold circ.	1324 1334	29 30	Bernardus Thomas *(h)*	Rob. Bruce Dav. Rob. F.	20 4
7	Clem. VI.	16	Joh. Stratford	1348	31	Gul. Russel *(i)*	Gul. II. Com. Sar.	5
4	Greg. XI.		Sede vacante	1374	32	Joh. Doncan, mor. 1380. Annorum hic prope 49. hiatus *(k)*	Gul. II. Com. Sar.	30
13	Martini V.	16	Henr. Chicheley	1429	33	Ric. Pully	Joh. Stanley II.	3
2	Nic. V.	6	Joh. Stafford paulo post	1448 1454	34 35	Joh. Grene: Sprotton Tho. Burton	Joh. Stanley II. Joh. Stanley II.	21 27
					36	Tho. Vallis Regiae Abb.		
11	Sixti IV.	28	Tho. Bourchier	1481	37	Ricardus Oldham	Tho. Bar. Stanley	21
4	Innoc. VIII.	2	Joh. Morton	1487	38	Huan Hesketh	Tho. Com. Derb.	27
8	Julii II.	5	Gul. Warham	1510	39	Tho. Stanley *(l)*	Tho. II. Com. Derb.	7
	Rom.P.Angl. feliciter exturbato	14	Tho. Cranmer	1546	40	Henr. Man	Edw. Com. Derb.	28
2	Pauli IV.	2	Reg. Pole.	1556		Tho. Stanley *(m)*	Edw. Com. Derb.	38
	R. Pont. valed.	11	MAT. PARKER	1569	41	Joh. Salisbury, Episcopus titulo Suffraganeo *Thetfordensis.*	Edw. Com. Derb.	51

(a) Norwego in Manniam insulam Angloque irruente fugiunt Scoti, sedemque sibi novam, ad insulam in Scotia *Jonam*, seu *Icolumkil*, statuunt. (b) Sede jam primati Eboracensi supposita: Praesulatu exuitur Wymundus 1151. (c) Olavi regis nepos. (d) Ita Collect. Doddesworth 153. Chartae Walteri Gray Archiep. Ebor testis adhibetur: Sept 25. 1230. Alii *Johannem* ponunt. (e) Irato mari, anno nondum exacto, obrutus (f) Anno 1266. Magno III. Manniae rege extincto insulam a Norwegis pretio victis sibi vendicat rex Scotorum Alexander III. Vario deinceps, nunc Scoto, nunc Anglo, ac volubili domino utebatur: Anno demum 1340, Gulielmus Montacutius Sarisburiae comes, antiquis Manniae regibus prognatus, armis insulam occupavit: Eam Gulielmus Gul filius anno 1395. pacto pretio in Scropium Baronem transtulit: Illo laesae majestatis damnato 1399, juri regio adjudicatur: Hinc ad Piercium Northumbriae Comitem, extremum Manniae regem, mox transit. Stanleios tandem Mannia dominos, anno 1403, est experta; ac in hodiernam diem perpetua serie agnoscit. (g) Regia protectionis charta conceditur *Alano* Sodorensi Episcopo, Mart 26. 1305. 33 Edw. I. (h) Sedente Thoma, Manniae insula a Scotis divulsa: Episcoporum Scotorum postremus. (i) Archiepiscopo in Norwegia *Drontheimensi* antiquum ac evanidum in Manniae sedem jus vendicanti animose restitit: crucemque ejus metropoliticam insula prohibuit. (k) Anno 1396. apponunt quidam praesulum *Sodorensium* catalogo *Robertum Waldeby*, tituli sono plane decepti: Non enim Robertus *Sodorensis* fuerat, sed *Adurensis*, in Vasconia, episcopus; ab eadem *Adurensi*, AIR, ecclesia ad Dublinensem evectus 18 Kal. Dec 1391 In titulis episcopalibus recensendis mirum in modum peccant historici antiquiores: Hinc pro *Ebroicensi* legi saepenumero *Eboracensem*, pro *Lexoviensi Luxoviensem*, pro *Dunelmensi Dublinensem*, pro *Lugdunensi Lingonensem*, pro *Lincolniensi*, inversis literis, *Nicoliensem*. Cum episcopalium sedium nomina apud scriptores veteres occurrant, caute admodum lector ac quasi suspenso pede, omni adhibita geographia, progrediatur. (l) Episcopatu deturbatus 1545. Quae de *Roberto Ferrar* in sedem *Sodorensem* mox assumpto quidam tradunt, dubia omnino, prope dixerim nulla, nituntur fide. (m) Sedi a Maria restitutus: Moritur 1569. sexaginta prope annorum episcopus.

LECTORI
SAMUEL DRAKE.

UBRICAM ſane ancipitemque provinciam aggredior: aut enim erudito orbi tradendam eſſe ſentio vitiatam miris modis hiſtoriam, aut ſine exemplaris manuſcripti fide patrocinioque caſtigandam: Quorum alterum inertis eſt ac languentis plane editoris; alterum audacioris fortaſſe, & quaſi auctorum reliquias temerantis, ingenii. His ego anguſtiis conſtrictus mihi demum ſic proſpexi: Tertiam tento edendi rationem; in qua ſic medius incedo, ut & lectoris utilitati, & auctoris nomini exiſtimationique, conſulam: Quod orthographicae, quod grammaticae, leges mutandum monent, quod hiſtoriae vox univerſa ſuadet, quod archiva jubent LAMETHANA, immuto emendoque. Dolenda eſt omnino hujuſce operis ſors miſerrima; cui cum ſummam antiquitatis notitiam, omnem dicendi ornatum, egregius auctor contulerit; utrumque adeo vel deſcriptoris incuria, vel imperitia typographi, perturbaret: Hunc vero deſideratiſſimum eccleſiae Anglicanae ſcriptorem centum ſupra & quinquaginta annos tam calami, quam praeli, injuriis pene obrutum jam vindicavi, ſibique tandem ſe reſtitui: Quod quidem a me praeſtitum jure dixerim, cum hiſtoria certior, oratio purior & aequabilior, fluat.

SI quis e literatorum numero fuerit, qui vitioſa hujuſce hiſtoriae loca malle ſe vel ſignis praenotata, vel uncis incluſa, quam textu penitus exterminata, dicat; hoc a me & benigno ferat & aequo expendat animo reſponſum: errores ego non ſic amplector, non ſic colo: qui cum illuſtri huic operi diu inſederint, & hiſtoriae formam luculentiſſimae ſplendoremque corruperint; ab eadem jam in eccleſiae Anglicanae reique literariae commodum prodeunte arcendos omnino prohibendoſque cenſeo. Obelo trajicias, litura obducas, elimines; cum errore nuſquam inclementer actum.

VERUM ut lectori non tantum erudito ſatis, ſed curioſo etiam, fiat; ubicunque, niſi in re plane orthographica, a primaria anni 1572 editione diſceditur; loca iſta accurate hic deſcripſi atque ſubjeci: Unde una ego eademque manu & *novae* hujus noſtrae editionis tibi codicem commendo, & *veteris* etiam exemplar trado.

EMENDATIONES.

In Praefatione, OMNIBUS LAETAM, &c.

Pag.	*Lin.*	EDITIO 1729.	EDITIO 1572.
3	3	Summi ejus imp.*	
	30	In quo uno nos ne dignos quidem hac perbeata omnique divina largi-	In quo uno nos ne dignos quidem hac perbeata omnique divina largitione

ANNOTATIONES.

* *Plurimum hic codex Rawlinſonianus Num. 3. caeteris diſcrepat univerſis: Quae ibi habentur, hic ſubjeci:* Ejus ſummi imperatoris nutu, aut ab antichriſto ejus regni praedone ac invaſore geſta antea eſſe perhibentur. Ut enim reliquarum artium ſcientia ſine divina inutilis & nulla putanda eſt; ſic humanos tantum eventus atque caſus, non rerum divinarum ſtatum, a quo illi pendent, diligenter non perpendere, in chriſtianis cenſeri magnum

EMENDATIONES.

P. L.	Editio 1729.	Editio 1572.
	tione affluenti insula *indicamus*; quod dum in alienis regnis sumus curiosi, quae domi geruntur, semper ignoramus. Vide infra *Rawlinson.* Num. 3.	tione affluenti insula *judicamus*; quod dum in alienis regnis sumus curiosi, quae domi geruntur, semper ignoramus.
4 37	*Radulphum* de Diceto. Res notissima.	*Ricardum* de Diceto.
	De Vetustate Britannicae Ecclesiae.	
4 38	*Insuvitrim.* Malmesb. de Eccl. Glaston. Innys Witrin.	*Insuvitrim.*
5 41	ẏnẏɼ.	ẏuẏɼ.
6 35	Et Marco *Antonino* Vero Caesari.	Et Marco *Antonio* Vero Caesari.

Viros

Annotationes.

debet vitium; maxime autem proprium illorum, qui cum docti sunt, doctique haberi volunt, hac historia spreta & contempta in aliis minus necessariis se terunt & literis & otio suo fastidiose abutuntur. Ut enim Eusebium, Socratem, & Sozomenum, qui Apostolorum vestigia secuti ea ad aetatem nostram condebant, quae proximis illis aevis acta gestaque fuerunt, item Gregoram, Zonaram ac Nicephorum, qui orientalium Patriarcharum praefecturas, deinde Platinam atque Sylvium, qui Romanorum pontificum vitas descripserunt, in eoque genere permultos alios, qui externa nobis scriptis referunt, non modo laudamus, sed admiramur atque suspicimus; sic quae in nostra rep. atque Anglicana Ecclesia a primis ejus, ut dicam, incunabulis gesta sunt, scire quidem non avemus. In quo uno nos ne dignos quidem hac perbeata omnique largitione divina affluenti insula *indicamus*, quod dum in alienis regnis sumus curiosi, quae domi geruntur semper ignoramus, perinde ac patresfamilias atque servi indiligentiores, qui quae a vicinis fiunt, sedulo explorant & rem suam domi negligunt. Nam si quis externa cum nostris conferat, reperiet hujus insulae partem, quae Anglia dicta est, minutam quidem illam & perexiguam gentem, vicina regna ditione multo latiora omni virtute antecessisse. Res enim bellicas & multitudine proeliorum, & acri dimicatione cum hostibus crebrisque victoriis partis fortius feliciusque gessimus, remque publicam melioribus tenemus & institutis & legibus. Jam si, quod est praesentis instituti, de administratione ecclesiae quis agere volet, reperiet eandem, ut illa tenebrosa & errorum plena tulerunt tempora, nec accuratius descriptam, nec severiori disciplina cultam in quacunque provincia quam in Anglia fuisse. In qua tametsi ab aliis nonnulla sumpta sunt; tamen & domi permulta saluberrime constituta & quae aliunde accepta per nos effecta meliora: Ut causa nulla sit, cur in alienis magis quam in nostris cognoscendis laboraremus. Sed cum omnia a majoribus nostris domi militiaeque gesta digna sunt cognitu, tum illa meo judicio maxime, quae ad Ecclesiam Dei gubernandam spectabant. Ex quibus intelligemus, quando Dominus Jesus, veritate & luce fulgens sua, eam illustraverit, quando se rursus tanquam nebulis obducto sole a suorum conspectu tegens, serpens ille antiquus se insinuaverit; quibus astutiis potentiam in mundo obtinuerit: tum patefacta iterum veritate, quae luctae & concertationes in utriusque membris de principatu institutae fuerunt; quae in carne, quaeque in Spiritu Dei succubuerint, aut praevaluerint. At vero in Anglia etsi multae sunt celebres episcopales ecclesiae, quae multis praeclaris monumentis ecclesiasticam historiam possunt illustrare; duae tamen existunt prae caeteris nobilitatae, Cantuariensis nempe & Eboracensis, metropoles: Ex quibus quamvis Cantuariensis ditione major, & actis clarior, omnique amplitudine excellentior sit; illa tamen sedes Stobaeum quendam archiepiscoporum rerumque suarum scriptorem invenit: Haec autem vulgata laude ob rerum quotannis multitudinem in principis atque populi conspectu gestarum contenta, scriptorem, tanquam praeconem publicum, non desideravit: Etsi uniuscujusque archiepiscopi facta, utcunque a Stephano succincte scripta & ad sua tempora condita sunt. Ut autem nunc in publicum exeant, duae causae postulant: Et quia nulla sedes episcopalis quid singulis aetatibus atque saeculis in Anglicana ecclesia decretum, sancitum, immutatum abrogatumque sit, prae hac commemorare potest; Eboracensis enim provincia in administratione ecclesiae plerumque hanc secuta & imitata est: Et ut perspiciatur quibus dolis atque technis Satanae, ejusque antichristi, illius nempe horrendae usucaptae Romanae potentiae servitus ingenuitatem Christianam invasit in Anglia; quomodoque se rursus in primaevam suam libertatem veteremque natalium splendorem ecclesia vindicavit. Res est itaque his nostris temporibus, quibus profligatis satanae tenebris illuxit Dominus, cognitu scita & opportuna Cantuariensium Archiepiscoporum ordine a primordio ducta successio. Quam hic ex variis antiquis sumptam & delibatam scriptoribus, tam apte atque concinne compositam vides, ut unius potius scriptoris series, quam ex multis decerptae auctoritates & sententiae videri possint. Tanta praeterea antiquitatis habita ratio est, ut singula testimonia ad suum auctorem in margine referantur. Verbis quidem necesse est illis plerumque uti, quibus veteres illi scriptores suorum temporum mores actionesque expresserunt; ne quacunque in re ab illorum mente & sententia videri possumus recessisse. Cujus quidem rei rationem, potius quam cujusquam elegantiae, habuisse convenit, qui non ornandae sed pure simpliciterque

Stephanus Byrchinton monachus Cant.

a

EMENDATIONES.

P.	L.	Editio 1729.	Editio 1572.
8	4	*Viros* & in ſacris literis & in adminiſtranda eccleſia peritos [a].	*Viris* & in ſacris literis & in adminiſtranda eccleſia peritos.
12	3	S. *Amphibali.*	S. *Amphiboli.*
12	50	Tres metropoles inſtitutae ſunt:	Tres metropoles inſtitutae ſunt:
13	1	*Quarum* Albanenſis.	*Quorum* Albanenſis.
16	35	Tandem flava peſte, quae Ictericia dicebatur, Sampſon archiepiſcopus, ſumpto ſecum pallio, *Armoricam* [b] adiit, & Dolenſi ſedi praeſedit.	Tandem flava peſte, quae Ictericia dicebatur, Sampſon archiepiſcopus, ſumpto ſecum pallio, *Armoriam* adiit, & Dolenſi ſedi praeſedit.
17	9	Sed Auguſtinus *dignitatem metropoliticam Cantuariae ſtatuit* [c], ſive Ethelberti Cantiorum regis & hoſpitis ſui gratia, ſive quia Londonia tunc regis Ethelberti non erat, ſed Seberti nepotis ſui, ſive ea charitate & benevolentia, qua ipſos Cantios ſe ad eos appulſum tam benigne excipientes eſt proſecutus, ſive quod Cantium tunc fuit prima & praecipua Britanniae provincia, cujus regis ditioni caeteri reges parebant.	Sed Auguſtinus, ſive Ethelberti Cantiorum regis & hoſpitis ſui gratia, ſive quia Londonia tunc regis Ethelberti non erat, ſed Seberti nepotis ſui, ſive ea charitate & benevolentia, qua ipſos Cantios ſe ad eos appulſum tam benigne excipientes eſt proſecutus, ſive quod Cantium tunc fuit prima & praecipua Britanniae provincia, cujus regis ditioni caeteri reges parebant.
	24	Omnium rerum, quae a majoribus *geſtae* ſunt.	Omnium rerum, quae a majoribus *geſta* ſunt.
18	3	Pallium tribuere, Domino favente, *diſponimus* [d].	Pallium tribuere, Domino favente, *proponimus.*
19	32	*Exempla*, deeſt Bed. & regiſtr. Greg. Lib. XI. Epiſt. 64.	
25	9	Northamptonenſem [e].	
26	24	Quorum ultimus &c. [f]	
31	14	*Ingerit* [g].	*Injicit.*
	17	Sed materiam gaudii.	Sed materiam *quandam* gaudii.

Excel-

ANNOTATIONES.

explicandae veritati ſtudemus. Id ſi aſſequamur, harumque rerum tot ſaeculis abditarum hiſtoriam ad noſtrorum hominum notitiam traducamus, eum noſtrorum laborum fructum, quem ſperamus, videbimur accepiſſe. Tantum enim abeſt ut gloriolam auramve popularem ſequamur, ut invidorum etiam obtrectatorumque voculas, quae optima quaeque lacerare ſolent, non reformidemus: Qui tumore ac faſtidio, ſi velint, diſrumpantur; nos hac noſtra induſtria, pietati veritatique, non hominibus obſecuti, nullius ſive blando atque ficto allecti, ſive iniquo & criminoſo ſermone deterriti, hoc opus diu lucubratum, & ex antiquiſſimis hujus regni monumentis collectum, ad omnium judicium tanquam diſcrimen ſubeundum tandem in lucem emiſimus. Cujus tota laus ſummo ac divino antiſtiti domino MATTHAEO CANTUARIENSI archiepiſcopo tribuenda eſt: Qui eadem vigilantia & ſedulitate, qua ſingula quae ad Chriſtianam gerendam Eccleſiam neceſſaria ſunt rimatur, colligit & abſolvit, etiam in ſuae ſedis antiquitatem penitus retroſpexit, noſque peregrinantes ac errantes ad certiſſimam rerum noſtrarum fidem atque veritatem ex peregrinis hiſtoriis amanter iterum reduxit domum: Cui ut ad tam ſanctas & ſalubres dominico gregi vigilias atque cuſtodias agendas longaeva vita ſupereſſe poſſit, ipſaque tandem aeternitas glorioſa concedatur, bonorum omnium aſſiduis votis interpellandus eſt ille magnus gregis Paſtor D. Jeſus, cujus eſt cum Patre atque Paracleto una & immenſa ſineque fine majeſtas.

[a] Elvani Meduinique laudes ſupra audivimus, p. 7. l. 44—47. Legendum itaque *viros*: Et ad Phaganum ſunt haec Deruvianumque plane referenda: Confirmat hoc editio 1572, quae habet —— *peritos* ——

[b] *Armorica*—aliquando *Britannia Armorica*: *Aremorica*: Caeſ. Plin. Nuſquam legitur *Armoria.*

[c] Manca haec ac plane inchoata periodus: Nihil enim, ad quod *Auguſtinus* referatur: De ſenſu & animo auctoris ſatis conſtat: quem his ego interpoſitis repraeſentavi.

[d] *Diſponimus* —Propius ad formam diplomatum papalium: Sic etiam Beda, Lib. I. cap. 29. Ac ipſius Gregorii regiſtrum, Lib. XI. Epiſt. 65. Editoribus monachis BENEDICTINIS.

[e] Deſideratur hic *Leyceſtrenſis*, Merciani imperii pars. Margini tamen apponitur Rawlinſon. Num. 2. manu non quidem MATTHAEI CANTUAR. ſed recte.

[f] Edit. 1572. "quorum ultimus *Oſmundus* eam ſedem ſuam ſub *Edwardo* rege *majore* Sariſburiam removit." Codex Rawlinſon. Num. 2. mihi, poſtquam haec praelum denuo ſubierint, ſumma humanitate creditus emendata haec, ipſa MATTHAEI CANTUAR. manu, exhibet—— "Quorum ultimus *Hermannus* eam ſedem ſuam ſub *Wilhelmo* rege *ſeniore* Sariſburiam removit."

[g] Extat ad finem codicis Sunderlandiani hujus epiſtolae archetypum, ſigno avulſo propemodum ac diſrupto. Quanquam vero hanc ex archetypo deſcriptam teſtetur margo; eandem tamen pleniorem hic Lectori multoque caſtigatiorem trado.

EMENDATIONES.

P. L.	Editio 1729.	Editio 1572.
31 15	Excellentiam veſtram ad noſtra & eccleſiae noſtrae Wyntonienſis jura conſervanda & augenda literarum earundem relatu cognovimus quadam *ſpecialis*[h] dilectionis praerogativa ſolicitam & *intentam.*	Excellentiam veſtram ad noſtra & eccleſiae noſtrae Wintonienſis jura conſervanda & augenda literarum earundem relatu cognovimus quadam *ſpiritualis* dilectionis praerogativa ſolicitam & *internam.*
21	Quae *tunc* ſe reputat honoratam, cum ſingulis, *quibus* debetur, fratribus honor debitus non negatur.	Quae *tamen* ſe reputat honoratam, cum *qui* ſingulis *quibuſque* debetur fratribus, honor debitus non negatur.
27	Quod ejus vices, eo mortuo vel abſente, gerere & exequi ad nos tanquam ad veſtrorum ſuffraganeorum ſubdecanum jure conſuetudinario *dicitis* pertinere.	Quod ejus vices, eo mortuo vel abſente, gerere & exequi ad nos tanquam ad veſtrorum ſuffraganeorum ſubdecanum jure conſuetudinario *dictas* pertinere.
30	*Commoda.*	*Accommoda.*

32 25

Suffraganeorum Sedes[i]. (Editio 1729.)

Cantuarienſis,	Doveria.
Eboracenſis,	Nottinghamia. Hull.
Londinenſis,	Colceſtria.
Dunelmenſis,	Bervicum.
Wintonienſis,	Gilfordia. Southamptona. Vectis Inſula.
Lincolnienſis,	Bedfordia. Leyceſtria. Grantham. Huntingtonia.
Norwicenſis,	Thetfordia. Ipſwiche.
Saliſburienſis,	*Briſtolia.* Shafteſburia. *Moltonia.* Marleborough.
Exonienſis,	S. Germani.
Carleolenſis,	Perithe.
Wigornienſis,	Gloceſtria.
Bathonienſis, & Wellenſis,	Tawntonia. *Bridgewater.*
Lichfieldenſis,	Salopia.
Elyenſis,	Cantebrigia.
Landavenſis,	*Penreth.*

Suffraganeorum Sedes. (Editio 1572.)

Cantuarienſis,	Doveria.
Eboracenſis,	Nottinghamia. Hull.
Londinenſis,	Colceſtria.
Dunelmenſis,	Bervicum.
Wintonienſis,	Gilfordia. Southamptona. Vectis Inſula.
Lincolnienſis,	Bedfordia. Leyceſtria. Grantham. Huntingtonia.
Norwicenſis,	Thetfordia. Ipſwiche.
Saliſburienſis,	Shafteſburia. *Melton.* Marleborowe.
Exonienſis,	S. Germani.
Carleolenſis,	Perithe.
Gloceſtrenſis,	Gloceſtria.
Briſtolienſis.	
Petriburgenſis.	
Oxonienſis.	
Menevenſis.	
Aſſavenſis.	
Banchorenſis.	
Landavenſis.	
Ceſtrenſis.	
Bathonienſis, & Wellenſis,	Tawntonia.
Herefordenſis,	*Bridgenorthe.*
Lichfieldenſis,	Salopia.
Elyenſis,	Cantebrigia.

Inun-

Annotationes.

h *Specialis*——mirum plane, quam ſaepe hac una in voce, quam prope conſtanter, peccant monumentorum veterum deſcriptores: pro *ſpeciali* plerumque *ſpirituali* reponentes. Licet enim antiquiorem feſtinantioremque ſcribendi modum ſi ſpectemus, altera alteri non ſit abſimilis; literarum tamen ductum accuratius inſpicienti, quaenam ſit, abunde conſtabit.

i *Suffraganeorum Sedes.* Sedium ſuffraganearum tabulas ex ipſo edicto ſenatorio in legum municipalium codicem, anno Henr. VIII. 31, relato, quas plane vitiatas ac hiantes exhibet editio 1572, hunc in modum emendavi, reſtitui.

EMENDATIONES.

P. L.	Editio 1729.	Editio 1572.
34 10	Inundans [k].	
39 47	Johannesque *pius:* malim *prius:* ante scilicet Henr. III. supra memoratum. *Pietate* inclaruisse *Johannem* Angliae regem nusquam legitur: Risor ille, si quisquam alius, contemptorque Divum.	
40 10	Pesagio: *Passagio.* Gloss. ad X. SS.	
11	Chunnagio: forte *Chimenagio.*	
40 44	Cum enim in Windsoriae castro, quod in Salisburiensi dioecesi situm	Cum enim Windesoriae castro, quod Salisburiensis episcopus dioecesi situm est,

Annotationes.

[k] Mallem *mundanis:* uti Eadmerus: *mundanis* dedita fluctibus. P. 34. l. 27. *Lugdunensis.* Fortasse *Laginiensis*; hoc plane confirmat, ubi hoc ipsum profert diploma, idem Eadmerus: "Ego Ferdomvachus *Laginensium* episcopus subscripsi." Hist. Nov. Edit. Gerberon. p. 46. "Ferdomnachus obiit 1102. dictus *Laginiensium* episcopus." Waraeus in episcopis Darensibus. Pergit Eadmerus: *Ego Idunan episcopus Midiae subscripsi: Ego Samuel* Dunelmensis *episcopus subscripsi.* Ita sane magno errore magnus vir Johannes Seldenus: Quorsum Dunelmensis episcopus praesulibus Hibernicis se immisceret? Sedente etiam Anselmo Cantuariae Hugo Pudsey ac Philippus *Dunelmensem* gerebant episcopatum. Suaderem igitur reponendum *Dubliniensis:* Samuelem enim in episcopum Dubliniae ab eodem Anselmo sacratum fuisse idem tradit Eadmerus: *Qui quidem Samuel novus pontifex tanti principis benedictione, & literarum praefato regi, clero quoque & plebi Hiberniae, pro testimonio suae consecrationis, scriptarum adstipulatione roboratus, in patriam cum gaudio revertitur.* Hinc profecturo postea in Angliam Malcho suam etiam ad Anselmum commendationem judiciumque, insigni hac charta, transmittendum voluit. P. 34. l. 44. De episcopalibus in Hibernia cathedris, quae tradit Jacobus Waraeus, eques auratus, vir de ecclesia Hibernica optime meritus, ut clariora haec fiant & illustratiora, huc traduxi: "Johannes Paparo presbyter cardinalis tituli S. Laurentii in Damaso, legatus ab Eugenio III. in Hiberniam missus quatuor pallia secum detulit, quae, ut alias diximus, in synodo habita mense Martio, anno MCLII. quatuor archiepiscopis tradidit, Armachano sc. Dubliniensi, Casseliensi & Tuamensi. De loco synodi variant scriptores; nam aliqui in coenobio Mellifontis, alii Kenanusae sive Kenlisae, quam hodie contracte *Kells* dicimus, in Midia habitam volunt. In ea synodo cuilibet archiepiscopo certus suffraganeorum numerus subjectus est & assignatus. Horum dispositio in codice censuum cameralium Cencii camerarii, qui fuit postea Honorius III. ita exhibetur:

Sub archiepiscopo Armachano.

Episcopatus de	Conner. Dun-daleghlas. Lugud. Cluainiard. Connanas. Ardachad. Rathboth. Rathlurig. Damliag. Darrich.	Sive recentioribus nominibus episcopatus	Conorensis. Dunensis. Ludunensis, *al.* Louthensis. Clonardensis. Kenanensis, *al.* Kellensis. Ardachadensis. Rapotensis. Rathluriensis. Damliagensis, *al.* Dulekensis. Derensis.

De hac distributione, non pauca hic notanda: Nam si ad recentiora tempora veniamus, sedes Clonardensis, Kenanensis, & Damliagensis, non diu post Anglorum adventum in Hiberniam, coaluerunt; ideoque episcopi jam inde, a Midia, in qua dictae sedes sitae, stylum mutuati, episcopi Midenses sunt appellati. Item sedes Rathluriensis adjecta est cathedrae Derensi. Ad Ludunensem quod attinet; illius sedis episcopus quandoque Ludunensis sive Lugudunensis, quandoque Clochorensis dicebatur. Nam licet illae duae sedes, Ludunensis & Clochorensis, originitus fuerint distinctae, tandem tamen coaluerunt, & unitae manserunt, usque ad tempus Davidis O-Bragan episcopi Clochorensis, qui vixit sub Henrico III. Tum vero omnes Ergalliae sive Urielis decanatus, qui olim suberant episcopo Ludunensi, ab ea sede abstracti fuerunt, & dioecesi Armachanae adjecti. Qua de re extat jam dicti Davidis actio, data Perusii Id. Augusti anno MCCLII. contra Reinerum archiepiscopum Armachanum, licet irrito successu. Denique in hac distributione, quod hic non praetermittendum, desunt sedes Dromorensis, Clommacnoisensis, adjecta demum episcopatui Midensi, & Triburnensis, quae postrema, vetusto eo nomine tandem deposito, nomen accepit sedis Kilmorensis; ex quo Andreas Bradacus, ni fallor, loci episcopus circa annum MCCCCLIII. ecclesiam parochialem S. Felimei de Kilmore, Nicolai quinti papae assensu, in ecclesiam erexit cathedralem. Ad sedendi ordinem quod attinet, inter episcopos suffraganeos Hiberniae, in conciliis & alibi, episcopus Midensis primum habuit locum; secundum sibi asseruit episcopus Darensis; caeteri secundum tempora ordinationum sederunt.

P. L.

Editio 1729.

tum eſt, Saliſburienſis epiſcopus epiſcopali jure tanquam in propria dioeceſi, *in Henrici regis primi cum Atheleida Godefridi Lotharingiae ducis filia nuptiis, anno regni ſui viceſimo primo, ſacrorum celebrationi audacter ſe ingeſſiſſet*, ab omnibus proceribus acclamatum eſt, hoc jus Cantuarienſium archiepiſcoporum eſſe proprium: Regeſque ac reginas, ubicunque in Anglia degerent, eſſe ejus *ſpeciales atque domeſticos, ut Gervaſius diſerte loquitur*, parochianos; totumque regnum etſi diverſis dioeceſibus diſtinctum ſit, ratione primatus ejus eſſe paro-

Editio 1572.

eſt, Saliſburienſis epiſcopus epiſcopali jure tanquam in propria dioeceſi, *voluit regem & reginam tum conjugandos matrimonio copulare*, ab omnibus proceribus acclamatum eſt, hoc jus Cantuarienſium archiepiſcoporum eſſe proprium: Regeſque ac reginas, ubicunq; in Anglia degerent, ejus eſſe parochianos; totumque regnum etſi diverſis dioeceſibus diſtinctum ſit, ratione primatus, ejus eſſe parochiam: *Epiſcopos autem parochiarum atque dioeceſium jura ab ipſo ſumere, nec eum jure ſuo in ſuis dioeceſibus oportere fraudare.*

Annotationes.

Sub archiepiſcopo Dublinienſi.

Epiſcopatus de	Clendelachi.	Poſtea dicti epiſcopatus,	Glendelacenſis.
	Fern.		Fernenſis.
	Cainic.		Offorienſis.
	Leghlin.		Lechlinenſis.
	Childar.		Darenſis.

Sedes Glendelacenſis quae, in Bulla Lucii Papae III. data 1182. a Johanne Comino archiepiſcopo Dublin. impetrata, dicta eſt epiſcopatus Inſularum, unita fuit poſtea & annexa cathedrae Dublinienſi, tempore Henrici *Loundres* archiepiſcopi Dublinienſis. Non defuerunt qui tradidere ſedem Fernenſem olim ſubfuiſſe cathedrae Menevenſi in Wallia; ſed tranſeant conceptus iſti imaginarii.

Sub archiepiſcopo Caſſelienſi.

Epiſcopatus de	Cendaluan.	Poſtea dicti epiſcopatus	Laonenſis, *al.* Killalow.
	Limerich.		Limericenſis.
	Inſula Gathay.		Iniſcattienſis.
	Cellumabrach.		Fenaborenſis, *al.* Kilfenoragh.
	Ole-imlech.		Imelacenſis.
	Roſcreen.		Roſcraeenſis.
	Waltifordian.		Waterfordienſis.
	Liſmor.		Liſmorenſis.
	Cluainvanian.		Clonenſis.
	Corcaia.		Corcagienſis.
	Ros-ailither.		Roſſenſis.
	Ardfert.		Ardfertenſis.

Ex his, ſedes Iniſcattienſis, poſt Anglorum ingreſſum, adjecta eſt cathedrae Limericenſi, & Roſcraeenſis Laonenſi. Item adunatae ſunt ſedes Waterfordienſis & Liſmorenſis, deinde Corcagienſis & Clonenſis, atque demum Imelacenſis adjuncta eſt Caſſelienſi.

Sub archiepiſcopo Tuamenſi.

Epiſcopatus de	Mageo.	Poſtea dicti epiſcopatus	Magionenſis.
	Cell-alaid.		Alladenſis, *vulgo* Kill-alla.
	Roſcoman.		Roſcomanenſis.
	Cluanfert.		Clonfertenſis,
	Achad.		Achadenſis, *vulgo* Achonry.
	Cinani.		Kenanenſis.
	Celmun-duac.		Duacenſis, *vulgo* Kilmacogh.

Ex his, ſedes epiſcopalis Magionenſis poſtea adjuncta eſt cathedrae Tuamenſi, ſicut quae in dicta diſtributione omiſſa, Enaghdunenſis. Porro Roſcomanenſis Elphiniam poſtea tranſlata eſt, & Kenanenſis bis, quod mireris, in hac diſtributione numerata provinciae Armachanae adjecta, poſt longam nimirum ea de re contentionem Romae agitatam, inter archiepiſcopos Armachanum & Tuamenſem." *Waraeus de Antiquit. Hibern. cap.* 17. Hic *Cenevercenſem* primati Armachano, *Elvanumenſem*, *Arcinorenſem* Caſſelienſi, *Binſtaginenſem*, *Earipolenſem* Dublinienſi, *Chieuſernenſem*, *Alſmenſem* Tuamenſi, annumeratas ſedes non agnoſcit doctiſſimus Waraeus: Reliquas ſi ſpectes, haud obſcura intercedit, quanquam ſub titulis aliquanto diverſis vetuſtatiſque ſitu obductis, cognatio.

EMENDATIONES.

P.	L.	Editio 1729.	Editio 1572.
		parochiam. *Atque haec adeo vera ſunt, ut regiae procerumque oblationes, ſive in regio ſacello, ſive in quacunque eccleſia cathedrali, conventuali, vel parochiali, praeſente archiepiſcopo inter ſacra factae, nec illius dioeceſis epiſcopo, nec conventui aut capitulo, nec ipſi ſacelli regii decano, nec parocho, aut alteri cuicunque, ſed archiepiſcopo Cantuarienſi ſoli debeantur: Nam in his, quae ad divinum cultum in principis aula pertinent, praecipua ſemper fuit cura atque ſolicitudo archiepiſcopi* *.	Reliqua hoc modo exemplaria.
41	22	Donec eidem *de competenti beneficio eccleſiaſtico ſit proviſum* *.	Donec eidem *competens contulerit beneficium eccleſiaſticum.*
	31	Roffenſis vero epiſcopus, qui capellanus archiepiſcopi habetur, *praeterea donat* cuppam, ſeu cyphum argenteum caneſque venaticos. *His accedant* archidiaconatus Cantuarienſis vacantis jura: Archidiaconi enim Cantuarienſes *ſuffraganeos a primate ſacratos in ſedes ſuas epiſcopales ex more inducunt:* quibus id muneris obeuntibus equus ſella & fraeno ornatus, cyphus argenteus & decem marcae *tribuuntur: Vacante vero archidiaconatu archiepiſcopus ea dona percipit. Antiquitus enim epiſcopus quidam, Sancti Martini dictus, archidiaconi Cantuarienſis munere fungebatur: quo tandem deleto, Lanfrancus archidiaconatum erexit atque ſtabilivit, & archidiaconum Cantuariae primus poſuit* *.	Roffenſis vero epiſcopus, qui capellanus archiepiſcopi habetur, *praeteritis addit* cuppam, ſeu cyphum argenteum caneſque venaticos. Addantur ad iſta, jura archidiaconatus Cantuar. vacantis; *quae tum ad archiepiſcopum redeunt, a quo profecta ſunt.* Archidiaconi enim Cantuarienſes, poſtquam epiſcopi ab archiepiſcopis ſacrati ſunt, authoritatem habent ipſos in epiſcopatus ſui poſſeſſionem inducendi, & in epiſcopali throno collocandi, quibus id muneris obeuntibus equus cella & fraeno ornatus, cyphus argenteus & decem marcae dono conceduntur. *Oblationes etiam, quae inter ſacrorum ſolennia a regibus & magnatibus fieri ſolebant, quaſque regiae capellae decanus ſibi vendicat, Cantuarienſi archiepiſcopo, quotieſcunque interſit, debentur.*
42	40	Beneficia autem, quae juris patronatus illius vacantis epiſcopatus *fuerint*, ſi ſe cuſtode vacarent, libere conferebat.	Beneficia autem, quae juris patronatus illius vacantis epiſcopatus *fuerit*, ſi ſe cuſtode vacarent, libere conferebat.
43	8	*Marg.* Ann. 20 Ric. *II.*	Anno 20 Ric. *III.*
45	5	Advocatorum in ea curia numerus ſexdecim antiquitus conſtitutus eſt: *Hi* doctores legum in celebri aliqua ſtudiorum univerſitate ordinantur, antequam ad hoc tam inſigne tribunal accedunt.	Advocatorum in ea curia numerus ſexdecim antiquitus conſtitutus eſt: *Hic* doctores legum in celebri aliqua ſtudiorum univerſitate ordinantur, antequam ad hoc tam inſigne tribunal accedunt.
46	21	Cancellario *principalis* archiepiſcopi regiſtrarius.	Cancellario *principales* archiepiſcopi regiſtrarius.
47	33	Eccleſia de *Chevening.*	Eccleſia de *Chenening.*
53	12	Id quod ex veteribus ipſorum Saxonum legibus & praedicationibus ante Auguſtini *huc* adventum emiſſis ac divulgatis, divinaque providentia etiam idiomate jam diu oblivione deſueto & in aliud tranſlato conſervatis, nuperque ad refellendum *hunc* pri-	Id quod ex veteribus ipſorum Saxonum legibus & praedicationibus ante Auguſtini *hunc* adventum emiſſis ac divulgatis, divinaque providentia etiam idiomate jam diu oblivione deſueto & in aliud tranſlato conſervatis, nuperque ad refellendum *huc* primum

Annotationes.

* Poſteriores, proindeque emendatiores editionis 1572 codices, pagina iterum praelo ſubjecta, haec interponunt; plures deinceps ſecundas Matthaei curas videbimus vigiliaſque.

P.	L.	Editio 1729.	Editio 1572.
		mum pontificiorum de Auguſtino errorem repertis atque editis, probatur luculenter.	mum pontificiorum de Auguſtino errorem repertis atque editis probatur luculenter.
55	9	Tho. Young, Jan. 21. Regr. Park. Fol. 50.	Tho. Young, Januar. 2.
	13	Edm. Gueſt, *Mart.* 24. Regr. Park. Fol. 63. *b.*	Edm. Gueſt, *Januar.* 21.
	18	Rob. Horn, *Febr.* 16. Regr. Park. Fol. 89.	Rob. Horn, *Januar.* 16.
	19	Edm. Scambler, *Febr.* 16. Regr. Park. Fol. 92. *b.*	Edm. Scambler, *Januar.* 16.
	29	Ri. Curteys, Maii 21. Regr. Park. Fol. 125. *b.*	Ri. Curteys, Maii 20.
56		Nothelmus. Delendum *London.*	
57		Odo. Non *Winton.* ſed *Wilton.* Dunſtanus: Adde *London.*	
58		Reginaldus. Adde *Bathon.*	
59		Joh. Kempe. Dele *Wigorn.*	
62	25	Quapropter Arelatem ad archiepiſcopum *Etherium* ſeſe contulit [a].	
	45	*Virgilio* [b]. Tradiderat etiam literas Virgilio, qui *Etherio* [c] in archiepiſcopatu ſucceſſerat.	*Vigilio.*
63	12	Rogatu Auguſtini [d].	
64	9	In hac ejus ſuperbia, quid aliud niſi propinqua jam eſſe Antichriſti tempora deſignatur? Quia illum videlicet imitatur, qui ſpreta *Angelorum* [e] ſocietate aſcendere conatus eſt culmen ſingularitatis.	In hac ejus ſuperbia, quid aliud niſi propinqua jam eſſe Antichriſti tempora deſignatur? Quia illum videlicet imitatur, qui, ſpreta *Anglorum* ſocietate, aſcendere conatus eſt culmen ſingularitatis.
	40	Namque Adrianus pontifex Lateranenſi indicto concilio, ſive vim ac potentiam Conſtantinopolitanorum Cae-	Namque Adrianus pontifex Lateranenſi indicto concilio, ſive vim ac potentiam Conſtantinopolitanorum Caeſarum,

Annotationes.

[a] Auctor noſter eruditiſſimus minus accurate *Etherium* hic pro Virgilio, ipſius Baedae fretus teſtimonio, ponit: *Etherius* enim *Lugdunenſi*, *Virgilius Arelatenſi*, ſedi praefuit. Cathedram hanc conſcendit Virgilius circa annum 588: Moritur, ſi clariſſimi *Mabillonii* judicium ſequamur, circiter 616: Idem uti ante Auguſtinum huc appulſum, ſic poſt eundem vita decedentem, eccleſiae Arelatenſis primas. Conſule hac de re Gregorium Turonenſem, Auguſtino aequalem, Hiſt. Lib. IX. c. 23. Fratres *Sammarthanos* in *Gallia Chriſtiana:* Acta etiam, edente *Mabillonio*, Benedictina. Eundem de Etherio errorem, quem Baeda noſtras, erravit Aimonius, Lib. III. c. 90. Ubi quaſi in tranſcurſu notandum, *Lingonenſem*, pro *Lugdunenſem*, archiepiſcopum legi. De erroris in Baeda ortu luculenter differit praeclarae illae *Smithianae* editioni ſubjecta annotatio.

[b] *Virgilio.* Ita legit Greg. M. Lib. I. Ep. 45. Lib. V. Ep. 43. Lib. VI. Ep. 53. Lib. IX. Ep. 106, 111, 114. Lib. XI. Ep. 55, 68. Uti etiam Gregorius Turonen. Lib. IX. c. 23. Uterque Virgilio coaetaneus, eique alter patria, alter neceſſitudine, conjunctus. *Virgilium* etiam appellat, unde ipſa haec deſumpta eſt hiſtoria, Baeda noſter. Qui ſacratum Lugduni ab Etherio Auguſtinum exiſtimant, plurimum falluntur: Hoc ex Gregoriana ad ſeptimam Auguſtini interrogationem reſponſione, ubi toties memoratur epiſcopus Arelatenſis, ſatis patet. Alii hic pro *Arelatenſi Ararienſem*, qui vetuſtus praeſulum *Lugdunenſium* ductus ab *Arari* fluvio titulus, ponunt: Quorſum vero, ſpreta appellatione vulgata, altera eſt ex ipſo quaſi antiquitatis penetrali eruenda?

[c] Si legamus *Licerio*, optime omnia convenient: Audiamus Gregorium Turonenſem "ea, quae videbat, ſcribentem:" *Obiit autem* Licerius *Arelatenſis epiſcopus; in cujus eccleſiam* Virgilius, *Abbas Auguſtudunenſis, opitulante Syagrio epiſcopo, ſubſtitutus eſt.* Voces *Etherius* & *Licerius* ſono ac ductu parum diſtant: natumque hinc lapſum plane ſuſpicor.

[d] Ingens hic in primariae editionis exemplaribus diſcrepantia, paginis poſt ſecundas curas recuſis; ut omni huic a p. 63. l. 24. ad p. 68. l. 3. de collapſa Gregorianae aetatis diſciplina Romanique pontificis faſtu, orationi locus concedatur: Quam quidem codices exhibent perpauci; paginis a 4 ad 4^a, 4^b, 4^c, 4^d, tandemque ad 5, turbato aliquantulum ordine, progredientibus.

[e] *Angelorum:* omnino: res ipſa loquitur: Sicque ille, unde haec traducta ſunt, Gregorius M. Lib. V. Ep. 18. —— "deſpectis *Angelorum* legionibus. Denuo Lib. V. Ep. 21. —— "Spretis in ſociali gaudio *Angelorum* legionibus."

EMENDATIONES.

P. L.	Editio 1729.	Editio 1572.
	sarum, quorum majestatem laeserat imperiumque minuerat, formidans, sive praeda, cum Carolus in imperium alienum, ille in ecclesias alienas, rueret, divisa & communicata, se atque omnes occidentales episcopos tutelae commisit Caroli: sanxitque anathemate a proscriptione bonorum, *ni* tam Romanus pontifex, quam caeteri episcopi electionum confirmationes & ecclesiarum investituras a Carolo Magno imperatore suisque successoribus caperent.	sarum, quorum majestatem laeserat imperiumque minuerat, formidans, sive praeda, cum Carolus in imperium alienum, ille in ecclesias alienas, rueret, divisa & communicata, se atque omnes occidentales episcopos tutelae commisit Caroli: sanxitque anathemate a proscriptione bonorum, *ne* tam Romanus pontifex, quam caeteri episcopi electionum confirmationes & ecclesiarum investituras a Carolo Magno imperatore suisque successoribus caperent.
49	Ut illa Romana diplomata, *quae* literas apostolicas atque bullas appellant.	Ut illa Romana diplomata, *quas* literas apostolicas atque bullas appellant.
66 15	*Syria.*	*Siria.*
	Detraxitque.	*Dextraxitque.*
67 30	Conciliorum indicendorum & *appellationum* finiendarum suprema lex.	Conciliorum indicendorum & *appellationem* finiendarum suprema lex.
33	*Cabiloni* [f].	*Cabillone.*
68 10	Petiit Augustinus, ut Britannicam ecclesiam in ceremoniis atque religionis summa suae in Anglia nuper institutae *conformarent* Romanaeque subjicerent.	Petiit Augustinus, ut Britannicam ecclesiam in ceremoniis atque religionis summa suae in Anglia nuper institutae *conformare* Romanaeque subjicerent.
19	Cluiensis. Rectius *Elwiensis*, a praeterlabente fluvio Elwe. Sedes postea Asaphen.	
Ib.	Uniacensis, rectius *Wiccensis.*	
69 15	*Adde, quod & patres ausi taxare Latinos* [g].	
39	Etsi liceat his exterioribus uti, modo animum ab *illo* interiori & integro Dei cultu non abducant.	Etsi liceat his exterioribus uti, modo animum ab *illa* interiori & integro Dei cultu non abducant.
72 24	Hic requiescit *domnus* [h] Augustinus, Doruvernensis archiepiscopus primus: qui olim huc a beato Gregorio Romanae urbis pontifice directus & a Deo operatione miraculorum suffultus, AEdilberctum regem & gentem illius ab idolorum cultu ad Christi fidem perduxit: *Et completis in pace diebus officii sui, defunctus est septimo Kalendas Junias, eodem rege regnante.*	Hic requiescit *divus* Augustinus, Dorovernensis archiepiscopus primus: qui olim huc a beato Gregorio Romanae urbis pontifice directus & a Deo operatione miraculorum suffultus, AEthelbertum regem & gentem illius ab idolorum cultu ad Christi fidem perduxit.
33	Erat Augustinus statura procera & *erecta* [i], ita ut a scapulis populo su-	Erat Augustinus statura procera & *arrecta*, ita ut a scapulis populo supereminet:

ANNOTATIONES.

f " Quintum Tullium Ciceronem & P. Sulpitium *Cabiloni* — in AEduis ad Ararim, collo" cat." Caes. Lib. VIII. cap. 90. aliquando *Cabillonum*, & *Cavillonum*. *Chalons sur Saone.*

g Historiam hujus synodi descripsit in suis ad Gyraldi Cambrensis itinerarium annotationibus vir eruditissimus D. *Powelus* anno 1586. Eisque haec Mantuani carmina ad modum MATTHAEI PARKERI subjecit: luculento hujus de archiepiscopis CANTUARIENSIBUS historiae, non tantum tunc temporis editae, sed doctorum etiam manibus versatae, testimonio.

h Reposui *domnus* ex ipsius Baedae testimonio: Cujus etiam regia in linguam Saxonicam versio legit, Domne Agustinus: *Dominus* Augustinus: Brompton. Rectius ac magis ad ecclesiasticam consuetudinem accedit *domnus:* Nata videtur haec vocis in angustiores terminos constrictio, " ut Domini titulo Deus solus insigniatur, nec divino praenomine superbi" ant homines." *Du Fresne.*

" Coelestem *Dominum*, terrestrem dicito *domnum.*"

i Locum hunc e Cl. *Mabillonii* actis Benedictinis T. 1. p. 531. restituit manu propria eaque notissima ad oram codicis sui, nunc *Sunderlandiani*, qui Cantuariensi sedi, decurrente saecu-

P.	L.	Editio 1729.	Editio 1572.
		peremineret: facies amabilis & reverenda: *frons* mediante coma fuis *columnis* refultabat feneftrata; faepe difcalceatus ibat, & nudis pedibus *provincias* perluftrando *memorabatur* callos plantis attraxiffe.	peremineret: facies amabilis & reverenda, mediante fuis *columbis* refultabat feneftrata, faepius difcalceatus ibat, nudis pedibus perluftrando callos plantis attraxiffe.
	42	Inter caetera, quae ille fcelerate impieque patravit, uxorem patris concupiffe *duxiffeque* [k] dicitur.	Inter caetera, quae ille fcelerate impieque patravit; uxorem patris concupiffe *nupfiffeque* dicitur.
75	42	Laboranti ecclefiae *fubvenirent* [l].	Laboranti ecclefiae *fublevarent*.
76	37	*Bonifacio quinto* [m].	*Honorio primo.*
	4	*Jufto* [n].	*Mellito.*
77	16	634, lege 624.	
78	42	*Tuda* [o] epifcopus Northumbrorum.	*Juba* epifcopus Northumbrorum.
	44	Nam, cum tempore *Finani* [p] & Colmanni epifcoporum.	Nam, cum tempore *Sinani*, & Colmanni epifcoporum.
79	38	*Primo* Aprilis. Alii malunt 7 Kal. Apr.	
80	7	Theodorum a fede apoftolica miffum Baeda narrat, *primum* [q] omnium antiftitum Cantuariae vigorem pontificalem in tota Britannia exercuiffe.	Theodorum a fede apoftolica miffum Baeda narrat, omnium antiftitum Cantuariae vigorem pontificalem in tota Britannia exercuiffe.
	39	*Expuliffe.* Ita ipfe, unde haec traducta funt, Malmefburienfis.	*Repuliffe.*
81	6	Itaque quamvis hinc judicio concilii Romani videmus, quod Wilfridus *indemnis* judicatus & ad fedem fuam remiffus fuerit. Ita Malmefb.	Itaque quamvis hinc judicio concilii Romani videmus, quod Wilfridus judicatus & ad fedem fuam remiffus fuerit. Ita Malmefb.
	9	Idem etiam alibi Theodorum *ob* hanc in Wilfridum injuriam, ut dignus eft, acerbe verbis exagitat.	Idem etiam alibi Theodorum hanc in Wilfridum injuriam, ut dignus eft, acerbe verbis exagitat.
	37	Quinque illa *facrata* & univerfalia concilia. *Sacra*, vel ut magis auctori accedatur, *facrata*.	Quinque illa *facramenta* & univerfalia concilia.
82	19	Viginti & *duos.* Ab Apr. 668. ad Sept. 690.	Viginti & *unum.*
86	26	Marg. Beda, Lib. 5.	Beda, Lib. 1.
	28	Vifae: lege *vifi.*	
	29	*Proximo:* fic tefte *Baeda.*	*Hoc.*

Nothelmus

Annotationes.

culo fuperiore, praefuerat, antiftes eruditiffimus *Gulielmus Sancroft.* Hanc etiam lectionem altera ab eodem Gotfcelino petita confirmat. —— " frons, quam *media coma*, pro *columna*, " formofe *feneftrabat.*" Duriori plane metaphora: fed qualem clauftralis eloquentia mirum in modum iftis temporibus quaerebat. " Media oculorum cornea feneftravit pupilla " eleganter Plinius, Lib. XI. c. 37.

[k] *Nubo* de marito, nifi plane foemineo ac uxori ferviente, nufquam dicitur. " *Uxori nubere* nolo meae." Mart.

[l] Rawlinfon. N° 2. MS.

[m] Tabula emendatoria quibufdam editionis 1572. codicibus appofita, non hic *Bonifacio quinto*, fed *Honorio primo*, legendum jubet: quod traditioni hiftoricae parum convenit: Extat enim de miffo ad Juftum pallio ipfa *Bonifacii quinti* epiftola: Baed. Hift. Eccl. Lib. II. c. 8. " Dilectiffimo fratri Jufto *Bonifacius.*" Jufti archiepifcopatum rectius ab anno 624 ad 627 deducas.

[n] De *Jufto* hic, non de *Mellito*, agitur.

[o] Sic ipfe hoc in loco laudatus Baeda: fic regius ejufdem interpres.

[p] Emendatum tefte utroque Baeda, tam Saxonico, quam Latino.

[q] Repofui, *primum*, e Malmefburienfi: Extat etiam in ipfo, unde locus hic defumitur, Baeda: " Ifque *primus* erat in archiepifcopis; cui omnis ecclefia Anglorum manus dare confentiret:" Lib. IV. c. 3. Idem confirmant, quae mox de eodem Theodoro fubjiciuntur, p. 82. l. 14. " primufque fuit, qui pontificalem in Anglia vigorem exercuit." Denique, *primum*, periodi fenfus omnino poftulat.

EMENDATIONES.

P.	L.	Editio 1729.	Editio 1572
87	40	Nothelmus Londini natus, & ibidem episcopus [o].	
88	44	Totta, Hunita ac Podda, Merciorum episcopi [oa].	
	45	Humfredus & Herwaldus occidentalium Saxonum praesules [ob].	
	46	Alwius Lindissae provinciae: seu Alwigus Leganceftrensis.	
89		*Foedissimum.* Ita MS. Aul. Trin. Cant. & H. Spelman.	*Foetidissimum.*
90	39	Etsi Romana faex, christianae religionis unica pestis, quae se aliis morum magistram vivendique solam praeceptricem fallacissime *venditat.*	Etsi Romana faex, christianae religionis unica pestis, quae se aliis morum magistram vivendique solam praeceptricem fallacissime *vendicat.*
92	21	Non tamen illius obitus publice cognitus erat, *priusquam* in ecclesia Johannis juxta praecursorem suum sepultus fuerat.	Non tamen illius obitus publice cognitus erat, *quam* in ecclesia Johannis juxta praecursorem suum sepultus fuerat.
93	22	A *Paulo* papa, ejus nominis primo.	A *Paulino* papa, ejus nominis primo.
	34	*Sidnacestrensis.*	*Sinacestrensis.*
	35	*Helmhamensis.*	*Helinhamensis.*
	37	*Scireburnensis.*	*Sireburnensis.*
94	30	*Ac:* Interponitur manu MATTHAEI CANTUAR. Rawlinson. N° 2.	
	36	*Eanbaldo.*	*Eaubaldo.*
	39	*Nostri: vestri* MS. Malmesb. Coll. Trin. Cant.	
	47	Votique. Minus accurate Cl. Spelmannus — *utique.*	
95	7	Speranti ex vestrae colloquio sanctitatis, unitatem sanctae ecclesiae iterum renovari; quae partim *discissa* est. Malmesb.	Speranti ex vestrae colloquio sanctitatis, unitatem sanctae ecclesiae iterum renovari; quae partim *discussa* est.
96	36	Et Merciorum praesulem pallio *extulit:* forte *exuit.*	
	50	Et quicquid de rebus, quae in ea *scriptae* sunt.	Et quicquid de rebus, quae in ea *scripta* sunt.
97	9	Manculas: alii *Mancusas.*	
	22	In *nobis.* Rectius in *omnibus.* MS. Malmesb. Coll. Tr. Cant.	
	39	Committere. MS. supra *emittere.*	
	47	*Pro ipsa spe de* dicto. MS. supra — *ipso saepe* dicto.	
98	14	De Athelardo vero jam facto [p] archiepiscopo.	
99	19	*Iidem* enim pagani —— monasterium Doni amnis praedarunt.	*Idem.*
100	11	Locus *omnis* in Britannia [pp].	

ANNOTATIONES.

[o] Erat Nothelmus ecclesiae Londinensis *presbyter*, non *episcopus.* Proclivis hic auctoris nostri lapsus celeberrimo commentarii de praesulibus Anglicanis scriptori quasi mirificam quandam attulisse laetitiam videtur: Animi hoc nec amici sane nec aequi. De viro caeteris in rebus summa laude evehendo ut libere loquar: PARKERI elegantias dum describit paginatim, tacet: errorem si offenderit levissimum, clamat.

[oa] Totta, *Dorcacestrensis:* Hunita: Witta: Wicta, *Lichefeldensis:* Podda, *Herefordensis.*

[ob] Humfredus, *Wintoniensis:* Herewaldus, *Scireburnensis.*

[p] Sedem apostolicam ingreditur Leo 795, regnum Kenulphus 797. Proinde scriptam fuisse hanc epistolam quatuor saltem annis post admotum cathedrae Cantuariensi Athelardum: adeoque non, *jam facto*, sed, *jam fato*, legendum & historiae & temporis ratio docet: Habet etiam Malmesb. MS. Coll. Trin. Cant. *jam fato.* V. supra p. 97. l. 18.

[pp] Locus *cunctis* in Britannia *venerabilior;* Editio *Quercetana.*

EMENDATIONES.

P. L.		Editio 1729.	Editio 1572.
	15	Quid significat *pluvia* [q] sanguinis — quam in ecclesia beati Petri Apostoli vidimus, de borealibus domus, sereno aere, de summo tecto minaciter cadere?	Quid significat *pluma* sanguinis — quam in ecclesia beati Petri Apostoli vidimus, de borealibus domus, sereno aere, de summo tecto minaciter cadere?
	24	Aetate *perfecti*: *perfecta*. Edit. *Quercetan.*	
	33	Principum avaritiam & rapinam inexplebilem, *judicum* [r] insignem corruptelam	Principum avaritiam & rapinam inexplebilem, *judicium* insignem corruptelam.
102	30	Ahoseberto. Alii *Heskeberto.*	
	23	*Streoneshath*: *Strenaeshalch*, Baeda.	
	31	*Cleuto.* Alii *Cleve.*	
104	9	Cyathredus: Rectius *Swithredus.*	
	25	*Herefrido*: seu *Hereferthо.*	
109	50	*Ludicani.* Ita scriptores veteres universi.	*Bedecani.*
110	9	Quadraginta & *quatuor* [s] papas.	*Quadraginta* papas.
	48	Quo *meritis.* MS. Coll. Trin. Cant. *meruit.*	
111	31	Plegemundusham: Hodie *Plemstow.*	
114	24	Adhaec lanceam Caroli Magni obtulit; *quam* —— si in postem vibraret.	Adhaec lanceam Caroli Magni obtulit; *quem* —— si in postem vibraret.
115	26	Sacratus enim *cum esset* Sciréburnensis episcopus, Athelstani regis munificentia, accidit regem contra *Anlafum* instructo exercitu expeditionem suscepisse, cujus lateri adhibitus est: Omnino *Anlafum*, seu *Analafum.*	Sacratus enim Scireburnensis episcopus, Athelstani regis munificentia, accidit regem contra *Aulafum* instructo exercitu expeditionem suscepisse, cujus lateri adhibitus est.
	40	*Possum* [t].	*Potest.*
116	5	Eadredus [u].	
	34	Ille enim duo coenobia, Middletonense & *Micelnense* [w] a fundamentis extruxit.	Ille enim duo coenobia, Middletonense & *Micheleiense* a fundamentis extruxit.
118	4	*Spirituali* charitatis vigore. Rectius *speciali*: quod supra monui, ad *p.* 31. *l.* 19. Annotat.	
	16	Ideo humiliter quasi *indignus*, sed *indignus* precor. Sed *devotus*: Malmesb.	
	30	Citare: Malmesb. *caraxare* [x].	
122	39	*Alfgivam*: Omnes.	*Alfginam.*
123	4	Dunstanus in *Flandriam* [y] profugit, & in *Gandavensi*, seu *Blandinensi*, coenobio uno anno exulat.	Dunstanus in *Galliam* profugit, & in *Glandavensi*, seu *Blandivensi* coenobio uno anno exulat.

Scribunt

Annotationes.

[q] Ita ex editione Alcuini *Quercetana* emendavi.

[r] Ita Edit. *Quercetan.* Hoc ipsae volunt, jubent, leges grammaticae.

[s] Ita plane: si Romanos pontifices a *Gregorio* M. ad *Adrianum* II. qui eodem quo Ceolnothus, 872, extinctus est anno, annumeres.

[t] Teste Eadmero emendatum.

[u] Rectius *Eadmundus*: *Athelstanum Eadmundus* frater, anno 940, *Eadmundum Eadredus*, excepit.

[w] *Micelnense* in comitatu Somerset. Coenobium *Micheleiense* nusquam occurrit.

[x] Ita *Malmesb.* Modo altera illa Odoni ascripta, quae in Angliae Sacrae Tom. II. extat, epistola ab Odone sit profecta; propius certe, *caraxare*, ad stylum illum claustrali eloquentia tumultuantem quasi subsilientemque accedit. —— "Orthodoxae fidei famulitio ancillatis —— Odo Dorobernicarum opilio ovillarum—— in concessu inexhaustae beatitudinis tripudium."

[y] Inter Gallica coenobia nec *Glandavense* occurrit usquam, nec *Blandivense*: Verum non in *Galliam*, sed in *Flandriam*, profugit Dunstanus: ac in coenobio juxta *Gandavum* sito

EMENDATIONES.

P.	L.	Editio 1729.	Editio 1572.
	7	Scribunt monachi auditam de cryptis monaſteriorum vocem plaudentis diaboli gracilem & canoram, quaſi *mulierculae* immoderate ridentis & cachinnantis.	Scribunt monachi auditam de cryptis monaſteriorum vocem plaudentis diaboli gracilem & canoram, quaſi *mulierculam* immoderate ridentis & cachinnantis.
	22	Sed Dunſtanum laudandi potius quam veritatis *declarandae* ſtudio provecti.	Sed Dunſtanum laudandi potius quam veritatis *declarandi* ſtudio provecti.
	45	Conſtat Elſinum—Dunſtanum tam in *Wintonienſi*[z], quam Cantuarienſi praeſulatu antevertiſſe.	
124	3	Cujus exemplo poſtea *Leofwinus* tempore regis Edgari *Lindisfarorum*, qui nunc dicitur Lincoln. & Leogeceſtrenſium *duos* epiſcopatus copulavit.	Cujus exemplo poſtea *Letinus* tempore regis Edgari *Lindiſſarorum*, qui nunc dicitur Lincoln. & Leogeceſtrenſium *duorum* epiſcopatus copulavit.
	36	Johannes papa —— *d* nominis *decimus tertius.* Rectius *duodecimus.*	
125	5	*Athelmo* Cantuarienſi archiepiſcopo.	*Adelino* Cantuarienſi archiepiſcopo.
126	33	*Burgenſe: Thorneienſe.*	*Burchenſe: Thorinenſe.*
127	14	*Qui:* alii *quia.*	
	39	Sic patrimonia regum, eleemoſynae *pauperum:* alii *principum.*	
128	2	Ubi ſpiritus Petri, cujus virtute *perimitur* avaritia, haereſis Simoniaca condemnatur: *Punitur* alii.	
	15	Proavus meus *Ethelwlphus*[a].	Proavus meus *Edwardus ſenior.*
	38	*Ecce,* pater, eleemoſynarum mearum fructus, & tuae *permiſſionis*[b] effectus.	
129	20	*Alfrida* regina[c].	*Alfgina* regina.
	26	Orientalis *Angliae* dux.	Orientalis *Anglae* dux.
	48	Kirkling: *Kirtling: Catlage* com. Cant.	
130	2	*Alferum*[d].	*Aldfrithum.*
132	24	*Ille* ſummus ad coelum erectus reliquoſque tegens cucullus.	*Illa* ſummus ad coelum erectus reliquoſque tegens cucullus.
	27	Certum eſt, illam monachorum ſcaturiginem pinguedine ſoli ſaturatam regni opes & vires *adeo* exhauſiſſe, ut poſt Ethelwaldi mortem, neceſſe *fuerit*, reipublicae theſauros a monachis ad militarem opem traducere.	Certum eſt, illam monachorum ſcaturiginem pinguedine ſoli ſaturatam regni opes & vires exhauſiſſe, ut poſt Ethelwaldi mortem, neceſſe *fuit*, reipublicae theſauros a monachis ad militarem opem traducere.
	43	*Aldhelmi.*	*Aldelini.*

Avidi-

Annotationes.

exul delituit: Audiamus ipſum in vita Dunſtani Oſbernum: "Dunſtanus——marinis ſe "fluctibus tradit, contrarium littus in gente *Flandritarum* attingens: Ubi——manebat in "monaſterio B. Petri, quod ſitum eſt *Gandavi.*" Sed majorem *Oſberno*, & Dunſtani temporibus aequalem prope, teſtem proferamus, *Adalardum* hujus Blandinenſis coenobii monachum: "Dunſtanus autem, inquit, exilio pro juſtitia aſcriptus mare tranſiit: regiae ſtir- "pis magnum virum videlicet adiens Arnulfum: Hic tempore eodem nobile quoddam "coenobium, nomine *Blandinium* —— renovavit: Quo B. Dunſtanus aliquamdiu mora- "tus ——" Exacto anno, relicta Flandria, *Galliam* inviſit: natumque hinc errorem ſuſpicor.

[z] *Wigornienſi*, non *Wyntonienſi*, ſedi praefuit *Dunſtanus: Elſſinum* habuit in *Cantuarienſi* tantum cathedra anteceſſorem: Delendum itaque ſuaderem —— *tam in Wintonienſi, quam:* ſi hiſtoriae ſatisfactum velis.

[a] Emendatum manu Matthaei Cantuar. Rawlinſon. N°. 2. Edgarus rex *patrem* habuit Edmundum, *avum* Edwardum primum, *proavum* Alfredum, *abavum* Ethelwlfum.

[b] Tuae *promiſſionis:* Alured: Rievallen.

[c] *Alfrida* Regina: *Alfridam* ſeu *Elfridam* Edgari fuiſſe uxorem, Ethelredi matrem, uno ore univerſa tradit hiſtoria: *Brompt. Dunelm. Dicet. Malmesb. Knighton.*

[d] *Alferum*, non *Aldfrithum*, fuiſſe Merciorum comitem res teſtatiſſima: Appoſita chartae antiquae Cl. Hickeſii diſſertatione epiſtolari, tam *Alferi*, quam *Alfridae*, extant nomina.

4

EMENDATIONES.

P.	*L.*	EDITIO 1729.	EDITIO 1572.
	48	Avidiorem. Malmesb. *audaciorem.*	
133	14	Kalend. Julii [e].	
	46	Proditionem *nempe* atque falsum *testimonium* [f] in ipsos dominos atque heros.	Proditionem atque falsum in ipsos dominos atque heros.
134	6	*Obtinere.* Thesaur. Septent.	
135	27	Wintoniensem: Rectius *Wiltoniensem.*	
137	35	Quatenus proveniente pro labore schola dominici multiplicetur servitii [g].	
139	22	*Sex.*	*Quatuor.*
140	19	*Siricius* [h].	*Elphegus.*
Ibid.		Marg. *Siricii.*	*Elphegi.*
141	35	Ad extremum exposita de immodico papali in palliis tribuendis lucro *narratione*, etiam impetravit, ut id deinceps concederetur gratis.	Ad extremum exposita de immodico papali in palliis tribuendis lucro, etiam impetravit, ut id deinceps concederetur gratis.
	47	Interim: *In tantum.* Malmesb. Florent. Wigorn. alii. Rectius; lapsu in describendis antiquis membranis proclivi.	
143	21	Quo quidem verbo non aliud *indicari* voluit: inversa litera.	Quo quidem verbo non aliud *judicari* voluit.
	29	Canuti memor [i].	
	32	Diem clausit extremum [k].	
145	21	*Consiliarius.* Rawlinson. MS. N° 2.	*Nuncius.*
	28	*Juramenti.* Rawlinson. MS. N° 2.	*Jusjurandi.*
	46	*Opera & consilio.* Rawlinson. MS. N° 2.	*Procuratione.*
146	12	In tanta enim paupertate, quae ridiculam effecisset, & vulgi opprobrio molestam & *invisam* vitam producere non posse.	In tanta enim paupertate, quae ridiculam effecisset, & vulgi opprobrio molestam & *invitam* vitam producere non posse.

Regemque

ANNOTATIONES.

[e] Rawlinson. N° 2. manu reverendissimi MATTHAEI CANTUAR. *Junii:* Ita etiam Flor. Wigorn.

[f] Interposui, *testimonium*, auctore Cl. Hickesio: qui hanc *Lupi* episcopi orationem in *Thesauro* suo *Septentrionali* accurate edidit.

[g] Fortasse, *praeveniente vestro* labore: Qui compendio student, pro *vestro*, omnes, *vro*, scribunt: Inde ad, *pro*, lapsus proclivis.

[h] Quae hic in Lamethana 1572. editione de *Elphego* dicta sunt, in *Siricium* omnino conveniunt, eique plane transferenda: Audiamus auctorem nostrum in *Siricio* differentem: "Posthaec *Siricius* pacem christianis ab infidelibus Dacis decem librarum millibus redemit, ad ignominiam sane peneque perniciem totius regni." Hunc in Siricio locum respicit plane ac disertis verbis hic in *Livingo* auctor reverendissimus: "Quos hoc adventu dum *Elphegus* pecunia avertere vellet, eos quidem locupletavit; sed sibi atque patriae incaute & imprudenter, *ut diximus*, prospexit:" In *Elphego* nihil hujusmodi occurrit: Longe hoc ab *Elphego* alienissimum; qui ideo a Dacis fuerat interfectus, quod redemptam, interveniente pecunia, vitam noluerit. Hinc postea Lanfrancus in celebri illo de Elphego ad Anselmum colloquio dubitationem injecit, essetne Elphegus martyrum catalogo inscribendus; "eo quod occisus fuerit, non pro confessione nominis Christi, sed quia pecunia se redimere non voluit:" Uti Eadmerus in vita Anselmi: Idem tradit Joh. Sarisburiensis in vita Anselmi: Angl. Sacr. T. p. 162. Consule Anselmi opera: Edit. *Gerberon.* p. 10. col. 2. Lege itaque, scriptorum omnium veterum fide, *Siricius*, non, *Elphegus.*

[i] Rawlinson. N° 3. Canuti *jussu:* Verum deleto, *jussu*, margini apponitur manu MATTHAEI CANTUAR: *memor.*

[k] Ipse Agelnothus —— *obiit*, *Canuto adhuc regnante:* Rawlinson. N° 3. quae hunc in modum eruditissimi auctoris manu emendantur —— *diem clausit extremum:* abraso, quod historiae minus consentaneum, *Canuto adhuc regnante.* Ad has emendationes reliqui codices, pagina iterum praelo supposita, exiguntur. En disertum MATTHAEI CANTUAR. characterem! En auctoris reverendissimi & manum & judicium! Quod de Agelnotho Hardecanutum sacrante memoratur, id etiam calamo indigebat censorio: Moritur enim Agelnothus 1038. imperium auspicatur Hardecanutus 1040. Male haec conveniunt.

EMENDATIONES.

P.	L.	Editio 1729.	Editio 1572.
	41	Et a ſaeculis *omnibus* inaudito, & ſe & amaſium pariter ſuum culpa vacare probet. Rawlinſ. N° 2.	Et a ſaeculis inaudito, *quo* & ſe & amaſium pariter ſuum culpa vacare probet.
	47	Ac ne vos de genere *purgationis*[k] diutius ſuſpenſos teneam, ſic ſtatuo: Haec infamis foemina novem ignitos vomeres nudis pedibus ſuperingrediatur & tranſeat—— Quae etſi durior cenſura videatur, mihi tamen mitius & indulgentius ſecum actum videtur; quod, quae capite plecti debuit, pedibus tantum *probatur*. Itaque ſeveriſſimum hoc archiepiſcopi decretum a rege & epiſcopis, etſi invitis, *ſuſcipitur*.	Ac ne vos de genere *probationis* diutius ſuſpenſos teneam, ſic ſtatuo: Haec infamis foemina novem ignitos vomeres nudis pedibus ſuperingrediatur & tranſeat—— Quae etſi durior cenſura videatur, mihi tamen mitius & indulgentius ſecum actum videtur; quod, quae capite plecti debuit, pedibus tantum *probatur*. Itaque ſeveriſſimum hoc archiepiſcopi decretum a rege & epiſcopis, etſi invitis, *probatur*.
148	3	Maximus fletus pene ad coelos *ſublatus* eſt[l].	Maximus fletus pene ad coelos *elatus* eſt.
	29	Niſi hoc meum facinus, poena aliqua de me ſumpta, *expietur*, tuaque materna indulgentia remittatur.	Niſi hoc meum facinus, poena aliqua de me ſumpta, *expiatur*, tuaque materna indulgentia remittatur.
	41	*Interjecto*[m].	*Medio*.
150	10	*Incantationibus*[n]: ——Repetebant: forte rectius ——*Reputabant*.	*Decantatis*.
	36	Qui preſbyterum occidit, duodecim annos *excommunicatio ei* ſecundum canones imponatur.	Qui preſbyterum occidit, duodecim annos *excommunicationi* ſecundum canones imponatur.
151	22	*Abſolvere:* Ita W. *Coventren*. unde haec deſumpta.	*Mundare*.
	38	Qui totum hoc de ordaleo inſtituit in magna ſynodo apud Geatleiam ex prudenti Wlfhelmi archiepiſcopi aliorumque epiſcoporum conſilio: Et rurſus in Gratanleiano concilio, cui Wlſtanus archiepiſcopus interfuit, idem confirmavit[o].	
153	1	Si cujus apud centuriatos labefactata ſit fides——ut eam tres ſimul viri criminentur, *alia*, *quam*[p] ex triplici ordaleo, excuſatio nulla eſt excipienda.	Si cujus apud centuriatos labefactata ſit fides——ut eam tres ſimul viri criminentur, *aliaque* ex triplici ordaleo excuſatio nulla eſt excipienda.
	28	Similis——*ſimiliter:* Lambardus: alii.	
154	3	Sic ſaepe contingit, ut in monaſteriis furta perpetrentur.	Sic ſaepe contingit, ut in monaſteriis *monachorum* furta perpetrentur.
155	14	Deo Patri & Filio & *Spiritui* Sancto.	Deo Patri & Filio & *Spiritu* Sancto.
156	15—19	Adjuro te——*ut* nullo modo ſuſcipias hunc hominem, ſi in aliquo	Adjuro te——*aut* nullo modo ſuſcipias hunc hominem, ſi in aliquo eſt

Annotationes.

[k] Manu MATTHAEI CANTUAR. emendata haec: ut toties hic repetitae——*probationis*——*probatur*——faſtidium amoveat.

[l] Rawlinſon. N° 2. emendante MATTHAEO CANTUAR.

[m] Codex idem: eodem MATTHAEO emendatore.

[n] Sic legendum jubet cod. qui ſupra: accurante MATTHAEO CANTUAR.

[o] Deſiderantur haec in impreſſo codice Rawlinſon. N° 3. Verum ipſiſſima MATTHAEI CANTUAR. manu, margini apponuntur: Hinc in reliquos, anni 1572, codices, pagina typis iterum ſubjecta, tranſierunt: Luculento ſane indicio, quantum & ſtudii & operae in inſtruenda illuſtrandaque hac hiſtoria poſuit antiſtes noſter eruditiſſimus.

[p] Ita Lambard. Ita ipſe Textus Roffen.

P. L.	Editio 1729.	Editio 1572.
	eſt culpabilis de hoc, quod ei objicitur, *ſcilicet aut* [q] per opera, aut per conſenſum, aut per conſcientiam, aut per ullum ingenium.	eſt culpabilis de hoc, quod ei objicitur, *ſi licet autem* per opera, aut per conſenſum, aut per conſcientiam, aut per ullum ingenium.
39	Qui regnas in coelis & in terris & immobilis [r] es in omnibus operibus tuis.	
48	Sed & ſpiritus diabolicus, cui nulla communicatio cum tua *ſuperna* [s] veritate —— nil praevaleat; ſed qui reus & conſcius eſt rei *praefatae* [t], ad hoc *pabulum* ſanctificati panis —— tremat, & tremendo palleat, & *mutabundus* [u] in omnibus membris appareat.	Sed & ſpiritus diabolicus, cui nulla communicatio cum tua *ſupra* veritate —— nil praevaleat; ſed qui reus & conſcius eſt rei *praefractae*, ad hoc *parabolum* ſanctificati panis —— tremat, & tremendo palleat, & *mutabundus* in omnibus membris appareat.
157 4	Innoxius vero —— hanc partem panis vel caſei in nomine [x] *tuo*, ſignatam manducando diglutiat.	Innoxius vero —— hanc partem panis vel caſei in nomine ſignatam manducando diglutiat.
28	*Moguntino.*	*Maguntino.*
37	Sed utrum illa euchariſtici panis atque caſei purgatio ſimiliter *tollatur.* —— *eam.*	Sed utrum illa euchariſtici panis atque caſei purgatio ſimiliter *tollantur.* —— *eas.*
158 15	*Incenſum.*	*Incenſus.*
159 33	*Tremiſcant.*	*Tremeſcant.*
36	*Panem*, ad ſimilitudinem quinque panum Chriſti benedictione *multiplicatorum*, guſtantibus imprecatus fuit, ut reciperent ſalutem tam animae, quam corporis.	*Panis*, ad ſimilitudinem quinque panum Chriſti benedictione *multiplicatum*, guſtantibus imprecatus fuit, ut reciperent ſalutem tam animae, quam corporis.
160 7	Cui enim dubium eſt hujuſmodi exorciſmis papales ritus & ceremonias abundare, qui ab his, quos in ordinatione ordalei vulgariſque purgationis *antiquitas* ſecuta eſt, quam ſero damnabant, aut nihil differunt, aut pluribus magiſque ſtupendis praeſtigiis referti ſunt?	Cui enim dubium eſt hujuſmodi exorciſmis papales ritus & ceremonias abundare, qui ab his, quos in ordinatione ordalei vulgariſque purgationis *antiquitus* ſecuta eſt, quam ſero damnabant, aut nihil differunt, aut pluribus magiſque ſtupendis praeſtigiis referti ſunt?
162 4	Cui Gulielmus Normanniae dux, qui, tam ex promiſſo Edwardi —— quam juramento Haraldi —— regnum Angliae *vendicavit* —— bellum indixit; & *accitum* [y] Normannorum militem copioſa claſſe tranſvexit in Angliam.	Cui Gulielmus Normanniae dux, qui, tam ex promiſſo Edwardi —— quam juramento Haraldi —— regnum Angliae *vindicavit* —— bellum indixit; & *armatum* Normannorum militem copioſa claſſe tranſvexit in Angliam.
163 8	Dux cum exercitu *ſtupefactus* eſt, utpote qui ſuperiore elatus victoria—	Dux cum exercitu *ſtupefacti* eſt; utpote qui ſuperiore elatus victoria—
9	*Nunc* hoc ſubito: Rawlinſ. N° 2. MS.	Hoc ſubito.
26	Nam quanquam caeteri ſervire Angli *ſervitutem* [z] poſſunt.	Nam quanquam caeteri ſervire Angli poſſunt.

Primo,

ANNOTATIONES.

[q] Emendatum e veteri ordalei officio. Brown. Faſcic. T. 2. jubente hoc & ipſo periodi ſenſu.

[r] Rectius fortaſſe —— *mirabilis:* conſentiente Textu Roffenſi: Neque vero voces hae, compendiario ſcribendi modo, multum diſtant.

[s] Fide Text. Roffen. emendavi.

[t] Text. Roff.

[u] Text. Roff.

[x] *Tuo* —— interponitur fide Text. Roff.

[y] Rawlinſon. N° 2. MS. ſummo judicio.

[z] Codex, qui ſupra: Elegantius.

EMENDATIONES.

P.	L.	Editio 1729.	Editio 1572.
164	34	*Egelwino Dunelmenſi* [a].	*Alexandro Lincolnienſi.*
	38	Primo, quod archiepiſcopatum Cantuarienſem ſimul cum epiſcopatu Wintonienſi tenuiſſet; non *novo* ſane aut *inuſitato* in Anglia tunc *exemplo.*	Primo, quod archiepiſcopatum Cantuarienſem ſimul cum epiſcopatu Wintonienſi tenuiſſet; non *novi* ſane aut *inuſitati* in Anglia tunc *exempli.*
165	29	*Wintoniae ſepultus eſt* [b].	
167	19	Spoliatus & *in denſum* [c] conjectus eſt.	
	38	*Dorcaceſtrenſis.*	*Dorcenſis.*
	39	*Stigandus* Seleſeienſis.	*Stigerardus* Seleſeienſis.
	44	In choro lineis induti: forte *linteis.*	
168	26	*Mihi*—— repromitto [d].	*Inibi.*
170	6	Ego Gulielmus Londinenſis epiſcopus conſenſi [e].	
	17	Ego Geofridus *Conſtantienſis* [f] epiſcopus.	Ego Geofridus *Conſtantinenſis* epiſcopus.
		Et unus de primatibus [g] Anglorum.	
	20	*Whwoldus* [h].	*Wlmiddus.*
	22	*Elwinus* [i].	*Fluvius.*
	ibid.	*Eveſani* [i].	*Heveſandi.*

Extra

Annotationes.

[a] Error ab unico Matthaeo Pariſienſi traductus: qui ad annum 1070 haec habet: "Sub "hac tempeſtate Stigandus Cantuarienſis archiepiſcopus & *Alexander Lincolnienſis*, facto ad "Scotos diffugio, moram ad tempus fecerunt ibidem." Reclamante omni omnino hiſtoria: Nondum enim adhuc nata eſt eccleſia *Lincolnienſis*; neque vero inter epiſcopos *Lincolnienſes* legitur *Alexander* ante annum 1123, medio poſt hanc Stigandi fugam ſaeculo. Satis itaque conſtat male hic *Alexandrum Lincolnienſem*, tam hominis quam tituli lapſu, poni. Quo abraſo aliquid ſane profecimus: immanem nos errorem antiqua ſede ſua domicilioque deturbavimus: Sed progrediendum; aliuſque jam, qui reponatur, quaerendus——Legimus in Simeone Dunelmenſi ſub anno 1071, in "Geſtis Anglorum" —— "Morcarus vero & Herewardus cum multis aliis *Heli* inſulam navigio petierunt: *Agelwinus* quoque *Dunelmenſis* & Sywardus cognomento Barn *de Scotia* navigantes illo adfuerunt." Iterum, in "hiſtoria eccleſiae Dunelmenſis" idem Simeon: "*Egelwinus* cum jam cupito itinere verſus "Coloniam navigaret, vento repulſus in *Scotiam* ibidem hyemavit: Inde proficiſcens a"pud *Elig* ab hominibus regis capitur." Verum Simeone majorem hac in re teſtem adhibeamus, ſub hoc ipſo, de quo ſermonem hic inſtituit auctor noſter, anno Turgotum: "Anno 1070 cum Wilhelmus Anglos graviſſima ſervitute premeret, & praeſules ejuſdem "gentis injuſte exauthoraret; *Egelwinus Dunelmenſis* —— id ferendum non putans exu"lare decrevit: Conſcenſa itaque navi —— Coloniam iter intendit: ventis contrariis re"pulſus apud *Scotiam* hiemavit." Eadem tradunt alii: *Dicet. Brompt. Hoveden. Matth. Weſtm.* Habemus hic epiſcopum eodem, quo Stigandus, in Gulielmum Normannum animo, exulem, profugum, nunc in *Scotia*, nunc *Elienſi* inſula, latitantem, pares denique cum Stigando fortunae vices ſubeuntem: Hunc pro *Alexandro Lincolnienſi* repoſui: Quam noſtram hanc lectionem tuetur hiſtoriae omnis, dempto uno Pariſienſi, & vox & fides munitque.

[b] Adduntur e Rawlinſon. N° 3. manu Matthaei Cantuar.

[c] In *dumetum* alii: In *condenſa* ſaltus *fruteta*: Dacher.

[d] Dacher. *Eſſe promitto.* Dacher. Rectius.

[e] *Cum multis aliis epiſcopis & abbatibus, ut in archivis patet:* Appoſito Gulielmi Londinenſis nomini haec ſubjiciunt codices emendatiores, clauſa hic teſtium ſerie. Denuo ſcilicet excuſa hac pagina, reliqua ſubſcripta nomina detrahuntur, inſigni, quae mox ſequitur, de *epiſcopo S. Martini* hiſtoriolae locum ceſſura. Hinc totidem huic conſtitutioni teſtes abraſos videmus, quot interjectae, ſecundis curis, clauſulae ingreſſum permitterent. Nos vero, cum ſummam hiſtoriae lucem antiquioribus chartis ſubjecta teſtium nomina afferant titulique, noluimus haec in fraudem literati orbis, editione hac noſtra, deſiderari: Auctoriſque noſtri ingenium ſi ſpectemus; ampliſſimum hoc ac cathedrae ſuae honorificum diploma non mancum is, non inchoatum, ſed integrum plane omnibuſque numeris abſolutum, niſi paginarum terminis formaque fuerit conſtrictus, exhiberet.

[f] Sic hiſtorici accuratiores: Sic charta, quam vidi, ſynodica, quae ad 1075, tertium abhinc annum, aetate aſſurgit: Hodie—*Coutance*—in Normannia.

[g] Senſu ſaeculari, non eccleſiaſtico: In pervetuſta membrana legi—— "Nomina archie"piſcoporum & epiſcoporum—— nobilium & *primatum*——abbatum."

[h] Ita, quae ſupra memoratur, membrana: Spelmannus etiam recentioreſque univerſi.

[i] Immani deſcriptoris vitio *Elwini* nomen ad *Fluvium* traducitur, ne veſtigio quidem primarii nominis relicto: Verum chartarum veterumque monumentorum fide revocavi. *Eveſamum* etiam hic eadem in incuria *Heveſandum* tranſiit. Habeo jam prae manibus ſynodalis conſtitutionis a Lanfranco, 1075, quatuordecim epiſcopis multiſque abbatibus ſancitae exemplar membranaceum; inter caetera ibi—— "Ego *Elwinus* abbas de *Eveſam* conſenſi." Exemplar hoc ipſam celebrati concilii aetatem attingere luculenta monent indicia.

EMENDATIONES.

P.	L.	Editio 1729.	Editio 1572.
171	6	Extra civitatem Cantuariae [k]——	
	11	Solennitates in eccleſia *metropolitica* ——	Solennitates in eccleſia *metropoli.*
	21	Wulſtanum tamen, *virum* integerrimum, nec ſibi, aut cuiquam pietate ſecundum, ab epiſcopatu Wigornienſi extrudere nitebatur [l].	Wulſtanum tamen, *vix* integerrimum, nec ſibi, aut cuiquam pietate ſecundum, ab epiſcopatu Wigornienſi extrudere nitebatur.
	35	Hugo *Lexovienſis* [m].	*Luxovienſis.*
172	3	Quorum alterum leproſis [mm]. ad l. 7.	
	22	Muro cinctum *lateritio nuper per Joannem Fiſcherum* [n] extruxit.	Muro cinctum extruxit.
	29	Opportune atque commode: Forte *opportuna — commoda* ——	
173	26	Si autem poſt excommunicationem *ac* ſatisfactionem venerint: Forte — *ad* ——	
174	1	Eodemque anno, concilio *Glouceſtriae* [o] habito, Wlfketellum *Crulandenſis* [p] coenobii abbatem privavit.	Eodemque anno, concilio *Deuceſtriae* habito, Wlfketellum *Exulandenſis* coenobii abbatem privavit.
	17	Elwicini. Rectius fortaſſe *Alſini.*	
	20	*Facto.*	*Pacto.*
	43	Willielmus Wentanus —— *Walkelinus.*	
175	6	*Reſtiterant.*	*Reſiſterant.*
	9	Quod cum *nec* auctoritate nec precibus obtinere poterat.	Quod cum auctoritate nec precibus obtinere poterat.
	14	In militia educaverat [q].	
	22	Sed Lanfrancus ab hoc Rufo adverſi aliquid ſenſit; fortaſſe quod juvenilem ejus animum in armis & re militari ante ſub eo exercitatum, jam rege,	Sed Lanfrancus ab hoc Rufo adverſi aliquid ſenſit; fortaſſe quod juvenilem ejus animum in armis & re militari ante ſub eo exercitatum, jam rege, ſano

Annotationes.

[k] Hiſtoriam hanc de epiſcopo S. Martini ſuffraganeo pauca tantum exemplaria complectuntur.

[l] Ita codices praeſtantiores, pagina, ut ſupra dixi, denuo excuſa: Poſtulat hoc hiſtoriae fides: poſtulant hoc, quae mox ſequuntur, aſcriptae Wulſtano ingentes laudes—— *nec ſibi, nec cuiquam, pietate ſecundum*——

[m] Hiſce *Normanniae* epiſcopis cur ſe immiſceret Luxovienſis *Burgundus*, plane neſcio: Verum pro *Lexovienſi* ponitur errore ſatis proclivi *Luxovienſis*: Haec, *Lyſſeux*, Normanniae, illa, *Lyſſeul*, Burgundiae, civitas; haec epiſcopi, illa abbatis tantum, titulo inſignita. Conſule annotationem noſtram, k, Tabulis Chronicis, in Sodorenſi ſede, appoſitam.

[mm] Interponuntur manu Matthaei Cantuar. Rawlinſ. Nº 3.

[n] Haec manu reverendiſſimi Matthaei Cantuar. Rawlinſon. Nº 2. Reliquis fere omnibus ad hanc emendationem caſtigatis.

[o] Nuſquam intra Angliae regnum occurrit *Deuceſtria*: Lego itaque, immutata litera una atque altera——*Glouceſtriae*—— ac quidem ſic ſe res omnino habet: Audiamus Gervaſium Dorobernenſem de conciliis Lanfranci: "Quintum, apud *Claudiam*:" Luculentius paulo Cl. Spelmannus— "ſextum apud *Glouceſtriam*:" Item Dacherius in vita *Lanfranci*—"Quartum & quintum apud *Glouceſtriam*." *Claudiam*—mutilate pro *Claudioceſtriam*: unde *Glouceſtria*, vulgari contractione, dimanat.

[p] Magno hic errori majorem unica linea cumulavit, e duabus literis male deſcriptis ortum: Deleto enim, *Ex* ſi *Cr* ponamus; abbatia, quae nuſquam habetur, *Exulandenſis*, ampla illa ac praeclara evadit Sancto Guthlaco ſacra, *Crulandenſis*. Proferamus de hiſce temporibus differentem Ingulphum: "Venerabili ergo Patre abbate *Wlketulo* de regimine "paſtoralis officii ſic *depoſito*——mea parvitas ſubrogatur: Ego enim Ingulphus humilis "magiſter S. Guthlaci monaſteriique ſui *Croilandenſis*"—Haec, qui *Ulfketulum* & aetate attigit, & dignitate excepit, Ingulphus. Huic alterum adjiciamus Gervaſii Dorobernenſis teſtimonium: "Sextum, de Lanfranci conciliis loquitur, apud *Gloceſtriam: in quo depoſuit Wlfketulum* abbatem de *Cruland*." Emendationem hanc noſtram ulterius confirmemus ex fide libri "de abbatibus *Croilandenſis* monaſterii & rebus ab eis geſtis"—— "Idem abbas—— "*Wlfketulus*—exoſus ab aemulis, accuſatus eſt & a *Lanfranco* archiepiſcopo *depoſitus*, & Gleſtoniae clauſtro eſt deputatus." Laeland. Itin. Tom. 4. Append. 114. Excipe itaque periodum, Lector erudite, miſerum in modum diu vitiatam, jam vero tam a deſcriptore quam typographo, poſt longa tempora, vindicatam.

[q] "Qui eum nutriverat & militem fecerat." Knighton. Vetuſtae hujus conſuetudinis, quae non epiſcopis tantum, ſed & abbatibus ſaepenumero competebat, multa extant apud hiſtoricos monumenta.

P. L.	Editio 1729.	Editio 1572.
	ſano conſilio ad amorem & timorem Dei virtutemque vehementius hortatus ſit [r]. Cum annis novendecim ſediſſet——	ſano conſilio ad amorem & timorem Dei virtutemque vehementius hortatus ſit: *Nam in exilium actus Romam profectus eſt; & dum varias regiones in exilio peragrat, charta nocte quadam quaſi divinitus lapſa in manus clerici, in qua ſcriptum erat: "Guilelmus Rufus occiſus eſt:" Quod poſtea contigit: Namque haud ita multo poſt, allatum nuncium eſt ei de Rufi morte; qua intellecta ad ſedem Cantuarienſem reverſus eſt: ibique* cum annis novendecim ſediſſet ——
175 32	Igitur ad unam regiae indignationis vocem, quidam ex epiſcopis archiepiſcopo ſuo atque primati omnem ſubjectionem atque profeſſam obedientiam uno impetu *abnegant.*	Igitur ad unam regiae indignationis vocem, quidam ex epiſcopis archiepiſcopo ſuo atque primati omnem ſubjectionem atque profeſſam obedientiam uno impetu *abnegavit.*
178 19	A *ſuperioribus* archiepiſcopis praeſtari conſuevit, & ne quacunque in re *ad* papam de rege provocaret: Rawlinſon. N° 2.	A *anterioribus* archiepiſcopis praeſtari conſuevit, & ne quacunque in re papam de rege provocaret.
179 36	In qua *plurimos*—— dejecit.	In qua *plurimi* —— dejecit.
37	Guidonem abbatem *de* [s] *Perſcore, Wimundum de Taveſtoche*, Aldwinumque Rameſeienſem, Simoniacos: *Godricum* Petriburgenſem, Haymonem *Cernellenſem.*	Guidonem Abbatem *Wimundenſem,* Eldwinumque Ramſenſem, Simoniacos: *Galfricium* Petriburgenſem, Haymonem *Cervellenſem.*
46*		
181 26	Aſſenſuros, MS. Rawlinſon. N°2.	*Aſſenſos.*
41	Werelaſt: Rectius *Warelwaſt.*	
182 10	*Angelorum.*	*Anglorum.*
15	Quae——*addictae.*	Quae——*addicti.*
185 2	*Proſlogion.* Gerberon.	*Proſologion.*

Scripſit

ANNOTATIONES.

[r] Quae noſtra hac editione abraſa cernis, de Lanfranco dici nequeunt: Nunquam ille a *Rufo* in exilium actus, ac ante *Rufum* mortuum tredecim annos fato functus: Verum quae hic traduntur univerſa in *Anſelmum* Lanfranco proximum accurate conveniunt: Joannem Sariſburienſem audi in vita *Anſelmi* differentem: "Sequenti vero nocte alius inter matutinas vigi-" lias clauſis oculis ſtans pſallebat; &, ecce, quidam ei oſtendit chartulam, in qua ſcri-" ptum erat: *Obiit rex Wilhelmus:*" Johanni Sariſburienſi teſtem adjiciamus Eadmerum: " Sequenti autem nocte inter matutinas unus noſtrum clauſis oculis ſtabat & pſallebat: &, " ecce, illi quidam chartulam admodum parvam legendam exhibuit: aſpexit, & in ea, " *obiit rex Wilhelmus*, ſcriptum invenit." Clare hinc evincitur omnem hanc de *Rufi* morte hiſtoriam a *Lanfranco* ad *Anſelmum* eſſe plane traducendam: Quae ſcilicet ad Anſelmi vitam illuſtrandam eruditiſſimus auctor noſter collegerat, vir re chriſtiana, publica, literaria, occupatiſſimus, caſu aliquo, rebus a Lanfranco geſtis admiſcuit. Exciſa autem haec a *Lanfranco*, in *Anſelmum*, ſuo loco, repoſui.

[s] Guidonem abbatem *Wymundenſem:* Ubinam iſta quaerenda eſt abbatia? Errorem hic notare exigui eſt laboris, multi tollere: Verum poſt excuſſos veteres hiſtoricos ſic emendavi; *Guidonem* abbatem de *Perſcore*, *Wymundum* de *Taviſtoche*, lege:" Sicque omnia hiſtoriae convenient. Teſtes profero Eadmerum in Hiſt. Nov. lib. 3. "Primum " itaque——Simoniacae haereſis ſurreptio in eodem concilio damnata eſt: In qua culpa in-" venti, *depoſiti* ſunt, *Guido* abbas de Perſcore, & *Wimundus* de *Taveſtoche*" ——Gervaſium Dorobernenſem: " Anſelmus unum celebravit concilium apud Weſtmonaſterium — " In quo certis ex cauſis depoſuit *Widonem* abbatem de *Perſore*, *Wimundum* de *Taviſtock* — Tertium Malmeſburienſem; " in qua culpa *depoſiti* ſunt *Guido* de *Perſora*, & *Wymundus* de " *Taviſtoc*" —— Denique res ipſa ſe ſatis probat firmatque. Celebratur hoc praeſidente Anſelmo concilium, anno 1102. Abbatiae *Perſcorenſis* regimini admovetur *Guido*, Anſelmo ſedente: *Wymundus Taviſtochienſi* praefuit 1090. Mirum plane, Landavenſem praeſulem tranſiiſſe hunc corruptiſſimum tam ſicco calamo locum.

* Quae a Lanfranco de moribundo, quod ſupra monui, Rufo, detrahuntur: Ea hic loco ſuo interpoſita.

EMENDATIONES.

P.	L.	Editio 1729.	Editio 1572.
	4	Scripſit —— *orationes contemplativas.* Gerberon.	Scripſit—— *de orationibus contemplativis.*
	13	*Humanaeque* [s] laudis gloriolam.	*Chriſtianaeque.*
186	13	[t] *Hereberto Loſingae.*	*Roberto Loſango.*
	27	*Sagienſis: Seiz* in Normannia.	*Sagacienſis.*
	44	*Cenſuerit:* MS. Rawl. N° 2.	*Cenſuit.*
191	15	Monachus Benedictinus [u].	
	37	Regni cancellarium [x].	
192	2	Henricus II. *Stephanus.*	
	3	Concubuit: forte *decubuit.*	
193	15	*Albericum* [y] Hoſtienſem epiſcopum.	*Albertum.*
	21	Legati Nati [z].	
195	27	Nec veſtram offendam gratiam, nec *diminuam* dignitatem.	Nec veſtram offendam gratiam nec *divinam* dignitatem.
	38	Teſtamentum itaque condidit [a].	

Ejus

Annotationes.

[s] Errore Typographi a toties hic repetitis vocibus——*chriſtiana*——*chriſtianam*——*chriſtiano*——profluxo.

[t] Non *Robertus: Herebertus,* ſeu *Herbertus:* Omnes.

[u] Negat hoc in notis ad Neubrigenſem appoſitis Picardus.

[x] Rectius *Reginae* cancellarium: Ita enim Flor. Wigorn. anno 1123: alii.

[y] Chartae Eugenii III. appoſitum *Alberici* Hoſtienſis epiſcopi nomen legimus anno 1147: "Ego Eugenius catholicae eccleſiae epiſcopus—— Ego *Albericus* Hoſtiens' epiſcopus." Vidi ego papalis diplomatis autographum, ſubſignante *Alberico* epiſcopo Hoſtienſi. Audi ipſum etiam Ciaconium: "Anno 1138, D. *Albericus* Beluacenſis——epiſcopus cardinalis "Oſtienſis, ſtatim ubi creatus eſt, ab Innocentio II. ſynodum, in *Angliam* legatus, Weſtmo-"naſterii celebravit."

[z] Rectius *Legati*; volubili ac fluctuante titulo, nunc in illum, jubente Romano pontifice, mox in alterum tranſvecto. Hinc in Theobaldi chartis nunc appoſitos *Legati* honores legimus, nunc omiſſos: Parturiebat tunc Vaticana mater; nondum titulos in formam illa atque ſpeciem redegerat, egregia, annis volventibus, artifex: Elatae hinc poſtea Legati Nati & Legati a Latere faſtuoſae cruces: De Theobaldo *Legato* multi ſunt hiſtorici noſtrates vetuſtiores, *Hoveden. Neubrigenſ. Chron. Mailroſſ.* De Theobaldo Legato Nato altum apud omnes ſilentium.

[a] Extat Theobaldi teſtamentum, Angl. Sacr. Tom. 2. Praef. § ix. omnia in pauperes praeclaro exemplo erogantis. Habetur in codice *Sunderlandiano* Theobaldi epiſtola manu aequabili, ac quae ad ipſius Theobaldi aetatem plane aſſurgit, exarata: appoſito hoc "Epiſtola "Theobaldi Cantuarien. ad H. II." manu Matthaei Cantuar. titulo. Ne pervetuſtum hoc optimi ſane integerrimique praeſulis monumentum, temporis edacitate, pereat, ſubjeci.

Epiſtola Theobaldi Cantuarien. ad R. H. II. "Sereniſſimo domino ſuo Henrico Dei "gratia illuſtri Anglorum regi, & Normanniae & Aquitaniae Duci, & Andegaviae comiti, "Theobaldus ſanctae eccleſiae Cantuarienſis miniſter humilis ſalutem ab Eo, qui dat ſalu-"tem regibus. Qua devotione vobis ſervierim verbis enarrare ſuperfluum duco, cum mi-"hi multorum temporum manifeſta opera atteſtentur; & fidei meae teſtis in coelo ſit, & "conſcientiae conſcius in excelſo. Attrita eſt caro mea, & tam aetate quam laboribus "perfatigati ſunt artus, & aegritudo gravis & diuturna dierum meorum finem in brevi ad-"eſſe denunciat. Deſideratam diu faciem veſtram videre ſperabam, antequam moriar, & "eos, quos meae cuſtodiae in regno veſtro commendaverat Deus, ipſo inſpectore & teſte, "vobis praeſentialiter decreveram commendare. Sed quia ad ejus examen citius vocor, "ante cujus tribunal in brevi ſtabimus omnes, ſerenitatem veſtram, regios corde provolu-"tus ad pedes, literis coram Domino omnium judice praeſentibus alloquor: attentius ſup-"plicans, ut fidelem veſtrum, cujus in vos nunquam devotio tepuit, agentem in extremis "dignemini exaudire: Exaudite, quaeſo, ut vos in extremis veſtris exaudiat Deus: exau-"dite me pro domo Domini & pro parvulis ejus, quos humano deſtitutos ſolatio derelin-"quo; ut domum veſtram tueatur Altiſſimus, & parvulos veſtros & filiorum veſtrorum in "aevum conſoletur. Tranſmitto vobis & ſemini veſtro benedictionem a Domino Jeſu "Chriſto; & vos, ſi placet, deſtitutis meis majeſtatis veſtrae ſolatium mittite: Commen-"do vobis ſanctam Cantuarienſem eccleſiam; de cujus manu per miniſterium meum regni "gubernaculum accepiſtis; & eam, ſi placet, ab incurſu pravorum tueamini, & mihi, qui "eum licet indignus diſponente Domino hactenus, ut potui & ſcivi, rexi, talem ſtudeatis "ſubrogare paſtorem, qui tanta ſede non videatur indignus: cui religio placeat, & qui "virtutum meritis placere credatur Altiſſimo. Fidelis veſter ſum: vobis debeo conſilium: "&, ecce, coram Domino & omnibus ejus ſanctis conſilium do: Non quaeratis in hac re, "quae veſtra ſint, ſed quae Dei: Quia ego pro eo ſpondeo vobis, quod ſi cauſam ejus fi-"deliter procuraveritis, & ipſe veſtras utiliſſime promovebit. Poſt multas vexationes, au-

EMENDATIONES.

P.	L.	Editio 1729.	Editio 1572.
196	22	*Ejus* pertaesus.	*Eo.*
	37	In consiliis fidum, *diligentem* & *cautum.* Rawl.N°.2. Ita etiam *Quadril.*	In consiliis fidum & *discretum.*
197	25	Haec sponsalia Henrico Pisano & Willielmo Papiensi cardinalibus & papae legatis, *in Burgo* [b] sacra ministrantibus, celebrata anno 1160.	Haec sponsalia Henrico Pisano & Willielmo Papiensi *in Burgo* cardinalibus & papae legatis, sacra ministrantibus, celebrata anno 1160.
199	7	*Cilicinis.*	*Alicinis.*
	8	Sub vestis clericalis honestate habitum *celans* monachalem.	Sub vestis clericalis honestate habitum *colens* monachalem.
200	47	Hoc ita regem commovit, *ut* quia praelatos atque clerum, duce Thoma, in unam sententiam contra se coiisse animadverterat; toto jam animo a cle*ro* aversus in omnibus causis atque privilegiis laicalem ordinem contra clerum adjuvaret.	Hoc ita regem commovit, ut quia praelatos atque clerum, duce Thoma, in unam sententiam contra se coiisse animadverterat; toto jam animo a clero aversus *et* in omnibus causis atque privilegiis laicalem ordinem contra clerum adjuvaret.
201	22	Philippus de *Broc. Dicet.* alii.	Philippus *Brois.*
202	29	*Lexoviensis*: uti supra p.171. l. 35.	*Luxoviensis.*
203	12, 13	Postea, Thomas [c], cum regem in se hostiliter affectum cognovisset, quod, a papa, fide *regi* data liberatus esset, apud *Rumeney* navem conscendit.	Postea, Thomas, cum regem in se hostiliter affectum cognovisset, quod, a papa, fide *rege* data liberatus esset, apud *Rumenel* navem conscendit.
204	5	Episcopi, qui a Thoma excommunicabantur, synodo convocata in ejus *absentia* [d], ne, muneribus suis episcopalibus excommunicati fungentes, irregulares efficerentur, communem appellationis vocem emiserunt.	Episcopi, qui a Thoma excommunicabantur, synodo convocata in ejus *praesentia*, ne, muneribus suis episcopalibus excommunicati fungentes, irregulares efficerentur, communem appellationis vocem emiserunt.
	22	Nam regem Alexandri, qui sibi tantopere adversus fuit, omnem auctoritatem repudiaturum, unaque cum Caesare contra Gallum atque papam omnem suam operam atque vires conjuncturum, ut Alexandro papatu depulso, alter papa crearetur, *confirmabant.*	Nam regem Alexandri, qui sibi tantopere adversus fuit, omnem auctoritatem repudiaturum, unaque cum Caesare contra Gallum atque papam omnem suam operam atque vires conjuncturum, ut Alexandro papatu depulso, alter papa crearetur.

Res

Annotationes.

" ctore Domino, in ecclesia Cantuariensi reformavimus pacem, religionis promovimus cultum, idoneos ex conscientia nostra custodes praefecimus ordini: Ne quis eorum cujusquam temeritate mutetur, antequam archiepiscopus subrogetur; prohibeat dignatio vestra, eosque cohibeat, qui scissuras & nova molimina molientur: Quum & nos hoc sub anathemate inhibuimus & eos excommunicavimus, qui dispositionem ordinis, quam fecimus, praesument immutare. Praeterea alumpnos nostros, clericos & laicos, quos nostri, & saepe vestri, obsequii ministros habuimus, vestrae committimus protectioni; rogantes, ut quod eis contulimus, misericorditer conservetis, nec eos patiamini alicujus importunitate vexari. Audiat adhuc dominus meus clementissimus verbum unum, & egredientem animam meam laetificet: Residuum bonorum meorum mobilium, & quae usque ad exitum pro incerto vitae & diuturnitate aegritudinis, in usus domesticos visa fuerant conservanda, sicut Dominus inspiravit, post exitum meum praecepi pauperibus erogari: Illos, qui fraudem committent, aut qui, quod minus pro mea salute & vestri & liberorum vestrorum erogentur, impedient, anathemate jam promulgato condempnans. Ratam habete, si placet, dispositionem meam, & eam transmissis ad officiales vestros patentibus literis confirmate. Neque enim quicquam auri superest, aut argenti; sed victualium tantum, & quae magno dampno poterant esse amissa pauperibus, & vobis nullo erunt emolumento, vel minimo. Valeat in aevum serenitas vestra." Scriptum fuisse hanc ad Henricum epistolam post obsignatas supremas tabulas satis constat: Eadem etiam forma figuraque sermonis, eadem in pauperes benevolentia, tam testamentum, quam epistolam, ab uno profluxisse eodemque auctore luculenter probant.

[b] Verbis inverso ordine dispositis, teste ipso ac judice Parisiensi: " Anno 1160. celebratum est matrimonium inter filium regis Anglorum septennem & filiam regis Francorum triennem, auctoritate scilicet *Henrici Pisani* & *Wilhelmi Papiensis*, presbyterorum cardinalium, & sedis apostolicae legatorum, quarto nonas Novembris *apud Burgum.*"

[c] Ita Radulphus de Diceto in vita *Thomae*: Alii.

[d] Omnino: Pontiniaci jam delituit Thomas.

EMENDATIONES.

P.	L.	Editio 1729.	Editio 1572.
206	41	Res in *Anglia* ſedatas.	Res in *Angliam* ſedatas.
207	4	Ad [e] *Fractam* Vallem.	Ad *Fractum* Vallem.
208	29	Die Lunae, qui Innocentibus in Bethlehem Herodis crudeli juſſu *trucidatis* ſacer habebatur.	Die Lunae, qui Innocentibus in Bethlehem Herodis crudeli juſſu *trucidati ſunt*, ſacer habebatur.
	31	Poſtridie [f].	
209	11	Cujus cadaver priore atque monachis ſine ulla *lotione* [g] mox humo conditum eſt.	Cujus cadaver priore atque monachis ſine ulla *latione*, mox humi conditum eſt.
	22	Et humili in crypto poſitus.	Et humili & in crypto poſitus.
	23	*Anagniae* [h].	*Anagninae.*
211	13	Ex hoc *omnium* diſcordiarum & turbarum——ſeminarium profluxit.	Ex hoc *omnia* diſcordiarum & turbarum——ſeminarium profluxit.
	29	Ut Sancti Oſwaldi eccleſia archiepiſcopo Eboracenſi ex dominio & conceſſione regia *adjudicaretur.*	Ut Sancti Oſwaldi eccleſia archiepiſcopo Eboracenſi ex dominio & conceſſione regia *judicaretur.*
	33	Tres [i] archidiaconatus ordinavit.	
	49	Willielmum *de Watervilla.*	Willielmum de *Watermilla.*
215	19	Indeque *Ciſtercienſium* fratrum decreto.	Indeque *Ciceſtrenſium* fratrum decreto.
216	36	*Carthagini* ſtatuit.	*Carthaginis* ſtatuit.
218	27	Quod tam indigna *rege* atque *patre*——tuliſſet.	Quod tam indigna *regi* atque *patri*——tuliſſet.
	49	Johannem *Anagninum* cardinalem.	Johannem *Anagninae* cardinalem.
219	1	Quas cum filia comitis Gloverniae tertio ſibi gradu *juncta.*	Quas cum filia comitis Gloverniae tertio ſibi gradu *junctae.*
	17	Hugo de *Pudſey* [k].	Hugo de *Puſez.*
	24	Ranulphus de *Glanville.*	Ranulphus de *Glandfeld.*
222	1	Si vero *reſipuerint* [l].	Si vero *reſpuerint.*
	2	*Electi* [m].	*Eccleſiae.*
223	39	Et *Bertae* uxoris ejus.	Et *Bertrae.*
227	3	In epiſcopatum [n].	
	13	Paulo poſt Hugo Dunelmenſis	Paulo poſt Hugo Dunelmenſis obiit

Annotationes.

Normanniae oppidum.

[f] Res notiſſima: Parum accurate reprehenditur hic auctor noſter: Angl. Sacr. T. 1. p. 111.

[g] "Sine ulla *latione* humo conditum:" Obſcurum plane; quid ſi legamus ſine ulla *elatione?* hoc quidem latinius; ſed pari obſcuritate laborans: Ponamus ex editione Hanovienſi——ſine ulla *dilatione*—— Verum hoc cum vocula, quae hanc proxime excipit, parum conſtabit——*ſine ulla dilatione*——*mox*——Alterum enim omnino tollendum. Tertium igitur tentemus lectionem— ſine ulla *lotione* humo conditum— Audiamus coaetaneos Thomae ac familiares de hac ejus ſepultura differentes: "Monachi igitur tam ſibi, quam ſancto, timentes, ne vel ipſe vilius tractaretur—— eum cum ſumma feſtinatione ſepelire ſtuduerunt: unde nec eis ſanctiſſimum ejus corpus *lavare*, nec de balſamo, ſicut moris habet Cantuarienſis eccleſia, licuit refovere." Quadril. Lib. III. cap. 22. Veteri ab ipſis ethnicis ducto atque ſolenni ritu:

> *Pars calidos latices & ahena undantia flammis*
> *Expediunt, corpuſque* lavant *frigentis, & ungunt.* Virg.

[h] Non Anagnina——Frugiferis cerealis *Anagnia* glebis. Sil. Ital.

[i] Haec utriuſque Matthaei, Pariſienſis & Florilegi, fide: Idem etiam tradit in vita Ricardi Rad. de Diceto. Pariſienſis nomina ipſa memoriae prodidit—— "tres archidiaconos conſtituit, *Savaricum* ſcilicet, *Nicolaum*, & *Herebertum:*" Horum ultimum titulo iſto, ſedente Ricardo, ornatum legimus: fruſtra reliquos in archidiaconorum Cantuarienſium ſerie quaeſiveris. De ſecundo hoc tertioque in eccleſia Cantuarienſi inſtituto archidiaconatu nihil plane apud MS. *Bibl. Cotton. Tiber. C. 9.* Ubi hac de re diſertis verbis agitur, deducta ab Auguſtino ad Robertum Winchelſey hiſtoria.

[k] Alii *Puſar:* male: Rectius——*Pudſey*——Latine——De *Puteaco.*

[l] Ita, unde haec traducuntur, Gervaſius.

[m] Gervaſ.

[n] Elegantius, meo judicio——*Epiſcopum:* "Hugo Dunelmenſis, Northumbriae comitatu reddito, comes eſſe deſiit & in epiſcopum reverſus eſt."

EMENDATIONES.

P. L.	Editio 1729.	Editio 1572.
	obiit —— Huic Philippus ſucceſſit. *Hubertus*[o], ut aiunt, accinctus gladio, ut Eboracenſis faſtum & arrogantiam minueret, venit Eboracum.	obiit —— Huic Philippus ſucceſſit, ut aiunt, accinctus gladio, ut Eboracenſis faſtum arrogantiam minueret, venit Eboracum.
228 10	Id quod ex Gyraldi[p].	
230 15	Rex coeleſtis, qui ſibi vult ex toto corde, tota anima, tota virtute ſerviri, *miniſtrum dimidium*[q] non approbat.	Rex coeleſtis, qui ſibi vult ex toto corde, tota anima, tota virtute ſerviri, *miniſterium divinum* non approbat.
49	Domum *Praemonſtratenſium.*	*Praemonſtranſium.*
231 4	*Danegeld*[r] —opus pontium, caſtellorum, *parcarum*, clauſurarum, *auxilium pecuniae pro exercitu*, *Wardpeni*, *Blodwite*, *Childwite*.	*Denegeld* — opus pontium, caſtellorum, *porcorum*, clauſurarum auxilium, *pecunia* pro exercitu, *Warpon*, *Bloodwhite*, *Childwhite*.
232 27	Manerium de Lametha: Extant chartae: Rym. T.I. p. 89, 90.	
234 29	*Permulſos:* Rawl. N° 2.	*Delinitos.*
Ibid.	Johannem *de* Gray[s].	Johannem Gray.
235 48	A *quoquam* rite potuit.	A *quoque* rite potuit.
236 7	Itaque rex hunc —— patriam deſerentem, Pariſiis inſtructum, regi & magnatibus Galliae familiarem, inde a papa ad Romanum gerendum cardinalatum *accerſitum*, non minus regni atque ſui inimicum judicavit, quam papam atque monachos.	Itaque rex hunc —— patriam deferentem, Pariſiis inſtructum, regi & magnatibus Galliae familiarem, inde a papa ad Romanum gerendum cardinalatum, non minus regni atque ſui inimicum judicavit, quam papam atque monachos.
236 34	Johannes quidam *Ferentinus*[t].	Johannes quidem *Florentinus*.
238 11	Canes *muti*[u], non audentes latrare.	Canes *multi*, non audentes latrare.
41	Vulnus enim ille hebes papalis gladius infligere non potuit *probatis*[x]; ſed imperitis, nec ſenſu acri praeditis ſtuporem intulit.	Vulnus enim ille hebes papalis gladius infligere non potuit; ſed imperitis, nec ſenſu acri praeditis ſtuporem intulit.
240 23	Godefrido de *Crancumb*. Rym. omnes.	*Croucomb.*
47	Antequam —— *quam.*	Antequam —— *antequam.*
242 7	*Honorio tertio*[y].	*Innocentio nono.*
244 17	*Diſceſſio.* Matth. Pariſ.	*Deceſſio.*
245 8	Cantuarienſem archidiaconatum Simoni fratri ſuo, a papa Innocentio de archiepiſcopatu Eboracenſi repulſam *paſſo*, reliquiſque ſuis bonis orbato contulit.	Cantuarienſem archidiaconatum Simoni fratri ſuo, *qui* a papa Innocentio de archiepiſcopatu Eboracenſi repulſam *paſſus eſt*, reliquiſque ſuis bonis orbato contulit.

Aequum

Annotationes.

[o] Haec non de *Philippo* Dunelmenſi, ſed de Cantuarienſi *Huberto*, intelligenda: Teſtem e multis proferam Neubrigenſem: "Defuncto Dunelmenſi epiſcopo —— *Hubertus* —— vices "non tantum regias, verum etiam apoſtolicas —— per totam habens Angliam —— oſtentaturus gloriam utriuſque poteſtatis *Eboracum* metropolim adiit — & poteſtatem in ea magnam exercuit." Eadem tradunt *Simeon Dunelm. Dicet. Coldingham*, *Brompt. Hoveden. Gervaſ.* Locum itaque hunc, interpoſita voce, *Hubertus*, reſtitui.

[p] Angl. Sacr. T. 2. Geſt. Gyrald. p. 456. 539. Extat Huberti contra Gyraldum miſſa ad Innocentium III. epiſtola p. 511.

[q] Nuſquam certe peccatur infelicius: Lege —— *miniſtrum dimidium:* Profecto eleganter: Ita etiam editiones Neubrigenſis recentiores.

[r] Reſtituta haec ex ipſa Henrici charta; referente Gervaſio Dorobernen.

[s] Extat Rym. Foed. ineunte anno 1306 charta —— "Teſte Johanne *de Gray* Cant. electo: "Lambethae 25 die Martii."

[t] Ita Matth. Pariſ. Spelm. omnes.

[u] Emendatum auctore Pariſienſi, volvente anno 1209. Conſule etiam Lib. X. epiſt. 113. Innocentii III.

[x] Praetermiſſum a deſcriptore: Verum e Pariſienſi revocatur.

[y] Anno, quo celebratur hoc concilium, 1222, Romanae ſedi praefuit *Honorius tertius*; qui, "*decretales* quoque *epiſtolas*, inquit Platina, compilavit:" Innocentius nonus non niſi poſt quadragentorum fere annorum decurſum, 1591, Vaticanam ſedem ingreditur.

EMENDATIONES.

P.	L.	Editio 1729.	Editio 1572.
247	34	Aequum autem esse afflictam & *deficientem* [z] matrem a filiis sublevari.	Aequum autem esse afflictam & *desipientem* matrem a filiis sublevari.
248	4	A Stephano *legato* [a].	A Stephano *papa.*
	36	De *Cantelupo.*	De *Cantelu.*
249	16	*Thwenge* [b].	*Tuing.*
251	20	Edw. MS. Col. Joh. Cant. *Reginaldo.*	
252	14	W. Marescallo *Pembrokiae* [c] comite.	W. Marescallo *Gloucestriae* comite.
253	21	Itaque se —— *cunctis,* qui ad illud bellum suscipiendum inscribere —— volunt —— peccatorum remissionem largiri.	Itaque se —— qui ad illud bellum suscipiendum inscribere —— volunt —— peccatorum remissionem largiri.
250	10	Is itaque a papa decretalem epistolam *impetravit.*	Is itaque a papa decretalem epistolam *imperavit.*
	26	Hugone *Wallis* [d] episcopo *Lincolniensi.*	Hugone *Wallis* episcopo *Wellensi.*
258	18	Willielmus *Raleigh.*	*Raele.*
261	28	Bonifacium [e] Wintoniensem electum.	
262	30	*Honorio.* Uti supra p. 242. l. 7.	*Innocentio.*
263	28	*Caursinos* [f].	*Cursinos.*
264	7	Etsi *exigendo, interdicendo, excommunicando* pecuniam extorquerent.	Etsi *exigendi, interdicendi, excommunicandi* pecuniam extorquerent.
265	5, 6	*Thomae* [g] Sabaudiensis in *Gallia Narbonensi* [h] filium.	*Petri* Sabaudiensis in *Provincia Gallia* filium.
268	7	Episcopatum in *Delphinatu* [i] Valentinum.	Episcopatum in *Provincia* Valentinum.
270	48	Ne *voluit.*	Ne *noluit.*
272	46	*Ut* opimam ovem —— mactaret.	*Et* opimam ovem —— mactaret.
273	25	Cappis —— *choralibus.*	*Chorealibus.*
274	36	*Itidem.*	*Tertiae.*
278	15	Castris, *quam* ecclesiis, aptiorem.	Castris, *potius quam* ecclesiis, aptiorem.
	49	Sed papa, qui perceptis utrinque a litigantibus *donis,* ut aequus judex videretur.	Sed papa, qui perceptis utrinque a litigantibus, ut aequus judex videretur.
279	5	Eustachium *de Len* [k].	Eustachium *de Leir.*
280	15	A papa privilegium obtinuerunt, ne — ecclesiae suae statum turbaret.	A papa privilegium obtinuerunt, ne — ecclesiae suae statum *turbarent.*
			Lexinton.

Annotationes.

[z] "Quatenus ecclesiae potenter subveniant, ne, quod absit, ipsa *matre deficiente,* succumbant:" Matth. Paris. in ipsa Stephani, papalis capellani, oratione. Neque vero hoc modo legendum magis suadet historici testimonium, quam ratio ipsa atque argumenti series.

[a] Agitur jam annus 1229, sedente Romae *Gregorio* IX. Stephanus hic idem plane, qui supra, *Papae capellanus.*

[b] Ita Matth. Paris. Dugdal. omnes.

[c] Omnino: res testatissima. Consule Dugd. in Mareschall.

[d] Ita recentiores plerique: alii *Wellensis:* nomine ab archidiaconatu, quem gerebat, ducto. Extat charta anno 1207 exarata: Rym. Foed. "Teste *Hugone* de *Nevyl* archidiacono "de *Well.*" Hic forsan & titulos habes *Hugonis* & nomen.

[e] Hunc diu multumque cum apud historicos quaesiverim, nihil profeci; nisi quod monet Florilegus ad annum 1241. Ubi *Bonifacii* cujusdam *electi* vestigia reperiuntur. "Ipsis "quoque diebus fecit rex personam *Bonifacii electi* de Baleis magnificando commendari, ut "dignus videretur esse ad episcopatum *Winton.* aut Cantuariensem, qui promoveretur." Hic autem *Bonifacius* commendatione regia evehendus inducitur, non ira amotus: In tantis tenebris nihil aut immutare ego aut definire audeo.

[f] Ita Matth. Paris. omnes: Extat *Caursinianae* obligationis exemplar, ad ann. 1235. Paris.

[g] Ita Guichenon: Historia etiam Chronolog. *Pedomontana:* testes idonei. "Les enfans de "*Thomas* de Savoie, & de Beatrix de Geneve. XII. *Boniface* —— Evêque de *Beajeu,* & "depuis *Archevêque* de *Cantorberi.*" Fr. Mar. Ferrer. a Labriano Augustae Taurin. 1702.

[h] Sabaudiam in *Gallia Narbonensi,* non *Provincia Galliae,* sitam tradunt rebus geographicis versati omnes. *Sabaudia* & *Provincia* utraque *Galliae Narbonensis* regio.

[i] Testibus iisdem.

[k] M. Paris. Flor. omnes. Habetur "litera de injuria illata archiepiscopo Cantuariensi "& magistro Eustachio de *Len* officiali ejus:" M. Paris. additam. p. 1108. Edit. Wats.

EMENDATIONES.

P.	L.	Editio 1729.	Editio 1572.
	30	*Lexinton.* Omnes.	*Lexiter.*
281	1,2	Poteſtatem *contulit* Ruſtando & Herefordenſi epiſcopo, quos hujus mutuandae pecuniae conſtituit quaeſtores, veniam *concedere* his eccleſiis, quae mutuari pecunias vellent, terras & eccleſias ipſas, ſi vellent, pignori dandi.	Poteſtatem Ruſtando & Herefordenſi epiſcopo, quos hujus mutuandae pecuniae conſtituit quaeſtores, veniam his eccleſiis, quae mutuari pecunias vellent, terras & eccleſias ipſas, ſi vellent, pignori dandi.
	11	*Qui* ita cohaerentes cum a Ruſtando diſtrahi non potuiſſent.	*Quos* ita cohaerentes cum a Ruſtando diſtrahi non potuiſſent.
282	32	*Exonienſem* [l].	*Oxonienſem.*
285	40	Willielmum: *Adamum* alii.	
	42	*Clementi* [m].	*Urbano.*
286	5	Horum ille non miles *gregarius* [n]; ſed anteſignanus fuit; nempe Provincialis.	Horum ille non miles *Gregorius*, ſed anteſignanus fuit; nempe provincialis.
287	2	*Leodienſis.*	*Leodicenſis.*
289	36	Hoſtienſis [o].	
290	27	*Robertum* Burnel. Omnes.	*Johannem.*
293	34	*Almaricus:* Rymer.	*Aimarus.*
294	36	*Fida* [p], Regr. *Peckham.*	*Fide.*
	49	*Dominici*, Regr. *Peckham.*	*Domini.*
	50	*Nobis*, Regr. *Peckham.*	*Nos.*
295	7	*Impenſurum*, Regr. *Peckham.*	*Impenſuram.*
	25	*Inſidet*, Regr. *Peckham.*	*Incidet.*
	29	*Praemiſſis*, Regr. *Peckham.*	*Permiſſis.*
296	34	*Roſſenſem* [q].	*Lichefeldenſem.*
297	33	*Osbertum*, Regr. *Peckham.*	*Osbernum.*
	41	Omnibus militaribus inſignibus ſit privatus. Regr. *Peckham.*	Omnibus militaribus inſignibus *detractis* ſit privatus.

In

ANNOTATIONES.

[l] Lib. Taxat. Winton: Johannes *Gervais* de *Exonia* dicitur: De *Gervais* nata apud Landavenſem praeſulem, in Johannem de *Guernſey*, corruptela.

[m] Platina: Calviſius: omnes. *Urbanum* excepit *Clemens*, Clementem Gregorius 1268: moritur 1276.

[n] Ita plane vel invitis omnibus exemplaribus—— "Quorum ille non miles *gregarius*, ſed *anteſignanus*, fuit:" Lege ſic, editore me incolumi.

[o] Epiſcopus cardinalis Portuenſis & S. *Rufinae.* Ciac. Rectius.

[p] Hactenus haec Cantuarienſium praeſulum hiſtoria e veterum eſt monachorum ſcriptis deprompta. In certiora jam atque clariora, ipſa archiepiſcoporum REGISTRA, ſumus delapſi: Horum primum Johannis Peckhami res ab ann. 1279 ad 1293. geſtas complectitur: Archiva iſta, quo editio haec noſtra accuratior prodeat, denuo ego LAMETHAE evolvi.

[q] Unde hanc de Johanne *Kyrkey*, rectius *Kirkeby*, hiſtoriam deſumpſerit auctor noſter, me quidem poſt multa ſcrutinia plane latet: In regiſtro Peckham, cujus hac in re fidem teſtatur, quod de *Ricardo* Wintonienſi *electo*, traditur, ad p. 91. non 142, occurrit: De *Johanne* vero *Lichefeldenſi* altum ibi ſilentium. Quod vero magis miror, meque anxium plane animique pendentem habet; per totum iſtud annorum intervallum, quo cathedrae praefuit Cantuarienſi Peckhamus, *plenam* fuiſſe eccleſiam *Lichefeldenſem* uno ore conſentiunt hiſtorici: *Rogerus* de *Molend*, ſive *Longeſpée*, in hanc ipſam ſedem ſacratur 1257: Eamque, non niſi poſt exactos in iſto epiſcopatu duodequadraginta annos, ac poſt mortem Peckhami decurſo biennio, provecta admodum aetate extinctus 1295 *Waltero* de *Langton* dimiſit. Conſtat igitur haec nullo modo in quemcunque *Lichefeldenſem* convenire. Quem vero pro *Lichefeldenſi* reponam? Si, certiſſimum errorem cum ſuſtulerim, incerta forte & ſuſpicioni obnoxia poſuerim, aliquid ſane profeci; auctoremque meum omnino devium ſi non ad veram, unde deflexerit, hiſtoriam revocavi, propius tamen aliquanto conſtitui. Lego itaque —— *Roſſenſem* —— non ſine ingenti veritatis ſpecie ductus: "Anno 1283, mortuo Johanne *Roſſenſi* "electus eſt, inquit Cl. Whartonus, *Johannes* de *Kirkeby*, qui—juri ſuo coram archiepiſcopo "renunciavit." Fatendum quidem videri *Johannem* hunc, nulla ſibi illata ab archiepiſcopo vi, abnunciationem ſuam profiteri: Ecquiſne vero, quod renitente animo facit, libera aliquando voce obteſtatur? Idemque Johannes cognita Peckhami de repellendis *pluralibus*, ut ita dicam, propoſito inexorabili, electioni cederet ſuae, archiepiſcopalem confirmationem nunquam accepturae. Poſtremo, illud obſervari velim, Johannem hunc fuiſſe archidiaconum *Lichefeldenſem:* Ex hac deſignatione totus forte profluxit loci error.

EMENDATIONES.

P	L.	Editio 1729.	Editio 1572.
297	45	In ordinem suum *militarem* [r] non rediret; antequam tres continuo annos in terra sancta exegisset.	In ordinem suum *invitare* non rediret; antequam tres continuo annos in terra sancta exegisset.
399	5	*Stokes.* Regr. *Peckham.*	*Stookes.*
	16	*Simplicis.* Regr. *Peckham.*	*Simplices.*
300	49	*Decembre.* Regr. Eccl. Chr. Cant.	*Januario.*
301	29	Quod si his viris ecclesiastica potestate praeditis insedisset fixa suae dignitati & professioni congruens cogitatio; omnia summa providentia administrari *cerneremus.*	Quod si his viris ecclesiastica potestate praeditis insedisset fixa suae dignitati & professioni congruens cogitatio; omnia summa providentia administrari.
304	40	*Walterum* de Langton [s].	*Wilhelmum* de Langton [s].
305	39	Quibus vices suas commiserunt, ut remedium aliquod opportunum, quo & papalis excommunicatio & regia proscriptio simul vitari possint, *adhiberent.*	Quibus vices suas commiserunt, ut remedium aliquod opportunum, quo & papalis excommunicatio & regia proscriptio simul vitari possint.
306	34	Magna Charta & *de* Foresta.	Magna Charta & *in* Foresta.
307	16	*Falkirke* [t].	*Fronkirk.*
309	11.	Potestas —— visitandi —— & *praescribendi.*	Potestas —— visitandi —— & *praescribere.*
	26	Et Galliae *rex* vicissim sub proscriptione edixit.	Et Galliae vicissim sub proscriptione edixit.
	41	*Sciarra* [u].	*Scarra.*
	42	Gulielmo de *Nogareto* [x].	*Longareto.*
310	31	*Institit.*	*Instavit.*
	43	Duos Anglos cardinales [y].	
	45	*Lugduni* [z].	*Romae.*
312	21	Monasterio *bona* restituit.	Monasterio *bonisque* restituit.
	33	Gulielmum de *Testa* [a] archidiaconum *Aranensem.*	Gulielmum de *Festa* archidiaconum *Arravensem.*
	34	*Burdegalensem* [b].	*Burgensem.*
	44	*Regni sui* [c].	*Aetatis suae.*
313	2	Cum enim archiepiscopus Cantuariensis vocatus fuisset ad curiam Romanam, responsurus super quibusdam rebus ei per *regem* Angliae objiciendis.	Cum enim archiepiscopus Cantuariensis vocatus fuisset ad curiam Romanam, responsurus super quibusdam rebus ei per *legem* Angliae objiciendis.
315	4	Robertus *Retford.* Rym.	Robertus *Ratford.*
	15	*Luto.*	*Luco.*
317	40	*Se* abduxisset.	Abduxisset.

Wimble-

Annotationes.

[r] Pessimo descriptoris vitio *invitare* —— hic pro *militarem* —— ponitur. Confirmat hoc Regr. Peckham: —— Nec habitum *militis* gerat, antequam —— Voces hae quanquam sensu alienissimae; literarum tamen ductum modumque si spectes, ea intercedit cognatio, quae amanuensem minus accuratum quandoque fallat.

[s] Tam certum hoc quam quod certissimum: *Chesterfeld: Rymer:* passim: omnes.

[t] Testibus: Floril. Grafton. Chron. ipso etiam Buchanano.

[u] Ita *Ciaconius* in vita Bonifacii VIII. *Platina. Baluz.* PP. Avenionens. Omnes.

[x] Gens in Provincia illustris: Consule *Imboffe* de familiis Gallicis: *Duchesn.* Chanceliers de France: —— " Rex Gulielmo de *Nogareto* —— 1302." —— *Baluzium* PP. Aven. qui Gulielmum *Sigilliferum*, seu *Vicecancellarium*, appellat: Sicque *Florilego* nostrate & *Walsingham*, unde error traductus, exceptis universi.

[y] G. *Winterbourn* & T. *Jorz:* Verum ille a *Benedicto* XI: Hic a *Clem.* V: purpura donatur.

[z] *Romam* Clemens V. nunquam invisit, *Cisalpinorum* PP. primus. Petri cathedram Roma, 1305, Avenionem traduxit, non nisi post annos septuaginta evolutos reversuram. Hos insuper *Lugduni* sacratos testantur G. Thorn. Godwin. Alii.

[a] Ciac. in Clemente V. Baluz. PP. Aven. Rymer. omnes: Non *Arravensem*, sed *Aranensem* in ecclesia *Convenarum*, *Cominges*, legendum monet eruditissimus Baluzius.

[b] *Burdegalensem:* omnino. Sic in Rymero ubique designatum leges: *Burdegalensi* dioec. natus Clemens V. ac ante adeptum Pontificatum Romanum ejusdem urbis archiepiscopus, *Burdegalensibus* fere semper res suas expediendas credidit, eorumque plurimos ad summa honorum fastigia evexit.

[c] Moritur *Edwardus* I. prope *septuagenarius*, anno regni 35.

EMENDATIONES.

P.	L.	Editio 1729.	Editio 1572.
319	11	*Wimbledonensem* [d].	*Wimbertonensem.*
	14	Ut ad Wigorniensem episcopatum *eveheretur.*	Ut ad Wigorniensem episcopatum *veheretur.*
	42	Quo *Charthamiae idibus Februarii* [e] recepto.	*Chickhamiae decimo tertio Cal. Martii.*
320	34	Jacobus de *Eusa* [f].	Jacobus de *Hase.*
	45	*Gaucelmus* [g].	*Cancellinus.*
Ibid.		Lucas: *De Flisco.* Baluz.	
321	17	*Rigaldo* [h].	*Rigando.*
	31	*Clemente* [i] mortuo.	*Urbano* mortuo.
	48	Roberto *Winchelsey* *.	Roberto *Spenser.*
324	35	Windesoriae. Rectius *Westmonasterii.*	
	17	*Ducis* Hanoniae—*comitis*— Rym.	
	41	Australi *chori muro.*	Australi *choro muri.*
	44	Thorlehot. *Thorhold.* Angl. Sacr. T. I. p. 59.	
325	38	Erat eo tempore prior Cantuariensis —vir— *non* minus rerum usu, quam jure ipso prudens — tum in gerendis ecclesiae rebus assiduus atque solers.	Erat eo tempore prior Cantuariensis — vir — minus rerum usu, quam jure ipso prudens — tum in gerendis ecclesiae rebus assiduus atque solers.
326	24	*Avenioni.*	*Romae.*
337	34	Robertum — de *Wyvil.* Rym. omnes.	Robertum de — *Wimble.*
329	9	A quo— *proveniunt.*	A quo— *perveniunt.*
	12	In commisso — ecclesiae *regimine* sibi facilius proficere valeat.	In commisso— ecclesiae sibi facilius proficere valeat.
	38	*Icherium* [k] —de Concoreto.	*Leherium.*
334	47	*Ex* papae sententia.	*Et* papae sententia.
335	7	Occulto quodam diuque *dissimulato* odio.	Occulto quodam diuque *simulato*— odio.
336	11	*Dixerint.*	*Dixerit.*
	21	*Interpellarent.*	*Interpellaret.*
	26	Qui adductis secum—regis nomine.	Qui adductis secum, *qui* regis nomine.
	43	Suggestum ascendit: in ea *concione.*	Suggestum ascendit: in ea *conditione.*
337	3	Numerosa: Avesbur. *universa.*	
	18	*Ne:* Rectius: *Tynmuth.*	*Non.*
338	40	Tanto tempore *relinquere* voluit incorrectam. *Tynm.*	Tanto tempore voluit incorrectam.
339	13	*Tumidus* in prosperis & timidus in adversis. Ita etiam *Tynm.*	*Timidus* in prosperis & timidus in adversis.
	15	Per aliquos nobis *assistentes.*	Per aliquos nobis *insistentes.*
	33	*Sicque.*	*Sed quia.*
	37	Sophisticae *dilectionis* faciem *fuco* mendacis benevolentiae palliatam *more* patris amabilis. Tynm. Byrch. MS.	Sophisticae *dilationis* faciem *fude* mendacis benevolentiae palliatam *in ore* patris amabilis.

Quam

ANNOTATIONES.

[d] Rector ecclesiae de *Wymbledone.* Regr. Eccl. Cant.

[e] Registr. *Raynold.* Thronum conscendit Walterus 13 Kal. *Martii*, non *Maii:* Regr. id.

[f] Jacobum *Ossam*, seu *Deissam*, Ciaconius in Johanne XXII. appellat. Rectius Baluzius in PP. Avenionensibus——*De Eusa.*

[g] Misera hujusce vocis sors, duplici vitio laborantis: altero a vetustioribus historicis, altero, ab auctore nostro, illato: Illi *Gaucellinum*, hic *Cancellinum*, vocant. Ut utrumque simul tollatur, fide fretus Stephani *Baluzii* antiquitatum exploratoris acutissimi, *Gaucelmum*, edidi. Baluz. PP. Aven. Ita etiam Rym. T. IV. ubi Thesaurarii *Lich.* & *Cov.* titulo designatur.

[h] Saepe——*Rigando:* male: *Rigaldus* de Asserio. Minus accurate Godw. *Reginaldus.*

[i] Manu MATT. CANTUAR. Moritur *Urbanus* IV. 1264. sedem ingreditur *Urbanus* V. 1362.

* Vide supr. p. 309. l. 3. Errore plane typographico.

[k] "Papae Rex——Magistri *Icherii* de Concoreto, —— apostolicae sedis nuncii." Rym. An. 1331. Omnes.

8 I

EMENDATIONES.

P.	L.	Editio 1729.	Editio 1572.
	41	Quam juxta proverbium; " mus " in pera "——ſuis conſueverunt hoſpitibus exhibere.	Quam juxta proverbium *dicit*, " mus " in pera "——
340	5	Confeſſionem propriam *publice, ut fertur*, emiſſam.	Confeſſionem propriam, *ut publice fertur*, emiſſam.
	4	*Mandamus.*	*Mandantes.*
341	17	*Pluriumque* pontificum *alios* reges——excommunicaſſe.	*Plurimique* pontificum *alii* reges——excommunicaſſe.
342	12	Regia poteſtas——*praeſumit.*	Regia poteſtas——*praeſumunt.*
	28	Et etiam ut viſa facie noſtra reduceretis ad memoriam ſervitia, quae ——devote & fideliter *praeſtitimus* juxta animi noſtri conſcientiam.	Et etiam ut viſa facie noſtra reduceretis ad memoriam ſervitia, quae ——devote & fideliter juxta animi noſtri conſcientiam.
	48	Sine ceſſatione. *Excuſatione:* Vulgat.	
343	20	Quaeſtio *de regno.* Byrch. MS.	Quaeſtio *regni.*
	34	Omnibus fuimus odioſi [l]: Poſtmodum vero regalibus mutatis temporibus.	
	45	Legati epiſcopi *ſpeciales:* Ut ſupra pag 31. l. 21.	Legati epiſcopi *ſpirituales.*
	47	Henricus Lincolnienſis [m].	
344		Cum quanta *enim* gloria——veſtra decorata eſt reverſio.	Cum quanta *ei* gloria——veſtra decorata eſt reverſio.
345	41	Per dominos Nicolaum de Cantelupo primo, & Radulphum de Stafford——*ſecundo.*	Per dominos Nicolaum de Cantelupo primo, & Radulphum de Stafford.
	44	*Nihilominus.*	*Non minus.*
346	35	Sane *alius* nuncius.	Sane *vero* nuncius.
347	44	Mus *enim* in pera veſtra non fuimus.	Mus & in pera veſtra non fuimus.
355	17	Ac *utroſque* a Gallo ſeductos.	Ac *utroque* a Gallo ſeductos.
	20	Quo quidem tempore papa.	Quo quidem tempore *cum* papa.
357	3	Et utinam illi——*non* impedimenta——procuraſſe exiſtimantur.	Et utinam illi——impedimenta——procuraſſe exiſtimantur.
	20	Aures non accommodando regias illis, *quae aliquam* in Dei offenſam——poſſent——redundare.	Aures non accommodando regias illis, *aliqua* in Dei offenſam——poſſent——redundare.
	34	*Sanctiſſimo* [n] in Chriſto patri.	*Amantiſſimo* in Chriſto patri.
	47	Praeter——*propter.*	
251	26	Quae ſingula——fuerunt in Parliamento——*per communitatem*——palam expoſita——	Quae ſingula——fuerunt in Parliamento——*pro communitate*——palam expoſita——
359	19	*Decimo.* Rym.	*Viceſimo ſexto.*
	34	Quadrageſimum *quartum.* Vide Tab Chron.	Quadrageſimum *ſextum.*
360	29	Suffolcienſis comitis filius [o].	
361	1	Preſbyteri——mendicare, *quam* mercede victum acquirere malebant.	Preſbyteri——mendicare, *potius quam* mercede victum acquirere malebant.
	7	Quibus ſe commode ſuſtentare poſſit.	Quibus ſe commode ſuſtentare *non* poſſit.

Et

Annotationes.

[l] Rectius ſic: "omnibus fuimus *regalibus* odioſi; poſtmodum mutatis temporibus"—Ita enim *Byrchingt.* MS. *Lameth.*

[m] *Henricus* Burgerſh, qui anno obiit ſuperiore. Male Angl. Sacr. in Byrch. *Hugo.*

[n] Notiſſimus papam compellandi mos. Nuſquam—*Amantiſſimo*——

[o] *Robertus Ufford* in comitem *Suffolciae* evehitur 1335. Teſte Walſinghamio: ſecundum Dugdal. 1337. *Johannes* igitur *frater* forſan, non *filius*, Suffolciae comitis dicendus. Niſi quod, cum binos Roberti Suffolciae comitis fratres recenſeat idem Dugd. de *Johanne* omnino ſilet. Memoratur ſane in Regiſtro *Langham*, *Johannes de Ufford* filius comitis *Suffolciae*, 1366: Verum haec anno poſt *Johannem* noſtrum morte abſumptum decimo ſeptimo.

EMENDATIONES.

P.	L.	Editio 1729.	Editio 1572.
	49	In *tam* funeſta contagione.	In *tantum* funeſta contagione.
362	32	*Viceſimo die Maii.* Rym. Clauſ. 23. Edw. 3. p. 1. m. 10. dorſ.	*Octavo Calendas Junii.*
	35	*Murum—martyrium:* uti infra p. 432. l. 18.	
363	14	Hartfeldiae in Suſſexia natus [o].	
364	2	Sacrandus *Avenionem venit.*	Sacrandus *Avenione invenit.*
	17	*Quatuor* ſeptimanis—*ſex* diebus [p].	*Quinque* ſeptimanis — *quatuor* diebus.
365	25	*Quarto die Oct.* Rectius 16 *Kal. Januar.*	
	29	*Avenioni.*	*Romae.*
	44	Johannem *Gynwell* [q] Lincolnienſem epiſcopum.	Johannem *Buckingham* Lincolnienſem epiſcopum.
366	8	*Carleton.*	*Caulton.*
	9	Cancellarius electus —— & Oxonienſis univerſitatis procuratores, qui *admiſſionem* & confirmationem inſtanter petierunt.	Cancellarius electus —— & Oxonienſis univerſitatis procuratores, qui *conſecrationem* & confirmationem inſtanter petierunt.
368	2	*Nomine* archiepiſcopi Eborac.	*Tum* archiepiſcopi Eborac.
369	3	Th. *de L'Iſle* [r] Elyenſ. Epiſc.	Th. *Lylde.*
373	19	Totius aerarii —— quaeſturam.	Totius *Theſauri* aerarii —— quaeſturam.
	25	In capella S. *Stephani.* Regr. *Langh.*	In capella S. *Nicolai.*
	29	*Inthronizationis.*	*Conſecrationis.*
	30	Comite *Staffordiae.*	*Stratfordiae.*
	49	David *de* Woller. Dugd. Rym.	David *Woller.*
375	3	Gregorio — *undecimo* [s].	Gregorio —— *duodecimo.*
	38	Monachum *Cantuarienſem* [t].	
375	35	*Octingentarum* librarum *&* *decem* millium. Vide infra l. 39.	*Octingenta* librarum millium.
377	13	Leonardus *Guercini:* Ciac.	Leonardus *Gnercini.*
	43	Johannes Stafford [v].	
378	3	Alexandro *ſexto* 1493. Omnino.	Alexandro *tertio.*
	19	*Adriani.* Ab Adriano incipit ſeries	*Innocentii.*
	21	Hic S. Langham non recenſetur [w].	
	32	Hic cardinalis [x].	
379	23	Inde ad Wigornienſem [y], poſtremo —— ad Cantuarienſem ——	Inde ad Wigornienſem, *Tum ad Londinenſem,* poſtremo —— ad Cantuarienſem.
	27	*Decimo quinto Januarii.* Regr. *Wittleſey.*	*In feſto S. Hilarii.*
	33	*Undevigeſimo* Apr. Regr. *Wittleſey.*	*Kal. Apr.*
380	25	*Ricardus* [z] Scroop.	*Thomas* Scroop.

Nono

ANNOTATIONES.

[o] Fortaſſe —— *Ciceſtriae* —— ipſo innuente *Bradwardyno:* " De cauſa Dei. " p. 559.

[p] A 14 Kal. Auguſti ad 8 Kal. Sept. Regr. *Iſlippe.*

[q] Haec anno 1350. Sedem Lincoln. ingreditur *Bokingham* 363. Extat PP. *privileg.* Regr. *Iſlippe.*

[r] Ita Rot. 11. Ric. II. Ita etiam ipſius *Regiſtrum.* Nomine de *Inſula* ducto.

[s] Ita Ferdinand. Ughell. recte. Moritur *Simon* 1376. Vaticanam ſedem conſcendit Gregorius XII. 1406.

[t] Alii *Abendonenſem.*

[v] Vitioſae admodum hae, " quanquam ex ipſa Romana curia deſumptae" cardinalium tabulae. *Johannes Stafford* nunquam purpura donatus: Erat is, qui *Staffordium* excepit, *Johannes Kempe.* Ita etiam manu MATTH. CANTUAR. Rawlinſ. N° 3.

[w] Neque vero, Anglicorum cardinalium tertius, Robertus Curzon, ab Innoc. III. ad titulum S. Stephani evectus, anno 1215.

[x] Haec ad l. 39. —" Hic duobus" —— in quibuſdam exemplaribus deſiderantur: pagina iterum pro more MATTHAEI CANTUAR. ut inſtructior prodeat liber, typis ſubjecta.

[y] A Wigornienſi ad Cantuarienſem ſedem traducitur. Rym. omn.

[z] Manu MATTHAEI CANTUAR. Rawlinſon. N° 2. Ita etiam *Dugd.*

E M E N D A T I O N E S.

P.	L.	Editio 1729.	Editio 1572.
381	20	*Nono.* Rym. Angl. Sacr. omn.	*Sexto.*
	24	*Deceſſit 5 Junii:* Regr. *Wittl.* p. ult.	*Decidit 5 Id. Oct.*
	28	Exempta: Extat PP. dipl. Regr. *Wittl.*	
382	18	*Avenioni.*	*Romae.*
Ibid.		Cardinalem — *Simonem Langham:* Angl. Sacr. T. I. p. 120.	
	44	*Ineunte menſe* Junii: Rym.	*Sexto die Menſis* Junii.
	47	*Brugas* [a].	*Bruxellas.*
383	41	Adam *Houghton* [b].	Adam *Hunton.*
386	18	A rege reſtitui ſibi *ablata* epiſcopatus jura.	A rege reſtitui ſibi *oblata* epiſcopatus jura.
387	19	*Poſt cujus coronationem, annis pene tribus elapſis* [c].	*Ejuſque coronationis ritibus finitis.*
392		W. *Wigmor* [d].	W. *Wigham.*
393	16	*Dicta* villa [e].	*Dominica* villa.
	25	*Pro quodam* annuo incremento.	*Per quod* annuo incremento.
	27	Ultra antiquam firmam — quam *penſant.*	Ultra antiquam firmam quam.
396	13		*Rege Gallorum ab Angliae rege in praelio capto & captivo Londinum ducto* [f].
	28	*Henricus* [g] rex — Rothomagum obſidione tenuit.	*Ricardus* rex — Rothomagum obſidione tenuit.
397	Marg.	Johannes de *Rupeſciſſa.*	Johannes de *Rupetiſſa.*
398	19	*Gulielmo Wittleſey* [h].	*Simone Iſlippe.*
399	1	Johanni *Trefnant,* Regr. *Courtney.*	Johanni *Trefnault.*
	13	Robertum *Rygge.* Regr. *Courteney.*	Robertum *Rugg.*
	14	Brightwell. Id.	*Brigwell.*
	45	*Duodecim* [i].	*Septendecim.*
400	12	*Ponderis* quinque libr. Reg. *Court.*	Quinque librarum.
	32	*Story.*	*Stowry.*
	42	Romae — antipapa *exortus eſt.*	Romae — antipapa *exorſus* eſt.
401	25	*Regiis.* Regr. *Courteney.*	*Regis.*
	44	Praeſens *coram* proteſtatur. Regr. *Courteney.*	Praeſens *etiam* proteſtatur.
	49	— *inibi* exercenda. Regr. *Court.*	— *mihi* exercenda.
402	10	Cantebrigiae: Male *Cantuariae* Stat. impreſſ.	
	21	*Thomas* Trivet [k].	*Johannes* Trivet.
	33	Proinde *ſe de* quacunque conceſſione.	Proinde *de ſe* quacunque conceſſione.
	40	*Lincolnienſem.* Regr. *Courteney.*	*Wigornienſem.*
	46	*Teſtamentorum* inſinuationes.	*Tenementorum* inſinuationes.
406	24	Henricus — Rectius *Thomas.*	

Epiſco-

Annotationes.

[a] *Brugas,* non *Bruxellas.* Extat "Confirmatio Treugarum apud *Brugges nuper* initarum" Rym. anno 1375. Aliae item hac de re chartae *Brugis* datae.

[b] Rym. Dugd. Godw. omnes.

[c] Corona cingitur Ricardus II. 1377. Cancellarii munus *Simoni* traditur 1380. Rym. Dugd. Orig. Juridic.

[d] Manu Matthaei Cantuar. Rawl. N° 2. MS. Caio-Gonvil. fol. 234, 5.

[e] Jubente ipſo periodi ſenſu: ſic — *Praedicta* villa — Rot. Parl. ann. 5. Ric. II. Vide infra l. 33.

[f] Agitur hic de atrociſſima caede, anno 1418, Pariſienſi, tenente imperium Gallicanum *Carolo Sexto;* de quo nuſquam, aut Londinum ducto, aut certe capto, legitur. Erat is *Johannes,* qui in celeberrima ad Pictavium, non altera illa prope Agencourt, pugna, victus acie *captuſque Londini* moritur 1364. Quae ſcilicet in *Edwardi Walliae principis* tempora inciderant, ea hic in *Henricum quintum,* nomine principem atque animo parem, ſunt traducta: Tollenda itque haec omnino ac ejicienda.

[g] Male tabula emendatoria — *Ricardus* — Rothomagum *Henricus* V. non *Ricardus* II. obſidione cinxit.

[h] Ad ſedem *Herefordenſem* evehitur *Courteneius* 1369. moritur *Simon Iſlippe* 1366. Acta haec, ſedente Cantuariae *Wittleſeio.*

[i] Ita, quem teſtatur auctor noſter, *Walſingh.*

[k] *Walſ. Rym.* Inter *Juſticiarios* non recenſetur: Chron. Ser. *Dugd.*

EMENDATIONES.

P.	L.	Editio 1729.	Editio 1572.
	27	Decimo Februarii *proximo* [l].	
407	30	*Episcopatum* * S. Andreae.	*Archiepiscopatum.*
	48	Sede Apostolica.	Sedis Apostolicae.
408	21	*Rogero* [m] Walden *postea* Londinensi episcopo, & *tunc* thesaurario Angliae.	*Thomae* Walden Londinensi episcopo, & *postea* thesaurario Angliae.
	29	De observandis feriis [n].	
	34	Episcopum Cestriae [o].	
	37	Ambitiosam: Forte: *Malitiosam.*	
	50	*Ipse*—regiam manum admoveret.	*Se.*
409	12	*Decenni*——*exilio.* Omnes.	*Perpetuo.*
410	3	Sibique adversos *quoscunque.*	Sibique adversos *quorumcunque.*
	14	*Sui ingressus.*	Suae *consecrationis.*
	16	Joh. de *Monteforti* —— ducis Britanniae: Notius nihil.	*Montefracto.*
	45	Cum *ad* haec.	Cum haec.
411	1	Prolocutor——Johannes *Cheyney.*	*Cleyne.*
	10	*Sive.* Ipse, unde haec traducta, *Wals.*	*Sui.*
	14	*Qui.* *Wals.*	*Quo.*
	20	*Eis.* *Wals.*	*Ei.*
	24	Temporalia *jura.* *Wals.*	Temporalia *nostra.*
	36	Anno *archiepiscopatus* sui *undecimo* [p].	Anno *restitutionis* suae *decimo.*
412	5	In eo concilio, amotis confligentibus & gannientibus papis novum elegerunt, quem *Alexandrum* V. [q] appellarunt.	*Johannem* XXIII.
	30	*Quinto Idus* Aprilis: Omnibus notum.	*Idibus* Aprilis.
415	12	*Arimini* [r] delituit.	In *Aragonia.*
	16	*Tandem* invitus & *aegre* adductus.	*Aegre tandem* invitus & adductus.
	37	Septingentis proceribus captis [s].	*Rege ipso cum* septingentis.
416	2	Edmundum Lacy Herefordensem *Windesoriae.* Regr. *Chicheley.*	Edmundum Lacy Herefordensem.
417	7	*Translationis* [t].	*Consecrationis.*

Roffensi

Annotationes.

[l] Arundelium *pallio* indutum, anno 1399, tradit, reprehenso hic aliquantulum auctore nostro, Anglia sacra: Parum hoc accurate. Hac de re loquitur disertis verbis ipsius Arundelii registrum: " Memorandum, quod decimo die mensis Febr. 1396. praesentatae fuerunt " duae bullae apostolicae super receptione *pallii*; & *eodem die* in palatio apud Westminst. " idem archiepiscopo tradidit Wilhelmus Episcopus Winton." Fol. 6.

* Sedes Santandreana *archiepiscopatus* titulo donatur a Sixto IV. 1471.

[m] Nomen historia Anglicana notissimum: Vir miras rerum vicissitudines expertus: Dixerim illum inconstantis fortunae plane ludibrium: jam ad summum ecclesiae culmen evectum; mox deturbatum, magistratu omni exutum; deinde in illustrem episcopatus *Londinensis* cathedram assumptum. —— Periodo hac aliquantulum, quod cernis, interversa, omnia satis chronologiae conveniunt: Erat enim Angliae thesaurarius 1397; Londinensis sedis regimini admovetur 1405.

[n] Constitutio haec *Chicheleio* est, non *Waldeno*, ascribenda: Lynw. 103. —— *Ineffabilis.*

[o] Ita episcopum *Lichefeldensem* veteres scriptores saepe appellant, cathedra ad *Cestriam* semel posita.

[p] Haec 1407. Sedem Cantuariensem conscendit Arundelius 1396. Eidem restituitur 1399.

[q] Johannes XXIII. non Pisis, sed Bononiae, pontifex renunciatur: idque anno 1410, non de quo nunc agitur 1409. Audi Ciaconium: " *Alexandro* V. qui duobus de pontificatu con" tendentibus, Gregorio XII. & Benedicto XIII. in *concilio Pisano* privatis, summus ponti" fex omnium *in concilio* existentium consensu——creatus est."

[r] Arimini: res testatissima: *Plat. Ciac. Depuis* Histoire de Schisme: *Chastenet. Spondan. L'Enfant.* omnes. Triceps jam ecclesia Romana Johannem *Romae*, Gregorium *Arimini*, Benedictum *Aragonia*, pontifices alit.

[s] Ejicienda —— *rege ipso* —— si sanam velis historiam: Eodem haec, qui p. 396. l. 13. errore.

[t] Haec anno 1419. A Menevia ad Cantuariam traducitur *Chicheleius* 1414. Sacratur *Senis* in episcopum Menevensem 1409.

EMENDATIONES.

P.	L.	Editio 1729.	Editio 1572.
	21	Roffenſi *Johannem* [u].	*Ricardum.*
Ibid.		Lincolnienſi *Ricardum* [u].	*Robertum.*
	22	Lichefeldenſi *Gulielmum* [u].	*Thomam.*
418	3	*Tranſlationis.* V. ſupra p. 417. l. 7.	*Conſecrationis.*
	33	Generale concilium *Papiae* [x].	Generale concilium *Baſileae.*
419	16	*Johanni* Bedfordenſi & Humfredo Gloceſtrenſi ducibus. Notiſſimum hoc.	*Henrico* Bedfordenſi & Humfredo Gloceſtrenſi ducibus.
420	14	Ad *Wintonienſem* epiſcopum [y].	Ad *Cantuarienſem* archiepiſcopum.
	41	*Diſidentis* ſuae —— verſutiae laqueis. Regr. Prior. Eccl. Cant.	*Diſcentis* ſuae — verſutiae laqueis.
421	4	*Pro vice qualibet acceſſus eorum centum dies de injunctis eis poenitentiis, per te, vel per illos, quibus id commiſeris, ut praefertur, auctoritate apoſtolica relaxentur* [z].	
422	12	Idque contra perverſa molimina & conatus eorundem haereticorum ſuis cordibus *imprimant*, eadem auctoritate concedas, & ipſi eligendi concedant, eorumque humeris *affigas* pariter & *affigant.* Regr. Prior. Eccl. Cant.	Idque contra perverſa molimina & conatus eorundem haereticorum ſuis cordibus *imprimatur*, eadem auctoritate concedas, & ipſi eligendi concedant, eorumque humeris *affigat* pariter & *affigatur.*
	16	*Innoteſcat.* Regr. idem.	*Innoteſcant.*
	22	*Poteſtate.* Regr. id.	*Poteſtatem.*
	27	*Quibus.* Regr. id.	*Quilibet.*
	32	*Eiſque.* Regr. id.	*Eis quod.*
	35	*Caeteros.* Reg. id.	*Caeterum.*
	46	*Muniri.* Regr. id.	*Munire.*
		Plenam & expreſſam —— *mentionem.* Regr. id.	Plenam & expreſſam —— *monitionem.*
	28	*Quando.* Regr. id.	*Quod.*
	29	*Tranſmitti.* Regr. id.	*Tranſmittere.*
	31	Romae apud S. *Apoſtolos.* Regr. id.	Romae apud S. *Apoſtolicos.*
424	36	*Quorumlibet* cruce ſignandorum. Regr. id.	*Quemlibet* cruce ſignandorum.
	40	*Futurum.* Regr. id.	*Futuri.*
425	1	*Anno* 1426, Henricus *epiſcopus Wintonienſis* [a] a papa Martino quinto *preſbyter* cardinalis Romanus titulo S. Euſebii —— creatus eſt. Vide ſupra, p. 420. l. 14.	*Hoc anno* Henricus *archiepiſcopus* a papa Martino quinto cardinalis Romanus titulo *preſbyteri* S. Euſebii —— creatus eſt.
	4	Ricardus *Cawdrey.* Regr. Prior. eccl. Cant.	Ricardus *Candry.*
	36	*Thoma* Beckington. Rym. omnes.	*Johanne* Beckington.
	43	Inter hanc ſynodum —— quae cauſa concilii Baſileenſis *congregata* eſt.	Inter hanc ſynodum —— quae cauſa concilii Baſileenſis *congregati* eſt.
426		Ludovico Rothomagenſi archiepiſcopo commendationis titulo ſeſe contuliſſe. Hanc autem ſynodum ——	Ludovico Rothomagenſi archiepiſcopo commendationis titulo ſeſe contuliſſe. *Fuit tum Philippus Morgan, ſenex egregie cordatus, epiſcopus Elyenſis ordine viceſimus tertius, qui vitam in ſenectute tam diuturnam produxit, ut papae commendationem,*

quam

ANNOTATIONES.

[u] Roffenſi Johannem *Langdon* —— Lincolnienſi Ricardum *Flemyng* —— Lichefeldenſi Gulielmum *Heyworth* —— anno 1420. Conſule TAB. CHRON.

[x] Concilium Papiae indicitur anno 1422. *Baſileae* traductum 1431. Duck vit. *Chicheleij*: Omn.

[y] Omnino: res ipſa loquitur —— "Martinus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio "Henrico *tit.* S. *Euſebii* preſbytero *cardinali* ——"

[z] Reſtituta haec e *regiſtro* prioris eccl. Cant.

[a] Chicheleius Romana purpura non donatur: dignus, qui aliis conferat, praeſul.

P.	L.	Editio 1729.	Editio 1572.
			quam tota tunc ſynodus execrata eſt, morte Ludovici, qui ante eum obiit, irritam fruſtraret[b]. Hanc autem ſynodum ——
427	46	Viginti & *octo* annis *undecim menſibus diebuſque totidem* ſediſſet, *duodecimo* die menſis *Aprilis* hac vita functus eſt. *Duck. Epitaph. Regr.*	Poſtquam viginti *novem* annis ac *uno menſe* ſediſſet, *tertio* die menſis *Maii* hac vita functus eſt.
428	12	*Humfredi Stafford militis*[c] filius.	*Celeberrimi comitis Staffordiae* filius.
429	29	Nullam eſſe cauſam dixerunt, cur, pro regis regnique incolumitate ac ſalute, major fides conſuetudinum *atque* legum peritis, *quam ſibi* eccleſiaſticae juriſdictionis praelatis, haberetur.	Nullam eſſe cauſam dixerunt, cur, pro regis regnique incolumitate ac ſalute, major fides conſuetudinum *quam* legum peritis, *ſibique* eccleſiaſticae juriſdictionis praelatis, haberetur.
	45	Or *cauſe* to be purchaſed. *Stat.*	Or *do* to be purchaſed.
430	22	At longe alium fuiſſe illorum ſenſum, quorum conſenſu conditum tum ſtatutum fuit, *quique* illud verbum in curia Romana, vel, ALIBI, interpoſuerunt, *certum eſt.*	At longe alium fuiſſe illorum ſenſum, quorum conſenſu conditum tum ſtatutum fuit, *certum eſt, qui* illud verbum in curia Romana, vel, ALIBI, interpoſuerunt.
433	25	Duodecimo *Kal.* Aug. Regr. *Kempe.*	Duodecimo Auguſti.
434	8	Vicecomes *L'Iſle.*	Vicecomes *Lyſley.*
	34	In ea Ricardus Warwicenſis[d].	
437	13	Edwardus rex *tertius. Walſ.* 1328.	Edwardus rex *ſecundus.*
	29	*Octo menſibus unoque die* ſediſſet. A Jul. 21. 1452. ad Mart. 22. 1453.	*Viginti quinque ſeptimanis ac ſex diebus* ſediſſet.
438	10	Walterum *Hereford.*	Walterum *Hertford.*
	25	Nicolaum *quintum*[e] papam.	Nicolaum *quartum* papam.

Priores

ANNOTATIONES.

[b] Omnem hanc de *Philippo* narrationem, ne auctorem graviſſimum diutius corrumpat, abſtergendam ego ejiciendamque volui. Moritur *Philippus Morgan*, 8 Kal. Nov. 1435. *Philippo* ſuperſtes *Ludovicus*, antiſtes *Rothomagenſis*, eccleſiae *Elyenſis adminiſtrator* conſtituitur Apr. 3. 1438. titulo iſto ad extremum diem retento. Secundus haec MATTHAEI curas effugiſſe mirum plane.

[c] Erat *Johannes* Humphredi Stafford militis, pervulgato cognomine, "*cum manu argentea*," filius: Satis hoc e cl. Dugdalio evincitur: Humphredus, inquit; Humphredi *cum manu argentea* militis filius natu maximus ſupremas tabulas, 14 Dec. 1442, obſignat, legatis Johanni epiſcopo Bathon. & Wellen. *fratri ſuo*, duobus vaſculis deauratis. Horum quidem alter *Elizabetham*, alter *Emmam*, matrem habuit: Emmae enim matri epiſcopalia quaedam praedia concedit Joh. Bath. & Wellen. *Godw.* in Vit. Th. *Beckington.* Orta hinc forſan de Johanne, vitio natalium laborante, ſuſpicio. Extat *Roberti Waldeby* Archiep. *Eboracenſis* diſpenſatio fratri *Johanni Stafford* monacho de Gyſeburn ſuper *defectu natalium* 1397. Regr. *Waldeby*, p. 12. Haec in *Johannem* noſtrum, ſi temporis rationem ſpectemus, ſatis convenient: Verum non clauſtris ille, ſed juriſperitorum ſcholis, inſtitutus: Hinc potius Thomae Gaſcoigne de Johanne Stafford *origine*, ut ait, *baſtardo* teſtimonium.

[d] Haec omnia ad p. 435. l. 17. e Johannis *Stafford*, ſuperioris archiepiſcopi, vita ad Johannem *Kempe* traduxi; non tantum, quod indicta fuerit haec ſynodus 7 die Febr. 1452, novem fere poſt obitum Johannis *Stafford* menſibus; verum, quod in ipſius Johannis *Kempe* REGISTRO p. 219. haec de *Decano S. Severini*, *Vincentio Clemente*, ac Stephano de *Porcariis*, inter acta ejuſdem archiepiſcopi ſynodalia accurate traduntur. Ad muniendam vero hanc noſtram hiſtoriolae hujus tranſpoſitionem, ipſius REGISTRI verba ſubjeci. "Convocatio Praelatorum & Cleri Provinc. Cant. fact. per reverendiſſimum in Chriſto Patrem & D.D. Joh. Dei gratia epiſc. S. Rufinae, S. R. E. cardinalem, archiep. Cant. &c. in eccl. S. Pauli 7mo die Febr. MCCCCLII.—inchoata:" Regr. *Kempe* p. 219. Deinde—"Febr. 10. Quibus die & hora advenientibus nobiles praeclari magnificique *Ricardus Warwici*, *Johannes Wigorniae*, comites illuſtres, necnon egregii praepotenteſque viri *Robertus Prior S. Johannis Jeruſalem* in Anglia & *Johannes* D. *Stourton*, Barones —— a regia celſitudine —— miſſi domum capitularem praedictam intrarunt" —— Deinde "22 Febr.—— Quo die adveniente venerabilis & egregius vir *decanus S. Severini*—intravit" —— p. 221. Tandem —— 26 Febr. —— Quo adveniente die venerabilis & egregius vir dominus *Vincentius Clement*—— fructuum camerae apoſtolicae in regno Angliae collector —— quandam deteſtabilem —— proditionem a quodam *Stephano* de *Porchariis*, milite Romano —— contra ſanctiſſimum D. D. P. P. *Nicolaum* V. expoſuit," p. 222.

[e] Haec anno 1454. Papalem ſedem conſcendit *Nicolaus* V. 1447. moritur 1455.

EMENDATIONES.

P.	L.	Editio 1729.	Editio 1572.
	43	Priores —— Doveriae, *Combewell. Dugd.* Monaſt. Regr. *Kempe.*	Priores—— Doveriae, *Clumbwell.*
	45	Comes de *Eu*, *comes* de Shrewſbury, Vicecomes Beaumont, dominus *Fitz-Warin*, dominus de *Berners*, dominus de *Abergavenny* [f].	Comes de *Hew*, vicecomes Beaumont, vicecomes *Fewarren*, *dominus* de Shrewſbury, dominus de *Barvis*, dominus de *Burgavenny.*
	47	Dominus de Echingham [f].	
	48	Dominus Ricardus *Ferrers*, dominus Rogerus le Coniers atque milites Suſſexiae.	Dominus Ricardus *Ferrys*, dominus Rogerus le Coniers *Barones* atque milites Suſſexiae.
439	28	*Nonas Martii.*	*Kalendas Julii.*
	37	Prior *eccleſiae Chriſti Londini.* Regr. *Bourchier.* Fol. 14.*b.*	Prior *eccleſiae Chriſti Cantuarienſis.*
439		Quarto *nonas Martii.* Omnes.	Quarto *Kalendas Julii.*
	46	—— memoranda impreſſio *ſaeclis.*	—— memoranda impreſſio *tectis.*
442	24	*Dux Glouceſtrenſis.*	*Comes.*
	30	Ideoque *conſumptis* ſuis facultatibus—— decimas impoſuiſſe.	Ideoque *contemptis* ſuis facultatibus—— decimas impoſuiſſe.
443	28	Archiepiſcopus Cantuarienſis iſtas nuptias celebravit, *illumque* [g] *paulo ante*, regem Angliae, nomine Henricum ſeptimum, Weſtmonaſterii coronavit atque ſacravit, *tertio* Kalendas Novembris.	Archiepiſcopus Cantuarienſis iſtas nuptias celebravit, *& utroſque paulo poſt*, illum regem Angliae, *hanc reginam*, nomine Henricum ſeptimum, Weſtmonaſterii coronavit atque ſacravit, *pridie* Kalendas Novembris.
	43	Ciſta *Billingforth.*	Ciſta *Billingworth.*
445	7	*Ingruerant.*	*Ingruerunt.*
	35	Ad novos populi tumultus *concitandos.*	Ad novos populi tumultus *citandos.*
	38	*Wilhelmus* quidam Simondus. Regr. *Morton.*	*Ricardus* quidam Simondus.
	46	Margaretam *duciſſam* Burgundiae, ſororem ducis Clarentiae, ſollicitant.	Margaretam *ducis* Burgundiae, ſororem ducis Clarentiae, ſollicitant.
446	38	Si decem marcarum, *decem* ſolidos, ſi duodecim, tredecim ſolidos & quatuor denarios. Regr. *Morton.*	Si decem, *quinque* ſolidos, ſi duodecim, *duodecim* ſolidos, *ſi decem librarum, ſexdecim ſolidos octo denarios.*
447	26	Lincolnienſem, Exonienſem Ricardo Fox *ad Bathonienſem & Wellenſem.* Regr. *Morton.*	Lincolnienſem, Exonienſem, *Bathonienſem & Wellenſem*, Ricardo *Fox ad Exonienſem.*
449	16	*Tredecim* annis [h].	*Triginta* annis.
450	37	*Beauleienſi* coenobio.	*Bewdleienſi* coenobio.
	44	*Lanthonienſis* coenobii.	*Langtonienſis* coenobii.
451	37	Succeſſori ſuo *Pigoto* [i].	Succeſſori ſuo *Peneo.*
452	29	*Plenitudinis.*	*Plenitudinem.*
454	12	*Nongentis* [k] amplius annis.	*Octingentis* amplius annis.
456	30	*Regni.*	*Regnum.*
	39	*Honore.*	*Honoro.*
462	12	Tum, ut ſi decedentium bona minoris quam decem libris aeſtimentur, ab archiepiſcopali praerogativa non diſponantur.	Tum, ut ſi decedentium bona minoris quam decem libris aeſtimentur, *ut* ab archiepiſcopali praerogativa non diſponantur.
464	3	CANTEBRIGIAE INSTITUTUS [l].	

Ego

ANNOTATIONES.

[f] Haec, & titulis vitiatis & inverſo ordine, tradit editio 1572: Utroſque emendavi ego, teſte cl. *Dugdalio*, ac diſpoſui. D. de *Echingham* forſan militibus rectius accenſendus: Eodem enim *Dugdalio* auctore, a 2 Ed. III. e gente de *Echingham* inter proceres regni numeratur nemo.

[g] Nondum connubio junctus ſacratur H. VII. Ille Oct. 30. 1485. illa Nov. 25. 1487.

[h] Ab ann. 1486, ad 1500.

[i] Henricum *Dene* in ſede Bangorenſi excipit Thomas *Pigot.* 1500. *Peneus* cathedram *Bangorenſem* ingreditur 1504, duobus poſt *Henricum* morte abſumptum annis.

[k] Ab ann. 596, ad ann. 1503.

[l] Haec forſan de *Henrico primo*, BEAUCLERC appellato, verius dicta: Ita enim tradunt Rudbourn, alii: In Henricum VIII. minime conveniunt. Profert haec auctor noſter non ſua, ſed aliena fide——*juxta quorundam*, inquit, *ſententiam.*

EMENDATIONES.

P.	L.	Editio 1729.	Editio 1572.
	28	Ego et Rex meus [m].	
469	4	Cum enim ei non fuit in Cantuarienſis provinciae ſynodo locus [n].	
	7	Diſſolvit [o].	
	9	Subſidium [p].	
	24	Cum Ricardus Fox, Wintonienſis epiſcopus, cujus, ut diximus, capellanus fuerat, —— *caecus & ſenio confectus eſſet*——hic ſceleratus ingratuſque erga tam benignum patronum libertus ad eum nuncium quendam miſit, ut valetudini jam ſtuderet, & ſtipendio contentus epiſcopatui cederet.	Cum Richardus Foxus, Wintonienſis epiſcopus, cujus, ut diximus, capellanus fuerat, —— hic ſceleratus ingratuſque erga tam benignum patronum libertus ad eum nuncium quendam miſit, *ut quia Foxus caecus & ſenio confectus eſſet*—— valetudini ſtuderet, & ſtipendio contentus epiſcopatui cederet.
470	20	Cujus ſalus cum propter ſuam nequitiam, *tum* cardinalis potentiam.	Cujus ſalus cum propter ſuam nequitiam, *in* cardinalis potentiam.
471	42	Johannes quidam *Joachimus. Herbert. Rym.*	Johannes quidam *Jokinus.*
472	41	Ne —— totam Italiam occuparet, Venetos, Florentinos——ſolicitavit.	Ne —— totam Italiam occuparet, *itaque* Venetos, Florentinos —— ſolicitavit.
476		Remedium *niſi* adhibere velitis.	Remedium adhibere velitis.
483	25	Legatis perhonorifice atque blande tractatis, tum Cranmero —— poenitentiario ſuo conſtituto, quod munus omnem ſolvendi atque ligandi tum a papa poteſtatem continebat, cum puſillanimus.	Legatis perhonorifice atque blande tractatis, tum Cranmero —— poenitentiario ſuo conſtituto, quod munus omnem ſolvendi atque ligandi tum a papa poteſtatem continebat *affecto*, cum puſillanimus.
485	15	Quod in omnibus literis, quas ad papam & exteros principes dediſſet, ſe regi, his verbis, *parem adjunxiſſet*, Rex et Ego [q].	Quod in omnibus literis, quas ad papam & exteros principes dediſſet, ſe regi, his verbis, *praepoſuiſſet*, Ego et Rex meus.
	19	Gregorium de *Caſalis* [r].	Gregorium de *Caſſado*
486	31	Gloria & *aura* popularis.	Gloria & *aula* popularis.
	38	*Minui* enim regia majeſtas ab utriſque pariter exiſtimatur.	*Minus* enim regia majeſtas ab utriſque pariter exiſtimatur.
488	11	*A decimo quinto* Maii ad quintum *Novembris.* Act. Convoc.	A 6 *Kal.* Maii ad quintum *Octobris.*
490	50	Ducenti *ſeptuaginta duo*: Act. Conv.	Ducenti *ſexdecim.*
491	24	*Maſſiliis.*	*Marſiliis.*
492	25	Ne ea deinceps regina, ſed "*Dotaria.*"	Ne ea deinceps regina, ſed *Donataria.*
494	36	*Aſlactoniae.*	*Arſelectonae.*
495	6	Generoſum equum *inſilire.*	Generoſum equum *ſalire.*
498	26	Ne animum *demitteret.*	Ne animum *dimitteret.*
504	34	Ut id mandato ſuo *ac* nomine faceret.	Ut id mandato ſuo nomine faceret.
505	11	Apoſtolorum ſymbolo, & *decalogo* vulgari lingua perdiſcendis.	Apoſtolorum ſymbolo, & *catalogo* vulgari lingua perdiſcendis.

Quinto

Annotationes.

[m] Nimis aliquanto populari famae hic conceſſum; uti etiam ſupra de Wolſeyo collegii aerarium diripiente: Haec rumore nuncio dicta.

[n] Sedem habuit in provinciae Cantuarienſis ſynodo Wolſeyus; verum non, qualem voluit, *ſupremam*: Erat tunc S. Albani abbas commendatarius.

[o] Non *ſoluta* ſynodus; ſed *Weſtmonaſterium* concedente Warhamo *traducta.*

[p] Non Weſtmonaſterii hoc, verum ſynodo ad aedem D. Pauli mox reverſa, conceditur: Hujus ſynodi hiſtoriam accurate tradidit, qui eidem interfuit, Polydorus Vergilius, ad annum 1523.

[q] Emendata haec, teſte illuſtriſſimo hiſtorico domino de *Herbert:* qui vitiate editas has in Wolſeyum criminationes diſertis verbis multum queritur: Teſte ipſo etiam Articulorum autographo, inter Turris Londinenſis archiva in hodiernum diem aſſervato. Conſule Artic. IV. *Herb.* H. VIII.

[r] Ita articulorum autographum: Hiſtorici etiam impreſſi prope univerſi.

P.	L.	Editio 1729.	Editio 1572.
506	19	*Quinto* Kal. Febr. moritur: Omn.	*Tertio* Kal. Febr.
	32	*Decimo* Kal. Mart. Omn.	*Quarto* Kal. Mar.
509	37	Kalend. Octobr. Omn.	*Pridie* Kal. Oct.
510	21	Defuncta prius & *ſepulta* [s] ſua conjuge.	Defuncta prius & *repulſa* ſua conjuge.
	26	*Octavo:* Omn.	*Septimo.*
511	19	Doctorem Brookum *Gloceſtrenſem* [t] epiſcopum.	Doctorem Brookum *Briſtolienſem* epiſcopum.
512	27	Illaeſum [tt].	
516	48	SS. *Nerei* & *Achillei* [u].	S. *Mariae* in *Coſmedin.*
518	3	Herardo a *Marka.* Ciac.	Erardo a *Marchia.*
520	1	*Diegum* Hurtadum.	*Piegum* Hurtadum.
521	32	*Pacenſi* cuidam *epiſcopo* Hiſpano.	*Pacenſi Hiſpano* cuidam epiſcopo.
523	19	Spe regni fruſtratus [x].	Spe regni *viſendi* fruſtratus.
526	40	*Martii* [y].	*Maii.*
528	45	Et ſi principum *legati* —— aut regis *conſiliarii*, vel ejuſmodi illuſtriores convivae accederent.	Et ſi principum *legatos* —— aut regis *conſiliarios*, vel ejuſmodi illuſtriores convivae accederent.
530	31	Gulielmum [z] *Petoum* —— cardinalem.	Gulielmum *Petrum* —— cardinalem.
	40	Omnia —— ad ſummum diſcrimen *ruitura.*	Omnia —— ad ſummum diſcrimen *initura.*
531	33	In eccleſia B. Mariae, & *S. Michaelis* [a] ſepulti.	In eccleſia B. Mariae ſepulti.
534	15	Quibus crederent, quos caverent [b].	
539	36	*Johanne* [c] Bedfordenſi.	*Richardo* Bedfordenſi.
541	37	*Cancellarius* [d].	*Procancellarius.*
542	17	*Thomas* Bentham Lichefeldenſis [e].	*Johannes* Bentham Lichefeldenſis.
	50	*Gulielmum Alley Exonienſem* [f].	
543	6	*Richardum* [h] Davies in ſede Menevenſi.	*Thomam* Davies in ſede Menevenſi.
	9	Hugo *Jones* [g] legum *baccalaureus.*	Hugo *Davids* legum *doctor.*
546	40	Menſiſque *Batavis.*	Menſiſque *Patavis.*
547	3	Omnium [i].	
	22	In illuſtriſſimi regis Henrici Octavi memoriam, *ultimi* eccleſiae Cantuarienſis *inſtauratoris* —— morumque —— *cenſoris.*	In illuſtriſſimi regis Henrici octavi memoriam, *ultimum* eccleſiae Cantuarienſis *inſtauratorem* —— morumque —— *cenſorem.*
	36	*Hugonem* [k] Curwen —— epiſcopum Oxonienſem.	*Henricum* Curwen —— epiſcopum Oxonienſem.

Ex

ANNOTATIONES.

[s] Vitio e literarum ductu ac ſimilitudine nato.

[t] Sacratur in ſedem *Glouceſtrenſem* Jacobus Brooke, Apr. 1. 1554. *Briſtolienſi* nunquam praefuit.

[tt] Hac de re dum tacet *Foxus*, loquitur.

[u] Renunciatur Polus diaconus primo cardinalis titulo SS. *Nerei & Achillei* Dec. 22. 1536. Hoc, Dec. 21. 1540, dimiſſo ſacrum *S. Mariae* in *Coſmedin* titulum geſſit: teſte Ciaconio, mox tertio auctus *S. Priſcae.*

[x] His nuptiis, non regni *viſendi* ſpe, ſed *gubernandi* Polus *fruendique*, decidit.

[y] Manu Matth. Cantuar. Rawlinſ. N° 2. Regr. *Pole.*

[z] Ita *Ciacon. Beccatellus* in vita R. Pole: alii: res teſtatiſſima.

[a] Paulus Phagius templo S. *Michaelis* ſepultus, Martino ipſo Bucero teſte.

[b] Rawlinſ. N°. 3. ——— *Quos* crederent, *quibus* caverent: verum manu Matthaei Cantuar. emendata: paginaque iterum praelo ſuppoſita ad hanc Matthaei caſtigationem caeteri codices exiguntur.

[c] Ita literae ad impertiendum ſacrationis munus regiae: Regr. Matth. Cantuar. Erat is *Johannes* Hodgekyn.

[d] Ricardus Cox academiae Oxonienſis *cancellarius* ab ann. 1547. ad ann. 1552. *Procancellarius* nunquam.

[e] Regr. Matthaei Cantuar.

[f] Regr. Matthaei Cantuar.

[g] Regr. Matthaei Cantuar. mirum hic in ipſo cognomine peccari.

[h] E Matthaei Cantuar. regiſtro reſtitui.

[i] Minus fortaſſe impedita periodus, ſi ——— *officium* ——— legas.

[k] Regr. Matthaei Cantuar.

EMENDATIONES.

P.	L.	Editio 1729.	Editio 1572.
548	24	Ex hoſpitiis ſancti Johannis & Herbaldowne.	Ex hoſpitiis ſancti Johannis *de* Herbaldowne.
549	18	In *Cranmeri* narratione; ſupra p. 511. l. 30.	In *Reginaldi* narratione.
	43	In ſacello, cujus jus ad aedes Norfolcienſium *ducum pertinuit.*	In ſacello, cujus jus ad *aedium* Norfolcienſium *ducum.*
551	4	*Decembri* [l].	*Martio.*
	10	*Nono die* [m].	*Tertio nonas.*
	12	*Edmundum* [n] Freake —— Sariſburienſem decanum.	*Johannem* Freake —— Sariſburienſem decanum.
552	38	Quem librum [o].	
553	14	Tum duodecimo Aprilis anno Domini 1573 [p].	
554	26	Anno Domini 1533, & *viceſimo* quinto —— Henr. VIII.	Anno Domini 1533; & *decimo* quinto ——
555	23	Hic ad noctem fere colloquium *produxit.*	Hic ad noctem fere colloquium *perduxit.*
	50	Tres *conviviorum* ordines —— pro illuſtrioribus convivis apparabantur.	Tres *convivarum* ordines —— pro illuſtrioribus convivis apparabantur.
557	6	*Llanvethen*: Regr. MATTH. CANT.	*Llanduechen.*
559	14	Alteramque.	*In* alteramque.
	32	*Significare.*	*Significari.*
562	21	Ex epitaphio [q].	

ANNOTATIONES.

[l] Regr. idem. [m] Regr. idem. [n] Regr. idem.

[o] Pagina hac in quibuſdam primariae editionis exemplaribus denuo recuſa, quae de *Smitho, Treſhamo, Ricaeo, Howardo,* legis, ſtylo aliquantulum diverſo traduntur; verum qui ad elegantiam plane ſermoniſque ornatum confert.

[p] Quae hic ad p. 558. l. 5. ——"Jam de interiori"—— cernis, paucis admodum occurrunt exemplaribus; iis ſcilicet, quae LAMETHAE premebat eruditiſſimus ANTISTES ſecundis curis, ut otium tulerit, caſtiganda: Reliquos codices anno ſuperiore in lucem emiſerat: Qui vero haec de *Domino Stourton*, de peragratione REGINAE *Cantiana*, de Oratore *Palatino*, complectuntur, eos non niſi ante annum 1573 erudito orbi permiſit.

[q] Fruſtra jam verſiculos hos MATTHAEI tumulo ſacros LAMETHAE quaeras; rabie iis fanatica graviſſimo illo, 1648, ac peſtilentiſſimo anno everſis. Quae vivus ſenſerat MATTHAEUS, eadem mortuus eſt expertus, hinc ſectariis, illinc pontificiis, in hodiernum diem impetitus: Hi ſanctiſſimi praeſulis diſtrahunt oſſa, illi famam praeſtantiſſimi viri longeque integerrimi dilacerant: Qui ſcilicet nec Angliae bene, nec eccleſiae, volunt, MATTHAEO male. Paucis poſt reducem regem menſibus de illata hac MATTHAEI cineribus vi, celſiſſimo procerum conſeſſu, querela inſtituitur: Ibi *Hardaeo* cuidam, relecta ut oſſa ſecundis quaſi exequiis componat, tumulumque ſumptibus excitet ſuis, demandatur; quod aegre ac non niſi a lictore caſtigatus ſenatorio praeſtitit, anno 1661: Aſpice hic amantiſſimum patriae praeſulem longo poſt funera intervallo & calamitatis & laetitiae publicae, miro temporum fluxu, raro exemplo, participem. Inſtaurato iterum tumulo, tanti facinoris incidendam aeri narrationem voluit Gulielmus a MATTHAEO archiepiſcopus octavus; ſtylo exaratam vivido, erecto, omnino ſepulchrali; dignamque plane, quae altera illa Haddoni nefarie disjecta, CANTUARIENSIUM praeſulum MATTHAEIQUE hiſtoriam hanc egregiam claudat ac illuſtrem.

Media ſacelli Lamethani area.

CORPVS
MATTHAEI
ARCHIEPISCOPI
TANDEM HIC
QVIESCIT

Refecto

Refecto eodem, ac ad latus atrii meridionale jam posito, sepulchro.

MATTHAEI ARCHIEPISCOPI CENOTAPHIVM

CORPVS ENIM NE NESCIAS LECTOR
IN ADYTO HVIVS SACELLI OLIM RITE CONDITVM
A SECTARIIS PERDVELLIBVS ANNO MDCXLVIII
EFFRACTO SACRILEGE HOC IPSO TVMVLO
ELOGIO SEPVLCHRALI IMPIE REFIXO
DIREPTIS NEFARIE EXVVIIS PLVMBEIS
SPOLIATVM VIOLATVM ELIMINATVM
ETIAM SVB STERQVILINIO PROH SCELVS ABSTRVSVM
REGE DEMVM PLAVDENTE COELO ET TERRA REDEVNTE
EX DECRETO BARONVM ANGLIAE SEDVLO QVAESITVM
ET SACELLO POSTLIMINIO REDDITVM
IN EIVS QVASI MEDIO TANDEM QVIESCIT
ET QVIESCAT VTINAM
NON NISI TVBA VLTIMA SOLICITANDVM

QVI DENVO DESECRAVERIT SACER ESTO

FINIS.



